R-4481

ESCOBAR y MENDOZA, Antonio de (S.I.) (1589-1669)

[Commentarios literales & morales in Sacram Scripturam]

/ [Antonii de Escobar et Mendoza]

. — ℵ [S.l.]: [s.n], 1667

Nota: Ejemplar falto de portada

Datos sacados de la aprobación

RODERI... PONCE DE LEON,

de Biana, PHILIPPI IV. à cubiculis ... Militiæ Dictatori, Catalaunicæ Phalangis Prin... Ductori, Gubernatori Madauræ, in Gallecia supre-mo belli Imperatori, Sardaniæ electo Proregi, &c.

A el Señor D. Rodrigo Pimentel.

ANAGRAMMA

Dones del mas pio Real origen.

IN Te, O EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *Regiam Originem* dum contemplor, & quasi ex origine agnatam *pietatem*: simul video, Te à Superis non solum in futuro, sed & in præsenti egregiis *Donis* esse muneran-dum. Pimentelidum Stemmata recognoscens, tuam Regiam originem fulgurantem aspicio. A tuis Proauis quini fuere deuicti Reges, Indica Imperia subacta, excitata prima Leonini Regni crepitacilla; sed cunctis victoriis maior in singulis Religio, ac Pietas fulgurauit. Deuictos namque Reges non Parmæ suæ Pimentellus descripsit, sed (quod Triumphatoribus insolens) Diuis omnia referens

merita, ſu-
niſſenus de ſuo
ſic tenuerunt ſingulas,
uerſas: Principis fortuna hæc eſt,
Princeps ſectetur pia, & honeſta: ſubditorum
ID. II. *Rectè facere Princeps ciues ſuos faciendo docet. Quo-*
quid faciant, præcipere videantur. Hæc eſt tua, EXCELLENTISSI-
Nam vt dixit Quintilianus Declam. 4. Cai. Cæcil. ad Cæſar. *Quan-*
arduum eſt, alios præſtare, quam ſe: tanto laudabilius, quod cum ipſe ſis optimus, om-
ſimiles tui affeciſti. Hanc morum cenſuram & ſi omnibus ſubditis cum Guberna-
um Imperator eras, alliniſti: domeſticis tamen tuis propiùs affricas quotidiano exem-
plo, à quo ſenſim probitatem hauriunt, arripiunt. *Conſidera Patremfamilias* (loquor cum
Tertulliano de Hildeberto Epiſ. 61.) *attende pueros,* famulos, mancipia. *In Domino deuotionem*
inuenies: in pueris, famulis, imò & in mancipiis *diſciplinam. Quippe in domo Patriarchæ* (dic in
Palatio ſancti Principis) *nemo inuentus eſt ſacris indeuotus.* Et quidem parum tibi foret dome-
ſticos edocere pietatem, niſi & aliis Ciuibus id etiam Magiſterium exhiberes. Quis infimus,
quis fortuna infelici laborans non te ſubleuatorem expertus eſt? Flauienſis in paneg. ad
Conſtant. de te ſic Scripſit. *Principis boni eſt lubenter ſuos videre felices; ſed melioris, inuiſere etiam*
laborantes. An ea animi demiſſione, aliquid de maieſtate tibi detrahitur? Audi de te Nyſ-
ſenum Orat. de iis qui præmaturè &c. *Ita morum grauitatem, atque maieſtatem cum animi de-*
miſſione commiſces, vt in celſitudine ac ſublimitate tua comitas, & humanitas: in humanitate vice
verſa grauitas & ſeueritas animaduertantur. Porrò ergà pauperes effuſior tua largitas, & genio,
& munere tuo digna; pietatis detrimentum putans, niſi ſupplicationem pietas anteuer-
terit. Enodius in vita Epiph. *At ille ſupplicantem prohibebat, ne ſibi inuidiam rogando concitaret:*
miſericordiæ probrum cenſens, niſi irrogatus annuiſſes. Cum ergò, (vt primam Anagram-
matis partem abſoluam: *Del mas pio Real Origen.*) ingentem à proauis laudis cumulum co-
gas, plus de propriis placere meruiſti. Veneramur enim Te ſine ſuperbia Principem, ſine
inuidia Potentem, ſine ſuperſtitione Religioſum, ſine iactantia Diſcretum, ſine ineptia Gra-
uem

ſine aſperitate Conſtantem, ſine popularitate Communem. Ille es, quem penitus mediocria ignorant, modernis ſæculis moribus ſplendes antiquis: & quæ deſiderantur in Principibus pietatis documenta ſingulis Te vniuerſa, facto agmine comitantur; ne deſint vni, quæ vix in pluribus ſparſim inueniuntur.

Iam myſterium Anagrammatis referatur, *Dones del mas pio Real Origen.* Queis-nam quęſo *Donis* muneratur ille, qui Regia ex origine procedes tanta pietatis præſtitit documenta? Pulchrè admodum ad rem Græci Comici Menandri carmine reſpondebo; quod Latinè ſonat: *A Diis, ô Proſper, præcelſo è ſanguine exorte, ob miram pietatem accepiſti donorum egregiorum loco; multis victoriis ornari, & alteram Ægeriam corpore pulchram, pulcherrimam moribus verè ducere vxorem.* Loco illius particulæ: *O Proſper* appone, *O Rederice*: & dona, quæ Cælitus Excellentiſſimo Marchioni pro Regia pietate fuere exhibita, apertè dignoſces. Vnum donorum eſt, *victoriis ornari?* O quam difficile tanti Principis triumphos ad memoriam adducam, cum quot ab ineunte ætate greſſus perfecit, tot perfecit victorias. Si Mediolanenſem Exercitum oculis luſtro, ibi ſe obiicit iuuenis Rodericus inſtar haſtati priuati Militis ſeruiens. Nec enim Nobilitatis magnitudo ſe ſcit, à militari infantia ſubtrahere. Voluit ille ad Præfecturas non ex præcelſa Nobilitate, ſed ex præcelſa admodùm Virtute conſcendere. Ad Catalauniam pergo, & mox inter ſtellatos fortes Duces Te fortiſſimum Ducem Solem aduerto. Ad Sanabricum diuerto campum, & illicò clamores proſtrati à Te Luſitani meas aures percutiunt. Ad littora iam Lybiæ iter expedio, & Te Orani Gubernatorem O PRINCEPS, intueor, dubitans, num prudentia Politica militarem potentiam excedat? Omnium plauſu ius dicis, & eorundem admiratione bella geris. Teſtor Turcas, quos Tu ſolus, nullus Gubernator alius, bello ſuperaſti. Nam cum Regio decreto prohibitum eſſet Oris illius Proregibus arma cum Turcis conſerere, caſu de illis Victoriam celebrem es conſequutus. Illi numeroſo exercitu Te, qui exigua manu ad montes aſcenderas, vt quoſdam amicos Mauros protegeres, redeuntem pugnaturi expectantes: planè experti ſunt, victoriam non multitudini copiarum, ſed virtutis magnitudini cedere. Magna enim ſtrage Turcarum, omnimoda ferè tui exigui comitatus incolumitate, illuſtriſſimam Victoriam ſemper à Fama euulgandam expoſuiſti. Ducis fortiſſimi Moſtapha nomine ſuperati à te, caput, inſtar Dauidis, proprio infidelis gladio amputaſti, & Haſta infixum, in Vrbem fidelem induxiſti. Nec furor bellicus potuit tuæ pietatis iura obliuiſci. Pro viribus enim procuraſti Turcam illum fortiſſimum Chriſtianorum olim horrorem exitialiter iam à te percuſſum ad ſalutis ſemitam adducere, quam ille arripere infelix omnino retrectauit. Vt autem victoriam illam Deo, cuius planè fuerat, tribueres, diſpoſuiſti, vt tuis ſumptibus annis ſingulis ſolemni religione vno ex octaua Dominici Corporis die memoraretur; quia veſpera illius Feſti parta fuerat. Iam ad Galeciæ Regnum feſtinus accedo, vt te inibi ſapientiſſimum Gubernatorem, fortiſſimúmque Imperatorem intuear, qui paucis menſibus triumphos, quos multi fortes multis Annis amiſerunt, recuperaſti. Vndecim munitiones hoſtium ſolo æquaſti. La Pella fortiſſima illorum Ars tuo arbitrio datur. La Flor munitiſſima multis Comitis de Caſtel Millor ſumptibus extructa tuæ fortitudini inſuperabili ceſſit; quæ victoria fortaſſe in cauſa fuit, vt fortis Luſitanus ille in pace preſſus ægritudine diem ſuum obiret. Monzonis inexpugnabile robur obſidione inuincibili Gallecianæ ditioni addixiſti; & Saluatierram potentiſſimis Præſidiis circumſeptam recuperaſti. Audio equidem Fluuium Minium de innumerabilibus Luſitani cymbis paucis tuis profundum ineuntibus argenteis linguis victoriam celebrantem. Denique illinc Cerdaniæ Prorex electus tot victoriis illuſtris, voluiſti ei præcelſo (fateor) Muneri nuncium remittens, verius Te oſtentare victorem.

Alterum Donum cæleſte fuit, *Alteram Ægeriam corpore pulchram, pulcherrimam moribus verè ducere vxorem.* Ægeria fuit illa Diua, quam Numa Pompilius finxit, ſe duxiſſe vxorem, vt perſuaderet populo, ſe ab illa leges, quas piè condiderat, diuinitus accepiſſe. Tu

Epistola Dedicatoria.

PRINCEPS, verè duxisti vxorem Ægeriam alteram, nempe præclarissimam D. D. Magdalenam Pimentel fratris tui Excellentissimi, piissimi, prudentissimi, acceptissimi D. D. Ioannis Pimentel Comitis de Benauente filiam. Cuius corporea pulchritudo mirabilis, mirum in modum à vera animi pulchritudine à præcelsis modestiæ, prudentiæ, pietatis, charitatis, mansuetudinis, humilitatis, liberalitatis &c. dotibus superatur. *Fallax* enim corporis *pulchritudo, Mulier timens Deum* incredibili perfectione, qua Palatium in Monasterium mutat, *ipsa laudabitur*, Pro. vlt.

Hæc sunt cælestia, ô PRINCEPS EXCELLENTISSIME, pro Regiæ tuæ originis pietate, *Dona* maxima: & hoc est exiguum Donum, seu debitum seruitutis indicamentum, quod tibi, qua decet submissione lubens offero. Quod te benignè accepturum non dubito, dum te tam addictum nostræ Societati contemplor, quam viuens innumeris beneficiis afficis; quam post Nestóreos annos, vis mortuus honorare corpus tuum, & Excellentissimæ Vxoris tuæ nostro Templo Vallisoletano D. Ignatij relinquere in æternum affectissimi erga nos animi documentum, annuis quidem redditibus, qui sufficerent ad Collegij integram Fundationem. Ex huiusmodi affectu reor, Te quamlibet cuiusuis Societatis alumni actionem propriam reputare. Vnde exile hoc munusculum, si vt proprium acceptes, non poterit non Te dignum apparere. Vale, & viue Societatis tuæ votis, ac

EXCELLENTIÆ TVÆ.

Humillimi & Obseruantissimi serui tui

ANTONII DE ESCOBAR
ET MENDOZA.

LECTORI MEO.

ALIIS septem Libris Volumen hoc totidem Veteris Testamenti Libros illustrat, nempè primum ac secundum Paralipomenon, vnum, & alterum Esdræ, Historias Tobiæ, Iudithæ, & Estheris.

Porrò Paralipomenon Hebraicè דברימים. Græcè Παραλειπόμενον, hoc est *prætermissorum libr. in Bibliis*, qui etiam *Verba dierum*, *Annales*, & *Chronica* dicuntur. De quibus Antonius Possevinus in Appar. ait: *Maximè hi libri sunt æstimandi, tùm quod summam annorum* 3347. *amplectuntur, tùm quod ea, quæ in Pentateucho, vel in libris Iosuë, Iudicum, & Regum aut omissa, aut non penè scripta sunt, summatim explicant.* Horum Auctor aliis Esdras, aliis Ieremias fuit.

Esdras, Hebraïcè עזרא Græcè Εσδρας. Liber primus ab Esdra Saraiæ filij Azariæ filio, ab Aaron Sacerdote magno duodecimo, Hebraïcis literis. Et Chaldaïco sermone editus. Continet Filiorum Israël res gestas priusquam è Babylone in Templum Nehemias ascenderet: Reductionem videlicet populi sub IESV filio Iosedech, eiusdémque institutionem. Huic annectitur Liber Ieremiæ filij Helciæ Sacerdotis *Esdræ secundus* dictitatus, qui historiam continet de reædificatione muri Ierosolymitani per Nehemiam, qui fuit immissus tanquam Dux à latere Regis ad Vrbis reædificationem. Annectebantur & ei Esdræ Liber tertius, & quartus; qui tamen cum in Ecclesiastico Canone recepti non sint Bibliorum reiiciuntur in finem.

Tobias Græcè Τωβιτ, qui *bonus Dei* interpretatur, Liber est sacer, quem ipse Tobias de vitæ suæ historia circa annum 3252. scripsit in Niniue, quo captiuus ductus fuerat à Salmanasar Rege Assyriorum anno Ezechiæ Regis Iuda sexto, & quidem Chaldaïcè, si Sixto Senensi credendum: cui deinde Tobias filius finem addidit. Liber hic moralis peritiæ exundat exemplis, quare vel in ipsa superficie literæ (ait Beda) *salubris patet legentibus.*

Iudith Græcè Ιουδιθ Liber est sic dictus à Iudith populi Israëlis ab Holopherne liberatrice, cuius mirabile explicat facinus. Eius Auctor dubius, sed vt ait: Bellarminus, si fides adhibenda Iosepho lib. 1. cont. Apio. fuit Eliachim, seu Ioachin Sacerdos magnus Hebræorum, de quo fit mentio Libro Iudith. Scribit enim Iosephus Hebræis in more positum, vt res gestæ publicæ magnis Sacerdotibus conscribendis committerentur: & circà annum mundi 3270. quo huius Libri contigit historia, inter duas captiuitates Regis Iuda Manasse, & Regis Assyriorum Merodach Balada, qui regnauit etiam in Babylonia, Ioachim summo Præsulatu fungebatur.

Esther Liber est sacer, quem Lxx. vocitant Εσθηρ. Hebræi מגלת אסתר. *Megillath Esther*, hoc est, *Volumen Esther.* Quo narratur, quemadmodum per nobilissimam hanc fœminam Deus populum Hebræorum iam iam periturum seruauerit Amani immanissimi hostis exitio. Putat Bellarminus, hanc contigisse historiam circà annum mundi 3828. quo tempore floruit Esdras, quem eiusdem Libri Auctorem licet censeat Isidorus lib. 6. Orig. cap. 2. Bellarminus negat, existimátque probabilius, Mardochæum patruum Estheris, qui illi semper adfuit, & res gestas optime nouit eius Auctorem extitisse.

OPERVM

OPERVM, QVÆ
R. P. ANT. DE ESCOBAR,
& MENDOZA è SOCIET. IESV edidit, quæ, scripta non edidit, & quæ editioni digerit, recensio.

I.  DOLESCENS prælo dedit, Hispanis Carminibus.

S. Ignacio. Poëma Heroico.

II. *Nueua Geruſalen Maria.* Poëma Heroïco.

III. *Gonzaga.* Poëma Lyrico, scripsit plures Comædias in laudem Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, immaculatæ Deiparæ Conceptionis, & aliorum Diuorum, quæ licet in variis Hispaniæ Vrbibus satis euulgatæ sunt, nullam voluit typis committi. Nonnullarum (ex. gr.) non indico.

De Eucharistiæ Sacramento *seu Autos Sacramentales,*

El Cerco de Hoſtia.
La Toma de Caliz.
El Cerco de Barcelona.
El Cerco de ſanta Fè,
El Cerco de Monzon, y Recuperaciõ de Saluatierra.
El Hambre de Egypto.
La Langoſta.
El ſol eclypſado.
La Eſpada de Vliſes.
La Toana de Sanſon.
Elias en Sarepta.

De Immaculata Deiparæ Conceptione.

El Peregrino Deſeo.
El Racimo de Engaddi.
La Eſther Maria.
La Iudith Maria.
La Eſterla Maria.

Variæ de Sanctis, & de aliis argumentis ad puerorum exercitamenta.

El ſecunda Iob en Roma. Vida de S. Eustachio.
El Caudillo vizcaino. S. Ignacio de Loyola.
El ſol del Oriente primera y ſecunda parte. S. Francisco Xauier.
El Duque ſancto. B. Francisco de Borja.
El Angel en la Corte. Niñez del B. Luis Gonzaga.
El Perfecto en el principio. B. Estanislao.
Los Martires del ſaſſete. P. Rodulpho Aquauiua y sus Compañeros.
El Mozo perſeguido. Chicatora en Iapon.
La y de Pitagoras Camino bueno y malo de la Iuuentud.
Amor con viſta. Desengaños del Amor profano.

Alias plures scripsit, variaque ad Certamina poëtica Carmina.

IV. Edidit *Christianam Doctrinam & Orthographiam* Hispanis Carminibus ad puerorum eruditionem, quæ ab Scholasticis Grammaticis nostris in Doctrinis publicis recitantur.

Iam vir vulgari lingua in lucem edidit:

V. *Examen de confeſſores, y Practica de Pœnitentes en todas las Materias de la Theulugia Moral.*

Caius libelli anno hoc prodiit Parisiis Editio quinquagesima tertia, & Matrito & vallisoleto quinquagesima quarta, & quinta apparatur.

VI. *Breue ſumma de lo que es Peccado Mortal en los Preceptos de la Ley de Dios, y de la Igleſia.*

Ad conscientiæ scrupulosæ medicamen.

Latinè vero prælo commisit.

VII. *Liber Theologiæ Moralis viginti quatuor ſocietatis Ieſu Doctoribus reſeratus.*

Lugduni, Parisiis, Antuerpiæ, & alibi typis sæpè expressus.

VIII. *In Caput ſextum Ioannis. De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

In concionatorum vsum.

Duodecim Volumina in Euangelia ſanctorum, & Temporis panegyricis moralibus illuſtrata.

Cum allusione ad duodecim vitales Arbores quæ Apc. 22. ex vtraque ripa fluminis sacri ostentantur.

Euangelia de Sanctis, seu sex vitales Arbores ex vna fluminis ripa.

VOLVMEN I.

IX. *Lignum vitale Chriſti vita.*

Duodecim Fructus.

Verbum Incarnatum. Natiuitas Chriſti, Natiuitas

uitas pastoribus reuelata. Circumcisio. Nomen Iesu Epiphania. Transfiguratio. Passio Christi in horto In domo Cayphæ. Apud Pilatum. Passio Crucis. Funera.

VOLVMEN II.

X. *Lignum uitale Christi solemnia.*

Duodecim Fructus.

Christi Resurrectio. Resurgentis Manifestatio. Ascensio. Mittit Iesus Spiritum Sanctum Paraclitum. Lucem. Vitam. Trinitatis Mysterium reuelat. Eucharistica Mensa Crux Inuenta. Exaltata. Triumphans. Dedicatio Basilicæ Saluatoris.

VOLVMEN III.

XI. *Arbor uitæ Deipara.*

Duodecim Fructus.

Maria Innupta. Nupta. Vidua. Conceptio. Natiuitas. Præsentatio. Annuntiatio. Visitatio. Expectatio. Purificatio, Assumptio. Dedicatio ad Niues.

VOLVMEN IV.

XII. *Lignum uitale Apostoli.*

Duodecim Fructus.

Petrus & Paulus. Petrus speciatim. Particulatim Paulus. Pauli conuersio, Barnabas Pauli. Matthias. Marcus. Philippus & Iacobus. Philippus singulariter. Sigillatim Iacobus. Iacobus Maior. Bartholomæus. Matthæus. Lucas. Simon & Iudas. Simon præsertim. Iudas specialiter. Andreas. Thomas. Ioannes ante portam Latinam.

VOLVMEN V.

XIII. *Lignum uitæ Religionum Parentes.*

Duodecim Fructus.

Benedictus. Bernardus. Antonius. Mag. Basilius. Hieronymus. Bruno. Romualdus. Augustinus. Monica. Nicolaus Tolent. Martinus Canonicus. D. Isidori Legion. Norbertus. Dominicus. Thomas Aquin. Petrus Mart. Catharina Senen. Franciscus. Stigmata. Antonius Paduens. Bonauentura. Clara. Nolascus. Ordinis sanctiss. Trinitatis Magnalia. Elias. Theresia. Franciscus de Paula. Petrus Alcantara. Ioannes de Dios.

VOLVMEN VI.

XIV. *Lignum uitæ Angeli, Martyres Confessores. Faminæ.*

Duodecim Fructus.

Michaël. Angelus Custos. Ioannes Baptista. Eius Decolatio. Stephanus. Innocentes. Laurentius. Vincentius. Sebastianus. Blasius. Christophorus. Iosephus. Ioachimus. Martinus. Nicolaus. Ildephonsus. Isidorus. Rochus. Ludouicus. Isidrus. Catharina. Lucia. Agnes. Apollonia. Vrsula. Anna. Magdalena. Omnes Diui defuncti fideles. Depositio Defuncti. Anniuersarium Defunctorum.

VOLVMEN VII.

XV. *Lignum uitæ Iesu Miracula.*

Duodecim Fructus.

Transfiguratio. Nauicula. Ambulat Iesus supermare. Piscium captura. Claudi apud Templum. Cæcus Ieruchuntinus. Cæcus natus. Leprosus adorans. Decem Leprosi. Paralyticus piscinæ. Paralyticus in lecto. Socrus Simonis. Diabolus mutus. Surdus & Mutus. Hydropicus Reguli Filius. Aqua in vinum. Quinque Panes. Septem panes.

VOLVMEN VIII.

XVI. *Lignum uitæ Iesu persecutiones.*

Duodecim Fructus.

A Leuitis Iesus tentatus. Signum cui contradicitur. Tentatur à Diabolo. A Pharisæis ex Adulteræ iudicio. Extra ciuitatem exturbatur. Eum apprehendere Iudæi intentant. Manus non lota. Murmur Iudæorum scenopegiæ solemni. Concilium. Iudæ murmuratio. Semel & iterum eum Iudæi lapidibus conantur impetere.

VOLVMEN IX.

XVII. *Lignum uitale Iesu Colloquia.*

Duodecim Fructus.

Colloquium cum Discipulis Ioannis. Cum Doctoribus Ierosolymæ. Cum Samaritana. Cum Iudæis apud Templum diuerberans mercatores. Cum Pharisæis apud Gazophilacium. Cum Iudæis festo mediante. Cum Philippo & turba. Cum Discipulis de triumpho Ierosolymitano. Cum Discipulis post Resurrectionem. Cum Pharisæis capere eum in sermone procurantibus. Cum Centurione. Cum Chananæa.

VOLVMEN X.

XVIII. *Lignum uitæ Iesu sermones.*

Duodecim Fructus.

Sermo de ieiunio. De Doctrina cum operibus. De Prælatorum humilitate, seu pedum ablutione. De Pœnitentiæ Baptismo ex ore Ioannis. De Iustitiæ nouæ legis abundantia. De duplici Domini incompossibilitate. De Dilectione inimicorum. De Correctione fraterna. De Bono Pastore. De duobus magnis mandatis. De Oratione. De oratione rursum.

VOLVMEN XI.

XIX. *Lignum uitale Iesu Prophetiæ.*

Duodecim Fructus.

Prædicit iudicij signa. Describit iudicium. Signo Ionæ suam mortem prænuntiat. Impœnitentiam Iudæorum præsignat. Mortem suam prælocquitur Ierosolymam scandens. Discessum post modicam minitatur. Spiritum sanctum venturum annuntiat. Paracliti rursum præclamat aduentum. Exitium prænidet Ierosolymæ. Abominationem desolationis prænuntiat. Falsorum Prophetarum futuram præscribit irruptionem. Passionem futuram Discipulis præsentat

---

Euangelia de Tempore, siue sex Arbores vitales ex ripa fluuinis altera.

VOLVMEN XII.

XX. *Lignum vitale Iesu Parabola.*
Duodecim Fructus.

Nuptiæ filij Regis. Regis debitor. Epulo. Villicus. Cœna magna. Publicanus. Synapis. Semen. Vineæ. Vineæ Operarij. Zizania. Incidens in latrones. Prodigus. Ouicula.

Vniuersæ Theologiæ Moralis receptiores absque lite sententiæ: necnon Problematicæ Disquisitiones.

Siue quod frequentius, Doctoribus consentientibus, asserendum eligitur: & quod dissentientibus, plerumque in vtrumvis probabile apponitur.

VOLVMEN I.

XXI. *Generalia Principia.*

De Actibus humanis. De conscientia. De Peccatis. De vitiis capitalibus. De Legibus. De Priuilegiis. De Priuilegio magno Bullæ Cruciatæ. De Sacramentis in genere. De censuris in communi. De Iustitia, Iure, & contractibus generatim.

VOLVMEN II.

XXII. *Sacramenta.*

De Baptismo. De Confirmatione. De Pœnitentia Virtute. De Pœnitentia Sacramento. De Confessione. De Pœnitentiæ Ministro. De satisfactione, & Indulgentiis.

VOLVMEN III.

XXIII. *Adhuc Sacramenta.*

De Iubilæis. De Eucharistia. De Sacrificio Missæ. De Extremâ-Vnctione. De Ordine.

VOLVMEN IV.

XXIV. *Matrimonij Sacramentum.*

Vbi *De sponsalibus. De Matrimonij Essentia. De consensu Recto. Clandestino. Coacto. Conditionato. De debito coniugali. De Diuortio. De impedimentis. De Dispensationibus.*

VOLVMEN V.

XXV. *Decalogi Præcepta.*

Vbi *De Religione. De Iuramento. De Voto. De Festorum obseruatione. De Homicidio. De Luxuria. De Furto. De Detractione. De Iudicio temerario.*

VOLVMEN VI.

XXVI. *Iustitia & Ius.*

Vbi *De rerum Dominio. De Restitutione. De Contractibus Gratuitis. De Contractibus Onerosis. De Contractibus Fortunæ. De contractibus Adminicularis. De quasi contractibus. De nonnullis innominatis.*

VOLVMEN VII.

XXVII. *Ecclesiæ Præcepta.*

Vbi *De Missa audienda. De Confessione annua, De Communione in Paschate. De Ieiunio. De Decimis.*

VOLVMEN VIII.

XXVIII. *Virtutes Theologicæ.*

Vbi *De Fide. De Spe. De Charitate.*

VOLVMEN IX.

XXIX. *Censuræ Ecclesiasticæ.*

Vbi *De Excommunicatione. De Suspensione. De Interdicto. De Irregularitate.*

VOLVMEN X.

XXX. *Triplex status Ecclesiasticus, Regularis, Sæcularis.*

In statu Ecclesiastico differo, *De Immunitate Templorum, & personarum sacrarum. De Beneficijs. De Pensionibus. De Simoniæ vitio.* In Regulari. *De Essentia. De ingressu. Nouitiatu. Professione.* Societatis quidem Iesu alumnus, *De illius instituto* nonnulla recenseo. In sæculari denique. *De iudicio forensi, siue de Iudice, Teste, Reo, &c. De Tributis. De personarum Ecclesiasticarum, Regularium, Sæcularium Officiis in particulari.*

In Vetus ac nouum Testamentum Commentarij Litterales, ac Morales quatuordecim Voluminibus Digesti. Intendi per breuem expositionem litteralem sine opinionum pugna, in totam scripturam Sacram texere plurium Doctorum, præsertim meæ Societatis exprimens medullam. Adiiciens quidem pro litteræ opportunitate, innumeros, ad Mores proprio ex marte sine Patrum confirmatione (quod facillime poteram) conceptus.

VOLVMEN I.

XXXI. *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri Deuteronomium.*

VOLVMEN II.

XXXII. *Iosuë, Iudices, Ruth, Reges.*

VOLVMEN III.

XXXIII. *Paralipomenon, Esdras, Tobias, Iudith, Esther.*

VOLVMEN IV.

XXXIV. *Iob. Psalmi.*

VOLVMEN V.

XXXV. *Prouerbia, Ecclesiastes. Canticum Canticorum. Sapientia, Ecclesiasticus.*

VOLVMEN VI.

XXXVI. *Prophetæ Maiores*, nempè *Isaias, Ieremias, Threni.*

VOLVMEN VII.

Adhuc *Prophetæ Maiores* scilicet *Baruch, Ezechiel, Daniel.*

VOLVMEN VIII.

XXXVII. *Prophetæ Minores*, Videlicet *Oseas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias.*

charias, Malachias.

VOLVMEN IX.

XXXVIII. *Machabæi.*

VOLVMEN X.

Nouum Teſtamentum.

XXXIX. *Matthæus. Marcus.*

VOLVMEN XI.

XL. *Lucas. Ioannes.*

VOLVMEN XII.

XLI. *Acta Apoſtolorum.*

VOLVMEN XIII.

XLII. *Pauli Epiſtolæ. Ad Romanos. Ad Corinth. 1. & 2. ad Galatas. Ad Epheſios. Ad Philippenſes. Ad Colloſenſes. ad Theſſalonicenſes 1. & 2. ad Timotheum 1. & 2. Ad Titum. Ad Philemonem. ad Hebræos.*

VOLVMEN XIV.

XLIII. *Epiſtolæ Catholicæ. Iacobi. Petri 1. & 2. Ioannis 1. 2. & 3. Iudæ. Apocalypſis Ioannis.*

Opera, quæ prælum nondum ſubiere.

I. *In Canticum Canticorum Salomonis. Siue de Mariæ Deiparæ Elogiis ex Patribus.* Rurſum.

II. *In Canticum Canticorum Salomonis. Siue de Mariæ Deiparæ Conceptione immaculata, non tam confirmata argumentis; ſed poſt Bullam Sanctiſſ. Alexandri VII. Panegyricis illuſtrata.*

Hæc duo Volumina multis retrò annis digeſſeram, & in lucem dari paraueram: ſed affectum continui, vt Opus hoc adhuc limæ addictum eſſet meæ filius ſenectutis. Primum Volumen propediem euulgabo: Alterum illud ſequetur, poſtquam excogitationes, quæ Conceptioni immaculatæ probationi ſeruiebant, eiuſdem iam Panegyricis accommodo.

III. *De Paradiſo.* Siue de Virtutis Pulchritudine.

IV. *De Decem Ægypti Plagis.* Siue de peccati Fœditate.

V. *Centum ſpirituales exhortationes.* Queis D. P. N. Ignatij Regulæ ponderantur.

VI. *In celebriora Veteris Teſtamenti Hiſtoriarum puncta. Ad Conciones Veſpertinas.*

VII. Ex. gr. Ex Hiſtoria Adami. *Paradiſus. Adami. Coſta Abelis ſacrificium. Prima Mors. Turris Babylonica. Intendium Sodomiticum.* Et ſic de aliis Hiſtoriis. Triplici Volumine diuiduntur.

Vbi puncto Hiſtoriali breuiter enarrato, tres Moralitates Scripturæ ac Patrum confirmatæ conceptibus excitantur vni Concioni deſeruientes. Et ſic de reliquis.

XI. *Theſaurus Concionatorum.*

Vbi circa Euangelica, quæ tam de Tempore, quam de Sanctis Eccleſiæ canit, copioſam admodum ſpecialium ex Patribus conceptuũ Moralium vim diuitiarum expono. Mox vero tres perfectas Conciones ſingulis Euangeliis adiicio, in quibus equidem nihil ex iis, quod in duodecim meis Sanctorum, & Temporis Voluminibus ſcripſi, reperietur. Hæc vero quatuor digeruntur. Et quidem vita, Deique ope comite, prælo tradentur. Igitur quadraginta tribus editis Voluminibus, alia vndecim prælo tradenda digerit.

SEPTVAGINTA NOVEM
ANTILOGIA
QVÆ
IN SEPTEM HVIVSCE Voluminis Libris continentur:
SIVE
Quæ inter ſe pugnare videntur teſtimonia.

Adhuc promiſſa tueor, & teſtimonia, quæ in primo ac ſecundo Libro Paralipomenon, vno & altero Eſdræ, Libris Tobiæ, Iudith, & Eſther pugnare videntur, innuo. Aliqua interim moribus ad Concionatorum vſum documenta expono, literalem ſolutionem ſua ad loca remittens.

CAPVT I.
Antilogia, ex Libro 1. Paralipomenon, quindecim.

I. CAP. 1. 36. *Filij Eliphaz Theman: Thamna, Amalech.* At Gen. 36. 12. Thamna dicitur fuiſſe concubina Eliphaz, & Mater Amalech. Quomodo ergo Thamna vocatur filia eius, cuius aderat concubina: & ſoror eius, cuius mater erat?

II. Cap. 3. *Quatuor filij Dauid de Berſabee filia Ammiel.* At Prou. 4. 3. Salomon dicit, ſe *vnigenitum* fuiſſe *coram matre ſua.* * An in Berſabee Deipara: in Salomone Chriſtus exprimitur, qui quidem vnigenitus Matris, cuius omnes Chriſticolæ filij adoptiui vocitamur, vt ſit ille *primogenitus in multis fratribus*?]

Chriſtus vnigenitus ac primogenitus Mariæ.

III. Cap. 6. 22. *Aſir filius Core.* At ſi Num. 16. 32. *Terra aperiens os ſuum deuorauit* Core, Dathan, & Abiron *cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia,* vnde nam tunc tot Core poſteri? * O quam fœcunda impietatis ſeges, quæ vel prodit ex cinere.]

Fœcunda impietatis ſeges, quæ vel è cineribus prodit.

IV. Cap. 7. 18. *Regina peperit virum decorum.* Vir nè paritur, an infans? Quid hoc monſtri? * An *viri* pariuntur Diui illi, qui è cunabulis ſe decoros, ſeu perfectos oſtentant? Quid meus Gonzaga, & Staniſlaus ab infantia eximij Sanctitate niſi ex vtero viri?]

Meus Gonzaga, & Staniſlaus ex vtero viri.

V. Ver. 24. *Filia Ephraïm Sara ædificauit Beth-Horon inferiorem, & ſuperiorem, & Ozen Saram.* At quomodo potuit in Chananitide tres ædificare Vrbes, quæ cum parente in Ægypto habitabat. Porrò quod de Sara dicitur in præſenti 2. Paral. 8. 5. Salomoni tribuitur. * An qui laboribus in Ægypto huius ſæculi anguntur æterna tabernacula in Patria conſtruunt?]

Qui in Ægypto huius ſæculi angitur, ſimul in cœlo tabernacula cõſtruit.

VI. Cap. 12. 36. *De Iſſachar viri eruditi ad præcipiendum, quid facere deberet Iſraël.* At hoc erat munus Leuitarum, & maximè Sacerdotum. Vt patet Cap. 26. 29. & 2. Paral. 35. 3. Quid igitur viris de Iſſachar cum Magiſtratu? An quia agricultura, cui Tribus

bus Iſſachar *Aſinus fortis* impendebat ſtudium, Sapientes præcepta edocent gubernandi?]

VII. Cap. 14. 14. *Non aſcendas poſt eos, recede ab eis, & venies contrà eos.* At 2. Reg. 5. 23. dicitur. *Non aſcendas contra eos, ſed Gyra poſt tergum illorum, & venies ad eos.* Quid magis oppoſitum, quam illud: *Non aſcendas poſt eos*, & *Gyra poſt tergum illorum?* & *Recede ab eis.* * An *contra* hoſtes ſpirituales carnem ſcilicet & mundum, ille validior ac robuſtior venit, qui ab illis omnino recedere ſatagit?]

Contra hoſtes ſpirituales carnem ſcilicet, &c. ille validior venit, qui ab illis fugit.

VIII. Cap. 17. 9. *Vltra non commouebitur populus Iſraël: nec filij iniquitatis atterent eos ſicut à principio.* At quid ſibi volunt tot acceptæ poſtea clades, ac deportationes in exilium ſub ſequentibus Regibus? * An electus populus tunc verè quieſcit, cum commouetur dirius: tunc ſecuriori gaudet incolumitate, cum horribilius atteritur?]

Electi tunc verè quieſcunt, cum dirius atteruntur.

IX. Cap. 19. 4. *Hanon decaluauit pueros Dauid.* At 2. Reg. 10. 4. *Raſit dimidiam partem barbæ eorum.* * An iniuria capiti infertur, cum viri barba irriſione afficitur? Ideo barbæ contumelia capitis eſt decaluatio.]

Viri cum barba irriſione afficitur, capiti iniuria infertur.

X. Cap. 20. 2. *Tulit Dauid coronam Melchom auri pendo talentum, & pretioſiſſimas gemmas, fecitque ſubinde diadema.* At Deut. 7. 25. *ſculptilia* (ſeu ait) *igne combures, neque aſſumes quidquam ex eis.* Et quis geſtet diadema pŏdo centum viginti quinque librarum Romanarum? * An non ſic Regibus ſemper accidunt prædæ, minima pars Regali addicitur emolumento, reliquis miniſtri potiuntur, hac voce: Rex accepit ex redditibus aut ex munere cĕtum viginti quinque libras auri, cum vix corona libram auri exponat?]

Ex cunctis diuitiis comparatis ex muneribus, minima pars Regibus obuenit.

XI. Cap. 21. 12. *Elige aut tribus annis famem, &c.* At 2. Reg. 24. 13. *Aut ſeptem annis fames veniet tibi.*

XII. Ver. 25. *Dauid audit Ornam pro loco areæ ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* At 2. Reg. vlt. 24. *Emit Dauid arcam, & boues argenti ſiclis quinquaginta.* Diuerſa admodum pretij exhibitio.

XIII. Cap. 23. 24. & 27. *Filij Leui à viginti annis & ſupra.* At Ver. 3. *A triginta annis & ſuprà* ponitur.

XIV. Ver. 26. *Nec erit officij Leuitarum, vt vltrà portent Tabernaculum, & omnia vaſa eius.* At debuerunt illa inferre in Templum 2. Paral. 5. 4. & iterum ſub Ioſia 2. Paral. 35. 3.

XV. Der. 29. *Sacerdotes autem ſuper panes, & ſimile ſacrificium, & lagana azima &c.* At hæc omnia etiam ſimplices *Leuitæ* parabant. Sed Sacerdotum erat, iam parata immolare Deo in altari, vt patet paſſim in Leuitico.

CAP. II.

Antilogia, ex libro ſecundo Paralipomenon, viginti duo.

I. CAp. 2. 2. *Præpoſitos* operariorum Templi *tria millia ſexcentos.* At 3. Reg. 5. 16. ſolum dicuntur fuiſſe *tria millia ſexcenti.*

II. Cap. 4. 13. *Malogranata quadringẽta* At Cap. 3. 16. non niſi *Centum Malogranata* ponuntur. Et 3. Reg. 7. 20. *Malogranatorum ducenti ordines.* Vndenam tanta varietas?

III. Cap. 5. 9. *Vectium capita parebant ante Oraculum.* Et 3. Reg. 8. 8. *Cum vectium ſummitates apparerent foris Sanctuarium.* At murus, & velum interiecta inter ſanctum, & ſanctum Sanctorum impediebant, ne poſſent vectes Arcæ videri.

IV. Verſ. 10. *Nihil erat aliud in Arca, niſi duæ tabulæ, &c.* At qui Hebr. 9. 4. dicitur, in Arca fuiſſe etiam, *vrna aurea habens manna, & virga Aaronis, quæ fronduerat.*

V. Ver. 11. *Nec adhuc in tempore.* Encœniorum, *vices & ordo inter Sacerdotes diuiſus erat.* Attamen Cap. 7. 6. dicitur, *Sacerdotes ſtabant.* (hoc tempore Encœniorum) *in officijs ſuis.* Ergo iam vices & ordo diuiſus erat.

VI. Cap. 8. 2. *Ciuitates quas Hiram dederat Salomoni.* At 3. Reg. 9. 11. & 13. non Hiram Salomoni, ſed *Salomon dedit Hiramo viginti ciuitates.* Quomodo ergo Hiram dicitur Salomoni dediſſe? * An munificentia Regia tunc potius accipit, cum benemeritis munera præſtat?

Rex tunc accipit, cum bene meritis munera præſtat.

VII. Ver. 11. *Miſit Hiram naues* Salomoni *in Aſiongaber.* At Aſiongaber eſt ad oram maris Rubri. Quonammodo ergo deueherentur eò naues è portu Tyrio, qui eſt ad *mare Mediterraneum?*

VIII. Cap. 9. 16. *Trecenta ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta, poſuit Rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.* At 3. Reg. 10. 17. Pro *ſcutis* habes *peltas*: pro *trecentis*

centis aureis habes *trecentas minas auri*: pro *armamentario*, & *nemore* habes *domum saltus Libani.*

I X. Ver. 21. *Naues Regis ibant in Tharsis, & deferebant indè aurum, & argentum, & ebur.* At (vt colligitur Actor. 21. 39.) Cilicia in qua Tarsus non est ferax *auri, argenti*, vel *eboris.* * An ad Templi obsequium cuncta diffluere diuitiis videntur? Ne manum contra has pauperiei prætextu, ille ipse seruiendi Templo affectus terram sterilem tuam auri, argentique feracem efficiet.]

Ad Templi obsequium vel ei vis paupertas est aut argentique ferax.

X. Cap. 10. 4. *Pater tuus durissimo iugo.* Vtique tributi, *nos pressit.* At cap. 9. præcedenti, 20. dicitur, *Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur.* Et Ver. 27. *Tantam copiam argenti præbuit* Salomon, *quasi lapidum.* * Vndenam in tanta argenti redundantia tributorum exactio? An tributa excitabat non exigentia Regis, sed ministrorum quæ nunquam satiatur auaritia?]

Tributa excitat non exigentia Regis sed ministrorum auaritia.

X I. Cap. 12. 14. *Non præparauit Roboam cor suum, vt quæreret Dominum.* At Ver. 6. & 7. dictum, tam *Regem* quam *Principes consternatos esse, & humiliatos*: ac proinde *non stillauit amplius* super eos *furor Domini.* Quomodo ergo cor Roboami non erat, ad requirendum Dominum, præparatum?

X II. Cap. 14. 2. *Rex Asa subuertit excelsa.* At cap. 15. 17. *Excelsa derelicta sunt.* Et 3. Reg. 15. 14. *Excelsa non abstulit* Asa. Quomodo igitur abstulit, & non abstulit?

X III. Cap. 15. 17. *Cor Asa erat perfectum cum Domino.* Cur ergo tam grauiter reprehenditur ab Hanani Propheta, Cap. 16. 17.? Et non peccauit compingendo *Prophetam in neruum, & plurimos de Populo* citrà causam iustam *occidendo*, Vers. 10.? *Nec* infirmitate sua Dominum requisiuit? Vndenam igitur illa cordis perfectio?

X IV. Vers. 19. *Bellum non fuit vsque ad trigesimum quintum annum Regni Asa.* Iam antè Zara Æthyops Cap. 14. 9. cæsus fuit ab Asa. *Decies centena millia.*

X V. 16. 1. *Anno trigesimo sexto Regni Asa, ascendit Baasa Rex Israël in Iudam.* At 3. Reg. 16. 6. & 8. Baasa Rex Israël decennio ante, puta vigesimo sexto anno Asa Regis Iuda, è viuis excesserat. Quonammodo igitur anno illo in Iudam ascendit?

XVI. Cap. 21. 12. *Allatæ sunt* Ioramo Regi *litera ab Elia Propheta.* At Elias à nouennio ex hominibus arreptus fuerat igneo curru. 4. Reg. 2. 11. An ex paradiso Propheta literas immisit?

X VII. Cap. 22. 2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cæpisset.* Ergo biennio senior fuit patre suo; qui cum moreretur quadraginta solum annos annumerabat. Cap. 21. 20.

X VIII. Cap. 26. 22. *Reliqua sermonum Oziæ priorum, & nouissimorum scripsit Isaïas filius Amos, Propheta.* At Isaïas vix vix semel meminit Oziæ, rerumve ab illo gestarum.

X IX. Cap. 34. 3. *Duodecimo anno mundauit* Iosias *Iudam & Ierusalem.* At Vers. 8. dicitur, id perfectum *anno octauo decimo.*

X X. Vers. 28. *Infereris in sepulchrum tuum in pace.* At Cap. 35. 22. *Perrexit Iosias vt contra.* Nechao Regem Ægypti *dimicaret in campo Mageddo*, vbi *vulneratus à sagittarijs*, & *Ierosolymam* delatus, *ex vulnere mortuus est.* * Vbinam illa pax promissa. An iustus *in pace* occumbit, cum tribulationibus agitatus interit?]

Iustus in pace occübit cum tribulationibus agitatus interit.

X XI. Cap. 35. 3. *Leuitis locutus est: Ponite Arcam in Sanctuario Templi, neque quam enim eam vltra portabitis.* Vbi ergo fuerat hucvsque Arca? Et an licuit Leuitis Arcam contingere: vel sanctuarium ingredi? Et iam pridem 1. Paral. 23. 26. dixerat Dauid, *Non erat officij Leuitarum, vt vltrà portent Tabernaculum, & omnia vasa eius.*

X XII. Cap. 36. 9. *Octo annorum erat Ioachim cum regnare cæpisset.* At 4. Reg. 24. 8. *Decem & octo annorum erat, &c.*

CAP. III.

Antilogia, ex Libro primo Esdræ vndecim.

I. CAp. 1. 8. *Sassabasar Princeps Iudæ.* At ex cap. 2. 2. tunc temporis Princeps Iuda erat *Zorobabel.*

II. Cap. 2. 6. *Filij Phabath Moab filiorum Iosuë: Ioab duo millia octingenti duodecim.* At posteri Iosuë & Ioab non fuêre Moabitæ.

III. Vers. 55. *Filij seruorum Salomonis omnes Nathinæi.* At cap. 8. 20. Non Salomon, sed Dauid dicitur dedisse *Nathinæos ad ministeria Leuitarum.* Et iam olim dati erant à Iosuë. Ios. 9. 27. * An id velut de nouo gessisse dicitur Princeps, qui prædecessorũ confirmat imperia? Tam agnatum nouo Principi, aut

Iddenuo egerit princeps, qui prædecessoris confirmat imperia.

Magi

Magistratui antecessoris leges immutare.]

IV. Vers. 63. *Athersatha, hic est Nehemias.* At 2. Esd. 1. vlt. *Nehemias* erat *Regis pincerna* Artaxerxis, qui degebat in Persida.

V. Cap. 3. 11. *Omnis populus* laudabat *Dominum, eo, quod fundatum esset Templum Domini.* At Vers. 12. plurimi dicuntur fleuisse voce magna. Et cap. 4. 2. *cæperunt* demum *ædificare Templum Dei.* Quomodo ergo gratias exhibent voces, quod Templum Domini esset fundatum? *An perfectum iam esse putabant, quod pius ac diligens gerere inchoabat affectus?]

Quasi perfectum puta, quod pius, ac diligens incipit affectus.

VI. Cap. 4. 22. *Asor Haddam Rex Assur adduxit nos huc* in Samariam. At 4. Reg. 17. 24. id ascribitur. *Salmanassari* auo *Assar Hadonis.*

VII. Vers. 6. *In Regno Assueri.* Et Vers. 7. *In diebus Artaxerxis.* At imperabat tunc Cambyses filius Cyri.

VIII. Cap. 5. 1. *Zachariæ filius Addo.* At ex Zach. 1. 1. constat *Addonem.* fuisse auum *Zachariæ.* Qui ergo Zacharias sui aui filius vocitatur? * An quia auus ex dilectionis erga nepotem præstantia potuisse se patres ostentant?]

Auus potius erit pater ex affectus præstantia.

IX. Cap. 6. 3. *Latitudinem cubitorum sexaginta.* At ex 3. Reg. 6. 2. Templum non habebat in latitudine nisi viginti cubitos. Vnde nam quadraginta cubiti superadditi?

X. Vers. 5. *Vasa, quæ tulerat Nabuchodonosor, posita sunt in Templo Dei.* At Templum nec dum erat constructum, vt hic dicitur. * An meritò Templum est appellandum quicumque locus esset diuino cultui expositus?

Templum existima, quemcumq; Dei cultui dicatum locum videris.

XI. Vers. 15. *Compleuerunt domum* Dei die tertio *mensis Adar anni sexti Darij Regis.* At Vers. 14. proximo dicitur protensa fabrica vsque ad Artaxerxem. * An quia nunquam Templi fabricam debemus putare esse perfectam: semper eius ornatui noua sunt opera excogitanda?

Fabricæ Templorum semper addere debemus nouos ornatus.

CAPVT IV.

Antilogia, ex Libro secundo Esdræ, quatuor.

I. CAp. 2. 3. *Ciuitas* Ierusalem *deserta est.* At iam à sexto anno Darij Regis completum erat Templū. I. Esdr. 6. 15. Vtique & bona pars Vrbis instaurata. Cur ergo deserta esse dicitur. * An quia eas Vrbes omnino desertas putamus, quas opulentiores ciuibusq; abundantiores agnouimus?]

Ea oppida omnino deserta putamus, quæ ciuibus abundantiora agnouimus.

II. Cap. 12. 27. *In dedicatione muri Ierusalem.* At non solius muri, sed & totius Ciuitatis instauratæ dedicatio celebrabatur. Hæc est enim dedicatio illa ex qua desumendum initium 70. hebdomadum Danielis cap. 9. 25. Cur ergo solius muri mentio agitur? An quia vigente muro tota ciuitas subsistens obijcitur? Murus quasi tota Ciuitas est.]

Murum quasi tota est Ciuitas.

III. *Omnis Israël, &c. sanctificabant Leuitas, & Leuitæ sanctificabant filios Aaron.* At minor non sanctificat maiorē.

IV. Cap. 13. 5. *Eliasib fecit sibi gazophylacium grande.* At Vers. 7, dicitur *Fecit ei* (Tobiæ proximo) *thesaurum in vestibulis domus Dei.* Si Tobiæ feci gazophylacium, quomodo sibi? * An quod proximo accommodas, tibi ipsi paras?]

Quod das proximo, tibi ipsi paras.

CAPVT V.

Antilogia, ex Libro Tobiæ, quinque.

I. CAp. 2. 15. *Beato Iob insultabant Reges.* At Iob 2. 11. tres amici Iob non insultandi, sed consolandi causa aduenerant. * An non durior insultatio, quæ seu ab amicis geritur, aut quæ amicitiæ nomine assolet inferri?]

Dirior insultatio, quæ amicitiæ nomine infertur.

II. Cap. 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* At 1. Cor. 13. 3. fatur Apostolus, Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

III. Vers. 18. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* Quorsum? An vt edat mortuus? Eccli. 30. 18. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.* * An animæ in purgatorio constitutæ eleemosyna sepulchro apposita victitant? Quis dubitet. Nam cum bona tua absconduntur in ore pauperis, quod ex fame clausum erat, animæ fidelium epulantur.]

Animæ in purgatorio victitant eleemosynis fidelium.

IV. Cap. 9. 3. *Obsecro te* (inquit iunior Tobias Raphaëli) *vt vadas in Rages Ciuitatem Medorum.* At Cap. 3. 7. dicitur Sara (cui iam aderat Tobias) habitasse in Rages Ciuitate Medorum.

Et Tobias cum Raphaële cap. 6. 6. iam eò deuenerat. Vt quid ergo rursus eodem immittatur?

V. Cap. 13. 12. *Reædificet inde tabernaculũ suum.* (Cap. 14. 7. *domum Dei, quæ incensa est.*) *& reuocet ad se omnes captiuos.* At tempore Tobiæ nec dum erat Templum exustum Ierosolymitanum, neque incolæ eius per Nabuchodonosorem abducti in Babyloniam. * An prudens Tobias ex peccatis ingrati populi & Templi incendium & Vrbis ciuium ærumnas? Maximo quidèm peccatorum supplicio Templa diruuntur, vt sine præsidio ciues depereant.]

Ex ingratitudine peccatorum Templorum destructio, ciuium captiuitas.

CAPVT VI.

Antilogia, ex Libro Iudith, decem.

I. CAp. 1. 1. *Arphaxad*, seu Arbaces *Rex Medorum ædificauit Ecbatanis ciuitatem.* At Arbaces coæuus Phul-Bel-Ocho plusquam nonaginta annis mortuus est ante Iuditham, & Ecbatana fuit ante Arbacem ferè 1300. annis.

II. Vers. 5. *Nabuchodonosor Rex Assyriorum, qui regnabat in Niniue.* At Nabuchodonosor non Assyrius, sed Chaldæus erat, & in Babylonia dominabatur. 4. Reg. 24. 1.

III. Cap. 3. 14. *Pertransiens Syriam, venit ad Idumæos in terram Gabaa.* At Gabaa est in Tribu Beniamin procul ab Idumæa 1. Reg. 11. & Idumæa procul à Syria.

IV. Cap. 4. 5. *Sacerdos Eliachim scripsit, vt obtinerent ascensus montium.* & Vers. 11. dicitur. *Circuiuit omnem Israël.* At non Pontificis, sed Regis, & strategi hoc munus est. * An Sacerdoti Eliachimo tribuitur, quod Rex aut Regalis Minister iusserat, qui recta belli, aut pacis administratio precibus ab Ecclesiasticis profusis nititur? Dum Rex dimicat, oret Ecclesia.]

Recta belli, aut pacis administratio Ecclesia oratione nititur.

V. Cap. 5. 23. *Nuper reuersi ad Deum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & iterum possident Ierusalem.* At Ierosolyma nondum Iudæis erepta fuerat, vt constat ex cap. 4. 2. Quomodo ergo iterum possident Vrbem, cuius possessione priuati nondum fuerant? *An typum gerunt Dei Ciuitatis ciuium, id est, Religiosorum, qui vtuntur huius sæculi bonis quasi non possidentes. Hi vero iterum sæcularia bona possident, si quandò terrenis commodis, queis renuntiarant, afficiuntur. Vtantur itaque Religiosi hoc mundo (vt ait Apostolus) *quasi non vtantur.*]

Religiosi vtuntur hoc mundo, quasi non vterentur.

VI. Cap. 7. 2. *Equites viginti duo millia*, annumerantur. At Cap. 2. 7. *Equitum sagittariorum duodecim millia* recensebantur. Quam breui quantus imminutus exercitus vel ante concertationis discrimina. *An exercitibus agnatum per singula momenta imminui? Ita plane ex militum haud vltroneè ad certamina perlatorum fuga.]

Agnatum exercitibus vel sine conflictu per singula momenta imminui. ex militum fuga.

VII. Cap. 8. 1. *Iudith filia Merari*, nepotis Patriarchæ *Simeon filij Ruben.* At Simeon non filius, sed frater Rubeni fuit. Gen. 29. 32. & 33. Quonammodo igitur Simeon filius fratris sui appellatur? *An quia fratres ea sese prosequi dilectione debent, qua pater ac filius intime colligantur?

Fratres ea sese dilectione prosequi debent, qua pater ac filius colligantur.

VIII. Cap. 9. 2. *Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem.* At Patriarcha Iacob vltionem hanc à Simeone patratam grauiter admodum reprehendit, & punit Gen. 34. 30. & Cap. 49. 5. 6. 7. * An quia Deus gladiũ dat *ad defensionem*, Simeon autem ad vltionem accepit, eoque vsus est, non ad vulnera inferenda ibi rerundenda, sed hostes contra fidem habitam vulnerandos? Gladium à Deo accipimus in defensionem nostri, minimè in vltionem.]

Gladium à Deo accipimus in defensionem, non in vltionem.

IX. Cap. 9. 17. *Exaudi me de tua misericordia præsumentem.* Simile Cap. 6. 15. At *præsumere de misericordia Dei.* peccatum est contra Spiritum sanctum.

X. Cap. 11. 6. *Iudicatum est omni sæculo, quoniam tu* Holophernes *solus bonus es in omni Regno* Nabuchodonosoris. At Mar. 10. 18. Christus ait, *Nemo bonus nisi vnus Deus.*

CAPVT VII.

Antilogia, ex Libro Esther, duodecim.

I. CAp. 3. 1. *Aman de stirpe Agag.* Ergo Amalecites. 1. Reg. 15. 8. At Esth. 16. 19. dicitur esse *Macedo.*

II. Cap. 4. 11. *Si quis atrium interius intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur.* At Cap. 6. 4. *Aman interius atrium intrauit* impunè. * An cõmunis lex amicum Regis, seu secundum

Amicum Regis lex communis non comprehendit?

An matrem Regis cœleſtis comprehendat labis originalis lex?

dum à Rege non comprehendit? *Et erit, qui aſſerat Regis Matrem communem legem circa peccatum originis comprehendiſſe? Abſit omninò.

III. Cap. 5. 2. *Cum* Rex *vidiſſet Eſther Reginam placuit oculis eius.* At Cap. 15. 9. *Rex*, viſa Eſthere, *terribilis aſpectu, & ardentibus oculis furorem pectoris indicabat.* Vndenam terribilitas oculis, queis pulchritudo placuit? * An viri oculi tunc terribiles & immanes fœminæ, cum eius eis placet pulchritudo, quia illicò eius caſtitati inſidiæ præparantur? Nunquam vir magis terribilis fœminæ, quam cum ipſa plus illi appareat amabilis.]

Nunquam vir magis terribilis fœmina, quã cum ipſa vi plus apparet amabilis.

IV. Cap. 6. 3. *Nihil omnino mercedis accepit* Mardochæus. At Cap. 12. 5. dicitur. *Præcepit Rex.* Mardochæo, *vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Si dantur ei pro delatione munera, in aula moratur, quonam modo verificatur illud, *Nihil omninò accepit*? * An quia in aula morari, & terrenis donari bonis, nihil omninò eſt? Tanta eſt bonorum viſibiliũ inanitas.]

In aula morari, & bonis donari terrenis, nihil omnino eſt.

V. Cap. 8. 5. *Obſecro te Aman, literæ quibus* Iudæos *in cunctis Regis Prouincijs perire præceperat corrigantur.* At cap. 3. 12. dicitur non fuiſſe literas *nomine Amanis*, ſed *Regis* miſſas & Verſ. 15. vocatur *Regis Imperium.* * An non plerumque Regis vocitatur imperium, quidquid primariis Miniſtris placet. O quot iniuriæ inferuntur Regis ex nomine, quarum Rex nec nomina exaudiuit!]

Multæ inferuntur iniuriæ ex Regis nomine, quarum nec nomina Rex exaudiuit.

VI. Cap. 9. 13. & 14. *Decem filij Aman in patibulis ſuſpenſi ſunt decima quarta die duodecimi menſis.* At Cap. 16. 18. literis Regiis ante nouem menſes datis (Cap. 8. 9.) inferitur, *Amanem & omnem cognationem eius ante portam Luſan pendere in patibulis.* * An non in patibulo pendet illico, cum ei ſententia indicitur capitalis?]

Reus illicò pendet in patibulo, cum ei ſententia capitalis indicitur.

VII. Cap. 12. 2. Mardochæus inſidias eunuchorum *nuntiauit Regi.* At Cap. 2. 22. *Nuntiauit Reginæ Eſther, & illa Regi.* * An quod tuo ex nomine geritur, te geſſiſſe putaris?]

Tu geris, quod alij tuo gerunt ex nomine.

VIII. Verſ. 6. *Aman voluit nocere Mardochæo pro duobus eunuchis Regis, qui fuerant interfecti.* At Cap. 3. 5. id tribuitur negatæ Amano genuflexioni. * An ad adorationem, quam ſibi Principes expetunt exhiberi pertinet, nihil ab inferioribus geri, quod ipſorum placito contraïre videatur?]

Ad adorationem quã ſibi Principes exhiberi expetunt, pertinet, vt nihil ab inferioribus geratur, contra eorum placitum.

IX. Cap. 13. 6. *Deleantur quarta decima die.* At Cap. 3. 13. dicitur, *Vt delerent decimo tertio die.* Quomodo die tertio delendi eſſent ex Regio præſcripto, ſi Regio præſcripto iubentur die decimo quarto interimi?

X. Cap. 15. 4. *Depoſuit veſtimenta ornatus ſui.* At Cap. 5. 1. *Induta eſt Regalibus veſtimentis.* Quomodo induitur Eſther Regiis veſtimentis ſi Regia veſtimenta deponit? * An indumentis vanitatis vti, vera eſt denudatio?]

Veſtimenta vanitatis vti vera eſt denudatio.

XI. Cap. 15. 13. *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Si *pro omnibus*, quomodo non etiam pro ipſa? * An quia perſonæ Regiæ cum reliquis hominibus numerum non conſtituunt? Certe Reges quaſi in cœtu *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*]

Reges quaſi in hominum numero non ſunt.

XII. Cap. 16. 14. *Vt Regnum Perſarum transferret in Macedonas.* At Macedones non niſi 150. poſt annis videntur clarere cœpiſſe ſub Philippo ſcilicet Alexandri magni parente.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Prouinciæ Caſtellanæ Societatis IESV.

PETRVS Pimentel in Prouincia Caſtellana Societatis IESV Prouincialis, poteſtate mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro GOSVINO NICHEL Præpoſito Generali, facultatem facio vt *Commentaria in totum Vetus, ac Nouum Teſtamentum* (exceptis ſapientialium libris) *Auctore* P. ANTONIO DE ESCOBAR ET MENDOZA Theologo eiuſdem Societatis, grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbata, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, noſtróque ſigillo munitas dedimus, Valliſoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

REuerendi Patris ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA Societatis IESV; *Commentarios Literales & Morales in Sacram Scripturam* nos infraſcripti ex eadem Societate Theologi legimus, & vtiles, atque luce dignos iudicauimus. Lugduni 8. Martij anno 1667.

IOSEPH GIBALINVS.

LAVRENTIVS GRANNON.

PRIVILEGIVM.

EGo IOANNES PLATIERE Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, Præpoſitus Prouincialis, Opus, quod inſcribitur ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA Societatis IESV Theologi Commentarij Literales & Morales in I. & II. Libr. Paralipomenon, in primum & ſecundum Eſdræ, in Tobiam, in Iudith, in Eſther, in Iob, in Pſalmos, in Prouerbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Maiores & Minores Prophetas, in primum & ſecundum Machabæorum, in Euangelia, in Acta Apoſtolorum, in Epiſtolas Pauli, in Epiſtolas Catholicas & Ioannis Apocalypſin, eiuſdem Societatis grauium Doctorum iudicio approbatum, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris 1606. LVDOVICO XIII. 14. Februarij 1611. & LVDOVICO XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant. Permitto PHILIPPO BORDE, ET LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus, vt ad decem proximos annos excudere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni 10. Martij 1667.

IOANNES PLATIERE.

ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

SOC. IESV THEOLOGI,

Ad Vetus & Nouum Testamentum Literales, ac Morales Commentarij.

LIBER PRIMVS.

Commentarij Literales, & Morales in primum Paralipomenon.

PROLVSIO.

Redit Regum Historia, siue *Liber Dierum*, quo gesta Principum Israëlitarum, ac Iudæorum vberiùs enodantur: & recurrit simul mihi ad Deiparam Dominam respectus. Per eam enim Reges illi Christi progenitores Imperio potiuntur. *Per me* (inquit ipsa Prou. 8. 15.) *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant.* Vtinam omnes illi Reges Deiparentis futuræ præscripta, quæ iam quidem eorum titillabat in sanguine exequerentur. Certè qui, *quod bonum erat in conspectu Domini*, gessére, accepérunt de Virgine filia. Quæ (auctore Augustino ser. de Nat. Mar.) *facta est norma Principum, iustitia Regum.* Non possent à iustitia illi Reges abire, si, instar Dauidis, Mariæ in eorum lumbis existentis velut fulgurans iam spectarent exemplum.

CAPVT PRIMVM.

Genealogia ab Adamo vsque ad Abrahamum, Abrahamique posteros maximè Idumæos retexitur; quorum Reges ac Duces recensentur.

1. ADAM, Seth, Enos, Gainan, Malaleel, Iared. 2. Henoch, Mathusale, Lamech. 3. Noë, Sem, Cham, & Iapheth. 4. Filij Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, Thubal, Moloch, Thiras. 5. Porro filij Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. 6. Filij autem Iauan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim. 7. Filij Cham: Chus, & Mesraim, & Phut, & Chanaan. 8. Filij autem Chus: Saba, & Heuila, Sabatha, Regma, & Sabathacha. 9. Porrò filij Regma: Saba, & Dadan. 10. Chus autem

genuit Nemrod: iſte cœpit eſſe potens in terra. 11. Meſraim verò genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim, 12. Phetruſim quoque & Caſſuim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthiim, & Caphtorim. 13. Chanaan verò genuit Sidonem primogenitum ſuum, Heræum quoque, 14. & Iebuſæum, & Amorrhæum & Gergeſæum, 15. Heuæúmque & Aracæum, & Cinæum. 16. Aradæum quoque, & Samaræum, & Hamathæum. 17. Filij Sem: Ælam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & *Hus*, & Hul, & Gether, & Moſoch. 18. Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipſe genuit Heber. 19. Porrò ex Heber nati ſunt duo filij, nomen vni Phaleg, quia in diebus eius diuiſa eſt terra; & nomen fratris eius Iectan. 20. Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Aſarmoth, & Iare. 21. Adoram quoque: & Huzal, & Decla, 22. Hebal etiam, & Abimaël, & Saba, necnon, 23. & Ophir, & Heuila, & Iobab. omnes iſti filij Iectan: 24. Sem, Arphaxad, Sale, 25. Heber, Phaleg, Ragau, 26. Serug, Nachor, Thare, 27. Abram, iſte eſt Abraham. 28. Filij autem Abraham, Iſaac & Iſmaël. 29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus Iſmaëlis, Nabaioth, & Cedar, & Adbeel, & Mabſam, 30. & Maſma, & Duma, Maſſa, Hadad, & Thema, 31. Ietur, Naphis, Cedma. hi ſunt filij Iſmaëlis. 32. Filij autem Cethuræ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamram, Iecſan, Madan, Madian, Iesboc, & Sue. Porrò filij Iecſan: Saba, & Dadan. filij autem Dadan: Aſſurim, & Latuſſim, & Laomim. 33. Filij autem Madian: Epha, & Epher, & Henoch, & Abida, & Eldaa. omnes hi, filij Cethuræ. 34. Genuit autem Abraham Iſaac, cuius fuerunt filij, Eſau & Iſraël. 35. Filij Eſau: Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom, & Core. 36. Filij Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. 37. Filij Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza. 38. Filij Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Diſon, Eſer, Diſan. 39. Filij Loran: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thanna. 40. Filij Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filij Sebeon: Aia & Ana. Filij Ana: Diſon. 41. Filij Diſon: Hamram, & Eſeban, & Iethran, & Charan. 42. Filij Eſer: Balaan, & Zauan, & Iacan. Filij Diſan: Hus & Aran. 43. Iſti ſunt reges, qui imperauerunt in Terra Edom, antequàm eſſet rex ſuper filios Iſraël: Bale filius Beor: & nomen ciuitatis eius, Denaba. 44. Mortuus eſt autem Bale & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Boſra. 45. Cúmque & Iobab fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Huſam de Terra Themanorum. 46. Obiit quoque & Huſam, & regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in Terra Moab: & nomen ciuitatis eius Auith. 47. Cúmque & Adad fuiſſet mortuus, regnauit pro eo Semla de Maſreca. 48. Sed & Semla mortuus eſt, & regnauit pro eo Saul de Rohoboth, quæ iuxta amnem ſita eſt. 49. Mortuo quoque Saul, regnauit pro eo Balanan filius Achobor. 50. Sed & hic mortuus eſt, & regnauit pro eo Adad: cuius vrbis nomen fuit Phau, & appellata eſt vxor eius Meetabel filia Matred filiæ Mezaab. 51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom eſſe cœperunt: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, 52. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 53. dux Cenez, dux Theman, dux Mabſar, 54. dux Magdie, dux Hiran. hi duces Edom.

COMMENTARII.

1. Genealogia ab Adamo vſque ad Noë.

VERS. 1. 2. 3. ADAMVS toti condito ornatóq; mundo humani generis Princeps à Deo fuit præpoſitus, & in amœniſſimis hortis diuina manu conſitis, vbi vitalis poma arboris ſuppeterent, collocatus. Cæterùm huic Euam ſociam, & adiutricem datam fuiſſe conſtat, ruinæque cauſam extitiſſe. Adamus quippe diuinam neglexit legem, non tam vetiti Pomi ſpecie, quam illecebra inductus vxoris. Ergò vnà cum noxæ ſocia beatis hortis in perpetuum expulſus, morti, cæteríſque miſeriis, quæ mortalem conditionem comitantur obiicitur, repentè ex beato miſer; & auctor hominum generis ruens, ſecum in eundem caſum omnem traxit poſteritatem. Exilij initio Adamus Caiimum, ac Abelem genuit, quorum ille agricola, hic paſtor fuit. Sed citò domeſticum malum interuenit inuidia. Abelis ſacrificia Deus, igni de cœlo emiſſo, probauit, Caimi non item. Itáque homo inuidus fratrem interfecit. Ob eam cædem parétes diù fuerunt in luctu, ipſe parricidij conſcientiâ profugus errauit. Et tamen homo demens Vrbem cõdidit, eius poſteri muſicam, ferrariam, aliáſque artes, vel ad vitæ commoditatem, vel ad delectationẽ inuenére. Ne autem Abele occiſo ſine liberis pia deeſſet Adamo progenies, ei natus eſt *Seth*, qui genuit *Enos*. Hic progenuit *Cainan*, huius filius fuit *Nolaël*, patet quidem *Iared*, qui genuit *Enoch*. Hic Sethi trinepos anno poſt mundũ conditum propè milleſimo ob ſummam Dei familiaritatem diuinitùs eſt ex hominum cœtu, ac oculis ereptus. Reliquit hic filiũ *Mathuſale*, qui extitit *Lamech* pater. At Mathuſales cum annos

ferè

ferè mille vixisset, nihilo faciliorem quam cæteri, expertus est mortem. Mortales autem pulueris sui obliti, vitæ longitudine abuti cœperunt. Sethi gens connubiis cum Laimi gente iunctis, Gigantes progenuit. Et in externos lapsa mores, omnia pudoris atque officij repagula perfregit. Itaque Lamech genuit *Noë*, & anno post mundum conditum 1656. flagrans vbique libido perpetuis quadraginta dierum imbribus, terrarúmque omnium eluuione restinguitur. Animantium nihil vspiam reliquum fit præter id, quod Noës vir bonus Dei monitu in arca, seu naui quadam ingenti reseruarat ad sobolem. Sub eluuionem vis, & vita hominum est imminuta. Ad subsidium imbecillitatis carnes concessæ. Vinum quoque à Noë inuentum hausturn vberius ne ipsi quidem pepercit auctori. * Vt inuentor vini etiam esset ebrietatis inuentor: & noscerent inuentores rerum cum re inuenta eius incommoda pariter ab eis inueniri.] Genuerat Noë: *Sem, Cham, & Iapheth.* Ebrium verò, ac nudarum patrem Chamus ludibrio habere, aliis demonstrare cœpit: at Semus, & Iaphethus auersi, iniecto pallio, contegunt. Ergo pater re posteà cognita Chami progeniem execratus cæteris liberis benè precatur. A tribus hisce Noë filiis gentes omnes toto terrarum Orbe paulatim sunt propagatæ.

Inuentor rei alicuius sibi mali eius inuenit incommoda.

2. De filiis Iapheth.

Vers. 4.5.6.7.] Porrò Iapheth septem genuit filios, *Gomer, Magog, Madai, Iauan, Thubal, Mosoch, & Thiras.* Ex primogenito Gomer prognati fuére *Comari* siue *Limbri*, qui nunc Dani, & Holsatij dicuntur. A Magog *Getæ* & *Massagetæ*. A Madai *Medi*. A Iauan *Ionæ*, ac reliqui Græci. A Thubal *Ibéri*, seu *Tibéri*, qui in Asia sunt iuxta Pontum Euxinum: ex quibus orti & Colonia traducta propagati sunt Ibéri Europæi, seu Hispani. Ex Mosoch sunt *Mosci*. Ex Thiras *Thraces*. Verùm filij Gomer Iapheth primogeniti fuére: *Ascenez, Riphath, & Thogorma*. Ex Ascenez orti sunt *Asc anij* seu *Tuiscones*, id est, Germani. Ex Riphath *Riphæi*, & *Paphlagones*. Ex Thogorma *Phryges*, seu *Turcæ*. Filij autem Iauan: *Elisa, Tharsi, Cethim, & Dodanim*. Ex Elisa processére *Æoles*. Ex Tharsis *Cilices*, & etiamnum Ciciliæ Metropolis *Tharsus* vocatur. Ex Cethim, Cyprij, & Cretenses. Ex Dodanim, Dodonæi in Chaonia regione Epiri, vbi olim Iouis Dodonæi oraculum fuit, omnium apud Græcos vetustissimum. Sed fortè legendum *Rodanim*, à quo Rhodij processerint. Sic vertunt LXX.

3. De filiis Cham.

Verf. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.) Filij Chami extitére *Chus, Mesraim, Phut, & Chanaam*. Ex Chus orti sunt *Æthyopes*. Ex Mesraim *Ægyptij* Ex Phut *Afri*. Ex Chanaam *Chananæi*: Filij autem Chus Chami primogeniti fuére *Saba, Heuila, Sabatha, Regma, & Sabarhhcha*. Ex Saba (per Samech) processérunt *Sabæi* in Arabia Felici. Ex Saba (per Sein) Sabæi Æthiopiæ. Ex Heuila *Indi*. Ex Sabatha *Sabatæni*: & sic de cæteris. Profectò filij Regma *Saba, & Dadan* annumerantur. Chus autem primogenitus Chami genuit *Nemrod*. Hic quidem Chami nepos anno post diluuium circiter centesimo auctor fuit cæteris, vt ante digressionem summæ altitudinis turrim communiter excitarent, siue inundationis perfugium, siue clari animi monumentum. Cæterùm superbis mortalium conatibus diuinum obstitit Numen, repentè vnâ, qua tùm vtebantur omnes, linguâ in septuaginta duas, quot erant familiæ diuinitùs dispertitur. Sublato igitur sermonis commercio, abiecta est exædificatio. * Nihil enim potest persistens adstrui, vbi varietas adest dictionis. Ideò Apostolus Christiani populi ædificationi promouendæ studens, monuit. *Idem dicamus omnes.*] Ex eo terrarum Orbis frequentari cœptus: lingua, quæ communis anteà fuerat in Hebræi familia & genere mansit. Turris inchoata, ex linguarum confusione, Babel primùm, deinde Babylon est appellata. In ea Nembrothus (qui fortasse idem Belus fuit) imperitauit. Nembrot igitur *cœpit esse potens in terra.* Anteà omnes æquo iure viuebant nullius subditi imperio. Nemrot primus in alios impetum occupauit tyrannus effectus. Sic turrim illam ædificare tentauit, seu arcem vbi se muniret subditísque quasi compedes subiiceret. * Quid timeret Nemrot? Certè tunc timere incipit, cum terrere inchoauit. Solus ille timere debet, qui alios efficit territari.] Preme particulam, *Cœpit esse potens in terra.* Scilicet alios & viribus & diuitiis superabat. Et inox quidem cœpit esse tyrannus. * Quam agnatum terrenæ potentiæ, in tyrannidem prosilire!] Mesraim verò secundò natus Chami filius genuit *Ludinas, Anamim, Laabim, & Nephthuim.* Genuit & *Phetrusim* ac *Cassuim*: de quibus orti sunt *Philisthiim*, & *Caphtorim*. Chanaam verò ille maledictus ab auo filius Chami suscepit *Sidonem* primogenitū, *Hethæū, Iebusæum, Amorrhæum, Gargesæum, Hebæum, Aracæum, Cinæum, Aradium, Samaræum, & Hamathæum.* * An iste maledictus vocitandus, qui tot liberis donatur à Deo, tot Nationum pater exurgit? Non semel maledictionis loco homo plurium liberorum parens efficitur. An non maledictionis vulnus filiis improbis exundare?] Quid ergò tam anxiè cupis, quod, num futurum sit maledictionis vulnus, ignoras. O quotiens te nuptam Deus benedictionis loco fecit sterilem, & tu precibus stultis satagis esse maledictam.]

Vbi est doctrina varietas, nihil firmum adstruitur.

Solus ille timere debet, qui facit alios territari.

Agnatum terrenæ potentiæ in tyrannidem prosilire.

Maledictionis diuinæ loco aliquando quis multos accipit liberos.

Taxantur qui nimium anguntur liberorum desiderio.

4. Semi-filij.

Verf. 17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.] Porrò ex Semo nouem orti sunt filij: *Elam, Assur. Arphaxad, Lud, Aram, Hus, Hul, Gether, & Mosoch.* Ex his Arphaxad genuit *Sale*, his autem *Heber*. Verùm ex Heber nati sunt duo filij, quorum vnus *Phaleg* vocitabatur, quia in diebus eius *diuisa est terra.* Præuiderat enim Sanctus parens eius Heber, tempore filij sui Phaleg diuisum iri linguas, & gentes, ideò eum *Phaleg*, siue *diuisionem* appellauit. Non autem ait scriptura diuisionem hanc factam in ortu Phaleg, sed *in diebus eius*, seu in decursu vitæ illius, nempe regnante, & turrim Babel moliente Nemrodo. Scio Hebreum ad vitæ breuitatem retuliſſe, quam Deus minatus Gen. 6.3. Phaleg tempore induxit: quippè tùm ille, tùm posteri multò pauciores annos; quàm priores vixére, donec ad præfixum centum viginti annorum numerum ventum est. * Iam igitur indè à natalitio Phaleg indicitur citiùs, quàm parentes à vita, à vitæque commodis, (si aliqua sint) diuidendum, vt sic creaturis vtatur, quasi eas licturus.] Alter verò filius Heber appellatus fuit *scitam.* Hic tredecim liberis honoratus. *Ebnadad,*

A natalitio homini indicitur exitus, vt creaturis vtatur, quasi ab eis diuidendus.

dad, Saleph, Asarmoth, Iare, Aduram, Huzal, Decla, Hebal, Abimaël, Saba, Ophir, Heuila, & Iobab: hi omnes Iectani extitére nati. Porrò (vt innui) Sem genuit *Arphaxad*, hic *Sale*, ex Sale *Heber* fuit exortus, hic pater *Phaleg*, huius verò filius fuit *Ragau*, processit ex eo *Serug*, huius genitus fuit *Nachor*, qui extitit genitor *Thare*, à quo *Abram* duxit natalitium: hîc est, qui postea nomine aliquantulum mutato, dictus est *Abraham*, cùm priùs Abram diceretur.

5. Abrahami ex Cethura, ac Sara posteritas.

Vers. 28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.41.42.] Abrahamus genere Chaldæus ab Hebero originem trahens à Deo euocatus anno bis millesimo, domo relicta Deum sequitur multis sæculis ante Philosophos natos, qui id præceperunt. Palestinam sedem posteris promissam suis, cum peragraret, annonæ coactus inopia, descendit in Ægyptum. Ibi raptam quidem à Pharaone Rege vxorem desiderauit, sed breui Dei beneficio maximis cum muneribus recepit intactam. Ægypto repentè ex inopi opulentus excedit. * Nec enim verè ex tactis vxoribus diuites vnquam extitére mariti.] Lothum fratris filium, peregrinationis comitem, Sodomis captiuum abductum, cæso Libera hoste. Victor Melchisedeco Sacerdoti decimas persoluit.* Vt gratitudo aliorum feliciũ euentuum gloriam firmaret. Nam qui pro accepto primo beneficio se gratum ostentat Numini ad recipienda augustiora munera præparatur.] Eius Filij *Isaac*, & *Ismaël*. Certè iam centenarius cùm sibi, ac suis Dei iussu præputia circumcidisset, è Sara coniuge sterili, diuinitùs promissum genuit filium. Ei ex risu matris Isaaci nomen inditum. Nondum natus erat Isaacus, cùm Abrahami meritis exoratus Deus Lothum vna cum vxore, ac liberis Sodomæ eximit incendio. Sed Lothi vxor, quòd contra Angeli educentis præceptum respexisset, Salis versa est in statuam, stultitiæ documentum, inobedientiæ corruptionis Sal. * Ex supplicio enim inobedientiæ discimus obedire.] * Lothus ipse vino, & filiarum calliditate delusus, ostendit, nihil esse tam fœdum, quod non admittat ebrietas.] Porrò Abrahami fides (Ismaële filio cum Agare ancilla eius matre ablegato) diuinitùs tentata mirè enituit, magno suo ac suorum incremento. Imperanti Deo, vt Isaacum vnicum filium, spem stirpis, sua manu immolaret, parére non renuit.* Conatus pro facto fuit Conditori.] Iam impositum Aræ filium ferro appetebat fidelis parens, cum repentè cœlesti voce dexteram cohibere, filio parcere iubetur. Spectata pietas egregiáque obediendi voluntas copiosissimâ sobole muneratur, Christóque promisso. * Et cuinam nisi obedientiæ virtuti daretur, Dei Filium enitere, qui factus obediens vsque ad mortem?] Iam verò Isaaci & Ismaëlis hæ sunt *generationes*. Primogenitus Ismaëlis *Nabajoth*: post geniti *Cedar, Adbeel, Mabsam, Masma, Duma, Massa, Hadad, Thema, Ietur, Naphis*, & *Cedma*: hi sunt nati Ismaëlis. Porrò Abrahamus ex Cethura cõcubina, id est, legitima quidem vxore, sed secundaria, ac minus principali hosce filios suscepit: *Zamran, Iecsan, Madan, Madian, Iesboc*, & *Sue*. Ex his autem Iecsan duos genuit filios, *Saba*, & *Dadan*. Hic verò suscepit: *Assurim, Latussim*, & *Laomim*. Madiam quidem quinque Abrahamo dedit nepotes: *Epha, Epher, Henoch, Abida*, & *Eldaa*. Omnes hi sunt *filij*, ac nepotes *Ceturæ*. Hanc fuisse Agar Hieronymus affirmat. Sed refellitur ex Gen. 25.6. vbi dicitur: *Filiis autem concubinarum*. Ergò Abraham plures habuit concubinas. Dixi concubinam vocitari Ceturam, quia vxor secundaria sine dote, & solemni apparatu sumpta. Sola primaria Hebraicè אשה *isſah*, Latinè *vxor* vocatur. * Hinc pudeat vxorem, quæ sine apparatu & dote furtim colligatur amanti. Vereor ne facta coniux adhuc vti concubina æstimetur à viro.] Porrò Abrahamus Isaacum vnicum primaria vxore genuit ex Sara. Isaaci autem filij extitére duo: *Esau* & *Israël*, siue *Iacob*. Quinque ex Esau processére filij: *Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom*, & *Core*. Horum primogenitus Eliphaz septem filios suscepit: *Theman, Omar, Sephi, Gatsan, Cenez, Thamna*, & *Amalech*. Rahuel verò genauit quatuor: *Najath, Zara, Samma*, & *Meza*. Seir autem procreauit septem: *Loran, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser*, & *Disan*. Certè *Seir* non est hic Esau (licet etiam ipse hoc nomine fuerit vocitatus) neque Filius Isaaci: sed ex alia gente Horræus, qui ante, Esau Idumæam tenuit: cuius genealogia Gen. 36. 20. describitur. Et hîc mentio fit illius tantùm vt innotescat Thamnæ genus, ex qua processit Amalec. Loran autem filius Seir duos filios suscepit *Hori*, & *Homam*. Soror autem *Loram*; Filia Seir fuit *Thamna*, ex qua (vt innui) *Amalech* processit. Sobal vero Seir filius quinque habuit natos: *Alian, Manahath, Ebal, Sephi*, & *Onam*. Sebeon vero etiam filios Seir duos natos genuit: *Aia* & *Ana*. Huius filius vnicus *Dison* fuit. Quatuor autem filios genauit Dison: *Hamram, Eseban, Sectram*, & *Charan*. Filij Eser patri Seir tres nepotes addidit: *Balaan, Zauan*, & *Iacan*. Disam Denique duos: *Hus*, & *Aran*.

Ex tacta vxore verè diues est maritus, ex tacta minimè.

Qui gratum se Deo ostendit pro beneficio, ad recipienda augustiora præparatur.

Ex supplicio inobedientiæ discimus obedire.

Nihil tam fœdum, quod ebrietas non admittat.

Deo conatus ad facinus quoduis egregium pro facto est.

Virtus obedientiæ Dei filium enititur obedientem.

Qua furtim viro colligatur, adhuc post nuptias æstimatur fortum.

6. Reges, ac Duces Idumæorum.

Vers. 43.44.45.46.47.48.49.50.51.52.53.54.] Porrò *isti*, qui sequuntur, sunt Reges, qui in Terra Edom cum titulo, ac diademate Regio imperauerunt, antequàm Rex in Israëlitica Terra exsurgeret: nempè diu ante Saulis tempora. Quemadmodum enim inter Israëlitas primum fuére duces seu Iudices vsque ad Saulem: dein Reges à Saule vsque ad captiuitatem Babylonicam: exindè rursus Duces à Zorobabele vsque ad Machabæos; ita etiam in Idumea Republica primùm fuérunt Duces vsque ad Bale. Dein Reges à Bale vsque ad mortem secundi Adad. Tùm rursus, mutata Reipulicæ forma, Duces successerunt. Primus Rex fuit *Bale* filius Beor: nomen verò Ciuitatis, vbi imperitauit, fuit *Denaba*. Non est hic Balaam Ariolus (de quo Num. 22. 5. licet nomen patris conueniat; nam Bale, cuius hîc mentio, erat Idumæus, Ariolus verò ille erat ex Mesopothamia. Diem autem suum obeunte Bale successit *Iobab* filius Zaræ de Bosra. Hunc plerique existimant fuisse *Iob* virum illum ex patientia illustrissimum. Cum his sentio. Licet ergo Esau non Rex, sed Dux solummodò fuerit, pronepos tamen illius Iob, qui erat filius Zaræ filij Raguel, filij Esau) Regiam obtinuit dignitatem. Non quidem, vt vides, hæreditaria Regni successione; sed vel electitia, vel iure belli parta. Bosra autem erat ex præcipuis Idumææ Vrbibus, vt asserit Adrichomius in Tribu Ma-

nasse.

naſſe. Mortuo verò Iobab, ſiue Iob, regnauit *Huſam* de Terra Themanorum. Theman quidem erat Idumææ metropolis. Obiit quoque Huſam, & electus fuit in Regem *Adad* filius Badad, qui apud Terram Moab Madianitas percuſſit: & nomen Ciuitatis eius Auith. Obiit Adad, eſque *Semla* de Maſreca ſucceſſit. Sed & de vita exceſſit Semla, ac eius ſolium occupauit *Saul* de Rohoboth, quæ iuxta amnem ſita eſt. Gen. 36. 37. dicitur Saul *de fluuio Rohoboth.* Fortaſſe idem nomen fuit Vrbi ac fluuio. Aliqui exiſtimant Rohoboth eſſe nomen appellatiuum, quod *planities*, ſiue *latitudines* ſignificat: & interpretantur de planitie aliqua, quæ amni eſſet vicina. Hebraicè eſt, *De Rohoboth flumine*, ſiue *fluminis.* D. Hieronymus legens, *de Rohroboth fluminis*, putat eſſe Vrbem, quam fluuius eiuſdem nominis diluit. Pagninus autem legens, *de Rohoboth flumine* abnegat eſſe Oppidum, aſſerit eſſe flumen. Crediderim Vrbem eſſe Rohoboth nomine, quæ ad ripam celebris alicuius fluminis adiacet. Etiam Saul cum mortuis fuit annumeratus, eiuſque Regno potitus eſt *Balanan* filius Achobor. Hoc è viuis excedente, pro eo *Adad* imperauit: cuius Vrbis nomen fuit Phau, vxórque eius Meetabel filia Matred, filiæ Mezaab fuit appellata. Cur nomen vxoris, & matris vxoris, & auiæ memoratur, quod in aliis Regibus proximè numeratis factum non eſt? Procul dubio aliquid eximium in hiſce mulieribus eluxit. Quidnam eximium in eis potuit inueniri? Erat inquit Sacer ſcriptor vxor eius *Meetabel filia Matred, filiæ Mezaab.* Si vocem Hebraïcam interpreteris, *Filia Mezaab* idem eſt, ac *Filiæ, cuius eſt aurum.* Vnde Liranus putat, diuitem admodum hanc fœminam extitiſſe, ideóque eius factam memoriam. * An paupertati agnatum ex hominum memoria facilè excidere? vix inquam memorari?] Id quidem apud hominum catalogum; non apud diuini Numinis volumen. Vnde magis placet Rabinorum apud Abulenſem opinio aſſerentium, ideo vocatam *Nezaab.* id eſt, *Cuius eſt aurum*, quòd prima inuenerit artem aurum in fila ducendi, quam filiam ac neptem edocuit. * Fœminæ nobiles, imò Regiæ ducentes è colo fila, digniſſimæ quæ à ſacro Hiſtoriographo ſpecialiſſimè memorentur.] Denique Adad Rege obeunte, apud Edon pro Regibus Duces eſſe cœperunt. Hi autem ſucceſſiuè Idumæos duxére, eſſque dixére ius: *Thamna, Alua, Sethech, Oolibama, Ela, Phinon, Cenez, Theman, Mabſar, Magdiel*, & *Hiram.* Hæc quidem exiſtimo non Ducum, ſed locorum in quibus imperitarunt, eſſe nomina. * Illum eximium Regem, Ducem aut Principem exiſtima, qui tanti ducit locum, vbi imperat, vt ſolo ex eius titulo velit agnoſci.]

Quam in obliuione degit hic pauper! quam in omnium memoria viuet!

Fœminæ ducentes è colo fila dignæ, quæ memorentur in ſacris.

Egregius Princeps, qui honorat Vrbē, vbi imperat.

CAPVT II.

Recenſetur Genealogia Patriarchæ Iudæ vſque ad Iſai patrem Dauid, fratrúmque eius, ac ſororum.

1. ISTI autem Iſraël: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Iſſachar, & Zabulon, 2. Dan: Ioſeph, Beniamin, Nephthali, Gad, & Aſer. 3. Filij Iuda: Her, Onan, & Sela. hi tres nati ſunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda, malus coram Domino, & occidit eum. 4. Thamar autem nurus eius, peperit ei Phares & Zara. omnes ergo filij Iuda, quinque. 5. Filij autem Phares: Heſron & Hamul. 6. Filij quoque Zaræ: Zamri, & Etham, & Eman, Chalchal quoque, & Dara, ſimul quinque. 7. Filij Charmi: Achar. qui turbauit Iſraël, & peccauit in furto anathematis. 8. Filij Ethan: Azarias. 9. Filij autem Heſron qui nati ſunt ei. Ierameel, & Ram, & Calubi. 10. Porrò Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahaſſon, principem filiorum Iuda. 11. Nahaſſon quoque genuit Salma, de quo ortus eſt Booz. 12. Booz verò genuit Obed, qui & ipſe genuit Iſai. 13. Iſai autem genuit primogenitum Eliab, ſecundum Abimadab, tertium Simmaa, 14. quartum Nathanael, quintum Raddai, 15. ſextum Aſom, ſeptimum Dauid. 16. quorum ſorores fuerunt, Saruia, & Abigail. Filij Saruiæ: Abiſai, Ioab, & Aſaël, tres. 17. Abigail autem genuit Amaſa, cuius pater fuit Iether Iſmaelites. 18. Caleb verò filius Heſron accepit vxorem nomine Azuba, de qua genuit Ierioth: fuerúntque filij eius, Iaſer, & Sobab, & Ardon. 19. Cúmque mortua fuiſſet Azuba, accepit vxorem Caleb, Ephrata, quæ peperit ei Hur. 20. Porrò Hur genuit Vri: & Vri genuit Bezeleel. 21. Poſt hæc ingreſſus eſt Heſron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cùm eſſet annorum ſexaginta, quæ peperit ei Segub. 22. Sed & Segub genuit Iair, & poſſedit viginti tres ciuitates in Terra Galaad. 23. Cepítque Geſſur, & Aran, oppida Iair, & Canath, & vinculos eius ſexaginta ciuitatum. omnes iſti, filij Marchir patris Galaad. 24. Cùm autem mortuus eſſet Heſron, ingreſſus eſt Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Heſron vxorem Abia, quæ peperit ei Aſhur

patrem Thecuæ. 25. Nati sunt autem filij Ierameël primogeniti Hesron, Ram primogenitus eius, & Buna, & Aram, & Asom, & Achia. 26. Duxit quoque vxorem alteram Ierameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. 27. Sed & filij Ram primogeniti Ierameel, fuerunt Moos, Iamin, & Achar. 28. Onam autem habuit filios, Semei, & Iada. Filij autem Semei: Nadab, & Abisur. 29. Nomen verò vxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, & Molib. 30. Filij autem Nadab fuerunt, Saled, & Aphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. 31. Filius verò Apphaim, Iesi: qui Iesi genuit Sesan. Porrò Sesan genuit Ohalai. 32. Filij autem Iada fratris Semei: Iether, & Ionathan. Sed & Iether mortuus est absque liberis. 33. Porrò Ionathan genuit Phaleth, & Ziza. Isti fuerunt filij Ierameel. 34. Sesac autem non habuit filios, sed filias, & seruum Ægyptium nomine Ieraa. 35. Dedítque ei filiam suam vxorem: quæ peperit ei Ethei. 36. Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad. 37. Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed: 38. Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariam. 39. Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa. 40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum. 41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. 42. Filij autem Caleb fratris Ierameel: Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph: & filij Maresa patris Hebron. 43. Porrò filij Hebron, Core, & Taphua, & Recem, & Samma. 44. Samma autem genuit Raham, patrem Iercaam, & Recem genuit Sammai. 45. Filius Sammai, Maon, & Maon pater Bethsur. 46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Cezez. Porrò Haran genuit Gezez. 47. Filij autem Iahaddai, Regom, & Iothan, & Gesan, & Phalet, & Epha & Saaph. 48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana. 49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia verò Caleb, fuit Achsa. 50. Hi erant filij Caleb, filij Hur, primogeniti Ephrata: Sobal pater Cariathiarim, 51. Salma pater Bethlehem: Hariph pater Bethgader. 52. Fuerunt autem filij Sobal patris Cariathiarim, Qui videbat dimidium requietionum. 53. Et de cognatione Cariathiarim. Iethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, & Esthaolitæ. 54. Filij Salma: Bethlehem, & Netophati, Coronæ domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai. 55. Cognationes quoque scribarum habitantium in labes Canentes, atque Resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venérunt de Calore patris domus Rechab.

COMMENTARII.

1. Genealogia Iacob, cuiusque filij Iudæ vsque ad Azariam.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.] Profectò filij Israël seu Iacob extitére duodecim: *Ruben, Simeon, Lêui, Iuda, Issachar, Zabulon, Dan, Ioseph, Beniamin, Nephtali, Gad, & Aser.* Iudæ autem è Chananitide filia Sue nati sunt filij tres: *Her, Onan, & Sela.* Porrò Her primogenitus Iudæ improbum se coram Domino gessit, à quo fuit immaturè interemptus, fortè dæmonis interuentu, sicut contigit septenis Saræ maritis. Tob. 6. Quale fuerit Her scelus? Scriptura non exponit. Rabini verò ex maiorum traditione dicunt Thamaram, quam Her vxorem habebat, forma pulcherrimam extitisse, cui ne gestatio vteri, & partus dolores aliquid detraherent, atque ita minus ipse Her voluptatis ex defloréscente vxoris venustate caperet, ita cum illa consueuisse, vt ex ea consuetudine non sequeretur generatio. * Huiusmodi contrà naturam voluptates Dominum adeo assolent irritare, vt horribili vindicet interemptione.] * Vt autem huiusce delicti grauitatem expendam, premo particulam, *Fuit autem Her malus coram Domino*, qua quidem phrasi idololatriæ piaculum significari solet: *Fecit quod malum est in conspectu Domini*, hoc est, idolis immolauit. Quam ingens peccatum id, quod idololatriæ vocabulo exprimitur!] Verùm Thamar nurus eius Her vidua muliebri astu, habitu meretricio à Iuda concepit, eíque *Phares, & Zaram* enixa est. Omnes ergo filij Iudæ quinque fuérunt: Phares autem qui primus, post retractam à Zara manum, ex vtero prodierat, hosce genuit liberos: *Hesron, & Hamul.* Zaræ quoque hi liberi fuere: *Zamri, Ethan, Eman, Chalchal, & Dara*, qui simul quinarium numerum efformant. Profectò filij *Charmi* extitére *Achar*, qui turbauit Israël, & in furto anathematis deliquit. Quorsum hic *Charmi* Filij? Certè (vt Ios. 7. 1. constat) Charmi fuit filius *Zamri* (Iosuë vocitatur Zabdi) nepos Zaræ, pronepos Iudæ. At qui in Iosue vocatur Acham, hic Achar vocitatur per *Haiim* ab effectu, quoniam anathematis contactu turbauit populum: *Hachar* enim *turbare* significat: & hìc dicitur pulchra nominis mutatione ab Acham in *Achar*, qui turbauit Israël. * Qui communitatem conturbat quasi proprio nomine captus, ab omnibus vbique Turbator appellatur. *Aquel reboltoso.*] * Cur autem vnus furans totum turbauit Israël? Quia tota communitas vnius delinquentis præsentiâ debet conturbari, siquidem ob peccatum vnius socij assolet Deus totam communitatem flagellare.] 2.

Mollitiei crimẽ solo à Deo repętina mortevindicari. Quam graue mollitiei piaculum quod idololatriæ vocabulo exprimitur.

Qui turbat communitatẽ quasi proprio nomine vocatur, & Turbator dicitur. Ob peccatum vnius socij solet Deus totã communitatẽ flagellare.

2. Generatio Iudæ filiorũ vsque ad Dauid, eiusque sorores.

Vers. 8.9. 10.11. 12.13.14.15.16.17.] Ethan autem Zaræ *Filij*: *Azarias.* * Quare præmisit facer textus, *Filij Ethan*, & *Filij Charmi*,

mi, Si Ethan, & Charmi vnicus tantùm filius exponitur *Azarias* vnius; *Achan* alterius: Crediderim quia vel vnus filius bonus pro multis valet, vnus autem filius malus pro multis exuberat.] Efron autem Phares primogenitus tres filios ſuſcepit: *Ierameel, Ram, & Calubi.* Quorum Ram ſecundo-genitus (*Mat. 1. es Aram*) genuit *Aminadab*, Aminadab genera-uit *Nahaſſon* filiorum Iuda Principem. Exeuntibus enim ex Egypto ſingulis Tribubus Principes conſtituti ſunt, qui illis in deſerto præeſſent, Num. 1. præficitur autem Nahaſſon Iuda Tribui. Nahaſſon quoque *Salma* genuit, de quo Booz fuit ortus. Porrò apud Matthæum Salma hic *Sahmon* vocitatur. Booz verò ex Rutha *Obeth* ſuſcedit. Obeth vero genitor extitit *Iſai.* Hic ſeptem fuit pater filiorum. Primogenitus Iſai ortus eſt *Eliab*, ſecundus *Abinadab* tertius *Simmaa*, quartus *Nathanaël*, quintus *Raddai*, ſextus *Aſon*, ſeptimus *Dauid.* Horum ſorores fuére *Saruia*, & *Abigail.* Hîc tantum ſeptem Filij Iſai recenſentur, cùm tamen ex aliis Scripturæ locis conſtet fuiſſe octo. 1. *Reg.* 16. 10. dicitur Iſai adduxiſſe ſeptem filios ſuos coram ſamuele, Prophetáque pronunciante, nõ eſſe ex illis ſeptem electum Domini, iuſſit vocari Dauidem natu minimum, qui oues paſcebat. Quinam fuerit ſeptimus hic filius, ſi Dauidem octauum facias, proditum non eſt. Crediderim planè aſſertum eduxiſſe Iſai ſeptem filios coram ſamuele, quia textus etiam Dauidem recenſet, qui poſt ſex fratres fuit è paſcuis aduocatus. Seruiæ ſororis Dauidis filij fuére tres, ſcilicet *Abiſai Ioab*, & *Aſaël.* Abigail autem etiam Dauidis ſoror peperit Amaſam, cuius pater fuit *Iether Iſmaëlites.* Licet ſcriptura non ſoleat per mulieres genealogias texere, hîc tamen duæ Dauidis ſorores & earum liberi annumerantur, qui quidem materno genere clariores fuére, quàm Paterno. Nam Ioab, Abiſai, & Aſaël ſæpè filij Saruiæ appellantur, eorum verò patris, cui Saruia nupſit, nomen nuſquam proditur.* Edocemur, ſi tentio obuoluere quidquid in aliorum progenie minus illuſtre nouerimus, idque exponere, quod magis rutilare videatur! O tempora quum ſi quid ſapit nobilitatem in proſapia tacetur quod vilitatem generis indicat, euulgatur.] Adnoto Abiſai maiorem natu fuiſſe Ioabo. Eius fortitudo 2. *Reg.* 23. 18. celebratur. Ioabus Princeps militiæ Dauidis fuit. Aſaël curſor velociſſimus. 2. *Reg.* 2. 18. Amaſa verò filius Abigail Princeps Abſalonis militiæ extitit 2. *Reg.* 17. 25. & Iaabi ſucceſſor à Dauide deſtinatus 2. *Reg.* 19. 13. Huius pater dicitur fuiſſe Iether: *Iſmaëlites* quidem vel quòd eſſet ex genere Iſmaël, ſed religione *Hebræus*: vel quod aliquandiù inter Iſmaëlitas habitaſſet. Cæterum loco citato dicitur fuiſſe de Iezraële, quæ eſt Tribus Iuda Ciuitas. Cur ergò ſi Iezraëlita erat, Iſmaëlita pleno ore vocitatur? * An quia hominis apud Iſmaëlitas commoratio eum ſic fecit eorum mores haurire, vt velut Iſmaëlita exponeretur? ſocius profectò pius aut impius tuam quodammodò faciet immutari naturam.]

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.] Profectò, qui hic dicitur Colubi filius Heſron, eſt idem ac Caleb, non quidem explorator ille, qui fuit filius Iephone; ſed alius. Caleb ergò filius Heſron duxit vxorem nomine Azuba, ex qua *Ierioth* accepit primogenitum, poſteà tres filios ſucceſſiuè Azuba mæito eſt enixa *Iaſer, Sobab, & Ardon.* Cum autem Azuba vita functa eſſet, Caleb aliam duxit vxorem, nomine *Ephrata*, quæ ei *Hur* peperit. Porrò Hur genuit *Vri*: Vri procreauit *Bezeleel.* Poſt hæc vero Heſron ingreſſus eſt ad filiam Machir patris Galaad qui fuit nepos Ioſeph, id eſt, filius Manaſſe. Verum verbum illud, *Patris Galaad*, idem eſt, quod *Princeps Galaad.* Sic *verſ.* 24. Pater Thecuæ pro Principe Thecuæ accipitur. * Aptè quidem Princeps appellatur *pater*: Nec enim probum exiſtimarim eum Principem, quem ſubditi non clamitarint eſſe patrem.] Et ſexagenarius cum eſſet Heſron eam duxit vxorem, quæ ei enixa eſt *Segub.* Sed & Segub genuit *Iair*, & apud Terram Galaaditidem, viginti ſupra tres poſſedit Vrbes. Cœpitque Geſſur, & Aram Oppida *Iair & Canath.* id eſt, Oppida ad tractum illum, qui Iair & Canath dictus eſt, pertinentia *ſexaginta Ciuitatum*, id eſt. Ciuitates: ac ſi diceret. In tractu *Iair & Canath* ſexaginta Oppida, ſeu Ciuitates cœpit. *Omnes iſti filij Machir.* Sententia eſt, Omnes hi vici, ſeu Oppida, ſeu Ciuitates ſunt Filiorum Machir. *Patris*, ſeu Principis Galaad. Profectò cum Heſron ſuum diem obiiſſet, *ingreſſus eſt Caleb ad Ephrata*, nomen id Vrbis dictæ ſic à Secunda vxore Caleb. Habuit quoque Heſron vxorem nomine *Abia*, quæ peperit ei *Aſhur patrem*, ſeu Principem *Thecuæ.* Porrò Ieramuëli primogenito Heſron quinque ſunt orti filij: *Ram* primogenitus, *Buna, Aram, Aſom, & Achia.* Duxit quoque Ierameel aliam vxorem nomine *Atara*, quæ fuit mater *Onam.* Præterea Ram primogenitus Ierameel natos habuit *Moos, Iamin, & Achar.* Monuerim alterum fuiſſe *Onam*, cuius mentio eſt *hoc Capite Verſ.* 3. & fuit filius Iudæ, & ſcribitur per literam *Num* in fine: hic autem filius Ierameel per literam *Mem* ſcribitur. Onam vero duos filios ſuſcepit, *Semei, & Iada.* Filij autem Semei: *Nadab, & Abiſur.* Nomen vero vxoris Abiſur fuit *Abihail*, quæ ei enititur *Ahobban, & Molib.* Filij autem Nadab primogeniti Semei fuére: *Saled & Apphaim.* Ex his Saled ſine liberis obiit; Apphaim autem genuit *Ieſi*, qui quidem ſuſcepit *Seſan.* Hic verò Oholai genuit.

Verſ. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55.] Habuit & Semei fratrem Iada; qui genuit *Iether, & Ionatham*: quorum Iether abſque liberis obdormiuit. Ionatham verò *Paleth* ac *Ziza* filios ſuſcepit. En Ierameel filios enumerauit. Seſam autem filius Ieſi *non habuit filios, ſed filias.* Recole proximam particulam *Verſ.* 31. *Porrò Seſan genuit Oholai.* Quomodo ergo dicitur filios non habuiſſe? Reſpondeo, Oholai ſuperſtite patre mortuum eſſe, atque ita patrem filios non habuiſſe, qui familiam propagarent, & paterna hæreditate potirentur. Porrò Seſan filio orbatus, cum ſeruum haberet Ægyptium nomine *Ieraa* ei vnam filiam tradidit in vxorem. In quo minimè deliquit, ſi ſeruus ille Ægyptius Hebræorum religionem ſuſcepit. * Addiderim exemplum poſteris reliquiſſe famulos honorandi. Ex famulatu à Domino agnoſcitur, num ſint illi fideles, induſtrij, pij: An non ſatiùs patenti pauperem generum efficere diuitem, quàm diuiti genero filiam, ac diuitias tradere, vt prodigo ſumptu pauperes & fœce

Vnus filius bonus, aut malus pro multis.

Tacendum quidquid in aliorum pro ſapia vile videatur, euulgandum, quod illuſtre fuerit.

Socius probus aut improbus tuam quodãmodo faciet immutari naturam.

3. Genealogia Iudæ filiorũ vſque ad Oholai.

4. Reliqua filiorum Iudæ progenies.

Princeps idem eſt, ac pater.

Non dedecet fidelem tuum famulum generoſum efficere.

ſocerum, & vxorem efficiat? An non vtiliùs famulum honorare, muneribúſque augere, vt ſeruiat vxori, quàm tradere mariti diuitis ſeruituti?] Peperit igitur filia Seſan ſuo marito Ieraa filium nomine *Ethei*. Ethei autem genuit *Nathan*. Nathan ſuſcepit *Zabad*. Zabad genera-uit *Ophal*. Ophlal procreauit *Obed*. Obed genitor fuit *Iehu*. A Iehu genitus *Azarias*. Azarias fuit parens *Helles*. Filius Helles fuit *Elaſa*. Suſcepit Elaſa *Siſamoi*. A Siſamoi proceſſit Sellum. Ex Sello natus eſt *Icamiam*. Ex Icamiam verò ortus fuit *Eliſama*. Hi ſunt autem *filij* Caleb fratris Ierameel: *Meſa* fuit primogenitus eius, *ipſe eſt pater Ziph*, id eſt Princeps Vrbis Zips in monte nemoroſo ſitæ & opaco, dumis, & arboribus infructuoſis conſito quæ quidem Vrbs nomen magno dedit deſerto, *Ipſe*, in quam, *eſt pater Ziph, & Filij Mereſa patris Hebron*. Vatablus ex Hebræo vertit. *Ipſe fuit pater Ziph & filiarum Mareſa, & Hebron*. Princeps ſcilicet Ziph, & duarum Ciuitatum filiarum eius Moreſa & Hebron.

Princeps pater Ciuitatū vocatur, ſed & Ciuitates habent verè ei eſſe filia.

* Quemadmodum enim Princeps pater appellatur Vrbium & Ciuium: Sic Vrbes filiæ patris huiuſmodi ſunt appellandæ; & ſicut Princeps debet erga ciues, ſe gerere patrem eorum commodis ſtudentem: ſic ciues tenentur ſe verè filios Principum oſtentare, eam præſtantes reuerentiam, quæ decet parentibus exhiberi.] Profectò Hebron filij extitére *Core*, *Taphua*, *Recem*, & *Samma*. Samma verò progenuit *Raham*: quorum hic fuit pater *Iercaam*, ille verò *Sammai*. Filius quidem Sammai extitit *Maon*, qui fuit genitor *Bethſur*. Verùm Epha concubina ſeu ſecundaria Caleb vxor *Haram*, *Moſa*, & *Gezez* peperit; quorum Haram habuit filium, quem ſui fratris tertio-nati nomine vocauit *Gezez*. Profectò filij Iahaddai orti fuére *Regom*, *Ioathan*, *Geſan*, *Phalet*, *Epha*, ac *Saaph*. Altera verò concubina Caleb nomine Maacha, enixa eſt *Saber*, & *Tharana*: peperit quoq; *Saaph patrem*, ſeu principem *Madmenæ* Vrbis, & *Sue* patrem ſiue Principem *Machbena*, & *Gabaa*. Filia verò Caleb fuit *Achſa*. Hinc ſuſpicéris, hunc Calebum eſſe illum, qui promiſſionis Terram vidit: ſed aſſeruerim, vtrumque Calebum eo nomine filiam habuiſſe. *Hi* autem, qui ſequuntur, *erant* filij Caleb, filij inquam, id eſt, nepotes filij quidem Hur primogeniti, aut potius vnigeniti Caleb ex Ephrata primaria vxore. Itaque poſteri Caleb ex vnigenito filio Hur, quem ei Ephrata peperat, fuére *Sobal pater* ſeu Princeps Vrbis Cariathiarim: *Salma pater*, ſeu Princeps Vrbis Bethlehem: & *Hariph pater*, ſeu Princeps Vrbis Bethgader. *Fuérunt autem filij Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum*. Difficilis planè locus. In cuius expreſſionem moneo, particulam hanc, *Qui videbat dimidium requietionum* continere tria propria nomina, quorum interpretationem Vulgatus expreſſit. Idem factum vidiſti 2. *Reg.* 23. 8. In Hebræo ſic tria hæc nomina ſcribuntur: הרואה חוצי המנחות *Haroch, Hatzi, Hammenuchoth*. Itaque nomina hæc erunt *Roch*, *Tſi*, & *Menuchoth*. Sententia itaque ſic ducenda: Sobal Princeps Cariathiarim tres hoſce genuiſſe filios, *Roch Tſi*, ac Menuchoth, è quibus familiæ, aut Gentes, quæ mox annumerantur natæ fuére. De cognatione enim Cariathiarim ſiue Sobal huiuſce Vrbis Principis proceſſerunt *Iethrei*, *Aphuthei*, *Semathæi*, & *Miſerei*. Ex his item tribus, Sobal filiis egreſſi fuére *Sararitæ*, & *Eſthaolitæ*. Porrò Saraa & Eſthaol ex *cap.* 13. *Iudicum*, videntur ad Tribum Dan pertinére, ex qua erat Samſon, qui habitauit inter Saraa & Eſthaol. Filij autem Salma extitére *Bethlehem*, & *Netophathi*, *Coronæ domus Ioab*, *dimidium requietionis Sarai*. Hebræus habet, עטרות *Haterot*, quam vocem vt nomen proprium accepére LXX. vt & ſequentia *Beth. Ioab*, *Chadſi*, *Manachti*, *Atſothi*, quorum interpretationem Vulgatus expreſſit. Faciliùs ſic cum Mariana interpretor. *Coronæ domus Ioab*, id eſt, in illa familia, ex qua Ioab proceſſerat, & cuius Salma erat filius præcipui fuére Bethlehem & Netophathi. At *dimidium requietionis Sarai*, id eſt, dimidium tractus illius, cui à Requietione nomen, vbi Saratitæ habitabant, ad illorum Principum Bethlehem, & Netophathi ius pertinebat. Proceſſére item ex hac nobiliſſima familia cognationes *Scribarum*, ſeu legis peritorum *habitantium in Iabes, canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes*. In Iabes erant publicæ ſcholæ, vbi dabatur opera literis. Particula illa *canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes* trium familiarum propria nomina indicat ex Hebræo, ſcilicet, *Tirathim*, *Simhatim*, *Suchathim*. Senſus igitur eſt, ex Iudæ illuſtriſſima ſtirpe progreſſos eſſe Scribas ſiue legis peritos. proceſſiſſe item tres celebres illas Cineorum familias Canentium, Reſonantium, & Commorantium in tabernaculis. Hi ſunt *Cinæi qui venérunt de Calore patris domus Rechab*. Hebraïcè venerunt de *Chamath patre familiæ Rechabitarum*. Eſt enim nomen parentis illorum proprium; ideóque LXX. illud retinuérunt. Sed Noſter quid ſignificet expoſuit, & interpretatus eſt *Calorem*. * Ex Regia itaque Tribu Iuda Scribæ, ſiue legis periti. Vt ediſcant Principes, nihil ſanguini Regio illuſtrius adiici poſſe, quàm legis peritiam.] * Certè Sapientia non quæritat à nobilitate decus: ſed nobilitas Sapientiam quærit, vt ſanguini decus adiiciat.]

Legis periti è Regia orti ſtirpe.

Nobilitati ex Sapientia decus additur.

CAPVT

CAPVT III.

Posteri Dauidis, & Reges Iuda cum filijs, ac filiabus exprimuntur.

1. DAVID verò hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron; primogenitum Amnon ex Achinoam Iezraëlitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide, 2. tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, 3. quintum Saphatiam ex Abital, sextum Ietraham de Egla vxore sua. 4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, vbi regnauit septem annis, & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnauit in Ierusalem. 5. Porrò in Ierusalem nati sunt ei filij, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethsabee filia Ammiel, 6. Iebaar quoque, & Elisama, 7. & Eliphaleth: & Noge, & Nepheg, & Iaphia, 8. Necnon Elisama, & Eliada, & Eliphelet, nouem. 9. Omnes hi filij Dauid, absque filiis concubinarum: habuerúntque sororem Thamar. 10. Filius autem Salomonis, Roboam: cuius Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Iosaphat, 11. Pater Ioram: qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas: 12. & huius Amasias filius genuit Azariam. Porrò Azariæ filius Ioathan 13. procreauit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. 14. Sed & Manasses genuit Amon patrem Iosiæ. 15. Filij autem Iosiæ fuérunt, primogenitus Iohanam, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. 16. De Ioakim natus est Iechonias, & Sedecias. 17. Filij Iechoniæ fuérunt, Asir, Salathiel, 18. Melchiram, Phadaia, Senneser, & Iecemia, Sama, & Nadabia. 19. De Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorum: 20. Hasabam quoque, & Ohol, & Barachiam, & Hasadiam, & Iosabhesed, quinque. 21. Filius autem Hananiæ, Phaltias parer Iesciæ: cuius filius Raphaia. huius quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia: cuius filius fuit Sechenias. 22. Filius Secheniæ, Semeia: cuius filij Hartus, & Iegaal, & Baria, & Naaria, & Saphat, sex numero. 23. Filius Naariæ, Elioënai, & Ezechias, & Ericam, tres. 24. Filij Elioënai, Oduia, & Eliasub, & Pheleia, & Acub, & Iohanan, & Dalaia, Anani, septem.

COMMENTARII.

1. Dauidis filij, quos genuit in Hebron.

VERS. 1. 2. 3. 4.] Recolo Dauidis Historiã, vt generationis eius planior fiat tractatio. Dauid Rex, homo quidem eximia erga inimicos mansuetudine, hostium perpetuò victor exitit. Ierosolymæ arcem vi captam muniuit, eámque suo nomine Dauidis Vrbem dixit. Ibi cum & sibi, & Deo sedem, ac domicilium collocasset, sacrum Tabernaculum, & Arcam fœderis incredibili statuit apparatu. Idem libidine lapsus, imbecillitatis humanæ dedit documentum. Adulterium homicidio cumulauit. *Nec enim sola luxuriei incedit iniquitas: eam alia fœdissima flagitia comitantur.] A Nathan Propheta obiurgatus, culpam agnouit, lacrymis deleuit, propè honestiùs post casum surgens quàm antè stetisset. * Decorem enim ex peccato lassatum suo floti vbertim pœnitentiâ restituit.] Culpam tamen pœna est secuta. Qui dum vxori Vriæ stuprum obtulisset, ipsúmque interficiendum curasset, Regno ab Absalone filio pellitur. In vxoribus suis id probri accipit, quod coniugi intulerat alienæ. * Qui alieno thalamo parat insidias, recordari deberet, proprium thalamum posse insidiis similibus fœdari.] Cæterùm diuino Numine demissione placato, Absalonem acie superat, Regnum amissum recipit. Illustre vel irati, vel placati Dei documentum. Dum igitur Dauid in Hebron regnaret hos filios suscepit: Primogenitus Amnon natus ei fuit ex *Achinoam Iezraëlitide.* Duplex erat in Terra promissionis Iezraël. Vna in Tribu Iuda propè montem Gelboë; Altera in Tribu Manasse, vbi occisus Naboth. Achinoam itaque erat è Ciuitate nobili Iezraël Tribus Iuda. Secundum filium nomine *Daniel* peperit Dauidi Abigail Carmelites, quæ prius fuerat vxor Nabal Carmeli 1. *Reg.* 3. 3. Maacha verò filia Tholmai Regis Gessur enixa est *Absalonem* tertium Dauidis filium. Quartum *Adoniam* Dauid ex Aggith suscepit. Quintum verò nomine *Saphatiam* ex Abital. Sextum denique *Iethraham* de *Egla vxore sua*, id est, etiam vxore sua. Aptiùs adhuc illud *vxore sua* per Zeuma, seu adiunctionem refero ad omnes fœminas præcedentes, hoc modo: De Achinoam *vxore sua*, de Abigail *vxore sua*, de Maacha *vxore sua*, de Aggith *vxore sua*, de Egla *vxore sua*. Sex igitur nati sunt Dauidis filij apud Hebron, vbi septem annis supra sex men-

Luxuria pia-culum alia comitari absolent flagitia.

Pœnitentia restituit decorem è crimine lassatum.

Timeat adul-ter, ne in vxoribus suis id probri accipiat, quod coniugi infert alienæ.

ſes imperauit. Triginta autem ſupra tres annos regnauit apud Ieroſolymam.

2. Filij Dauidis, quos ſuſcepit in Ieruſalem.

Verſ. 5.6.7.8.9.] Porrò in Ieruſalem hi Dauidis exorti ſunt filij : *Simmaa, Sobab, Natham,* & *Salomon* : quatuor præfatos è Bethſabee filia Ammiel ſuſcepit. Obiicies. Prou. 4.3. Salomon dicit, ſe *vnigenitum* fuiſſe *coram matre ſua* : ergo non ſuſcepit quatuor ex Bethſabea filios. Quidam reſpondent, ex Dauide vnigenitum fuiſſe, in hoc & vltimo loco hîc memorarur. Nam tres priores Bethſabee ex priore ſuo marito Vria Hethæo ſuſceperat: ſed illos Dauid ad compenſandam miſellis iniuriam adempti parentis ſibi adoptauit. * Vndè ediſcunt, qui aliquem parentem de medio tollunt, debere ſe patres orphanorum oſtendere, vt aliquo modo eis ex ademptione proprij parentis compenſetur iniuria.] Veroſimiliùs tamen Mariana mei venia) putarim, omnes hos quatuor ex Bethſabee & Dauidis procreatos fuiſſe, & Salomonem iſtic vocitari *vnigenitum*, id eſt, *vnicè dilectum*, vti ibidem LXX. tranſtulére. Alioqui Nathan, ad quem Chriſti genealogiam Lucas deducit, non fuiſſet filius Dauidis, ſed Vriæ. Denique filiolus ex Bethſabea ſuſceptus impedit, quominus Salomon abſolutè dici poſſit vnigenitus fuiſſe matris ſuæ etiam ex Dauidè. * Profectò iam in illuſtriſſimo Ieſu vero Salomonis typo fulgurabat illa hominum gloria, qua Vnigenitus Patris & Matris ſuæ naſciturus erat multis in fratribus, adoptione cœleſti Primogenitus.] Alij quoque Dauidis filij annumerantur : *Iebaar, Eliſama, Eliphaleth, Noge, Nepheg, Iaphia, Eliſanea, Eliada,* & *Elipheleth.* Omnes hi nouem extitére filij Dauidis, abſque liberis quidem, quos ex *concubinis*, ſiue ex ſecundariis ſuſcepit vxoribus: qui profectò *Thamar* nomine habuére ſororem. Itaque omnes Dauidis filios ex variis Scripturæ locis, vt aliquos ſoluam nodos recenſeo. Prima Dauidis vxor fuit Michol Saulis Regis filia 1. *Reg.* 18.27. ex qua nullos ſuſcepit liberos. Scio ab aliquibus affirmari Michol eamdem eſſe cum Egla. Secunda vxor fuit Achinoam Iezraëlitis 1. *Reg.* 25.43. ex qua ſuſcepit Amnon primogenitum. Tertia fuit Abigail Nabalis vidua 1. *Reg.* 25.42. ex qua ſuſcepit Danielem, qui 2. *Reg.* 3.3. Chelcab appellatur. Quarta fuit Maacha filia Tholmai Regis Geſſur 2. *Reg.* 3.3. ex qua ſuſcepit Abſalom, & Thamar eiuſdem ſororem. Quina fuit Aggith, ex qua natus eſt Adonias, quem Regnum ambientem Salomon iuſſit interimi 3. *Reg.* 2.13. Sexta fuit Abital, ex qua ortus Saphatias 2. *Reg.* 3.4. Septima Egla, quæ Iethrahã peperit. Octaua Bethſabee vxor dudum Vriæ, ex qua quinque filios habuit, nimirum *parvulum adulterinum*, qui mortuus eſt 2. *Reg.* 12.18. *Samuam* ſiue *Simmaam, Sobal, Natham,* & *Salomonem* Regem. Ex aliis vxoribus alij nati: ſcilicet *Ierimoth*, qui 2. *Paral.* 11.18. appellatur filius Dauidis aliſque plures, qui hoc Cap. annumerantur, & 2. *Reg.* 5.14. nimirum *Eliſama, Iebaar, Eliphaleth, Noge, Nepheg, Iaphia, Eliſama, Eliada, Elipheleth.* Præter hos alij exorti ſunt ex concubinis. Adnotarim, in præfato filiorum Dauidis catalogo, *Eliſama*, & *Eliphaleth* bis repeti, fortaſsè quidem, quia alij, his duobus emortuis fratribus, nati, & eodem nomine inſigniti in illorum memoriam, ac ſolatium parentis fuére.

Qui parentem necat, orphanorũ eius filiorum parẽtem agat, vt miſellis compenſet iniuriam.

Chriſtus Vnigenitus Patris & Matris naſcitur in multis fratribus Primogenitus.

Verſ. 10.11.12.13.14.15.16.17.] Porrò Salomonis filius fuit *Roboam.* Hic genuit *Abiam,* patrẽ quidem *Aſa.* De hoc ortus eſt ex *Ioſaphat Ioram* genitor. Ioram autem pater fuit *Ochoziæ,* ex quo *Ioas* eſt ortus. Itius filius fuit *Amaſias,* & ipſe *Azariam* generauit. Verum Azariæ filius *Ioatham* procreauit *Achaz* patrem *Ezechiæ,* de quo fuit *Manaſſes* obortus. Sed & Manaſſes genuit *Amon Ioſiæ* parentẽ. Filij autem Ioſiæ quatuor extitére: Primogenitus *Iohanam,* ſecundus *Joakim,* tertius *Sedecias*, quartus *Sellum.* Porrò *lib.* 4. *Reg.* 23. vbi de morte Ioſiæ, & Regni ſucceſſore agitur, nulla de Iohanan primogenito, ad quem Regnum attinére videbatur, mentio geritur. An quia obiit antè patrem: ideóq; primogenitura ad ſecundo-genitum Ioakim tranſiit? Ita planè, ſed ad diderim ex Antiquioribus, Iohanam in bello contra Ægyptios cum patre fuiſſe occiſum. * Vt Iohanæ: hinc fortitudinẽ, ingenuitatémque rimari poſſis, qui à paterno noluit latere ſeparari. Quanto Regni ſupplicio Iohanan pio parenti non ſucceſſit!] Secundus Ioakim ætate erat, ſed illum in Regno præceſſit Sellum, qui hîc quarto loco annumeratur, vt patet *Jere.* 22.11. qui alio nomine Ioachaz dicebatur. 4. *Reg.* 23.30. itémque Iechonias 3. *Eſd.* 1. Hic cũ toto biennio iunior eſſet Ioakimo, prælatum tamen à populo fuit ob cauſam 4. *Reg.* 23.30. expreſſam. Nempè vigeſimum quintũ ætatis annũ agebat Ioahim, cùm Toachaz, ſeu Sellum ſub idem tempus non ageret niſi vigeſimũ tertium. Omnium iunior erat Sedecias: nam inchoante Regnum Ioachimo iam vigintiquinque annorum, ipſe non niſi decimum exceſſerat annũ ætatis: nàm vndecim poſt annis cùm ſuccederet Ioakimo, loco filij eius Ioachini, non erat niſi viginti & vnius annorum, 4. *Reg.* 24.18. Cur ergo Sedecias (qui etiam dictus eſt *Mathanias*) *tertius* eſſe Ioſiæ filius dicitur? Quia filiorum numerus exprimitur, non ætatis ordo exponitur. Profectò de Ioakimo orti fuere *Iechonias*, ac *Sedecias.* tam *Eliacim*, ſiue *Joakim* filius Ioſiæ, quàm huius filius Ioachin *Iecloniæ* nomine *à Matth.c.* 1. comprehenditur. Verùm enim, vt tota hæc filiorum genealogia intelligatur, vnico verbo inculco. Ioſias Rex genuit *Iohanan, Eliacim,* qui etiam dictus eſt Ioakim, & Iechonias) *Sedeciam*, (qui etiam dicitur Mathanias) *Sellum*, (qui etiam Ioachaz.) Porrò Ioakim (qui dicitur etiam Iechonias) ſuſcepit *Iechoniam*, & *Sedeciam.* Vnde patet Ioakimum fratrẽ habuiſſe, qui appellatus fuerit ſedecias, & etiam eiuſdem nominis filium. Regnarunt autem Ioſiæ filij hoc ordine. Præmortuo Iohanam Sellum, ſiue Ioachaz Regnum inuaſit, huic ſucceſſit Ioakim, ſeu Eliecim; Ioakimo verò Ioachim filius Ioakimi, Ioachino autem Sedecias Ioſiæ filius.

3. Dauidis poſteri ex Salomone, vſque ad Iechoniam.

Commendatur filius ſimul cum patre in bello occumbens.

Verſ. 17.18.19.20.21.22.23.24.] Filij Iechoniæ fuére : *Aſir Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneſer, Iecemia, Sama,* & *Nadabia.* Verum de Phadaia orti ſunt *Zorobabel*, & *Semei.* Hic Zorobabel dicitur *Mat.* 1.12. fuiſſe filius Salathiel. Salathiel autẽ genuit *Zorobabel*: Quomodo ergo in præſenti aſſeritur eſſe Phadaia filius? Quia vtroq; nomine Salathiel vocitabatur, quod frequens eſſe ſacris in literis iam ſæpè vidiſti; & proximè in filiis Ioſiæ, de quorum variis nominibus diſſerui. Zorobabel igitur filius Phadaia, ſeu Salathielis generauit *Moſollam, Hananiam,* & *Salomich* eorum ſororem: necnon *Haſabeen, Ohol, Barachiã, Haſadian,* & *Iobheſed*: quinq; ſcilicet

4. Salomonis filij Dauidis poſteri à Iechonia vſq; ad Elioënai ſeptem filios.

ſcilicet filios præter tres, quos primùm recenſuit Moſollam, Hananiam, & Salomich. Filius autem Hananiæ fuit *Phaltias*, pater quidem Ieſeiæ, qui genitor fuit *Raphaia*. Hic fuit parens *Arnan*, è quo ortus eſt *Obdia*, cuius natus *Sechenias* extitit. Profectò Sechenias ſuſcepit *Semeiam*: cuius filij *ſex numero* fuére: ſcilicet *Hattus, Iegaal, Baria, Naaria, & Sephat*. Vndénam *ſex numero*, ſi ſolummodo quinque annumerantur? Exponit Menochius, computari etiam patrem, quia alioqui eſſent ſolùm quinque. Non placet, quia de ſolo filiorum numero agitur, & quotiens hiſce in catalogis aſſignatur numerus filiorum, de ſolis filiis verificari vidimus. Alij poſt *Sephat* addunt & *Seſa ſex numero*. Porrò Seſa Hebraïcè ac Græcè non eſt, ac ne in Vulgata quidem Romana. Sed illo expuncto, Senarius filiorum Semeiæ numerus non conſtabit. Crediderim ſex quidem extitiſſe Semeiæ filios, factam autem non fuiſſe mentionem nominis ſexti, vel quia ante impoſitionem nominis recens natus obiuit, aut quia aliquo ex capite contemptibilis fuit. Horum quidem Naarias procreauit *Elioënai, Ezechiam, & Ezricam*, tres ſcilicet. Elioënai verò ſeptem natos habuit, nempe *Obuia, Eliaſub, Pheleia, Accub, Iohanan, Dalaia, & Anani*. Quæſierim, quonam modo Iechonias dicitur hîc parens fuiſſe Salathielis, & tot inſuper aliorum filiorum, cum Ierem. 22. 30. *Vir ſterilis* vocitetur? Exiſtimo, ſterilem fuiſſe non reſpectu omnis prolis, aut ſeminis (nam ibidem *verſ.* 28. dicitur ipſe & ſemen eius proiecti in terram Babylonis) ſed reſpectu prolis Regiæ, & ſeminis Regalis, quod Regnum obtineat paternum. * Filium quidem, qui à patris cadit gloria, virtute, dignitate, quaſi minimè natum exiſtima. Sterilis ille parens eſt, cuius filij licèt innumeri ab eius decidunt dignitate.] Sic ſeſe explicat ibidem Ieremias, cum dicit, ita ſterilem futurum, vt non ſit *de ſemine eius* futurus vir, qui *ſedeat ſuper Solium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda*. Accuratiore expoſitione indiget illa verſ. 19. particula: *De Phadaia orti ſunt Zorobabel, & Semei. Zorobabel genuit Moſollam*. Hic Zorobabel non eſt ille, qui *Mat.* 1. recenſetur in genealogia Chriſti, ſed patruelis illius: nam iſte genitus eſt ex Salathiele, vt ibidem dicitur: hic verò ex Phadaia fratre Salathielis. Niſi malis dicere, vnum eumdémque natura fuiſſe filium Phadaiæ, adoptione Salathielis: cuius, eo quod ſterilis eſſet, nulli hîc filij recenſentur. Sed tunc conſequenter cogemur aſſerére. Aliquem filiorum Zorobabelis, qui hoc & ſequenti verſu recenſentur, cognomen habuiſſe *Abiud*, nam hic *Matt.* 1. inter progenitores Chriſti ponitur filius Zorobabelis. Quod de Hanania ſuſpicantur aliqui, eo quod inter omnes Zerobabelis filios huius ſolius poſteri hîc annotentur. Sed malim priori adhærere ſententiæ, qui duos Zorobabeles diſtinguit.

* *Quaſi ſterilis tibi ſit ille parens, licet multos habuerit filios, ſi hi filij ab eius decidunt dignitate.*

CAPVT IV.

Patriarcharum Iudæ, ac Simeonis poſteri recenſentur: eorumdémque victoriæ, præclaráque geſta memorantur.

1. FILII Iuda: Phares, Heſron, & Charmi, & Hur, & Sobal. 2. Raia verò filius Sobal genuit Iahath, de quo nati ſunt Ahumal & Laad. hæ cognationes Sarathi. 3. Iſta quoque ſtirps Eram Iezrahel, & Ieſema, & Iedeos. Nomen quoque ſororis eorum, Aſalephuni. 4. Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hoſa. iſti ſunt filij Hur primogeniti Ephrata patris Bethlehem. 5. Aſſur verò patri Thecuæ erant duæ vxores, Halaa, & Naara. 6. Peperit autem ei Naara Oozam, & Hepher, & Themani, & Ahaſthari. iſti ſunt filij Naara. 7. Porrò filij Halaa, Sereth, Iſaar, & Ethnan. 8. Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationem Aharehel filij Arum. 9. Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus ſuis, & mater eius vocauit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum in dolore. 10. Inuocauit verò Iabes Deum Iſraël, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi. Et præſtitit Deus quæ precatus eſt. 11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Eſthon. 12. Porrò Eſthon genuit Bethrapha, & Pheſſe, & Tehinna patrem vrbis Naas: ſunt viri Recha. 13. Filij autem Cenez, Othoniel, & Saraia. Porrò filij Othoniel, Hatath, & Maonathi. 14. Maonathi genuit Ophra, Saraia autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant. 15. Filij verò Caleb filij Iephone: Hir, & Ela, & Naham. Filij quoque Ela: Cenez. 16. Filij quoque Ialeleel: Siph, & Zipha, Thiria, & Aſraël. 17. Et filij Ezra, Iether, & Mered, & Epher, & Ialon, genuítque Mariam, & Sammai, & Iesba patre Eſthamo. 18. Vxor quoque eius Iudaia, peperit Iared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Ioutbiel patrem Zanoë. hi autem filij Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered. 19. Et filij vxoris Odaiæ

ſororis Naham patris Cella: Garmi,& Eſthamo qui fuit de Machati. 20. Filij quoque Simon: Amnon,& Rinna filius Hanan,& Thilon. Et filij Ieſi, Zoheth, & Benzoheth. 21. Filij Sela, filij Iuda: Her pater Lecha,& Laada pater Mareſa,& cognationes domus operantium byſſum in domo iuramenti. 22. Et qui ſtare fecit Solem, viríque Mendacij, & ſecurus, & Incendens, qui principes fuerunt in Moab,& qui reuerſi ſunt in Lathem. hæc autem verba veteta. Hi ſunt figuli habitantes in plantationibus, & in ſepibus, apud regem in operibus eius, commoraríque ſunt ibi. 24 Filij Simon: Namuel & Iamin, Iarib, Zara, Saul. 25. Sellum filius eius, Mapſam filius eius, Maſma filius eius. 26. Filij Maſma: Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei filius eius. 27. Filij Semei ſedecim, & filiæ ſex: fratres autem eius non habuerunt filios multos, & vniuerſa cognatio non potuit adæquare ſummam filiorum Iuda. 28. Habitauérunt autem in Berſabee,& Molada, & Haſarſuhai. 29. & in Bala, & in Aſom, & in Tholad, 30. & in Bathuel, & in Horma, & in Siceleg, 31. & in Bethmarchaboth, & in Haſa-ſuſim, & Bethberai, & in Saarim. hæ ciuitates eorum vſque ad regem Dauid. 32. Villæ quoque eorum: Etam,& Aën, Remmon, & Thochen, & Aſan, ciuitates quinque. 33. Et vniuerſi viculi eorum per circuitum ciuitatum iſtarum vſque ad Baal: hæc eſt habitatio eorum, & ſedium diſtributio. 34. Moſobab quoque & Iemlech. & Ioſa filius Amaſiæ. 35. & Ioël, & Iehu filius Ioſabiæ filij Saraiæ filij Aſiel, 36. & Eliœnai, & Iacoba, & Iſubaia, & Aſaia, & Adiel, & Iſimiel, & Banaia, 37. Ziza quoque filius Sephei filij Allon filij Idaia filij Semri filij Samaia. 38. Iſti ſunt nominati principes in cognationibus ſuis, & in domo affinitatum ſuarum multiplicati ſunt vehementer. 39. Et profecti ſunt vt ingrederentur in Gador vſque ad Orientem vallis, & vt quærerent paſcua gregibus ſuis. 40. Inuenerúntque paſcuas vberes, & valdè bonas, & terram latiſſimam & quietam & fertilem, in qua antè habitauerant de ſtirpe Cham. 41. Hi ergo venérunt, quos ſuprà deſcripſimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Iuda: & percuſſérunt tabernacula eorum, & habitatores qui inuenti fuerant ibi, & deleuérunt eos vſque in præſentem diem: habitauerúntque pro eis, quoniam vberrimas paſcuas ibidem reperérunt. 42. De filiis quoque Simeon abiérunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phalthiam & Naariam & Raphaiam & Oziel filios Ieſi: 43. & percuſſérunt reliquias, quæ euadere potuerant, Amalecitarum, & habitauérunt ibi pro eis vſque ad diem hanc.

COMMENTARII.

1. Poſteri Iudæ vſq; ad Halalæ vxoris Aſſur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.] Iuda *filij* ac nepotes fuére: *Phares, Heſron, Charmi, Hur, & Sobal.* Nomen *filij* in his Capitibus non ſemper propriè ſumitur, ſed ſæpè pro poſteris; nam Eſron nepos fuit Iudæ, Charmi pronepos,& ſic de cæteris. Crediderim illam particulam, *Filij Iuda* potiùs ad Tribum omnem Iudaïcam, quàm ad perſonam Patriarchæ Iudæ eſſe referendam; immediatior enim Iudæ poſteritas iam *Cap* 2. expreſſa fuit: ſi autem ſpeciatim ad Patriarcham referenda eſſet; Sacer ſcriptor diceret, *Filij Iudæ*, non *Filij Iuda.* Tantùm intendit hîc textus connumerare, quinam ex quaque familia omnium Tribuum inſignes extiterint, ſeu virtute, ſeu prolixa poſteritate. Horum quinque Iudæ nepotum Sobal *Raiam* ſuſcepit, hic verò *Iahath*, de quo oborti fuére *Ahumai*, & *Laad*: hæc ſunt Sarathi *cognationes*, id eſt, ab hiſce propagatæ ſunt cognationes, ſeu familiæ Sarathitarum. *Iſta quoque*, quæ ſequitur, *Etam* ſtirps extitit: *Iezrahel, Ieſema, Iedebos*, & eorum Soror, cuius nomen *Aſalephuni.* Potrò *Phanuël pater*, ſeu Princeps *Gedor*, quæ eſt Ciuitas Tribus Iuda in ſorte Dan: & *Ezer pater* ſiue Princeps *Hoſa* fuerunt filij *Hur* primogeniti *Ephrata, patris* ſeu Principis Bethlehem. Cap. 2. 20. Sacer ſcriptor Hur eidem dedit filium *Vri*, qui fuit pater Beſeleel. Hîc adiungit illi duos filios. Porrò Hur *pater Bethlehem*, ſiuè Princeps vocatur, quia eam à matre Ephrata accepit, ſeu ab ipſo Salma, qui Cap. 2. 51. *Pater* ſeu Princeps Bethlehem vocatur. Rurſus Hur primogenitus matris Ephrata hîc appellatur, quia Caleb pater ex Azuba priori vxore alios filios ſuſceperat. Verùm *Aſſur* patri ſiue Principi *Thecuæ* erant duæ vxores *Halaa*, & *Naara.* Quæ ſieris, cuiuſnam filius fuerit Aſſur? Fuit filius Heſron ex Abia vxore Cap. 2. 24. Verùm Naara peperit *Oozam, Hepher*, & *Themani.* Halaa verò enixa eſt *Sereth, Iaar*, & *Ethnan.*

2. Poſteri Iudæ à Cos vſque ad habitatores Oppidi Recha.

Verſ. 8.9.10.11.12.] Profectò Cos procreauit *Anob, Soboba, & cognationem Aharehel filij Arum.* Id eſt, Cos filius Ethnan tertij ex Haala filij, pater fuit *Anobi, Sobabi*, & familiæ dictæ Arahel, quæ proceſſit à Cos ex alio filio eius, nomine *Arum.* Itaque Cos genuit *Anob, Sobab*, & *Arum*, qui quidem ex probabili, (quàm ſequor) ſententia fuit pater *Iabes.* Hic profectò Iabes fuit inclytus præ fratribus ſuis. Mater autem eius *Iabes* illum vocauit, dicens: *Quia peperi eum in dolore.* Iabes igitur *dolorem* ſignificat, quo nomine voluit filium mater vocari, eo quod exquiſitiſſimis doloribus partus illum eſſet enixa. Quis hîc Iabes fuerit? non conſtat, ſed neque quis pater illius, quis auus. Solùm conſtat, ex poſteris Iuda

da fuisse, ac præ contribulibus suis inclytum, seu præillustrem. Probabiliùs autem mihi asseruit fuisse filium Arum, fratrem Aharelis *vers.* 8. & Othonielis *vers.* 13. neporem Cos, de quo supra *vers.* 8. * Rarò videris labores, dolores, & ærumnas steriles esse. Mater Iabes dum illum parit, diriter excruciatur, sed filium præ contribulibus peperit inclytum.] Iabes ergò Deum Israël inuocauit hac formula vouens: *Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus mea tecum, & feceris me à malitia non opprimi.* Votum verò, quod emisisse verba indicant, non exprimitur. Subintelligendum itaque, *Hoc, aut illud faciam.* Cur non expressit sacer scriptor? sicut votum Iacobi: *Vouit etiam votum dicens: si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via &c. erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. 20. Debebat ergò Iabes hoc modo concludere. *Si benedicens benedixeris mihi, &c. eris mihi in Deum*, id est, te peculiari affectu, ac reuerentiâ colam. Quare igitur votum non exprimitur? * Certè quia post accepta beneficia nihil expressiùs nobilissimo ex Regia Tribu viro, quàm totum se Domino consecrare; vndè necessum non fuit verbis exponere. Qui ergò petit & accipit quasi otiosè promittitobsequium; illud enim ipsum accepisse quod postulat, idem est ac promittere præstandum gratitudinis, ergò seruitium.] *si benedicens* (inquit) *benedixeris mihi* id est, si benedictionibus me cumulaueris: *si dilataueris terminos meos*, id est, si auxilio tuo iueueris, vt possessionis meæ fines proferre, ac dilatari possim: *& fuerit manus tua mecum:* id est, si me protegere digneris. Denique *si feceris me à malitia non opprimi.* Hebr. *Et feceris à malo* liberari, *vt non contristet me.* Hebræus quidam, *si feceris signum, seu miraculum, ne vnquam malum me ledat:* Dubitas, an postulet à malis animi, an à malis corporis liberari? Verosimiliùs est, petiisse à corporis incommodis præseruari: ideò addidit, *si feceris signum, seu miraculum.* * Tot enim sunt corporea hominibus imminentia mala, vt solùm ex miraculo possit quis ab eis omninò eripi.] * Crediderim tamen probabiliter, Iabes ab animi malis, seu criminibus petiisse præseruari, quia addit Sacer scriptor, eum consequutum fuisse petitionis effectum. Nec enim Deus iustis concedit, quæ consecuta nocent. Nihil autem magis absonum saluti æternæ consequendæ, quàm procurare, te ærumnis corporeis non affligi. Iusto enim agnatæ solent esse tribulationes.] Addo, Iabes commendabilem ex hoc voto, ac petitione Patribus exponi. At minimè deberet commendari, si pereret seruari ab ærumnis; vincere enim non vult, qui à certamine fugitat.] * Petit ergò, *à malitia non opprimi.* Hoc ex capite tam obæratus Numini redditur homo, vt id debeat semper specialissimo colere affectu. Supremum enim beneficiorum est, hominem ab omni crimine liberari.] * Premo autem particulam, *à malitia non opprimi.* Certè peccator à suo-met scelere opprimitur; cunctarum enim ærumnarum oppressio à criminibus ducit exortum.] *Et præstitit Deus* Iabes, *quæ precatus est.* * Optata consecutus est, voti enim emissio, dum precibus adiungitur, Deum efficaciùs ad elargienda munera excitat.] Caleb autem, *frater sua* genuit *Machir*, qui fuit Pater *Esthon.* Vulgata Regia habet, *Caleb pater sua*: neque videtur is esse, qui post vocatur Caleb filius Iephone. Quis autem Caleb huius pater? Crediderim esse Iabes, de quo immediatè Sacer scriptor gessit mentionem. Porrò Machir *pater Esthon*, vocitatur, viri scilicet, non Vrbis; quoniam mox dicitur Esthon, genuisse filios. Porrò Esthon suscepit *Bethrapha, Phesse*, & *Thehna patrem* seu Principem Vrbis Naas: *Hi sunt viri Recha*, id est horum trium filiorum Esthon familiæ Oppidum Recha incoluerunt.

Labores & ærumnæ steriles non sunt.

Quasi necessarium nobili viro accipienti à Deo beneficia, ei speciali iure seruire.

Tot sunt hominis imminentia mala, vt velut miraculū sit, ab eis omnino eripi.

Deus iusto nō cōcedit, à laboribus liberari, qui ad Salutem conducunt.

Dedecet iustum, patere laboribus non affligi: nec enim vult vincere, qui à certamine fugitat.

Qui liberatur à Deo, ne delinquat, sub premo afficitur beneficio. Peccator suo scelere opprimitur.

Voti emissio adiuncta precibus efficaciùs impetrat à Domino.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.] Filij autem Cenez fuére *Othoniel*, & *Saraia*, Hunc Cenez patrem Othoniel, & Caleb fuisse existimo, tùm quia Caleb Cenezeus vocatur, *Ios.* 14. 14. Tùm quia Othoniel frater Caleb iunior fuit *Ios.* 15. 17. Sed quare Caleb Iephone filius vocitatur? Fortassè sic dicitur ab aliquo auorum, cuius possessionem tenuit; vel vno ac altero nomine insigniebatur. Porrò. Othoniel hosce habuit filios: *Hatath*, & *Maonathi* parentem *Ophra* Saraia autem frater Othonielis genuit *Ioab patrem*, seu Principem *Vallis artificum*, Valis, inquam, ex qua aliquod genus artificum prodire solebat. Quodnam verò genus artificij exercerent, colligere ex Scriptura non potui; solùm addit Textus: *Ibi, quippe artifices erant.* Attamen dum vocem Hebraicam חרש *Haras* premo, video fabros in genere significare, exposuerim ferrarios, lignarios, lapicidas. Caleb autem filius Iephone seu Cenez. Frater autē Othonielis & Saraiæ hos filios suscepit: *Hir, Ela*, & *Naham.* Quorum Ela procreauit *Cenez.* Hic à proauo patre Calebi, Othonielis, & Saraiæ nomen Cenez accepit. Dicitur autem, *Filij quoque Ela Cenez*, cum solummodò vnicus filius exprimatur, pro singulari accepto, vt non semel hisce in catalogis vidisti. Monuerim, Caleb filium Iephoni vocitari vt distinguatur à Caleb filio Esron, de quo dictum fuerat *Cap.* 2. 18. Filij quoque *Iaaleel* (puto esse filium Cenez) fuére: *Siph. Zipha, Thiria*, & *Asrael.* Et filij *Ezra* (existimo esse Asrael filium) extitére: *Iether, Mered*, & *Ialon*, necnon Ezra genuit: *Mariam, Sammai*, & *Iesba* patrem. *Esthamo.* Male hîc quidam, pro *genuit, peperit* vertunt; nam תחר *Tahar* est in *Hiphil*, significátque fecit concipere, seu *parere*, quod gignere est. Porrò *Maria* hæc non fuit Mosis soror, sed alia fœlix quidem, quæ Deiparentis futuræ nomine meruit honorari. *Vxor quoque eius Iudaia*, peperit *Iared* patrem *Gedor*, & *Heber* patrem *Socho*, & *Ienthiel* patrem *Zanoe.* Cuiusnam Iudaia hæc fuerit vxor? Alij dicunt vxorem *Calebi.* Alij vxorem Esthamo, quem proximè nominauit Sacer textus. Putarim fuisse Ezra vxorem, vsúmque fuisse Scriptorem Sacrum phrasi illa: *Vxor quoque eius peperit*, ad orationis in vasta generationum abyssō varietatem. Hi autem filij *Bethiæ*, quam quidem Pharaonis filiam Mered filius Ezra accepit vxorem. Quinam autem sunt filij Mered & Bethiæ? Certè tres superiores, quos Ezra & Iudaiæ filios dixit. Quomodò ergo si sunt filij Ezra & Iudaiæ, filij etiam Mered & Bethiæ vocitantur. Quia Mered & Bethia fuére parentes eorum non naturâ, sed adoptione. Vnde Mered etiam Ezræ filius & Bethiæ maritus fratres suos minores adoprauit.

3. Reliqui Iudæ posteri.

Glos debet sic amare Leuires, ac si mater esset illorum.

* Englos Bethiaamandi Leuiros impertit exẽplum, dum eos in filios adoptat. Fratres enim mariti sic diligendi à Fratria, ac si eos ipsa peperisset.] Bethia verò Pharaonis filia nupsit Mered non Regi; nam Reges filias suas aliquandò nuptui dant non Regibus, sed viris primariis, qualem Mered extitisse non dubito.

Reges filias decentissimè dant subditis primarijs in coniugium.

* Vt Reges ediscant haud anxiæ filiabus suis Reges quæritare maritos, dum Principes habeant à proximo subditos, quorum familias deberent Regio sanguine purpurare.] Porrò Mered alia habuit vxorem nomine Odaiam, ex qua sorore quidem Naham patris Ceila, Mered suscepit duos filios, nempe *Garmi*, & *Esthamo*, qui fuit de Machati. Duo ergo hi sunt naturâ filij Mered, alij adoptione. Filius quoque Simon fuit *Amnon*. Non est hic Simon Princeps & caput Tribus Simeonis, sed alius quidam de Tribu Iuda. Filij autem Rinna extitére *Anan*, & *Thon*. Filij verò Iesi, *Zoheth*, & *Senzoheth*. Hactenus Iudæ posteros ex Phares priùs, deinde ex Zare, seu Zaran Sacer textus expositi: nunc posteros eiusdem ex Sela, quem Iudas ex matre Chananæa susceperat, recensет. Sela ergo filius Iudæ genuit *Her patrem*, siue Dominum Lecha: & *Laada* patrem, seu Dominum *Maresa*, *& cognationes domus operantium byssum in domo iuramenti*, id est, genuit eos filios, qui extitére capita familiarum, seu domorum illarum, quæ in operibus ex byssо excelluérunt, & hoc peculiariter coluérunt artificium. * An non aptiùs ad eorum honorem, aut famam nomina exprimerentur? Minimè; celebriores enim ex artificij præstantia, quàm ex nomine exponuntur. En sanguis Regius Iudæ ex nendi præstantia nobilitatur.]

Sanguis Regius nobilitatur ex præstantia artificij.

Non dedecet primo principes fœminas, volato fuso, fila ducere.

* Ergò non dedecet Principes fœminas voluto fuso fila deducere.] Quid, *In domo iuramenti?* Videtur esse nomen loci. Vnde Vatablus, & alij vocem Hebraïcam tanquam nomen proprium retinuére, בית העצבים *in domo Asbeath.* Etiam ad filios posterósque Selæ pertinet *Qui stare fecit solem, virique mendacij, & incendens, qui Principes fuerunt in Moab.* Hoc versiculo aliquorum interpretatio pro ipsis nominibus ponitur. Pagninus sic vertit: *Et Iochni, & viri Chozebah, & Ioas, & Seraph, qui dominati sunt in Moab.* Necnon posteritati Selæ addicuntur *qui reuersi sunt in Lahem*, id est, (Varabo interprete) *Iasubi Lehem. Hæc autem verba vetera.* LXX. hîc etiam nomina propria agnoscunt: nam habent, *Et reduxit eos Abederim Athucym.* Hi sunt *figuli*, (id est, hæ cognationes artem figulinam exercuérunt) *habitantes in Plantationibus, & in Sepibus, apud Regem in operibus eius, commoratique sunt ibi.* Plantationes, & Sepes sunt propriorum nominum interpretationes. Vnde LXX. habent: *Habitantes in Atharim, & in Gadira.* In textu etiam latino emendato Romæ edito vox Plantationibus & Sepibus literis initialibus mainsculis scribuntur, vt nomina esse propria intelligatur, Ego autem ab hac multorum interpretatione recedens, faciliùs locum expendam. In Hebræo enim Sic textus scribitur: *Hi sunt figuli, & habitantes in plantationibus, & sepibus apud Regem in operibus eius.* Igitur è posteris selæ fuére figuli, qui è luto fingebant domestica: & etiam habitationes in plantationibus, & sepibus apud Regem Hebræorum, qui erat eo tempore, in opere eius, commorantes ibi. Ac si diceret: E posteris sela sunt, qui in hortis Regis versantur, eósque colunt. Ita alij à figulis. Fateor Selæ posteritatem ænygmaticè expositam. Ideò duxi necessarium, vberiùs aliquas enodare particulas. Igitur, *Qui stare fecit solem*, significatio est nominis proprij *Iockim. Viri Mendacis*, pro viris Oppidi *Cozeba* sumitur. *Securus*, & *Incendens Ioas* & *Seraph*, significant. Hi autem omnes fuére Principes ex posteris Iudæ per Selam propagatis, qui peregrinati fuérunt in Moabitica regione fortè cum Elimelech & Noëmi Ruth 1. occasione famis in Iudæa: sed reuersi sunt postea in *Iahem*, seu Bethlehem. Nam Hebræi sæpe partem alteram nominum propriorum abiiciunt, vt vidimus suprà *cap.* 29. *Ram* pro *Aram*. Et Ruth 1. vbi Noëmi & Ruth simili modo reuersæ dicuntur in *Bethlehem*, Hebraicè est, in *Iehem*. Ex his clarissimè patet, fabulosum esse, quòd Abulensis Lyran. & alij ex Hebræorum somniis tradunt, ad preces Elimelechi, vt suos Bethlehemitas conuerteret stetisse solem, vt tempore Iosuë steterat. Nam *Iockim*, nomen proprium est, & significat *stare fecit*, sed non *solem*, cuius neque mentio est in Hebræo: neque iudicarim, ad Latinum adiungi debere. Forsitan ab aliquo sciolo ad marginem primò, deindè etiam in textum fuit insertum. Certum, de Elimelecho nullam hîc mentionem esse, vbi de quatuor illis agitur, qui è Moabitide in Bethlehem fuére reuersi. Atqui constat ex Ruth 1. Elimelechum in Moabitide esse vita functum, neque vnquam in Bethlehem reuertisse.

Verſ. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33.] Simeonis Iacobi filij suæ Tribus Principis hi posteri extitére: Eius filij: *Namuel*, (Gen. 46. 12. *Iamuel* dicitur) *Iamin, Ierib, Zara, Saul.* Filius eius *Sellum*, *Mapsam* filius eius, natus eius *Masma*. Igitur post Iudæ posteros, Simeonis ponuntur, quæ illæ duæ Tribus iunctæ erant. Simeonis Tribui data Terræ pars, quæ Iudæ antea data fuerat. De filiis Simeonis *Gen.* 46. & *Num.* 26. neque omnino in specie consona cum *his*, quæ hîc dicuntur: nempè quoniam idem plura nomina habuit, & hîc supplentur aliis locis omissa. Simeon itaque (attende) pater fuit *Namuelis, Iamini, Iaribi, Zaræ, Saulis. Filius Saulis Sellum*, filius sellium *Mapsam*, filius Mapsam *Masma*. Porrò Ierib filij Simeonis non meminit Sacer textus *Gen.* 46. fortassè idem est cum *Soar*, cuius hîc nulla est mentio. Semei autem sedecim filios, sexque filias suscepit: *Fratres autem eius*, id est, filij Simeonis & posteri multos non genuére filios: vniuersáque cognatio vberrimam Tribus Iudæ prolem non potuerunt æquare. Non solum vniuersa Simeonis Tribus pauciora numerauit capita, quàm Tribus Iuda; imo nè alias Tribus æquauit: vt patet in duplici populi sensu, altero *Num.* 1. 22. altero. *Cap.* 26. 14. * Vndenam exístimas Simeonis progeniem reliquis Tribubus minorem extitisse? Crediderim ex Principis iniquitate, *Simeon & Leui* (ait Iacob) *vasa iniquitatis bellantia. Gen.* 49. 5. Iniquitas dominorum familiæ, eam assolet reddere sterilem. Aliquos vidi coniuges de sterilitate querulos, & tamen iniquitati operam dantes. Rarò multis posteris stipatur iniquus.] Tribus autem huiusce filij habitauérunt in *Bersabee, Molada,*

4. Simeonis posteri recensentur.

Familia sterilitas ex iniquitate dominorum eius assolet promanare.

Molada, Hasarsuhal, Bala, Asom, Tholad, Bathuel, Horma, Siceleg, Bethmarchaboth, Hasarsusim, Bethberai, & Saarim. Hæ quidem eorum fuére Vrbes ad habitaculum, vsque ad Regis Dauidis tempora. Porrò hæc particula, *vsque ad Regem Dauid*, additur propter Vrbem *Siceleg*, quæ cum esset in Simeonis sorte, facta tamen est Regum Iuda, vt vidisti 1.*Reg.*27.6. Villæ quoque eorum fuére: *Etam, Aën, Remmon, Thochen, & Asan Ciuitates quinque.* Cur Villas vocitat priùs, & mox asserit esse Ciuitates? Vocantur Villæ, quoniam minores erant prioribus, sed Ciuitates erant disiunctæ à prioribus, & in iure Tribus Simeonis semper mansisse videntur. Et vniuersi Viculi per circuitum Ciuitatum istarum vsque ad *Baal* seu *Balaath*, (quæ Ciuitas in Tribu Simeonis etiam adest) eorum ditioni subiacent. *Hæc est habitatio eorum, & sedium distributio. Hebr. & genealogia eorum*, quæ quidem mox sequitur.

5. Reliqua Simeonis posteritas.

Vers. 34.35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.] Primores ergo Tribus Simeonis extitére: *Mosobab, Iemlech, & Iosa* Amasiæ filius. Item *Ioël, & Iehu*, filius Iosabiæ, filij Saraiæ, filij Asael. Necnon *Elioënai, Iacoba, Isuhaia, Asaia, Adiel, Isimiel, & Banaia. Ziza* quoque filius Sephei filij Allon filij Idaia filij Semri filij Samaia. Hi sunt itaque *nominati* siue illustres Principes in cognationibus suis: *& in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer*, comparatione quidem aliarum familiarum Tribus Simeonis. Hebr. *In domo patrum*, LXX. *Familiarum in domo, Principes isti sunt* Hi ergo Principes Tribus Simeonis profecti sunt, vt ingrederentur in Gador, (quæ etiam *Gedor*, dicitur, & est Vrbs in Tribu Iuda) vsque ad *Orientem vallis*, id est, vsque ad Orientalem Vallis plagam, vt gregibus suis pascua quærerent. Et inuenerunt agros graminibus vberes, pascua optima, plagam latissimam, quietam, plenam fertilitate, in qua posteri Cham habitauerant, antequàm à Simeonitis exturbarentur. Hi ergò, quos suprà nominatim descripsimus, *venerunt in diebus Ezechiæ Regis Iuda, & percussérunt*, siue *solo aquarunt tabernacula filiorum Cham*, id est, domos, vel tentoria, in quibus more pastorum habitabant: & habitatores, qui, inibi reperti sunt occidérunt, deleuerúntque eos, *vsque in præsentem diem*, siue vsque ad tempus, quo hæc ab Esdra scribebantur. Extinctis autem primis incolis, terræ illius pro eis facti fuérunt habitatores, quoniam copiosis gregibus suis, vberrimas inibi pascuas reperérunt. Profectò de Simeonis Tribu quingenti viri forres abiére *in montem Seir*, id est, in Idumeam sub Principibus seu Ducibus Phalthia, Naaria, Raphaia, & Oziel filiis Iesi. Quandonam hæc acciderint? Ex Scriptura non habemus. Crediderim eodem Regis Ezechiæ tempore, hanc fuisse contra Amalecitas susceptam expeditionem. Igitur reliquias, quæ euadere potuerant Amalecitarum, id est, quæ Saulis, Dauidis, & aliorum Regum manus euaserant, & in montanis Seir adhuc habitabant. Verùm Amalecitarum regio est ferè ad Idumææ Meridiem, cui per desertum coniungitur. Illis denique de medio sublatis, ibi vsque in hanc diem pro eis inhabitarunt. Cum itaque Simeonitæ sentirent se nimis angustis arctari finibus, Chananæis è vicinia, vbi hactenus substiterant, & de monte Seir Idumæis vi submotis, eorum Vrbes, & agros, & pascua sibi vindicarunt Regni Ezechiæ initio, sed amplificatis, ita finibus non diù vti potuérunt. Anno enim sexto Regni Ezechiæ capta Samaria, Tribus Simeonis cum reliquis nouem Israëlitarum Tribubus captiua in Assyriam abducta est. 4.*Reg.*17.6. * Et quisnam, precor, diu pacificè potitus est, domo, vel sede, à qua proximum exturbarit?]

Nemo potitus est diu Sede à qua proximè exturbauit.

CAPVT V.

Describuntur posteri Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manasse. Qui etiam Ismaëlitas expulére propriis è sedibus. Ioathan Regis Iuda tempore: sed tandem ob idololatriam ab Assyriis in captiuitatem fuérunt abducti.

1. ILII quoque Ruben primogeniti Israël (ipse quippe fuit primogenitus eius: sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph, filij Israël, & non est ille reputatus in primogenitum. 2. Porrò Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Ioseph.) 3. Filij ergo Ruben primogeniti Israël: Enoch, & Phallu, Esron, & Carmi. 4. Filij Ioël, Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, 5. Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, 6. Beera filius eius, quem captiuum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, & fuit princeps in Tribu Ruben. 7. Fratres autem eius, & vniuersa cognatio eius, quando numerabantur per familias suas, habuérunt principes, Iehiel & Zachariam. 8. Porrò Bala filius Azar, filij Samma, filij Ioel, ipse habitauit in Aroër vsque ad Nebo & Beelmeon. 9. Contra Orientalem quoque plagam habitauit vsque ad introitum eremi, & flumen Euphraten. Multum quippe iumentorum numerum possidebant in Terra Galaad. 10. In diebus autem Saul præliati

liati sunt contra Agareos, & interfecérunt illos, habitauerúntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad. 11. Filij verò Gad è regione eorum habitauérunt in Terra Basan vsque Selcha: 12. Ioel in capite, & Saphan secundus: Ianai autem, & Saphat, in Basan. 13. Fratres verò eorum secundùm domos cognationum suarum, Michaël, & Mosollam, & Sebe, & Iorai, & Iachan, & Zie, & Heber, septem, 14. Hi filij Abihail, filij Huri, filij Iara, filij Galaad, filij Michaël, filij Iesesi, filij Ieddo, filij Buz. 15. Fratres quoque filij Abdiel, filij Guni, principes domus in familiis suis. 16. Et habitauérunt in Galaad, & in Basan, & in viculis eius, & in cunctis suburbanis Saron, vsque ad terminos. 17. Omnes hi numerati sunt in diebus Ioathan regis Iuda, & in diebus Ieroboam regis Israël. 18. Filij Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tẽdentes arcum, eruditíque ad prælia, quadraginta quatuor millia & septingenti sexaginta procedentes ad pugnam. 19. Dimicauerunt contra Agareos: Ituræi verò, & Naphis, & Nodab, 20. præbuérunt eis auxilium. Traditíque sunt in manus eorum Agarei, & vniuersi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur: & exaudiuit eos, eò quòd credidissent in eum. 21. Ceperúntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum centum millia. 22. Vulnerati autem multi corruérunt, fuit enim bellum Domini. Habitauerúntque pro eis vsque ad transmigrationem. 23. Filij quoque dimidiæ Tribus Manasse, possedérunt terram à finibus Basan vsque Baal, Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat. 24. Et hi fuérunt principes domus cognationis eorum: Epher, & Iesi, & Eliel, & Ezriel, & Ieremia, & Odoia, & Iediel, viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familiis suis. 25. Reliquérunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos Populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis, 26. & suscitauit Deus Israël spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Theglatphpalasar regis Assur: & transtulit Ruben, & God, & dimidiam Tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluuium Gozan, vsque ad diem hanc.

COMMENTARII.

1. De posteritate Ruben.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.] Iàm vero Ruben primogeniti *Israël* seu *Iacob* posteritatem recensẽo, (ipse quippè fuit Iacobi primogenitus, sed quia torum patris sui violauit, incestum perpetrans cum Balam nouerca sua Iacobi vxore *Gen.* 35.22. ad filios fratris Ioseph eius primogenia fuére trãslata, illeque non est reputatus primogenitus. Porrò de stirpe Iudæ fortissimo quidem fratrum suorum, Principes seu Reges Israël Dauid, Salomon, Boboam, & alij deinceps qui in duabus Tribubus Iuda & Beniamin Regnum obtinuérunt, fuere germinati) Verùm olim ex consuetudine; deinde ex lege *Deut.* 21. 17. duplex hæreditatis portio primogenito debebatur, quæ non *Ruben*o, sed filiis Ioseph *Ephraim*, & *Manasse* data est, qui duas Tribus constituére. * Aprè autem à Regni spe expungitur, qui patri adeò extitit infidelis; nec enim subditorum iura seruabit, qui patri debitam fidem tueri contempsit.] A spe Regni cadat alieni violator tori, ne Reges filij parentis exemplo ediscant subditorum maculare toros; nihil enim tam absonum Regi, quàm effrænata ex subditi iniuria libido.] * Nihil item tam indignum Imperio, quàm vili seruire voluptati.] * Appositè verò Iudas fratrum fortissimus ad Regnum eligitur: fortitudine enim, ac magnitudine animi pollére debet, qui defensare subditos, potentibúsque pauperum oppressoribus tenetur obsistere.] Primogenita ergo Rubeni *reputata sunt Ioseph*, Id est, duplo maior pars, hæreditatis paternæ, quàm cuiuis aliorum fratrum obtingeret, quæ Rubeno natiuitatis iure debebatur: propter incestum sublata illi, & fratri eius Iosepho concessa est. Fuit vero duplex illa portio à Iacobo consignata Iosepho, partim in proprio peculio & parua sua hæreditate, quando *Gen.* 48.22 Iosepho ait: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Partim in communi & magna hæreditate, id est, in Terra cœlitus ipsi promissa, quum ibidem *vers.* 5. duos filios Iosephi *Ephaimum & Manassen* sibi in immediatos filios adoptauit: nam eo ipso duas portiones vni Iosepho visus est consignasse. Sed præter duplicem illam portionem hæreditatis, debebatur primogenito etiam locus primus inter fratres & quasi dominium in illos & Regnum, iuxta illud Isaaci *Gen.* 27.29. *Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Denique præter iam dicta, pertinebat quoque ad primogenitum ante legem Mosaïcam Sacerdotalis dignitas, quæ translata fuit in Leui, quando solus Aaron, eiúsque posteri iussi sunt Sacerdotio in Israële fungi. * O quam ineptè Sacerdotali fungeretur officio, ad quod tanta requiritur puritas incestuosus ille Rubenus! meritò igitur fuit à primogenio deturbatus.] Iam post tam longam parenthesis illius expositionem ad Rubeni filios redeo. Filij ergò Rubeni primogeniti Iacob: *Enoch, Phallu, Esron, & Carmi. Ioël* filius Carmi, *Samia* filius eius, id est, Ioël cuius proximè mentio facta fuerat. *Gog* filius Samiæ. *Semei* ex Gog progenitus. *Micha* natus ex Semei. *Reia* processit ex Micha. Reia genuit *Baal*. Ex Baal *Beera* exortus, quem

In Rege requiritur ergà subditos fidelitas.

Regem decet admodùm, subditorum maculare toros.

Indignum Imperàti, seruire libidini.

Regi agnata debet esse fortitudo.

quem Thelgath phalnasar Rex Assur captiuum adduxit,(de qua captiuitate 4. *Reg.* 15. 19.) & extitit Princeps in Tribu Ruben. Fratres autem eius, cognati, scilicet, & vniuersa Tribus, quando numerabantur per familias suas, Principibus Iehiel, & Zachariæ obediérunt. Quia dixerat sacer Scriptor Beera fuisse Principem in ea Tribu, addit simul cum eo fuisse Principes per partes Iehiel, & Zachariam, quando numerati sunt vt in captiuitatem irent à Rege Assyriorum. * En quinam Principatus posteris Ruberni paterni tori violatoriconceditur?Tribus captiuæPrinores numerari, vt scilicet sint primi in ærumna & opprobrio, qui esse primi in honore non meruerant ex iniqua parente. Esse quidem Regem, aut Principem subditorum,qui ærumnis aguntur, dicam,dixerim esse seruitutem. Profectò *Bala* filius Azaz filij Samma filij Ioël (filij Charmi filij Ruben) habitauit in Aroër, (quæ est inter Tribum Ruben & Tribum Gad super torrentem Arnon) & dilatata fuit eius ditio *vsque ad Nebo & Baelmeon*. Nebo nomen est Ciuitatis in Tribu Ruben iuxta montem eiusdem nominis. Beelmon verò alia est Vrbs Tribus eiusdem. Pronepos ergo Ioëlis Bala magnus quidem fuit quando tenuit Aroër totius Terræ promissæ maximè Orientalem vsque ad Vrbem aut montem *Nebo*, qui est propè Iordanem. Contra Orientalem quoque plagam vsque ad eremi introitum, & flumen Euphratem habitationis locum obtinuit. Multum quippe iumentorum numerum Rubenitæ in terra Galaditide possidébant. Fuit hoc perpetuum in Tribu Ruben, vt pecore abundaret : deò *Numero* 32.4. sibi dari postulant sedes vltra Iordanem. Porrò transito Arnon fluuio Orientem versus ab Adrichomio Cademoth eremus collocatur. Regnante autem Saule Rubeni posteri præliati sunt aduersum Agarcos, illósque interemérunt, eorúmque obtinuére sedem in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad. Porrò Agarei, seu Agareni, quos Rubenitæ comminuérunt, sunt *Ismaëlitæ* dicti *Agarei* ab Agar Ismaëlis matre.

Esse Principem subditorum actorum ærumnis dira est seruitus.

2. De posteris Gad.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.] Profectò filij Gad è regione Rubenitarum Terram Basan vsque Selcha incoluerunt. Regio est Basan trans Iordanem, quæ longitudine à torrente Iaboc vsque ad terminos Selcha, Gessuri, & Machati : latitudine verò à monte Galaad, Seir, & Hermon vsque ad Galilææ mare porrigitur. *Ioël in capite, & Saphan secundus* : *Ianai autem & Saphat in Basan*. Id est,Ioel erat caput seu Princeps totius Tribus Gad.Qui sequuntur *Saphan, Ianai,* & *Saphat* Secundas, tertias, quartas partes obtinébant. Porrò tùm hi quatuor, tum septem, qui proximè sequuntur, non fuére filij Gad : (*ex Gen.* 46. 16.) Sed Principes in ea Tribu. Quonam tempore? Non constat. Crediderim transmigrationis tempore, aut Regum Ioathan & Roboam secundi (de quibus *Vers.* 17.) tunc hos Principes ea in Tribu extitisse. Quatuor ergo hi Principes seu Duces Tribus Gad, in Basan Ciuitate, quæ è regione cognomen trahebat, habitabant. *Fratres* verò eorum quatuor Principum, siue contribules extitére secundùm domos cognationum suarum alij septem Primores : *Michaël*, *Mosolam*, *Sebe*, *Ioraï*, *Iachan*, *Zie*, & *Heber*. Non dicuntur fratres, quod iisdem parentibus prognati essent, sed quia ex eadem Tribu quod ostendo, quia in domos & cognationes distincti fuisse dicuntur. *Hi* quidem septem,qui præcesserunt,filij fuére *Abihail*, & fratres inter se. Porrò *Abihail* filius fuit Huri, *Huri* genitus fuit Iara. *Iara* natus ex Galaad, *Galaad* habuit Michaël genitorem. *Michaël.* genitus à Iesesi. *Iesesi* parentem nactus est Iebdo. *Iebdo* denique fuit à Buz progenitus. Omnes itaque hi octo fuére *Abihail* progenitores. *Fratres* præterea seu contribules fuerunt filij Abdiel filij Guni : qui quidem Abdiel in familiis Gaditarum domus Princeps extitit. Hi igitur Principes eorúmque familiæ in Galaad, & in Basan, ac in vicus eius : nec non in cunctis suburbanis Saron habitauérunt *vsque ad terminos*, id est, vsque ad sortis Gad fines. Ac si dicat : Memorati Principes totam Terram Gad à termino vsque ad terminum possedérunt. *Omnes hi* numerati sunt, in diebus *Ioathan* Regis Iuda, & in diebus *Ieroboam* Regis Israël. *Omnes*, in quam, hi, id est, domus, & cognationes eorum : vix enim fieri potest, vt iidem vixerint, vtriusque census tempore, siue Ieroboam accipiam pro primo, siue pro secundo huius nominis Rege. * Aptè verò dicuntur in filiis, aut nepotibus numerati esse. Quando enim vel extincti parentes non viuunt in filiis, non superstites adsunt in posteris ? Porrò de censu facto Ioathani tempore non alibi meminit Scriptura. Quæsieris de quonam Ieroboamo sermo procedat ? Existimo, de Ieroboamo huius nominis primo Rege Israël,quia celebrior fuit ille. Scio alios id intelligendum asserere non de primo Ieroboamo filio Nabat, sed de secundo Ioas filio : nam iste coæuus fuit Ioathano Regi Iuda, cuius hìc fit mentio. Porrò *filij* Ruben & Gad, & dimidiæ Tribus Manasse viri extitére bellatores, scuta portantes, & gladios, tendentes arcum, eruditique ad prælia : ex quibus quadraginta quatuor millia supra septingentos septuaginta apti ad pugnam exponebantur. Loco illius particulæ, *Viri bellatores* Lxx. habent *Viri fortes*. Addit Hebræus. *A filij fortitudinis*. Nam fortes procreantur à fortibus. Quando vidisti *filium fortem* ab ignauo progigni parente ?] Tales fuére Rubenitæ Gaditæ, ac Manasseitæ fortes ipsi, & *filij* fortium. * Aptè verò idem est vir *fortis*, ac vir *bellator*. Quomodo enim re fortem esse probabis, si nunquam ad certamina processisti ? si solum belli nomen tibi incutit formidinem?] * Fortes illi *scuta* portant & *gladios*,ne eos imparatos certamina inueniant. Vel pacis tempore gerendi gladij, & scuta, ne hostis Regnum imparatum aduertens id audeat ad certamina prouocare] * Repentina extitialis est, aut materialis, aut spiritualis præparatio.] *Eruditi* denique vocitantur *ad prælia tendentéfque* arcum. * Qui pacis tempore non strinxit gladium, tenet scutum arcúmque tendit se exercens ad pugnam, facilè ab hoste corruet vulneratus. Ediscant milites antè instantiam pugnæ ; solùm enim eruditis cedit triumphus.] * An putas miseros illos,

Parentes nil quam non superuiunt in filijs.

Non se fortem ostendit, qui nunquam dimicauit.

Vel pacis tempore de gladijs ac scutis curandum.

Repentina præparatio ad materiale, aut spirituale bellum periculosa.

Pacis tempore milites futuri eruditiantur ad pugnã.

Inerudit milites non feruntur ad victoriam, sed trahuntur ad victimam.

illos, qui ex aratro abripiuntur ad hastan, posse hostes diriter vulnerare? Certè inerudíti non feruntur ad victoriam, sed trahuntur ad victimam.] *Hi* itaque contra Agareos dimicauérunt. Ituræi verò, Naphis, & Nodab *auxilium* præbuere Agareis. Ituræa regio est ad montis Libani radices in longum porrecta; nam à fluuio Iordane sumes initium, iuxtà eundem Libanum versùs Occidentem ad montes vsque Sidoniorum, & Cyriorum intenditur. Pro *Naphis*, & *Nodab* Lxx. transtulére, *Nephissæi*, & *Nedabæi*. Naphis filius fuit Ismaëlis *Gen.* 25. 15. ex quo Naphissæi propagati sunt. Hebraicè loco illius dictionis, *Præbuérunt eis auxilium*, ponitur, Ituræi Naphis, & Nodab clamauérunt contra eos. Alij *pugnauerunt*. Verbum enim עזר *hazar* sumitur in significatione clamandi. Si eis præbuere auxilium, quomodo contra eos dimicauerunt? Certè quia totum, eorum auxilium clamor erat, vocis, non manuum erat dimicatio. Qui autem in bello multum loquitur, parum assolet operari. Vndè eius assistentia magis est impugnatio, quàm auxilium.] Scio, aliquos hanc vocis decertationem ad militum victorum clamores trahere, Hispanè dixeris *Algazara*. Profectò Agarei traditi sunt Hebræorum in manus, & qui pro eis decertabant victi ab Hebræis fuére; quia cum præliarentur, *Deum inuocauerunt*: & exauditi fuerunt, eo quod in eum credidissent. Et quandò humilis oratio non potitur triumpho? Ceperunt omnia quæ possederant hostes, camelorum quinquaginta millia, duo millia asinorum, & captiuorum centum millia ad suam traxére ditionem. Vulnerati autem multi corruérunt; *fuit enim bellum Domini*, id est, eo adiuuante factum. Sic communiter hæc particula exponitur. Ast ego exposuerim. Fuit ingens prælium, præclaráque admodum victoria. Quia res ingens Scripturæ phrasi dicitur *Dei*, sic *Montes Dei*, sunt montes excelsi, *Cedri Dei cedri proceræ*, &c. * Et quidnam potest ad Deum attinere, quod ineffabiliter non sit magnum?] Habitauérunt-que pro victis Agareis *vsque ad transmigrationem* factam à Teglathphalasar Assyriorum Rege.

3. De posteris dimidiæ Tribus Manasse.

Verſ. 23.24.25.26.] Demum dimidiæ Tribus Manassæ *filij* latam possedére regionem à finibus Basan vsque ad Baal-Hermon, Sanir, & montē Hermon, incoluérunt; erat enim ingens eorum numerus, ideóque magnum terræ tractum occupauére. A regione ergo Basan tendendo in Septemtrionem termini illi producuntur vsque ad Baal-Hermon, & montem Hermon, & Sanir, qui montes contigui sunt, & in longum porrecti. Porrò à torrente Iaboc vsque ad Baal-Hermon triginta circiter horarum iter ab Adrichomio constituitur. Iam verò domus, cognationes eorum siuè Manassitarum Principes recenseo. Hi fuére *Epher, Iesi, Eliel, Ezriel, Ieremia, Odoia* & *Iediel*, viri quidem fortissimi, & potentes, seu diuites. * Diuites enim omnia possunt.] & nominati sunt illustrissimi suis in familiis Duces. * Certè ideo nominati quia *potentes*, seu diuites: non quia *fortissimi*. Quandò enim ex fortitudine miles agnoscitur, si prematur inopia.]! * O quot vidi milites plenos vulnerum cicatricibus, quæ quidem ob nuditatem facile conspectantur. Quod autem pallium attritum non valet vulnera operire, potest præclara obuelare facinora. Nunquam gesta inopis memorantur.] Dereliquérunt autem Deum patrum, suorum, litarúntque Diis Populorum Terræ quos Deus à facie eorum abstulerat, vt placida sede potirentur. Sub impiis nimirum Regibus Israël impietatem fuére sectati. * Et quando non ad Regis exemplum totum Regnum, componitur?] Deus autem Israël vt flagellaret suos ad correctionem, *Suscitauit spiritum* Phul Regis Assyriorum, & *spiritum* Telgathphalnasar Regis Assur: & Rubenitas, Gaditas ac dimidiam Manasse Tribum transtulit propriis iam hisce è sedibus, & eos adduxit in Lahela, in Habor, & in Ara, in fluuiisque Gozan ripas vsque ad hanc diem. Porrò 4. *Reg.* 18.11. dicitur adductos fuisse Rubenitas Gaditas, & dimidiam Manasse Tribum in Hala & in Habor *fluuios Gozan* Tu lege ibi In Hala, & in Habor fluuij Gosan. Itaque Hala & Habor Vrbes sunt, quas fluuius Gozan alluit. Ara quidam dicunt esse Reges *Tob.* 1. 16. Suscitari autem à Domino spiritum Regum Assyriæ & Assur idem est, ac eis Dominum vti flagello vti ad Idolatrarum supplicium.

Milles loquax, nihil operatur: vnde eius assistentia magis est impugnatio, quàm auxilium.

Quidnam potest ad Deum pertinere, quod magnū non existat?

Diuites omnia possunt. Pauper non nominatur.

Pallium fortissimi militis attritum non potest vulnera abscondere, & potest facinora obuelare, eo quod sit attritum.

Ad Regis exemplū totum Regnum componitur.

CAPVT

CAPVT VI.

Leui posteri describuntur. Et ij, quos Dauid ex Leuitis Cantores ac ministros Templi constituerit assignantur. Speciatim posteri Aaron Sacerdotes cum Vrbibus Sacerdotalibus ac refugij recensentur.

1. FILII Leui: Gerson, Caath, & Merari. 2. Filij Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. 3. Filij Amram: Aaron, Moyses, & Maria. Filij Aaron: Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar. 4. Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue. 5. Abisue verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi. 6. Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth. 7. Porrò Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob. 8. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas. 9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan. 10. Iohanan genuit Azariam: ipse est qui sacerdotio functus est, in domo quam ædificauit Salomon in Ierusalem. 11. Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob. 12. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum. 13. Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam. 14. Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Iosedec. 15. Porrò Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor. 16. Filij ergo Leui: Gerson, Caath, & Merari. 17. Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, & Semei. 18. Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. 19. Filij Merari: Moholi & Musi. Hæ autem cognationes Leui secundùm familias eorum. 20. Gerson, Lobni filius eius, Iahath filius eius, Zamma filius eius. 21. Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethari filius eius. 22. Filij Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius. 23. Elcana filius eius, Abiasaph filius eius, Asir filius eius. 24. Thahath filius eius, Vriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. 25. Filij Elcana, Amasai, & Achimoth. 26. & Elcana: Filij Elcana: Sophai filius eius. 27. Eliab filius eius, Ieroboam filius eius, Elcana filius eius. 28. Filij Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia. 29. Filij autem Merari, Moholi: Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius. 30. Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius. 31. Isti sunt, quos constituit Dauid super Cantores domus Domini, ex quo collocata est arca. 32. Et ministrabant coram tabernaculo testimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Ierusalem: stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. 33. Hi verò sunt qui assistebant cum filiis suis: de filiis Caath, Hemam cantor filius Iohel, filij Samuel, 34. Filij Elcana, filij Ieroham, filij Eliel, filij Thohu. 35. Filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amasai, 36. Filij Elcana, filij Iohel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, 37. filij Thahath, filij Asir, filij Abiasaph, filij Core, 38. filij Isaar, filij Caath, filij Leui, filij Israël. 39. Et frater eius Asaph, qui stabat à dextris eius, Asaph filius Barachiæ, filij Samaa, 40. filij Michaël, filij Basaiæ, filij Melchiæ, 41. filij Athanai, filij Zara, filij Adaia, 42. Filij Ethan, filij Zamma, filij Semei, 43. Filij Ieth, filij Gerson, filij Leui. 44. Filij autem Merari fratres eorum, ad sinistram: Ethan filius Cusi, filij Abdi, filij Maloch. 46. Filij Hasabiæ, filij Amasiæ, filij Helciæ, 46. Filij Amasai, filij Boni, filij Somer, 47. Filij Moholi, filij Musi, filij Merari, filij Leui. 38. Fratres quoque eorum Leuitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini. 49. Aaron verò, & filij eius adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis, in omne opus Sancti Sanctorum: & vt precarentur pro Israël, iuxta omnia quæ præceperat Moyses seruus Dei. 50. Hi sunt autem filij Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abisue filius eius, 51. Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarachia filius eius. 52. Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob filius eius. 53. Sadoc filius eius, Achimaas filius eius. 54. Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant. 55. Dederunt igitur eis Hebron

in terra Iuda, & suburbana eius per circuitum: 56. agros autem ciuitatis, & villas, Caleb filio Iephone. 57. Porrò filiis Aaron dederunt ciuitates ad confugiendum, Hebron, & Lobna & suburbana eius, 58. Iether quoque & Esthemo cum suburbanis suis, sed & Helon & Dabir cum suburbanis suis, 59. Asan quoque & Bethsemes & suburbana earum. 60. De tribu autem Beniamin, Gabee & suburbana eius, & Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis. omnes ciuitates, tredecim, per cognationes suas. 61. Filiis autem Caath residuis de cognatione sua, dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem vrbes decem. 62. Porrò filiis Gersom per cognationes suas, de tribu Issachar, & de tribu Aser, & de tribu Nephthali, & de tribu Manasse in Basan, vrbes tredecim. 63. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt sorte ciuitates duodecim. 64. Dederunt quoque filiis Israël Leuitis ciuitates, & suburbana earum. 65. dederúntque per sortem, ex tribu filiorum Iuda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Beniamin, vrbes has quas vocauerunt nominibus suis. 66. Et his qui erant de cognatione filiorum Caath, fuerúntque ciuitates in terminis eorum de tribu Ephraim. 67. Dederunt ergo eis vrbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer cum suburbanis suis. 68. Iecmaam quoque cum suburbanis suis, & Bethoron similiter. 69. necnon & Helon cum suburbanis suis, & Gethremmon in eumdem modum. 70. Porrò ex dimidia tribu Manasse, Aner & suburbana eius, Baalam & suburbana eius: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. 71. Filiis autem Gersom, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan & suburbana eius, & Asharoth cum suburbanis suis. 72. de tribu Issachar: Cedes & suburbana eius, & Dabereth cum suburbanis suis. 73. Ramoth quoque & suburbana eius, & Anem cum suburbanis suis. 74. De tribu verò Aser: Masal cum suburbanis suis, & Abdon similiter. 75. Hucac quoque & suburbana eius, & Rohob cum suburbanis suis. 76. Porrò de tribu Nephthali. Cedes in Galilæa & suburbana eius, Hamon cum suburbanis suis, & Cariathaim & suburbana eius. 77. Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono & suburbana eius, & Thabor cum suburbanis suis. 78. Trans Iordanem quoque ex aduerso Iericho contra Orientem Iordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Iassa cum suburbanis suis. 79. Cademoth quoque & suburbana eius, & Mephaat cum suburbanis suis. 80. Necnon & de tribu Gad, Ramoth in Galaad & suburbana eius, & Manaim cum suburbanis suis, 81. sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Iezer cum suburbanis suis.

COMMENTARII.

1. Leui posteri vsque ad Sadoc.

ERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. 10. 11. 12.13. 14. 15.] Enimverò iam Tribus, sacræ posteros describo. Fuére *filij* Leui: *Gerson, Caath, & Merari.* Quorum Caath genuit *Amram, Isaar, Hebron*, & *Oziel.* Filij verò Amrami extitére: *Aaron, Moyses*, & *Maria.* Primo loco inter Leui filios nominauerat *Caath*, quia ipse caput fuit Sacerdotum, nam ab eo descendit *Aaron.* Iam verò omissis aliis Caath filiis, qui ad gradum simplicium Leuitarũ pertinuére, peculiariter enumerat *filios* Amram, à quo sacerdotes & Pontifices per Aaronem fuére prognati. * Preme particulam *Filij Amram: Aaron, Moyses, & Maria.* Prius Pontifex, quàm later legis nominatur, quia sacerdotium Regno est præponendum.] * Maria vero inter Sacerdotes non prolis, sed nominis honore recensetur: nominis enim Deiparæ vaiula à Regibus, à Sacerdotibus debet honorari.] Porrò *filij* Aaron extitére: *Nadab, Abiu, Eleazar*, & *Ithamar.* Quorum Eleazar fuit pater *Phinees* Hic genuit *Abisue*, Ex Abisue ortus *Bocci.* Ex Bocci Ozi proceſſit, Ozi susceptit *Zuraiam.* A Zaraia natus est *Meraioth.* Porrò Meraioth fuit *Amariæ* genitor. Amarias habuit filium *Achitob.* De Achitob *Sadoc* prodiit. De Sadoc verò *Achimaas.* Genauit Achimaas *Azariam.* De Azaria processit *Iohanan.* Fúitque Iohanan pater Azariæ alterius. Hic est, qui Sacerdotio summo functus est, in Templo, quod Salomon apud Ierosolymam Domino extruxit. Itaque ex filiis Aaron, duo primi *Nadad* & *Abiu* extincti fuére, propterea quòd ignem alienum thuribulis imposuissent *Leuit.* 10.1. Ex Phinees autem Eleazari filio ac Aaronis nepote series Pontificum dilatatur. De Abisue verò filio *Phinees* non est alibi in Scripturis memoria. Imo & reliqui Pontifices qui deinceps numerantur, obscuri ferè sunt, nihilque de illis notabile traditur. * Nihil autem vilius Pontificibus, quàm de illis nihil illustre prædicari.] Equidem post Ozi fuit Heli summus Sacerdos, translato Pontificatu à posteris Eleazari primogeniti Aaronis ad posteros Ithamaris secundo-geniti. Heli verò, in Pontificatu successérunt quatuor eius posteri vsque ad Abiathar, quem Salomon loco mouit 3. *Reg.* 2.27. reddito in Sadoc Pontificatu Eleazari posteris,

Sacerdos Regibus præponendus.

Maria Profetissa inter Leuitas recẽsetur, ob nominis Deiparæ veneretiam.

Nihil vilius Pontificibus, quàm de illis nihil illustre prædicari.

penes

penès quos manſit vſque ad captiuitatem Babylonicam. Itaque quatuor iſti, nempè à Zaraia filio Ozi, vſque ad Sadoc non fuére ſummi Pontifices: reliqui vſque ad Ioſedec omnes fuérunt. Cæterùm *Azarias* ſecundus *ipſe eſt, qui Sacerdotio functus eſt*, id eſt egregiè, & excellenter. Nam muneri ſuo præclarè ſatisfecit, quando Regi Oziæ volenti incenſum offerre, viriliter reſtitit, & ex Templo expulit. 2. *Paral.* 26.* Nam qui Templi, fidei, Numinisque iura non tuentur, munere Sacerdotali non funguntur.] Hic ergo egregius Pontifex Azarias genuit *Amariam*. Amarias verò ſuſcepit *Achitob*. De Achitob natus eſt *Sadoc*. De Sadoc *Sellum*. De Sello *Helcias*. De Helcia *Azarias* tertius fuit exortus. Azarias habuit *Saraiam*. Hic autem procreauit *Ioſedec*. Porrò Ioſedec *egreſſus eſt*, ſiue captiuus ductus, quando Dominus Nabuchodonoſoris tyrannide *Iudam, & Ieruſalem*, hoc eſt Tribum Iuda in Babylonem tranſtulit.* Annota vocem illam *Quando tranſtulit Dominus Iudam*. Ipſe enim Dominus eſt, à quo ærumnarum flagellum in peccatores concorquetur.] * Commendabilis procul dubio Ioſedecus Pontifex exponitur, qui *egreſſus eſt*, voluntariè ſcilicet in Babylonem cum captiuo populo proficiſcitur, nè deſereret oues. Vndè ſacer Hiſtoricus vſus eſt verbo illo, *egreſſus eſt*. ac ſi diceret: Non vi ductus, ſed vltroneè egreſſus. Audiant ignaui illi Sacerdotes, qui peſtis tempore diffugiunt lupis ouiculas relinquentes.]

Sacerdotali munere non fungitur, qui Templi, Deique iura non tuetur.

A Deo ipſo ærumnarum flagellum in peccatores cõtorquetur.

Sacerdos ſequantur oues ærũnis actas, non deſerat fugitans.

2. Trium filiorum Leui filij annotantur, poſt Pontifices expoſitos.

Verſ. 16.17.18.19.20.22.23.24.25.26.27.28.29.30.] Poſt Pontifices itaque redit ad Leuitas, qui ex omnibus filiis Leui proceſſérunt. Pars enim etiam familiæ Caath fuére tantùm Leuitæ. Ergò *filij* Leui: *Gerſon, Caath, & Merari*. Hæc autem nomina filiorum Gerſon: *Lobni, & Semei*. Filij verò Caath (fuére: *Amran, Iſaar, Hebron, & Oziel*. Filij Merari: *Mooli, & Muſi*. Hæ autem *cognationes Leui ſecundum familias eorum*. Ex Hebræo ſic: Hæ autem familiæ, id eſt, genealogiæ, ſeries poſterorum ſumpto principio numerandi à patribus familiarum, ſeu cognationum. Gerſon, Lobni filius eius, id eſt, *Lobni* fuit filius Gerſonis, cuius proximè fuerat mentio. Paucos ex Gerſon poſteris enumerat Scriptura, quod nullus deinde hac ex poſteritate eſſet inſignis. * Certè obliuioni eſt agnatus ille, quem egregia opera ad famam non efficiunt æternum.] Filius autem Lobni fuit *Iahath*. Filius Iahath fuit *Zamma*. Ex Zamma prodiit *Ioath*. Ex Ioath *Addo*. Ex Addo *Zara*. Ex Zara *Lerahi*. Iam Caath poſteritatem ſacet textus exponit, in qua longiùs procedit, quoniam in Samuele & filiis deſinere volebat.* Sufficit enim vnius viri illuſtris ſanctitate nomen, vt ad id exprimendum nulla vel longa narratio ſuperflua videatur.] Filij ergò Caath annumerantur. Caath ſuſcepit *Aminadab*. Aminadabum aliqui volunt eſſe Iſaar, poſitum inter filios Caath Verſ. 18. Forraſſis fuit nepos non filius. Aminadab verò filium habuit *Core*, qui contra Moſem ſeditionem Num. 16. excitauit; neque tamen omnes eius filij deperiére. Core genuit *Aſir*. Aſir pater fuit *Elcanæ*. Hic habuit *Abiaſaph*. Ex Abiaſaph natus *Aſir*. Ex Aſir *Thaath*. Ex Thaath *Vriel*. Ex Vriel *Ozias*. Ex Ozia *Saul*. Hic fuit pater ſecundi *Elcanæ*, qui quidem generauit *Amaſai*, & *Achimath*, & alium, quem ſuo ex nomine *Elcana* vocitauit. *Sophai* verò fuit tertij huius Elcana filius, Sophai verò pater extitit *Nahath*. De Nadath *Eliab* proceſſit. De Eliab *Roboam*. De Roboamo *Elcana* quartus. Hic fuit pater *Samuelis*. Idcò textus ſacer adiicit: *Filij Samuelis*, nullo Samuelis patre deſignato. Idco intelligitur (vt alibi ſæpè) proximè nominati, id eſt, Elcana eſſe filium. Iam ergò Samuelis filios aſſigno. Primogenitus fuit *Vaſſeni*, ſecundogenitus *Abia*. LXX. legunt, *Ioël & Abia*. Alij *Vaſſeni, Ioël*, & *Abia*. Certè 1. Reg. 8. 2. dicitur, *Nomen primogeniti eius Ioël, & ſecundi Abia*. Vnde exiſtimo primum eius filium binomium fuiſſe dictum ſcilicet Ioël & Vaſſeni: imò & hic verſ. 34. Samuëlis filius Ioël vocitatur. Porrò Merari tertij filij Leui annumero poſteros. Filius Merari extitit *Moholi*. Ex Moholi prodiit *Lobni*. Ex Lobni *Semei*. Ex Semei *Oza*. Ex Oza *Sammaa*. Ex Sammaa *Haggia*. Ex Haggia denique *Aſaia* fuit ortus.

Agnatus obliuioni eſt ille, quem opera egregia ad famam non efficiunt æternum.

Quanti eſtimandum vel vnius illuſtris ſanctitate viri nomen.

Verſ. 31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.48.49.] Aſſignantur iam ex poſteris Leui qui ſacris incumbebant miniſteriis. *Iſti* ergo, id eſt, qui ſequuntur, ſeu deinceps annumerantur *ſunt*, quos Dauid Rex conſtituit *ſuper Cantores* domus Domini, *ex quo collata eſt Arca*, ſcilicet in Tabernaculo ab ipſo Dauide conſtructo. Hebraicè eſt, *Quos Dauid conſtituit ſuper manus Cantici*. LXX. *In manus cantantium*, id eſt, *ad canendum*, vt Hebræus exponit. Iam ſæpe vulgariter audiſti: *Mano decanto*. Perinde igitur eſt *ſuper manum Cantici*, ac ſi diceret: *ſuper Canticum*. * Certè Dominus adeò cupit vocibus opera colligari, vt nec voluerit hymnos ſacros inaniter perſonare: ſed ab eis proferri, qui dum Numen diuinum vocibus collaudant, ſimul manum exerant, ſiue opera exhibeant.] Hi ergo miniſtrabant coram Tabernaculo teſtimonij canentes: donec Salomon Templum, auguſtiorem quidem domum Deo apud Ieroſolymam exædificaret. *Stabant* autem, ſeu aſſiſtebant in miniſterio *iuxtà ordinem ſuum*, id eſt, iuxta Dauidis præſcriptionem LXX. *Iuxta iudicium*, ſeu diſtinctionem à Rege factam. Nam diſtinxit eos Dauid per vices ſuas, vti inferiùs videbimus. * O quam pium Catholici Regis ſtudium, circa Cantores choro ſacerrimò prouidendos!] Inane verò id Principum ſtudium dixerim, & profanum, quod circà Cantores aut Cantatrices laſciuiarum, aut mundalium cantionum expeditur.] Porrò de filiis Caath hi ſunt qui *cum filijs ſuis* ſacrorum hymnorum modulationi aſſiſtebant. *Heman* filius Iohel, filij Samuël filij Elcana filij Ieroham filij Eliel filij Thohu filij Suph filij Elcana filij Mahath filij Amaſai filij Elcana filij Iohel filij Azariæ filij Sophoniæ filij Thaath filij Aſir filij Abiaſaph filij Core filij Iſaar filij Caath filij Leui filij Iſraël. Primus itaque *Cantor* Herman. Secundus autem erat *Aſaph frater* ſiue cognatus eius, qui ab eius dextris conſiſtebat: Aſaph, inquam, filius Barachiæ filij Samaa filij Michaël filij Baſaiæ filij Melchiæ filij Athanai filij Zara filij Adaia filij Ethan filij Zamma filij Semei filij Ieth filij Gerſon filij Leui. Et duo Cantores, qui à dextris ſacras ducebant choros, ſcilicet Heman filius Caath, & Aſaph filius Gerſon. Porrò à ſiniſtris aderant filij

3. Quinam è Tribu Leui ſacro ſtudérent miniſterio.

Deum laudà vocibus, ſed ſimul operibus.

Pium Regis Catholici ſtudium circa ſacros Cantores.

Taxantur Principes, qui ſtudent profanis Cantoribus requirendis.

Merari, quorum vnicus ſacro aſſignatur à Scriptore. Hic fuit *Ethan filius* Chuſi filij Abdi filij Maloch filij *Aſabiæ* filij Amaſiæ filij Helciæ filij Amaſai filij Boni filij ſomer filij Motholi filij *Muſi* filij Merari filij Leui. Igitur ex tribus nobiliſſimis Leui filiis *Caath, Gerſon, & Merari*, tres ſacri Chori Magiſtri fuére conſtituti *Heman, Aſaph, & Ethan.* Duo priores dexteræ Chori; tertius autem læuæ hærentes Cantores reliquos filios, ſiuè cõtribules ſuos moderabantur. Recolo illam particulam, *Frater eius Aſaph ſtabat à dextris eius.* Dixi fratrem vocitari Hermani, quia ex eadem Tribu ſciens Abulenſem aſſeruiſſe, ideò fratrem appellatum fuiſſe, quia particeps erat eiuſdem officij. * Vt ediſcas, quàm gratis ſibi inimicos eſſe, qui eidem officio incumbunt iuxta vulgare illud: *Quien es zu enemigo, &c.* cum potiùs idem officium debeat fraternam inter alienos colligare neceſſitudinem.] Ex qualibet itaque harum trium familiarum erant multi Cantores per vices & Choros tributi: ità tamen vt quotidie ex qualibet familia aliqui eſſent, qui cum aliis ex reliquis familiis coram Arca Domino canerent, ita vt tres Choros conſtituerent. Chorus ergo mediùs erat filiorum Eman, dexter filiorum Aſaph, ſiniſter filiorum Ethan. * Haud dedignetur nobilis quiſquam ſacros hymnos in Choro concinere: hoc munus nobilium eſt, eſt quidem Angelorum.] Cæterùm fratres quoque, ſeu contribules Cantorum trium horum Leuitæ miniſtrabant in aliis Templi miniſteriis, quæ Leuitarum erant. Si verò ſupra memorati erant Cantores. *Aaron* vero *& filij eius*, id eſt, Pontifex qui Aaronis magni ſacerdotis perſonam agebat, & Sacerdotes eius poſteri excellentiori munere fungebantur, ſcilicet incenſum adolendo ſuper altaria holocauſti, ac thymiamatis, *in omne opus Sancti Sanctorum*, hoc eſt in omni opere & miniſterio Sacerdotali: vt iuxtà ſerui Dei Moſis præſcriptum pro populo precarentur. Quod intelligo de precibus, quæ fiebant in Sacrificio, quas nullus alius, qui Sacerdos non eſſet, poterat vſurpare, quemadmodum nec Sacrificare poterat. Porrò hoc loci *incenſum* accipitur non pro thure, aut thymiamate: hoc enim non in altari holocauſti, ſed in altari thymiamatis adolebatur. Incenſum itaque ſignificat victimas, & quidquid in holocauſtorum altari ſolebat incendi. * Pondera vocem illam, *Aaron & filij eius adolebant incenſum.* Certè quilibet Sacerdos ſic debebat offerre, ſic altari miniſtrare, vt ſeſe aſpectantibus oſtentaret Aaronem. Cùm ad altare aſcendis Dominicam victimam oblaturus te Chriſtum exiſtima, & ſic te ad ſacrificandum præpara, vt Chriſti æmulere puritatem.]

Eiuſdem officij miniſtri debẽt ſibi inuicem eſſe fratres.

Munus nobilium, ſacros hymnos in choro concinere.

Sacerdos exiſtimet ſe Chriſtum eſſe, cum aſcendit altare, & ſtudeat, Chriſti æmulari puritatem.

4. Linea Pontificia repetitur: & Vrbes Tribui Leuiticæ adſcriptæ ad habitacula recenſentur.

Verſ. 50.51.52.53.54.55.56.57.58.59.60.61.62.63.64.65.66.] Lineam Pontificiam hîc Scriptura reperit nihilo mutatam à Superiori, niſi quòd priùs eam deduxit vſque ad captiuitatem, nunc vſque ad Achimaas tantùm, qui primus in Templo Salomonis miniſtrauit. *Hi* igitur ſunt filij Aaron, qui hæreditario iure Pontificio munere ſucceſſiuè fuére perfuncti: *Eleazar, Phinees, Abiſue, Boreci, Ozi. Zaraia, Meraioth, Amarias, Achitob, Sadoc, & Achimaas.* Iam verò hæ fuére habitacula filiorum Aaron, hæ Vrbes, hi Vici, hæc confinia, iuxta Caatitarum cognationes: ipſis enim ſorte contigére. Ac ſi diceret, Aaronis poſteris, qui ex filio eius Caath proceſſérunt: hæ, quæ annumerantur iam habitacula fuére adſcripta: Hebron apud Terram Iuda, & ſuburbana eius per circuitum. Concedebantur Leuitis ſuburbana ad alenda eorum pecora. *Num.* 35. expenditur, quàm latè hæc ſuburbana producerentur. Certè Calebo filio Iephone agri Ciuitatis & Villæ in poſſeſſionem aptantur. *Ioſ.* 21.12. Porrò filiis Aaron aſſignatæ fuére ad confugiendum Ciuitates, inter quos erat Hebron. Additæ autem fuérunt ad habitandum aliæ Ciuitates, nempè *Lobna, Iether, Eſthemo, Holon, Dabir, Aſan, Beth-ſames*, & ſuburbana earum. Hæ omnes Vrbes ſunt Sacerdotales in Tribu Iuda & Simeon: non tamen omnes erant refugij Ciuitates, ſed tantùm Hebron. Vnde ſententiam difficilem: *Filiis Aaron dederunt Ciuitates ad confugiendum, Hebron, & Lobna &c.* Sic facilè expoſui: Datæ fuére Leuitis Ciuitates hæ, & Ciuitates refugij, inter quas erat Hebron in Tribu Iuda. Sex enim Ciuitates extitére refugij, quarum vna erat in Tribu Nephtali, altera in Ephraim, tertia in Iuda, quæ ſcilicet eſt Hebron, de qua nunc agimus: reliquæ trans Iordanem In Tribu Ruben, Gad, & Manaſſe. De Tribu autem Beniamin addictæ ſunt eis *Gabea, Almath, Anahoth*, cum earum ſuburbanis: *tredecim* quidem fuerunt numero hæ Vrbes datæ Leuitis per cognationes ſuas filiis Aaron. Numera quæſo Vrbes, & *vndecim* tantùm inuenies: *duæ* enim omiſſæ ſunt, quæ profectò cum reliquis *Ioſ.* 21.20. annumerantur. Aſſignatæ itaque fuére Leuitis filij Aaron *tredecim* Vrbes, *nouem* de Iuda & Simeon, *quatuor* de Benjamin. Filiis autem Caath de ſua cognatione reſiduis ex dimidia Tribu. Manaſſe *decem* Vrbes datæ ſunt incolendæ: Non eſt ſenſus ex dimidia tantùm Tribu Manaſſe datas Caathitis *decem* Ciuitates, nam *Ioſ.* 21.25. conſtat tantùm *duas* fuiſſe. Sic explico locum: *Decem* fuére Vrbes datæ Caathitis, quarum *duæ* extitérunt de Tribu Manaſſe, quatuor ex Tribu Ephraim, totidèmque ex Tribu Dan. Porrò filiis Gerſon per cognationes, ſeu familias *tredecim* Vrbes adſcribuntur ex Tribu Iſſachar, De Tribu Aſer, de Tribu Nephthali, & de Tribu Manaſſe apud Baſan. Poſteris autem Merari per familias ſuas *duodecim* Ciuitates ſorte contigérunt ex Tribu Ruben, ex Tribu Gad, & ex Tribu Zabulon. Catalogum *Vrbium* Caathitarum habes *Ioſ.* 21.20. Gerſonitarum *Ioſ.* 21.27. Meraritarum verò Ioſ. 21. 34. Leuitis autèm, propoſitis pluribus Ciuitatibus vt ex his eas eligerent ſuper quas ſors decidiſſet, aſſignatæ fuére Leuitis ex Tribu Iuda Simeon, & Beniamin *Vrbes*, quæ ſcilicet ſupra numeratæ erant *Verſ.* 55. & 59. eaſque *vocauerunt nominibus ſuis.* An aliquarum *Vrbium* illarum nomina mutauére Leuitæ in ſignum dominij? ſic Abulenſis. Aptiùs particulam, *Quas vocauerunt nominibus ſuis* ad cunctos præfatos Leui filios refero hoc ſenſu: Hæ *Ciuitates* eorum nominibus, dictæ fuére, *Ciuitates* Leuitarum, Caathitarum, Gerſonitarum, Meraritarum. *Et his qui erant de cognatione filiarum Caath*, id eſt, qui de cognatione Caath reſidui erant (nam filiis Aaron, qui ex illa erant ſtirpe, & aliis filiis Caath alias *Vrbes* ſuperiùs deſignatas dedérunt. Fuérunt autem hæ *Ciuitates*, quas reliqui ex filiis Caath accepére, ſitæ *in terminis eorum* ſeu pertinentes ad eorum poſſeſſionem ex Tribu Ephraim.

Verſ.

5. Reliquæ Vrbes assignatæ Leui posteris.

Vers. 67.68.69.70.71.72.73.74.75.76.77.78.79.80.81.] Igitur assignatæ fuére Leui posteris Ciuitates refugij *Sichem*, in montanis Ephraim, *Gazer*, *Iecmaam*, *Behoron*, Helon, Gethremmon, earúmque omnium suburbana. Ex dimidia autem Tribu Manasse adscriptæ sunt eis, qui de cognatione Caath reliqui erát, (qui scilicet Sacerdotes non erant, sed tantùm Leuitæ; ideóque *Ios.* 21. 26. *Leuitæ inferioris gradus* appellantur) hæ Ciuitates: *Aner*, *Baalim*, & suburbana illarum. Gersonitis reliquis assignatæ fuérunt in sorte dimidiæ Tribus Manassæ *Gaulon* in Basan, *Astharoth*, & suburbana earum: in sorte autem Issachar *Cedes*, *Dabereth*, *Ramoth*, & *Anem*, cum suburbanis: ex Tribu Aser, *Masal*, *Abdon*, *Hucac*, *Roboc*, earúmque suburbana: ex Tribu Nephthali *Cedes* in Galilæa, *Amou*, *Cariathaim*, suburbanáque earum. Profectò residuis quoque posteris Merari adiudicatæ fuére ex Tribu Zabulon, *Remmono*, & *Thabor* cum earum suburbanis: trans Iordanem quoque ex aduerso Iericho contra Orientem Iordanis datæ eis fuérunt ex Tribu Ruben *Bosor* sitæ in solitudine, & *Iassa*, cum suburbanis: ex Tribu autem Gad *Ramoth* apud Galaad, *Manaim*, *Hesebon*, *Iazer*, earúmque suburbana.

CAPVT VII.

Posteri Issachar, Benjamin, Nephthali, Manasse, Ephraim, & Asser memorantur.

1. PORRÒ filij Issachar: Thola, & Phua, Iasub, & Simeron, quatuor. 2. Filij Thola: Ozi & Raphaia, & Ieriel, & Iemai, & Iebsem, & Samuel principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus Dauid, viginti duo millia sexcenti. 3. Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michaël, & Obadia, & Iohel, & Iesia quinque omnes principes. 4. Cúmque eis per familias & populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuérunt vxores, & filios. 5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum octoginta septem millia numerati sunt. 6. Filii Benjamin: Bela, & Bechor, & Iadiel, tres. 7. Filii Bela: Esbon, & Ozi, & Oziel, & Ierimoth, & Vrai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia & triginta quatuor. 8. Porrò filii Bechol: Zamira, & Ioas, & Eliezer, & Elioënai, & Amri, & Ierimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filii Bechor. 9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia, & ducenti. 10. Porrò filii Iathel: Balan. filii autem Balan: Iehus, & Benjamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharsis, & Ahisahar. 11. Omnes hi filii Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia & ducenti, ad prælium procedentes. 12. Sepham quoque, & Hapham filii Hir: & Hasim filii Aher. 13. Filii autem Nephthali: Iasiel, & Guni, & Iesser, & Sellum, filii Bala. 14. Porrò filius Manasse, Esriel: concubináque eius Syra peperit Machir patrem Galaad. 15. Machir autem accepit vxores filiis suis Happhim & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ. 16. Et peperit Maacha vxor Machir filium, vocauítque nomen eius Phares: Porrò nomen fratris eius, Sares: & filii eius Vlam, & Recem. 17. Filius autem Vlam, Badan. hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse: 18. Soror autem eius Regina peperit virum decorum, & Abiezer, & Mohola. 19. Erant autem filii Semida, Ahin, & Sechem, & Leci, & Aniam. 20. Filii autem Ephraim: Suthala, Bared filius eius, Thahath filius eius, Elada filius eius, Thahath filius eius, huius filius Zabad, 21. & huius filius Suthala, & huius filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descéderant vt inuaderent possessionem eorum. 22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius vt consolarentur eum. 23. Ingressúsque est ad vxorem suam: quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eò quòd in malis domus eius ortus esset: 24. filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara. 25. Porrò filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, & de quo natus est Thaan, 26. qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Elizamia, 27. de quo ortus est Nun, qui habuit filium

filium Ioſue. 28. Poſſeſſio autem eorum & habitatio, Bethel cum filiabus ſuis, & contra Orientem Noran, ad Occidentalem plagam Gazer & filiæ eius, Sichem quoque cum filiabus ſuis, vſque ad Aza cum filiabus eius. 29. Iuxta filios quoque Manaſſe, Bethſan & filias eius, Thanach & filias eius, Mageddo & filias eius, Dor & filias eius: *in his* habitauerunt filii Ioſeph, filii Iſraël. 30. Filii Aſer: Iemna, & Ieſua, & Ieſſui, & Baria, & Sara ſoror eorum. 31. Filii autem Baria: Heber, & Melchiel: *ipſe* eſt pater Barſaith. 32. Heber autem genuit Iephlat, & Somer, & Hotham, & Suaa ſororem eorum. 33. Filii Iephlat: Phoſech, & Chamaal, & Aſoth: hi *filii* Iephlat. 34. Porrò filii Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Haram. 35. Filii autem Helem fratris eius: Supha, & Iemna, & Selles, & Amal. 36. Filii Supha: Sue, Harnapher, & Saul, & Beri, & Iamra, 37. Boſor, & Hod, & Samma, & Saluſa, & Iethran, & Bera. 38. Filii Iether: Iephone, & Phaſpha, & Ara. 39. Filii autem Olla: Aree, & Haniel, & Reſia. 40. Omnes hi filii Aſer, principes cognationum, electi atque fortiſſimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta eſſet ad bellum, viginti ſex millia.

COMMENTARII.

1. De poſteritate Iſſachar.

VERS. 1.2.3.4.5.] Patriarchæ Iſſachar quatuor recenſeo filios: *Thola, Phua, Iaſub*, & *Simeron*. Quorum Iaſub, & Simeron, *Gen.* 46.13. *Iob* & *Samron* vocitantur. Verum Thola ſex filios ſuſcepit: *Ozi, Raphaia, Ieriel, Iemai, Iebſem*, & *Samuel, Principes per domos cognationum ſuarum*, Hebr. *Capita per domum* (id eſt, domos) *patrum ſuorum*, hoc eſt, quiſque horum ſua in familia caput erat. De ſtirpe Thola annumerati fuére *viginti duo millia viri fortiſſimi* tegnante Dauide, quando populum numerare voluit 2. *Reg.* 24. Profectò ſic illam particulam, *Principes per domos cognationum ſuarum*, alij exponunt: Filij hi Tholæ non conſtituérunt peculiares familias, quæ ab illis nomen accepiſſent: ſed ab aliis cognationibus, aut familiis Tribus eiuſdem nominati ſunt. * Attamen vt Principes eſſent, ac capita cognationum ſuarum ſufficeret illis *viri* eſſe *fortiſſimi*. Siquidem cognationem aut ſtirpem filiorum fortitudo, pluſquam ſanguis facit eſſe præclaram.] *Filij* autem *Ozi: Iſraia*. Nec alius aſſignatur. Cur ergò ſacer Scriptor non dixit: *Filius Ozi*. Sed *Filij?* Certè ſolum Izraiam nominauit, non quòd nullus alius fuérit, ſed quod hic ſolus præluſtris extiterit, & huius ſolius poſteros decreuerit recenſere. * Porrò in nobilium familia ille ſolus dignus eſt nominari, qui auguſtæ ſanguinis naturæ reſpondet.] In fratris præluſtris conſpectu, qui præluſtres filij non ſunt, facilius aſſolent deſpectari.]* Niſi dixeris, ſacrum Scriptorem ideò in plurali numero vnicum Izraiam collocaſſe, quia vel vnus filius egregius pro multis æſtimandus eſt.] De Izraia itaque nati ſunt *Michaël, Obadia, Iohel*, & *Ieſia, quinque* ſcilicet Principes, ſeu capita familiarum. *Quinque*, inquam, id eſt, filij cum patre Izraia. * Quam fœlix progenies! in qua tam fortes filij ſunt, vt poſſint cum parente fortiſſimo numerum facere.] Cúmque eis Principibus neceſſarium eſſet tempore Dauidici cenſus annumerati *per familias, ac populos ſuos* ex accinctis ad prælium viris fortiſſimis *triginta ſeu millia* fuérunt inuenti. At cùm pauci eſſent Principes, familiarum, adeò tamen capitum numerus excreuit, quia plures duxerunt vxores, & multos filios ſuſcepérunt, ex quibus ſubinde copioſa liberorum ſoboles extitit. Fratres quoque eorum, omnibus Iſſachar cognationibus ſimul computatis, præter cognationes Principum paulo antè annumeratorum inuenti fuére in cenſu illo Dauidico *octoginta ſeptem millia, viri* ſcilicet ad pugnandum *robuſtiſſimi*.

Illum caput illuſtris familiæ reputa, à cuius fortitudine ipſa cæ decoratur.

In nobilium familia ille ſolus eſt dignus nominari, qui ſanguinis naturæ reſpondet.

In conſpectu præluſtris fratris, qui præluſtres non ſunt, facilius reſpectantur.

Vel vnus filius egregius pro multis æſtimandus.

Fœlix familia, in qua ſortis filius poteſt cum forti parente numerum facere.

Verſ. 6.7.8.9.10.11.12.] Porrò Patriarcha Benjamin ſuſcepit hoſce tres filios: *Bela, Bechor*, & *Iadiel*. At *Gen.* 46.21. *decem* Benjamini filij annumerantur: *Numer.* 6.38. *quinque* tantùm recenſentur. Ea putarim de cauſa quinque ſilentio obuolui, quòd ex his *quinque* duntaxat familiæ propagatæ fuerint. * Filius, à quo familia incrementum non accipit, haud dignus in filiorum catalogo recenſeri.] Sed cur hic non omnes illi *quinque* familiæ propagatores memorantur? Verùm *cap. ſequenti* initio ſtatim, vbique hîc deſunt, ſupplentur, *quinque*, Benjamini filij, eorúmque cognationes totidem exponuntur. Primogeniti filij Bela: *Eſbon, Ozi, Oziel, Ierimoth*, & *Vrai*: *quinque* quidem familiarum Principes ad certamina *robuſtiſſimi*. Numerus autem Belæ poſterorum ex his filiis quinque *viginti duo millia & triginta quatuor*. Certè vt non pugnet hic locus cum alio *Num.* 26.38. teſtimonio, & cum iis, quæ initio *cap. ſequentis* dictitantur, affirmo, familias præcipuas Tribus Benjaminiæ fuiſſe *ſeptem*, quarum *quinque* à filiis Benjamini accepére nomen; duæ verò à duobus eiuſdem nepotibus filiis Bela: ita enim expreſsè legimus *Numer. loco citato*. Cùm autem hic dicitur *quinque* filios Bela Principes familiarum extitiſſe, haud eſt accipiendum de præcipuis familiis, ſed de minus principalibus, quæ fortaſſe aliis aggregabantur, licet ab illis generationis ordine non procederent. Fuére filij Bechor ſeptem: *Zamira, Ioaſ, Eliezer, Elioënai, Amri, Ierimoth, Abia, Anaohoth*, & *Amath*. *Omnes hi* Bechor extitére filij, annumeratíque ſunt per familias ſuas *Principes cognationum*, & *virorum fortiſſimorũ*: ad certamina *viginti millium ſuprà ducentos* numerum expleuérunt. Filij vero Iadiel: *Balan*. Plurale prò ſingulari, vt ſæpè alibi apponitur. Filij autem Balan fuére ſeptem: *Iehus, Beniamin. Aod, Chanana, Zethan, Tharſis*, & *Ahiſuhar*. *Omnes hi filij*, ſeu nepotes, Iadihel *cognationum ſuarum Principes*, quarum, profectò *decem & ſeptem millia ſupra ducentos viri fortiſſimi* ad prælium

2. De poſteritate Benjamin.

Filius, à quo familia incrementum non accipit, haud dignus, in filiorum catalogo recenſeri.

prælium procedentes annumerati sunt. Porrò filij Hir (qui suprà dictus est Vrai, seu Hiri) fuérè *Sepham*, & *Hapham*. *Hasim* denique filij, seu filius fuit Aher.

3. De posteritate Nephthali, & Manasse.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.] Nephthali autem posteritas grex pusillus: fuére enim filij eius *Iasiel*, *Guni*, *Iesser*, & *Sellum*: *filij* quidem, siuè posteri *Bale*, quæ fuit concubina Iacob, ac Rachelis ancilla. *Gen.* 46. 24. Iam verò Manasse posteritatem describo. Manassis filius fuit *Esriël* ex vxore primaria, è concubina autem natione *Syra*, Aramæa nomine, suscepit *Machir patrem* seu genitorem *Galaad*. Nomen esse viri Galaad patet *vers.* 17. & ex *Num.* 26. 29. *Machir autem accepit vxores filiis suis Happhim, & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha.* Locus admodum difficilis. Hebr. *Machir accepit vxorem.* Particula *Filiis suis* ab Hebræo, & Græco non est, sed à Hieronymo addita. Porrò Happhim & Saphan siue Hupim & Supim (vt in Hebræo reperio) positi sunt *Vers.* 12. inter posteros Issachar. Sic autem censeo totum locum vertendum: Machir accepit sibi vxorem nomine Maacha sororem Hupim, & Suphim. Vnde Hebr. loco illius particulæ: *Et habuit sororem nomine Maacha*, habet *Soror eorum*, scilicet Hupim, & Suphim, posterorum Issachar *erat Maacha*: Sic Lxx. & verè, quia mox Maacha dicitur vxor Machir: fuit ergo vxor Machir soror Hupim, & Supim. Nomen autem secundi filij Machir fuit *Salphaad*. *Num.* 26. 29. Machir genuit *Galaad*, hic *Heber*, filius Heber fuit *Salphaad*. Ergo vocatur *Salphaad* secundus filius Machir, id est, vnus è posteris eius, cui quidem *natæ sunt filiæ*, quarum historicam circa paternæ hæreditatis acquisitionem habes *Num.* 27. Maacha verò *vxor Machir* filium enixa est, cui *Phares* nomen impositum. Alium Phares fratrem habuit *Sares* nomine: cuius extitére filij *Vlam*, & *Recen*. Filius autem Vlam fuit *Badan*. Hi sunt filij Galaad filij Machir filij Manasse. *Soror autem eius*, id est Galaad, *Regina peperit Virum decorum*. Regina Hebraicè est מלכות *Molechet*, nomen quidem proprium, cuius interpretatio est *Regina*. Pro *Virum decorum* est Hebraicè אישהוד *Ishod*, nomen etiam proprium, cuius interpretatio est *Vir decorus*. Hieronymus autem putauit esse nomen appellatiuum, diuisítque in duo *Is*, id est, *virum*, & *Hod*, id est, *decor*. Soror itaque Galaad Molechet peperit *Ishod*, *Abiezer*, & *Mohola*. Porrò filij *Sedida* (vnius ex filiis Galaad de Tribu Manasse *Num.* 26. 32. fuérunt: *Ahin*, *Sechem*, *Leci*, & *Aniam*. * Non excidat sine pondere vox illa, *Regina peperit virum decorum*. Et quando Reginæ viros decoros non pariunt? si filius Regis est stultitiæ laborans *vir*, vel à cuna *sapiens* exponitur; si fœdus sit, *pulcherrimus* aspectantium oculis apparet. Adeò apud aulicos adulatio viget.]

Regum filij nunquam nō Sapientes, ac decori, aulicorum adulatione.

4. De posteritate Ephraim.

Vers. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.] Enimverò Patriarchæ Ephraim hoscè suscepit filios: *Suthala* primogenitum; deinde ortus est *Bared*, *filius eius*, id est Ephraim; *Elada filius eius*, *Thahath filius eius*: *huius filius Zabad*, *& huius filius*, *Suthala*, *& huius* filij *Ecer*, *& Elad*. *Omnes* itaque præfati fuére immediati Ephraimi filij: Id ostenditur, quia de luctu eiusdem Ephraimi, & de consolatione illi ab amicis adhibita, & de ingressu ad vxorem versiculis proximè sequentibus agitur. Scio alios opinari omnes ordine genitos fuisse posteriorem à priore: sed meam expositionem magis consonare cum *num.* 26. 35. crediderim. Proh dolor! Gethæi è Palestina, qui rapto viuere solebant in Ægyptum descenderunt prædæ causa, & in Ephraimitas, qui in terra *Gessen* primi occurrérunt, aut primi sese certamini animosè intulére, irruérunt, eósque omnes, dum frater ferret opem fratri, interimére. Interfecti itaque sunt à Getheis *filij* Ephraim: pater autem eorum Ephraimus diu luctum gessit, fratrésque seu contribules eius ad eum ventitarūt, vt afflictum cura ac dolore, piis colloquiis leuarent. * Ab iis enim, quòd necessariò humanitatis propensione patimur afflictos discimus misereri.] Ingressóque ad vxorem suam, illa concepit, filium enixa fuit, eique *Beria* nomen impositum, eo quod *in malis domus eius* ortus esset. Hebr. בריעה *Beria In malo* significat, vel *in afflictione*, vel *in vlulatione*. * Certè particula illa, *Ingressus est ad vxorem suam*, innuit Ephraimum post tot filios susceptos matrimonij licentiæ nuncium remisisse: qui quidem rursùm ad vxorem accessit, non vt voluptati operam daret, sed vt nobilissimæ familiæ studeret propagationi. O quam laudabiliter licitas Deo litas voluptates!] Aptè cunctis natis tuis illud poteris nomen imponere *Beria*! quia toto hoc lachrymabili sæculo nullus non *in malis domus*, ac Reipublicæ nascitur. Eius verò, id est Ephraim filia fuit *Sara*, quæ ædificauit Betheron inferiorem & superiorem, & Ozensara, id est, instaurauit: nam antequam Israëlitæ ad promissæ Terræ possessionem ingrederentur, à Chananæis hæc Ciuitas incolebatur. Instauranit autem, quia Israëlitæ quas capiebant Vrbes eas ferro ac igne vastabant. *Ios.* 12. 11. & 13. * Facilius credideris, Vrbes per per fœminam desolari, ac corruere, quàm à fœmina exædificari, siue instaurari. Vnde ad egregiam Saræ commendationem annotatur Vrbes Bethoron, & Ozensera ædificasse.] Porrò filij eius, id est, Beriæ fuére: *Rapha*, *Reseph*, *& Thale*, de quo ortus est *Thaan*. Hic verò genuit *Laadan*: cuius filius fuit *Ammiud*, *Elizama* genitor. Ex Elizama prodiit. *Nun*, cuius filius fuit *Iosue* inclytus ille populi Dux, Mosis in Principato successor. Verùm Ephraimitarum possessio, habitatióque fuit *Bethel cum filiabus suis*; & contra Orientem *Noran*; ad Occidentalem plagam *Gazer* & *filiæ eius*: *Sichem* quoque *cum filiabus suis* vsque ad Aza, ac filias eius. Profectò Bethel pertinuit ad Tribum Benjamin, vt patet *Ios.* 18. sed eam ab Ephraimitis proditione captam fuisse asserit Adrichomius. Cæterùm filiæ Vrbium vocitantur circumiectæ Villæ, quæ sunt quodammodò *filiæ Metropolis*, quia hæc vox *Metropolis* Ciuitatem matrem significat. * Planè verius potuisset *Metropolis* Ciuitas nouerca vocitari, quæ circumiectas Villas exagitat, mancipia efficit, imò conuertens se in hirudinem earum sanguinem exugit.] *Iuxtà filios quoque Manasse*: hoc est, Tribus Ephraim iuxtà se habuit Tribum Manasse, quæ erat illi ad septentrionem; ad quam attinebant Vrbes *Bethean*, *Thanach*, *Mageddo*, *Dor*, & Villæ ac agri circumiecti: In his habitauerunt *filij Ioseph*, id est, filij Manasse, qui Iosephi filij Iacobi *filius* extitit.

Ex his, quæ patimur, discimus misereri afflictis.

Licitis voluptatibus nūcium remittere, admodū est laudabile.

Fœminæ certius destruūt, quàm adificant Vrbes.

Ciuitas Metropolis cum debeat esse Villarum mater, nouerca ostenditur.

Vers. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.] Denique ex Aſſer extitêre filij *Iemna, Ieſua, Ieſſui,* & *Baria,* quia habuêre ſororem *Sara* nomine. Ex his verò Patriarchæ Aſer filiis Baria genuit *Heber,* & *Melchiel,* qui fuit pater *Barſaith.* Heber autem ſuſcepit *Iephlat, Somer, Hotham, Suadque Sororem eorum.* Addidit proximam particulam, *Sororem eorum,* non ſemel facer Scriptor, vt diſtingueret nomen filiarum à filiorum nomine, quæ non facilè poterant internoſci. Iephlato verò hi nati ſunt filij: *Phoſech, Chamaal,* & *Aſoth.* Somer autem hoſce natos habuit: *Ahi, Roaga, Haba,* & *Aram.* Filij verò Helem fratris Somer (fortaſſis eſt qui *Vers.* 32. *Hotham* vocitatur) fuêre *Supha, Iemna, Selles,* & *Amal.* Supha genuerat *Sue, Harnapher,* *Sual, Beri, Iamra, Boſor, Hod, Samma, Saluſa, Iethan,* & *Bera.* Ex Iether obortus eſt *Iephone, Phaſpha,* & *Ara.* Profectò Iephone hic non eſt pater ille Caleb, quia hic de Tribu Aſer, ille de Tribu Iuda. Ex Olla proceſſêre *Arce, Hamel,* & *Reſia.* Certè Ollam reor eſſe virum in ea Tribu inſignem, ſed quonam è parente ortum non inuenio. * Attamen eius viri, quem notum efficiunt aut geſta, aut clara poſteritas, non eſt, cur natalitium inquiratur.] Hi itaque omnes, quos recenſuimus, ſunt filij Aſer *Principes cognationum,* ſeu *Capita domus:* electi quidem ac fortiſſimi *Duces Ducum,* Duces ſcilicet maiores aliis minoribus Ducibus imperantes. Eorum autem, quorum ætas apta eſſet ad bellum, numerus *viginti ſex millia* extitêre.

5. De poſteritate Aſer.

Viri, cuius geſta aut filij clari eum faciunt notum.

non eſt inquirendum natalitium.

CAPVT VIII.

Rurſum poſteri Benjamin, & primi Iudæorum Regis Saul recenſentur.

1. BENIAMIN autem genuit Bale primogenitum ſuum, Asbel ſecundum, Ahara tertium, 2. Nohaa quartum, & Rapha quintum. 3. Fuerúntque filij Bale: Addar, & Gera, & Abiud, 4. Abiſue quoque & Naaman, & Ahoë, 5. ſed & Gera, & Sephuphan, & Huran. 6. Hi ſunt filij Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui tranſlati ſunt in Manahath. 7. Naaman autem, & Achia, & Gera: ipſe tranſtulit eos, & genuit Oza, & Ahiud. 8. Porrò Saharaim genuit in regione Moab, poſtquam dimiſit Huſim & Bara vxores ſuas. 9. Genuit autem de Hodes vxore ſua Iobab, & Sebia, & Moſa, & Molchom: 10. Iehus quoque, & Sechia, & Marma: hi ſunt filij eius, Principes in familiis ſuis. 11. Mehuſim verò genuit Abitob, & Elphaal. 12. Porrò filij Elphaal: Heber, & Miſaam, & Samad: hic ædificauit Ono, & Lod, & filias eius. 13. Baria autem & Sama, principes cognationum habitantium in Ajalon: hi fugauêrunt habitatores Geth. 14. Et Ahio, & Seſac, & Ierimoth, 15. & Zabadia, & Arod, & Heder. 16. Michaël quoque, & Ieſpha, & Ioha, filij Baria. 17. Et Zabadia, & Moſollam, & Hezeci, & Heber, 18. & Ieſamari, & Iezlia, & Iobab filij Elphaal, 19. & Iacim, & Zecri, & Zabdi, 20. & Elioenai, & Selethai, & Eliel, & Adaia, & Baraia, & Samarath, filij Semei. 21. Et Ieſpham, & Heber, & Eliel, 22. & Abdon, & Zecri, & Hanan, 23. & Hanania, & Ælam, & Anathothia, 24. & Iephdaia, & Phanuel, filij Seſac. 25. Et Samſari, & Sohoria, & Otholia, 26. & Ierſia, & Elia, Zechri, filij Ieroham. 27. Hi Patriarchæ, & cognationum Principes, qui habitauêrunt in Ieruſalem. 28. In Gabaon autem habitauêrunt Abigabaon, & nomen vxoris eius Maacha: 29. filiúſque eius primogenitus Abdon & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab, 30. Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth: 31. & Macelloth genuit Samaa: habitauêruntque exaduerſo fratrum ſuorum in Ieruſalem cum fratribus ſuis. 32. Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. 33. Porrò Saul genuit Ionathan, & Melchiſua, & Abinadab, & Esbaal. 34. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. 35. Filij Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. 36. Et Ahaz genuit Ioada: & Ioada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri. Porrò Zamri genuit Moſa, & Moſa genuit Baana, cuius filius fuit Rapha de quo ortus eſt Elaſa, qui genuit Aſel. 38. Porrò Aſel ſex filij fuêrunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Iſmaël, Saria, Obdia, & Hanan, omnes hi filij Aſel. 39. Filij autem Eſec fratris eius, Vlam primogenitus, & Iehus ſecundus, & Eliphalet tertius. 40. Fuerúntque filij Vlam viri robuſtiſſimi, & magno robore tendentes arcum: & multos habentes filios ac nepotes, vſque ad centum quinquaginta. Omnes hi filij Benjamin.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Posteri Benjaminiæ Tribus vsque ad Marma. *Ex vnico postero illustri tota progenies decoratur.*

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.] Rursum quidem Benjamin posteri recensentur, quia ex eius Tribu Rex primus Saul duxit exortum. * Ex postero enim vel vnico augusto tota progenies mirum in modum decoratur.] Quinque itaque Benjamin extitére filij. Primogenitus *Bale*, quem superiori capite facer textus *Bela* vocat: secundus *Asbel*, tertius *Ahara*, quartus *Nohaa*, *Rapha* quintus. Primogenitus autem Balé hos filios suscepit: *Addar*, *Gera*, *Abiud*, *Abisue*, *Naaman*, & *Ahoë*. Gera, seu Gerar, *Sephupham*, & *Huram*. Hi autem sunt filij *Ahod*. Non dicitur cuius hic sit filius, sed proximè superioris, scilicet Huram filium fuisse reor. Filij autem eius non iam commemorati, sed qui posteà memorantur. Itaque Huram genuit *Ahod*, Ahod autem extitére filij *Principes illi* seu *capita* cognationum aut familiarum habitantium in Gabaa, qui quidem translati fuérunt in Manahath, scilicet *Naman*, & *Achia*, & *Gera*. Sic planus est sensus, quem perdifficilem reddit Hieronymi translatio; scribit enim *Naman autem, & Achia, & Gera*. Redundat & Hebraïcè & Græcè *Autem*. Igitur sic legendum existimo: sunt filij Ahod tres illi Principes familiarum habitantium in Gabaa, videlicet *Naman*, *Achia*, & *Gera*. *Ipse* Gera *transtulit eos* nempe fratres suos in Manahath. Prius itaque tres illi familiarum Principes habitarunt apud Gabaa, & aliqua occasione, vel necessitate, quam Scriptura non explicat: in Manahath translati fuére *Ahodita* à fratre Gera aut solummodo fortasse superstite, aut omnium potentissimo. Porrò *Manahath* aut Vrbis, aut (vt alij voluerunt) regionis est nomen. Putarim *Manahath* Vrbem fuisse in regione Moabitarum, quia *Vers.* 8. dicitur, *Porrò Saharaim genuit in regione, Moab &c.* Gera ergo apud Manahath genuit *Oza*, & *Ahiud*. Porrò in regione, siue agro Moab, vbi prius habitabat, idem Gera suscepit *Saharaim*, postquam dimisit *Husim* & *Bara* vxores suas, dato illis repudij libello. At ex coniuge sua Hodés progenuit *Iobab*. Non est hic Iob ille patientiæ exemplar, Iobab enim, de quo hîc agitur, gente fuit Hebræus, Idumæus ille. Præterea Gera ex eadem vxore suscepit *Sebia Mosa*, *Molchon*, *Iehus*, *Sechia*, & *Marma*. Hi sunt filij Gera Principes seu capita familiarum.

2. Posteri eiusdem Beniaminiæ Tribus vsque ad Zechri.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.] *Methusim vero &c.* Hebræi explicant, *Ex Husim*, vt *Mem* sit præpositio. Igitur ex Husim altera ex vxoribus repudiatis genuit Gera duos filios, *Abitob*, & *Elphaël*. Profectò filij Ephaël fuére: *Heber*, *Misaam*, & *Semed*. Hic Vrbes *Ono*, & *Lod* eiusque filias siue circumiectas Villas ædificauit. Vtramque hanc Vrbem Adrichomius in Tribu Benjaminiá collocat: quarum mentio fit 1. *Esd.* 2. 33. & 2. *Esd.* 7. 37. & *cap.* 11. 35. Cur autem hæ Vrbes non ponuntur *Ios.* 18. 11. inter eas, quæ datæ sunt Benjamitis? Certè quia nondum erant extructæ. *Baria* autem, & *Sama* filij etiam Elphaal *Principes* extitére *habitantium in Aialon*, quæ tamen Ciuitas erat Tribus Dan, vt patet *Ios.* 19. 42. Fieri potuit vt Ajalon cum prius esset Tribus Dan, posteà ad Tribum Benjaminiam vicinam pertinuerit; est enim Dan ferè conterminа Benjamin, & illi adiacens Meridiem versus. Ajalon verò, si Adrichomij tabulis credimus, in Tribu Iuda à finibus Benjamin non plus distat quàm itinere duarum horarum. * Eum ergo tractum, qui ad Tribum Dan pertinuerat, Benjamitæ, rebus mutatis, tenuerunt. Nihil enim sub cœlo stabile. *Hi* ergo scilicet Baria & Sama *habitatores Geth*, id est, Philisthæos fugauérunt. Iam vero filij Baria fuérũt: *Ahio*, *Sesac*, *Ieremoth*, *Zabadia*, *Arod*, *Heder*, *Michaël*, *Iespha*, & *Ioha*. Filij autem Elphaal: *Zabadia*, *Mosollam*, *Hezeci*, *Heber*, *Iesamari*, *Iezlia*, ac *Iobab*. Filij vero Semei extitére: *Iacim*, *Zechri*, *Zibdi*, *Elioenai*, *Selethai*, *Eliel*, *Adaia*, *Baraia*, & *Samarath*. Porrò Sesac hosce suscepit filios: *Iesphana*, *Heber*, *Eliel*, *Abdon*, *Zechri*, *Hanan*, *Hanania*, *Aelam*, *Anathothia*, *Iephdaia*, ac *Phanuel*. Ieroham vero pater horum extitit: *Samsari*, *Soboria*, *Otholia*, *Ierfia*, *Elia*, & *Zechri*. Hi *Patriarchæ*, (Hebr. *Capita Patrum* Seu familiarum, & cognationum Principes, qui in Ierusalem habitauérunt. Pars enim illa Vrbis Ierusalem, quæ Septemptrionem spectabat, ad Tribum Benjaminiam pertinebat: quæ verò spectabat Meridiem, erat Tribus Iudæ.

Nihil sub cœlo stabile.

3. Patres ac posteri Regis Saul.

Vers. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.] Apud Gabaon vero habitauérunt *Abigabaon* id est, Pater seu Dominus *Gabaon* Vrbis, cuius vxor Macha vocabatur: & filius eius primogenitus *Abdon*, aliique octo posteriti, scilicet *Sur*, *Cis*, *Baal*, *Nadab*, *Gedor*, *Ahio*, *Zacher*, & *Macelloth*. Quodnam autem nomen Principes illius Vrbis *Gabaon? Iehiel*, quod silentio suppressit sacer Scriptor, & cognominis loco virum illum *Patrem* seu *Principem* Gabaon appellat. * Certè propium Principis eximij nomen est esse Principem, veréque Dominum posse vocitari. Ex egregia subditorum moderatione magis est agnoscendus quàm ex nomine illustri.] Porrò Vrbs Gabaon in sorte Benjamin adiacebat. Macelloth vero progenuit *Samaa*. Habitauerúntque hi filij Iehiel *ex aduerso fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis*. Vox illa *ex aduerso* Hebraïcè est נכח *neghed*, id est, *cum* (exposítore Hebræo) vt sit sensus, Habitauerunt filij Iehiel cum fratribus suis in Ierusalem, quod mox repetitur, vt gaudeat ea lingua repetitionibus. Profectò premens vnam & alteram particulam, *Habitauérunt ex aduerso fratrum*, *Habitauerunt cum fratribus suis*, cognatorum agnatam ex iniquitate oppositionem recognosco. * Idem est propinquum cum propinquo commorari, ac ex aduerso eius existere, ob domesticas frequentes propinquorum simultates, Constat *ex* 1. *Reg.* 10. 26. Saulem & patrem eius Cis habitasse in Gabaa: quonammodo igitur asseruntur hîc apud Ierosolymam habitasse? Respondeam, quia cunctæ familiæ aliquando sedes mutauerunt, cuius *hoc capite vers.* 6. habes exemplum; aut, si magis placeat, asseruerim originem quidé familiæ Saulis fuisse in Gabaon, sed tamen Cis & Saul in Gabaon domicilium non habuisse. Ner autem genuit *Cis* patrem *Saul*. Inter alios filios Abigabaon seu Iehiel ponitur Cis *vers.* 30. Ergo cum Cis dicatur filius Ner, putant

Nomen Principis probi est, verè esse Principem. *Ex Principatu agnoscendus plus, quã ex nomine.*

Propinquorum agnata oppositio.

Hebræi eundem Iehiel esse Ner dictum à nobilitate, quod instar lucernæ esset: id vox- *Lux Regis, seu viri egregij futura à proauis prodeat.* Ner significat. * Quàm aptè Regis Saulis lux ab auo procedit. Oportet enim filios egregios futuros aspectare in proauis quid imitentur.] Profectò ex Saule geniti fuere *Ionathas, Melchisua, Abinadab,* & *Esbaal*, alio nomine *Iboëth*, qui aliquandiu pro Saule patre regnauit; nam tres priores cum Saule occubuére. 1. *Reg.*31.6. Filius autem Ionathæ fuit *Meribaal*, qui 2.*Reg.*9.6. vocatur *Miphiboseth*. Meribaal verò seu Niphiboseth suscepit *Micha*. Huius extitére filij: *Phithon, Melch, Thaara,* & *Ahaz*. Ex Ahaz natus est *Ibiada*, ex Ioiada *Alamath, Azmoth,* & *Zamri* processerunt. Ex Zamri obortus est Mosa, ex Mosa *Baanabo*, cuius filius fuit Rapha, à quo Elasa processit, genitor *Asel*. Profectò Asel. *Sex filios* suscepit, quorum hæc nomina: *Ezricam, Bocru, Ismaël, Saria, Obdia*, & *Hanan*: omnes quidem hi filij Asel. Verum Asel alium habuit fratrem nomine *Esec*, qui *tres* habuit *filios, Vlam* primogenitum, *Iehus* secundum, Eliphalet tertium. Extiteréque hi tres filij Vlam *viri robustissimi*, ac magno robore tendentes arcum. Benjamitæ quidem & nominatim hi, qui ex Gabaa, ortum duxére eximij fuére fundibularij, vt discimus *ex Iud.* 20.16. Dauid autem Ionatham laudat, quòd optimus esset Sagitarius 2.*Reg.*2.22. Denique hi filij Vlam tanto posteritatis honore fulxére, vt centum quinquaginta nepotibus cingerentur. *Omnes hi filij Benjamin.* Id est de Tribu Beniaminia omnes hi, qui nominati sunt, hactenus ortum deduxérunt.

CAPVT IX.

Israëlitæ Principes, qui è Babylone Ierosolymam cum Sacerdotibus & Leuitis, & Nathinæis remigrauére, recensentur. Rursum Benjamitæ, parentes, ac posteri Saulis memorantur.

1. VNIVERSVS ergo Israël dinumeratus est: & summa eorum scripta est in Libro regum Israël, & Iuda: translatique sunt in Babylonem propter delictum suum. 2. Qui autem habitauerunt primi in possessionibus, & in vrbibus suis? Israël, & Sacerdotes, & Leuitæ, & Nathinæi. 3. Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, & de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, & Manasse. 4. Othei filius Ammiud, filij Amri, filij Omrai, filij Bonni, de filiis Phares filij Iuda. 5. Et de Siloni: Asaia primogenitus, & filij eius. 6. De filiis autem Zara: Iehul, & fratres eorum, sexcenti nonaginta. 7. Porrò de filiis Benjamin: Salo filius Mosollam, filij Oduia, filij Asagna: 8. & Iohania filius Ieroham: & Ela filius Ozi, filij Mochori: & Mosollam filius Saphatiæ, filij Rahuel, filij Iebaniæ, 9. & fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum. 10. De Sacerdotibus autem: Iedaia, Ioiarib, & Iachin: 11. Azarias quoque filius Helciæ, filij Mosollam, filij Sadoc, filij Maraioth, filij Achitob, Pontifex domus Dei. 12. Porrò Adaias filius Ieroham, filij Phassur, filij Melchiæ: & Maasai filius Adiel, filij Iezra, filij Mosollam, filij Mosollamith, filij Emmer. 13. Fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerij in domo Dei. 14. De Leuitis autem: Semeia filius Hassub, filij Ezricam, filij Hasebia, de filiis Merari. 15. Bachacar quoque carpentarius, & Galal, & Mathania filius Micha, filij Zechi, filij Asaph: 16. & Obdia filius Semeiæ, filij Galal, filij Idithun: Barachia filius Asa, filij Elcana, qui habitauit in atriis Netophati. 17. Ianitores autem: Sellum; & Accub, & Telmon, & Ahimam, & frater eorum Sellum princeps, 18. vsque ad illud tempus, in porta regis ad Orientem, obseruabant per vices suas de filiis Leui. 19. Sellum verò filius Core, filij Abiasaph, filij Core, cùm fratribus suis, & domo patris sui. hi sunt Coritæ super opera ministerij, custodes vestibulorum tabernaculi: & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. 20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino. 21. Porrò Zacharias filius Mosollamia, ianitor portæ tabernaculi testimonij. 22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: & descripti in villis propriis: quos constituerunt Dauid, & Samuel videns, in fide sua. 23. tam ipsos, quàm filios eorum, in ostiis domus Domini, & in tabernaculo, vicibus suis. 24. per quatuor ventos erant ostiarij: id est ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum. 25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in sabbatis suis de tempore vsque ad

tempus

tempus. 26. His quatuor Leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum, & erant ſuper exedras, & theſauros domus Domini. 27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in cuſtodiis ſuis: vt cùm tempus fuiſſet, ipſi manè aperirent fores. 28. De horum genere erant & ſuper vaſa miniſterij: ad numerum enim & inferebantur vaſa, & efferebantur. 29. De ipſis, & qui credita habebant vtenſilia Sanctuarij, præerant ſimilæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus. 30. Filij autem Sacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Et Matthatias Leuites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum quæ in ſartagine frigebantur. 32. Porrò de filiis Caath fratribus eorum, ſuper panes erant propoſitionis, vt ſemper nouos per ſingula ſabbata præpararent. 33. Hi ſunt principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedris morabantur, vt die ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent. 34. Capita Leuitarum, per familias ſuas principes, manſerunt in Ieruſalem. 35. In Gabalon autem commorati ſunt, pater Gabaon Iehiel, & nomen vxoris eius Maacha. 36. Filius primogenitus eius Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab, 37. Gedor quoque, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth. 38. Porrò Macelloth genuit Samaan: iſti habitauerunt è regione fratrum ſuorum in Ieruſalem, cum fratribus ſuis. 39. Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ionathan, & Melchiſua, & Abinadab, & Esbaal. 40. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Neribbaal genuit Micha. 41. Porrò filij Micha, Phiton, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. 42. Ahaz autem genuit Iara, & Iara genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri. Zamri autem genuit Moſa. 43. Moſa verò genuit Banaa: cuius filius Raphaia, genuit Elaſa: de quo ortus eſt Aſel. 44. Porrò Aſel ſex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Iſmahel, Saria, Obdia, Hanan. hi ſunt filii Aſel.

COMMENTARII.

1. Iſraëlitæ qui è Babylone remigrarunt Ieroſolymã, annumerantur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.] Præcedentibus huc vſque capitibus recenſiti ſunt, qui captiuitatem Babylonicam anteceſſerunt: hoc verò *cap.* 9. ij recenſentur Principes, qui ſoluta iàm captiuitate, ad ſuas ſedes in Iudæam remigrarunt. Non conſtat, quænam ſit hæc dinumeratio populi, illáne, quæ facta eſt iuſſu Dauidis? 2. *Reg.* 24. 1. an verò aliqua alia, quæ captiuitatem Babylonicam non multum anteceſſerit? Quid ſi dinumeratio hæc facta fuerit ab aliquo rerum Iſraëliticarum Hiſtorico, in cuius libris hæ genealogiæ, & cognationes, ac aſcendentium, deſcendentiúmque ſeries continerentur: non autem cenſu inito, vt Moſes & Dauid geſſerat? Igitur vniuerſus Iſraël dinumeratus eſt poſt ſolutam captiuitatem: & Summa capitum in libro Regum *Iſraël*, & *Iuda* ſcripta exponitur. Particula *Et Iuda* LXX. & Hieronymus iunxerunt cum ſuperioribus: *In libro Regum Iſraël & Iuda*, vt ſint duo libri, de quibus ſuperiùs. Hebraïcè autem iungitur cùm ſequentibus, vt liber ſit tantùm Regum Iſraël: ſed per Iſraël vtrumque hîc Regnum & librum intelligat. Mox ſequitur. Et Iuda tranſlati ſunt (Iudæi ſcilicet) nam de eius Regni tranſlatione agit tantùm, quæ in Babylonem eſt facta. Tranſlati ſunt Iudæi in Babylonem *propter delictum ſuum*, idololatriæ ſcilicet. * Cuncta enim, quæ peccatoribus obueniunt incommoda è piaculis originem attrahunt.] At ſoluta captiuitate, poſt reditum ex Babylone, ex Iſraëlitis, Sacerdotibus, Leuitis, ac Nathinæis hi ſunt primi, qui Ieroſolymam Vrbémque reliquas, propria habitacula, remigrarunt. Quinam *Nathinæi?* Certè Nathinæus idem eſt, quòd *Donatus*, ſeu dono datus Templo. Erant hi Gabaonitæ, qui, quòd Iſraëlitis impoſuiſſent, ad aquam & ligna in vſus Templi conuehenda perpetuò addicti fuérunt *Ioſ.* 9. 23. * *Donati* itaque perpetuò aquæ, ligorúmque conuehendorum miniſterio addicuntur, non ad aliquod ſuperius munus eleuantur: nè inflati his, qui ſuperiora munia gerunt, exæquari præſumant. Id quod Regularium Præſules adnotent, vt Donatos ſuos in proprij miniſterij demiſſione contineant.] Hi ergo reduces ex Babylonica captiuitate cum Iſraëlitico populo: nempe qui euaſerant manus Aſſyriorum, cum decem Tribus à Théglath-Phur-Aſſar & Salman-Aſſar in Aſſyriam, & Mediam captiuæ abducerentur, & ſeſe ſubiecerant vinbræ, ac protectioni Regum Iuda: ſed poſt vnà cum ipſis Babylonem euecti fuerunt. Hi, inquam, etiam cum Tribu Iuda è Babylone in Iudæam reuerſi ſunt ad poſſeſſiones ſuas, & Vrbes, in quibus *primi* ſeu priùs habitauerant. * *Nathinæi* itaque ſeu Donati inter Principes reduces memorantur; vt edoceamur, nullum in communitate ob officium abiectum, neceſſarium vtique, eſſe deſpiciendum. Porrò captiuitatis tempore aliqui è decem Tribus elapſi ſunt, & ſeſe in Regnum Iuda recepérunt. Vnde de Iuda, de Benjamin, Ephraim, ac Manaſſe poſteris, tempore reditus Iudæorum etiam ipſi in Ieruſalem & Iudæam reuerſi, commorati fuére. Verum de Tribu Iuda hos inſigniores reduces annumero: *Othei* filius Amiud filij Amri filij Omrai filij Bonni, vtique ex Phares filij Iudæ procedens. De filiis autem Siloni, qui ad eandem Phares progeniem pertinebat, rediit *Aſaia* primogenitus, ac filij eius. De filiis autem ſeu poſteris Zara fratris Phares Iudæam iniuit *Iehuël*. Itaque *fratres* horum ſiue cognati ex eadem Tribu Iuda redierunt ſexcenti nonaginta. Quo numero

Donati Regulariũ haud ſunt euehendi ad ſuperiora munia.

Nullus in communitate ob officiũ abiectum, neceſſarium vtique deſpiciendus eſt.

Peccatorum incommoda è crimine trahunt originem.

filij Iuda, qui in Ierusalem post. captiuitatis solutionem habitauerunt, comprehenduntur. Profectò de posteris Benjam hos Ieroſolyma ſuſcepit: *Salo* filium Mosollam filij Odula filij Asana: & *Iohania* filium Ieroham: & *Ela* filium Hozi filij Mochori: & *Mosollam* filium Saphatiæ filij Rahuël filij Iebaniæ: & *fratres* seu posteros eorum per familias suas: quorum numerus nongentos quinquaginta sex exponébat. Omnes hi, quorum nomina expressa fuére, Principes seu capita cognationum per domos patrum suorum extitérunt.

2. Sacerdotes, qui redierunt ex captiuitate exprimuntur.

Vers. 10.11.12.13.] Redierunt vero de Sacerdotibus *Iedaia*, *Ioarib*, *Ioabein*, necnon *Azarias* filius Helciæ filij Masollam filij Sadoc filij Maraioth filij Achitob *Pontifex domus Dei* non primarius aut summus (nam in reditu summus erat Pontifex Iesus, vel Iosue filius Iosedechi, 1.Esd.3.8.) sed ex secundariis, nempe capitibus viginti quatuor familiarum Sacerdotalium, qui & Principes Sacerdotum, & Pontifices Templi vocabantur. Porrò Sadoc, & Achitob hi non sunt illi, qui superiùs iisdem nominibus sunt vocati: nàm illi multo tempore antè captiuitatem vixerunt: hi in captiuitate: nimirum eadem nomina sæpè recurrunt. Rediit & *Adaias* filius Ieroham filij Phasur filij Melchiæ: & *Maasai* filius Adiel filij Iezra filij Mosollam filij Mosollamith filij Emmet: & fratres seu contribules eorum familiarum Principes: horum verò numerus mille septingentos sexaginta viros referebat *fortissimos robore* ad gerendum opus Sacerdotalis ministerij *in domo Dei*. * Preme particulam *Fortissimi robore &c.* An non aptiùs ex roboris fortitudine commendarentur viri addicti militiæ, quàm Sacerdotes sacro muneri destinati? Certè in Sacerdote requiritur fortitudo ac robur non solum ex virium integritate ad exercenda munia Sacerdotalia, sed ex animi magnitudine ad Ecclesiæ immunitatem tuendam, ad subditorum iniquitatem flagellandam. Verum in omni vita nihil sine fortitudine rectè geritur.]

In Sacerdotibus requiritur fortitudo ad Ecclesiæ tuendam immunitatem, ad flagellandam nequitiam.

3. Leuitæ redeuntes ex Babilone, ac præcipuè Templi ianitores.

Vers. 14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.] Porrò de Leuitis Merari filiis rediérunt ad propria è captiuitate Semeia, *Semeia* filius Hasſub filij Ezrican filij Hasebia: Bacbacar quoque *Carpentarius*. Porrò Leuitæ artibus mechanicis non dabant operam: sed Carpentarius vocitatur non quia mechanico addictus esset ille artificio; sed quia carpentariam in Templo exercentibus artem præerat, vnde illi cognomen sumptum. * Quàm aptè quàm honorificè qui præest vel mechanicis artificibus à subditorum ministerio cognomina trahunt, vt ostendant æstimare subditos, è quorum laboribus nominari gloriantur.] Rediére & *Galal*, & *Mathania* filius Micha filij Zechri filij Asaph: & *Obdia* filius Semei filij Galal filij Idithum: & *Barachia* filius Asa filij Elcana, qui in *atrijs* seu *Villis* (Hebr.) Netophati habitauit Vrbis scilicet in Tribu Iuda sitæ. De ianitoribus autem rediérunt *Sellum*, *Accub*, *Telmon*, *Ahimam*, & *frater eorum Sellum Princeps*. Hi sunt præcipui ianitores, cuius filij textus non exponit. Hebr. & Græcè pro particula *& frater eorum* scripsére & *fratres eorum*. Significat alios eorum fratres in eo ministerio adiuuare. Aptiùs retineo vocem, *& frater eorum Sellum Princeps*, id est Sellum ille, qui primo nominatus est, inter quatuor fratres fuisse præcipuum. * Nullum ministerium rectè geritur, si non adsit Princeps, qui obseruet ex munere, an officium rectè geratur, delinquentes puniat, socordésque excitet.] Verùm ianitores Templi ministri erant, & ad eius ianuas excubabant, & sacras arculas, in quibus pecuniæ offerebantur, obseruabant, neminem immundum ingredi permittebant, &c. Hi itaque ianitores *vsque ad illud tempus in porta Regis ad Orientem obseruabant per vices suas ex filiis Leui*. Sententia est, vsque ad hoc tempus in porta præcipua Templi, quæ Orientem spectabat, & per quam Rex ingrediebatur, excubabant cuncti ianitores, per vices suas iuxta varias classes, in quas tributi erant Leuitæ ad hoc ministerium destinati. Adnoto, Templum illud Occasum spectare, contra quidem quam nostra: sic porta præcipua ad Orientem erat, Regísque porta vocabatur, quia nobilior cæteris. Aut, si malueris, loquitur de porta atrij exterioris Orientali, quæ Regi clausa erat *Ezeh.* 44.2. ideóque Regis porta vocatur: nam in Sanctuario vnica porta erat, non plures. At ianitores non ad eam portam aderant tantùm, quod nostra versio indicare videtur, sed ad alias etiam. Hebr. *Et vsque huc in porta Regis ad Orientem*. Hebræus quidam exponit, *Et illic vsque ad portam Regis*, vt constructio sit inuersa, & significet, in portis omnibus ianitores esse etiam in Regia. * Si autem cunctis in portis aderant custodes, cur solummodò apud portam Regiam extitisse exprimitur? Quia quod Regium est speciali cura custodiendum. * An non erat porta illa Orientalis clausa Principi? si clausa, quid custodes? Certè ad honorem Augustissimæ portæ datur custodia, non ad necessitatem. Vt fœminæ à maritis custodiæ addictæ, filiæ à parentibus, Religiosi iuuenes à Rectoribus ediscant, custodiam eis non apponi ob suspitionem criminis, sed ob honoris ac æstimationis decentiam. * Quòd si porta illa Orientalis *clausa Principi* sit Deiparæ meræ Dominæ typus; D. Iosephi hinc gloria rutilat. Cum enim portæ illi Regiæ tot custodes per vices suas constituantur, veræ portæ Regiæ Mariæ vnus Iosephus custos apponitur. Sanctus enim Iosephus vt solus valeat augustissimæ custodiæ negotium explére.] *Sellum* verò filius Core filij Abia Saph filij Core cum fratribus, seu propinquis suis sine eiusdem familiæ Coritis constituti erant *super opera ministerij* huius, id est, erant assignati custodes vestibulorum, seu custodiebant limina Tabernaculi: & familiæ eorum *per vices castrorum Domini*, id est, ad morem, quo castra custodiuntur, introitum custodiebant, ne quis præter Sacerdotes in Templum ingrederetur. Phinees autem filius Eleazari Dux eorum erat *coram Domino*, id est, in hoc ministerio ianitorum, quod coram Domino, seu in atriis Templi exercebatur. * At si *Castra Domini* Angeli vocitantur inxtà illud Iacobi, *Castra Dei sunt hæc*, custodes illi Templi ad morem Angelorum introitum Templi custodiebant. Custodire Delubrum, Angelicum officium est. Quanta ergo curâ assolent Angeli custodes iniunctum sibi ministerium explere: debent Sacerdotes custodiæ

Nullum ministerium rectè geritur sine Rectore.

Quod Regium est, seu pretiosum, speciali cura custodiendum.

Ad honorem datur custodia fœminis, ac Religiosis iuuenibus, nè ob criminis gerendi suspitionem.

Gloria D. Iosephi ex custodia Virginis.

Templum custodire Angelicum officium est.

Sacerdos, cui Ecclesiæ custodia committitur, eius iura tuentur.

stodiæ Ecclesiæ addicti, eius iura tutari.] Verum hic Phinees neque Dauidis tempore fuit, neque post captiuitatem nempe Aaronis nepos ex filio Eleazaro. Vnde Phinees sumo pro eius posteris, qui adempti Pontificatum Leuitis præerant. * Hinc edisscant augustæ cuiuscuis familiæ posteri se personam capitis familiæ gerere: ita vt in singulis posteris illustrissimus ille parens familiæ residére videatur.] * O si Regulares quique sibi persuaderent se Fundatoris Religionis agere personam, imò totius Ordinis, vt quilibet D. Dominici alumnus Dominicus appareat, & quilibet D. Ignatij socius Ignatius ostentetur: nec vllus sit ex sacra familia, cuius gesta non referant Fundatorem!] Hinc apud fideles tota Religio ex vnius socij aut virtute aut piaculo decus acquirit, aut dedecus contrahit.] Profectò Zacharias filius Mosollamia ianitor aderat portæ *Tabernaculi testimonij*, non portarum, per quas patebat aditus in atria Templi; sed portæ, per quam ingressus erat in eam Templi partem, quæ appellatur *Sancta*, & in fabrica Templi Salomonis successerat Tabernaculo, quod fecerat Moyses. Omnes autem hi, qui electi erant in Ostiarios ad portas custodiendas ducenti suprà duodecim annumerabantur: descripti quidem *in Villis propriis*: neque enim omnes Leuitæ intra Ierosolymam habitabant, sed descripti tamen erant, vt suis temporibus ad ministeria quisque sua eo conuenirent. Quos quidem custodes *constituérunt Dauid & Samuel videns in fide sua*, id est, Dauid & Samuel Propheta hosce constituerunt custodes fideli ac stabili Decreto, siue sanxerunt, quòd nullus eos mutaret Ostiarios. Alij *τὸ In fide sua* sic exponunt: *Propter ipsorum fidem*, seu *fidelitatem*. * Principes enim tunc se fideles ostentant, cùm Templi promouent apparatum, eiusque studeant accuratæ custodiæ, ne quidquam coram Domino indecens exeratur.] Hos inquam custodes Dauid & Samuël constituérunt, vt tam ipsi, quàm filij seu posteri eorum ostiis domus Domini, & Tabernaculo (nondum Templo constructo) *vicibus suis*, siue per vices suas addicerentur. Porrò præcipui Ostiarij, quibus parebant alij, *per quatuor ventos* aderant, id est, ad Orientem, ad Occidentem, ad Aquilonem, & ad Austrum. Fratres autem seu contribules eorum ostiarij in viculis, seu villis morabantur, & veniebant, *Sabbatis*, seu hebdomadibus *suis de tempore vsque ad tempus*. Hispanicè dixeris, *de tiempo en tiempo, quando les cabia la vez*. Quilibet enim officio suo fungebantur septem diebus: septimo autem alij succedebant, & vsque ad diem Veneris suo muneri operam dabant. Hisce ita quatuor Leuitis Sellum scilicet Accub, Thelmon, & Ahiman velut Præpositis creditus erat omnis numerus ianitorum: *& erant super exedras, & thesauros domus Domini*, id est, eorum curæ suberant cubicula, in quibus thesauri Templi custodiebantur, & sacra suppellex, vestes nimirum Sacerdotales & Leuiticæ, aliáque instrumenta, quæ peragendis sacrificiis erant vsui. * Cùm Templorum nostrorum peruolabat vmbraculum, munus ædituí, siue custodis sacrorum pro dignitate ducebatur augusta: cum autem illius vmbræ lumen effulget vel pauperculi Clerici (heu) dedignantur tanto munere fungi: & non semel agricola Laicus ad sacra assumitur custodienda Præsulum crediderim in curia.] Per gyrum quoque Templi Domini præfati ianitorum Præfecti *morabantur* Hebr. *pernoctabant* in custodiis suis, vt cùm tempus aduentasset, ipsi manè Templi fores referent. De Leuitico etiam genere erant, qui præerant *super vasa ministerij*, id est, ad quorum munus attinebat instrumenta Sacrificiorum ac libaminum (quæ sequenti Versu appellantur *vtensilia*) custodire: *ad numerum* siue numerata offerebant. Huiusmodi vasa, siue instrumenta, & numerata reponebant post ministerium, ne quid periret. Necnon de Leuitarum ordine erant qui credita habebant alia vtensilia siue instrumenta sanctuarij, qui præerant similæ, vino, oleo, thuri, & aromatibus, quarum rerum vsus erat in Sacrificiis, & libamentis.

Quilibet familiæ filius agit personam familiæ Principis.

Quilibet Religiosus persuadeat sibi, se Fundatoris, imò Religionis totius agere personam.

Princeps se fidelem ostendit, cum studet accuratæ Templorum custodiæ, ne quidquam ibi indecens geratur.

Taxantur Præsules permittentes officium aditui, seu sacrorum custodis viribus humanis, nibus committi.

Verſ. 30.31.32.33.34.] Porrò filij Sacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant: Leuitis enim dabatur custodire aromata, quæ vnguentis materiam suppeditabant: ipsum autem vnguentum, id est, thymiama conficiebant Sacerdotum filij. * Non omnia possunt omnes: augustiora munia augustioribus committenda ministris.] Nec enim qui aptus est ad custodienda vasa, aptus ad vnguenta præparanda eo ipso reperietur. Appositus Regularis ille exponitur ad rerum temporariarum administrationem, eo ne ipso aptus ostenditur ad spiritualia munia gerenda, ad Præsulatum obeundum?] At Mathathias Leuites primogenitus *Sellum Coritæ* seu filij Core Præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur, qualia erant lagana oleo lita. De filiis verò, seu posteris Caath fratribus seu contribulibus eorum, quos recensui Leuitas, erant assignati Præpositi ad panum propositionis ministerium, vt semper nouos per Sabbata singula præpararent. *Hi* quidem Leuitæ filij Caath Principes erant Cantorum *per familias Leuitarum* (aliqui enim ex omnibus familiis Leuiticis Cantores erant) qui in exedris seu cubiculis Templi morabantur, vt ad Templi ministeria expediti esse possent, & ab vxoribus seiuncti, earum congressu non contaminarentur, aut alia ratione legalem traherent immunditiam. * Si ad canendum coram Domino tanta puritas requiritur, quanta ad Sacramenta tractanda exigetur? O quam decenter communicaturus vel à licita abstinebis voluptate!] Morabantur inquam hi in exedris aut cubiculis, scilicet cuncti Leuitæ addicti sacro ministerio *vt die ac nocte* iugiter suo muneri deseruirent. Nam iugiter Sacrificiū vespertinum, quod erat holocaustum agni, vesperi altari imponebatur, & in eodem altari tota nocte cremabatur vsque ad mane. Erant etiam sub vesperā concinnandæ lucernæ, & de nocte curandum, ne extinguerentur. Quælibet denum Leuitarum familia suum Caput & Principem habebat: hi ergo omnes Principes post reditum ex captiuitate Ierosolymis manserunt.

4. Adhuc Leui Tribus posteri describuntur, propriáque officia eorum designantur. *Augustiora munia augustioribus committenda ministris.*

Communicaturus vel à licita abstine voluptate.

Verſ. 35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.] Quæ de Saulis progenie dicta fuerant capite præcedenti, hîc repetuntur: quia deinceps, scilicet *cap.* 10. de illius Regno & morte sermo futurus erat. Igitur apud Gabaon commorati fuére Iehiel huiusce Vrbis Princeps, cuius vxoris Maacha vocitabatur. Eius primogenitus filius

5. Repetuntur, quæ de Saulis progenie dicta fuerant.

filius fuit Abdon, poſt quem Iehiel nouem alios filios ſuſcepit: *Sur, Cis, Baal, Ner, Nadab, Gedor, Ahio, Zacharias, & Macelloth.* Porrò *Ner* Cap. ſuperiori non annumeratur inter Iehiel filios. *Zacharias* verò indicato Cap. vocitatur *Zacher.* Sic alia nomina, quæ ſequuntur, diſcrepant, ſed quædam parum à poſitis Superiori illo Cap. ac ſigillatim *Iara* dictus eſt *Ioada.* Cur ſemel & iterum de Maacha vxore Iehiel memoria peragitur? * Quia mulier decem illuſtrium filiorum mater, ſe indicat à Domino mirum in modum æſtimari; multitudo enim filiorum illuſtrium ſolet dari parentibus in præmium virtutis.] Verum Macelloth genuit *Samaan.* Huiuſce familiæ filij habitauérunt è regione fratrum ſuorum, ſiue vicini contribulibus ſuis Beniamitis apud Ieroſolymam. Ner verò quintus Iehielis filius generauit *Cis Saulis* parentem. Saul autem primus Rex Iſraël habuit *Ionatham Melchiſua Abinadab*, & *Eſbaal.* Ionathas verò primogenitus Saulis genuit *Meribbal*, *Michæ* ſcilicet genitorem. Michæ vero extitére filij *Phiton*, *Melech*, *Tharaa*, & *Ahaz.* Hic ſuſcepit *Iara*, cuius filius fuit *Alamath*, *Azmoth*, & *Zamri.* Ex Zamri genitus eſt *Moſa*, ex Moſa *Banaa*, cuius filius *Raphaia* genitor extitit *Elaſa*, de quo *Aſel* fuit exortus. Denique Aſel ſex filios ſuſcepit, quorum hæc nomina recenſentur: *Ezricam*, *Bocru*, *Iſmahel*, *Saria*, *Obdia*, *Hanan.* Hi filij Aſel.

Multitudo filiorum honorū datur parētibus in præmium virtutis.

CAPVT X.

Saul primus Iſraëlitarum Rex ob ingratitudinem à Deo reprobatus apud montem Gelboë cum filijs ſuis à Philiſthæis occiditur: eiuſque caput reſectum in delubro Dagonis affigitur; reliquum corpus cum cadaueribus filiorum à viris Iabes Galaad ſepelitur.

1. PHILISTHIIM autem pugnabant contra Iſraël, fugerúntque viri Iſraël Palæſthinos, & cecidérunt vulnerati in monte Gelboë. 2. Cúmque appropinquaſſent Philiſthæi perſequentes Saul, & filios eius, percuſſerunt Ionathan, & Abinadab, & Melchiſua, filios Saul. 3. Et aggrauatum eſt prælium contra Saul, inuenerúntque eum ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis. 4. Et dixit Saul ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & interfice me; ne fortè veniant incircumciſi iſti, & illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul enſem, & irruit in eum. 5. Quod cùm vidiſſet armiger eius, videlicet mortuum eſſe Saul, irruit etiam ipſe in gladium ſuum, & mortuus eſt. 6. Interiit ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius pariter concidit. 7. Quod cùm vidiſſent viri Iſraël, qui habitabant in campeſtribus, fugerunt: & Saul ac filiis eius mortuis, dereliquérunt vrbes ſuas, & huc illúcque diſperſi ſunt: venerúntque Philiſthiim, & habitauerunt in eis. 8. Die igitur altero detrahentes Philiſthiim ſpolia cæſorum, inuenérunt Saul, & filios eius iacentes in monte Gelboë. 9. Cúmque ſpoliaſſent eum, & amputaſſent caput, armáſque nudaſſent, miſerunt in terram ſuam, vt circumferretur, & oſtenderetur idolorum templis & populis: 10. arma autem eius conſecrauerunt in fano Dei ſui, & caput affixerunt in templo Dagon. 11. Hoc cùm audiſſent viri Iabes Galaad, omnia ſcilicet quæ Philiſthiim fecerant ſuper Saul. 12. conſurrexerunt ſinguli virorum fortium, & tulérunt cadauera Saul & filiorum eius: attulerúntque ea in Iabes, & ſepelierunt oſſa eorum ſubter quercum quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus. 13. Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eò quòd præuaricatus ſit mandatum Domini quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit. 14. nec ſperauerit in Domino: propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai.

COMMENTARII.

1. Saul cum filiis apud mōrem Gelboë occūbit, eius caput Dagon delubro affigitur.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.] Dum in ſolitudine Dauidici contra Amalecitas repugnarent, Philiſthæi in valle Iezraël & in montibus Gelboë fœliciter contra Iſraëlitas decertabant. Pugnaſſe dicuntur Philiſthæi contra Iſraël, non vice verſa, quaſi vltro inuadentes hoſtiles copias, dum hi ſatis haberent irruentium impetum ſuſtinere. Porrò non ſuſtinuére diù; fugerunt enim filij Iſraël ante faciem Philiſthiim, & interfecti in Gelboë mōte cecidére, tàm antè fugam, quàm in ipſa fuga: quæ quidem de gregariis militibus intelligo: ſed mox ad prætorianos ventum eſt, in quibus patet fuiſſe Saulis filios, & cū hoſtibus

forti

fortiter pugnando, ante ora patris cecidisse. Irruerunt enim Philisthæi in Saul, & in filios eius, & Ionatham, Abinadabum, ac Melchisuam filios Regis percussére: quos Saul non subduxerat à prælio, licet sciret, in eo perituros, ne qui perituri erant, indecora morte perirent. * Nobili enim viro ditius est morte, si aliquid indecorum misceatur in vulnere.] Et quoniam ob parentis peccata moriebantur, in eius oculis cæsi sunt ad maius doloris & desperationis eius incrementum. * Nihil enim parenti grauius, quàm filiorum interitum aspectare. Vnde crediderim insignem peccatorem Saulem in criminum vberiorem pœnam toties fuisse percussum, quot filios vidit exitialiter vulnerari.] Extinctis itaque cum prætoriana cohorte, & omnibus amicis Saulis, atque domesticis tribus Regis filiis, totum prælij pondus versum est in Saulem, quod eo viuo ac libero, Philisthæis perfecta victoria minimè videbatur contigisse.* Vt edi- scas, non te omninò vitia superasse, si vnicum illud non comminueris è quo velut ex capite reliqua exoriuntur.] Itaque audacissimi eorum, ac pugnacissimi ad eum vel in potestatem redigendum, vel interficiendum concurrunt. Saul autem, qui hunc globum penè iam solus sustinere non poterat, se dat in fugam, quamuis nullus in castris haberet receptaculũ, ea enim iam hostis occupauerat: sed fugientem consecuti sunt viri sagittarij, & vulneratus est vehementer, & quidem, auctore Theodotio, in parte, quæ est propè iecur: nec vno tantum vulnere affectus est, sed pluribus. Nam ab Scriptura dicitur iaculis vulneratus, & à Iosepho grauatus vulneribus. Videns autem actum de se esse, de filiis, de Regno, in summam rerum omnium desperationem est adductus, honori tamen suo consultum voluit, ne hostes ad mortis suæ calamitatem etiam ignominiam ac dedecora, illusionem adiungerent. Itaque ad armigerum suum conuersus, *Euagina*, inquit, *gladium tuum*, ac percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, *& interfaciant me illudentes mihi.* Horribilior erat Regi illusio, quàm nex. * Vt hinc Regis cœlestis tot à Iudæis ac Gentilibus illusionibus acti crudelissimam torturam ediscas.] Miraberis armigerum illum gladium habuisse in vagina reconditum. * An ex his militibus, qui militiæ dant nomen, non opera: quique volunt stipendia honoresque militiæ adipisci, sed gladium stringere non curant, fuga pro gladio vtentes? Multi planè huiusmodi procedendi ad bellum ratione nituntur. At armiger Saulis gladium habebat in vagina conditum, quia fuga erat illa, non pugna, nec gladiis cominus pugnabatur, sed eminus sagittis. Quisnam his armiger? Plerique Hebræos secuti Doëgum fuisse probabiliter censuére; erat enim de primariis Saulis seruis vnus. Nec dubitabat, Saule mortuo, se Dauidi meritas pœnas de delatione sua, de Sacerdotum iniustissima cæde, deque vastata Nobe Ciuitate quamprimùm daturum. Sed eas pœnas miser non aufugit, sed in multo grauiores commutauit, scilicet æternas. * Hæc enim hominum stultitia, æternis addici laboribus, vt minima temporaria incommoda valeant declinare.]

Nobili viro duri est mortè, si aliquid indecorum in vulnere misceatur.

Mors est parenti, videre filij interitum.

Licet multa crimina vincas, perfecta non poteris victoria, si caput vitiorum non comminueris.

Patiẽti Christo illusiones morte horribiliores extitére.

Multi milites nomen dant, non opus militiæ.

Hominum stultitia temporaria incõmoda pro æternis commutare.

Immane fa-

* Laudandus tamen est hoc ex capite armiger, quòd etiam in re desperata, & rogante Rege, & mortem beneficij loco accipiente, Regi suo manus inferre noluit, præ summa in Regiam personam reuerentia. Immane enim piaculum est, Christum Domini quocumque prætextu vulnerare.] Cum ergò armiger tantum facinus auersaretur, nec temporis angustiæ Sauli permitterent alium quærere carnificem, arripuit ipsemet gladium, & irruit super eum, eóque vulnere perfossus interiit, vt adiutore Amalecita non fuerit opus, vt communiter omnes sentiunt, licet ille Amalecita id apud Dauidem affirmarit. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saulem, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo. Itaque similis illi & genere mortis fuit, & causa moriendi, iactura videlicet præsentium & desperatione futurorum. * Et quando non exemplum Principis subditum non agit, vel ad desperationis præcipitium?] An Saulis desperata salus? Certè cum constet, Saulem propriæ fuisse mortis auctorem, & administrum nulla auctoritate, nullo iure, nulla inspiratione diuina, minimè dubium est, eum in se ipso interficiendo grauissimè deliquisse. Constat quoque desperationem de diuina bonitate, aut salute propria scelus esse maximum, & si vltimum fuerit, ad æternam miseriam aditum esse certissimum. At Scriptura prioris vitæ criminibus addit, quod non sperarit in Domino, propter quod eum interfecerit, & Regnum transtulerit in Dauidem. Num sic de Ionatha, aut fratribus eius iudicandum? Minimè. Hostili enim ferro ceciderunt. Porrò quod ad Ionatham attinet, (nam de cæteris nihil certi altefutram in partem dici potest) longè diuersa fuit Saulis ac Ionathæ ratio vitæ, ac mortis. Vita quippe sine crimine transacta est, & mors in defendenda contra hostem teterrimum fortiter obita. * Vndénam constat vitam Ionathæ sine crimine fuisse transactam? Profectò quia nullum eius piaculum in sacris exprimitur. Peccatum autem illicò semet manifestat.] * Præterea quia anima Ionathæ conglutinata animæ Dauidis sanctissimæ, quomodo ex tàm arcta societate rectitudinem conseruare non ediscet?] * Ergò qui iustè vixit, sine crimine moritur: assolet enim mors vitæ assimilari.] Absque vlla ergò dubitatione (loquor cum Rabano) Regni cœlestis consortium cum Dauide accepit, quem pro virtutibus Ionathas diligebat, cum esset & ipse virtutum. * Optima illa amicitia, quæ ob virtutum similitudinem contrahitur.] Hoc eodem die cum latè vulgaretur accepta clades, videntes Israëlitæ, qui aderant trans vallem, & trans Iordanem, socios Saulis milites aufugisse, è prælio scilicet fusos, fatigatósque; & Saulem, eiúsque filios interemptos, Vrbes suas dereliquére, arripuerèque fugam: deueneréque postmodum Philisthæi, inibique habitauerunt. Quomodo non fugerunt potiùs qui intra vallem erant, in qua commissum est prælium, quàm qui ab ea longiùs aberant, imò & trans Iordanem erant? * An quia mala quæcumque plus apprehensione, quàm ipso

cinit, Regem, vel rogante ipso, vulnerare.

Exemplum Principis subditum agit, vel ad desperationis præcipitium.

Peccatum se illicò manifestat.

Qui iustè haret socio iustitiam conseruat.

Mors assolet vitæ respondere.

Optima illa amicitia, quæ ob virtutum similitudinẽ contrahitur.

Mala plus apprehensione, quàm experientia sentiant.

ipso experimento fauciant?] *Certè hîc Trans* pro transitu ponitur, vt ex Hebræo, ac Græco textu liquet. *Hi* autem viri erant Isacharitæ, quorum in sorte erat tota ea Vallis, quæ ad Iordanem vsque porrigebátur: qui cum prælio propiores essent, primi ruinæ sonitum audierunt, primique fugerunt, & huc illúcque dispersi sunt. Deinde qui aderant propè Iordanem, & quasi in transitu eius fugerunt, & ipsi nominatúmque ciues Bethsan, quæ dimidio milliario aberat à Iordane, cámque vacuam Philisthæi occupauérunt. *Hoc* ipso die belli septimo dum Dauidici spoliant Amalecitas, Philisthæi vicissim Israëlitis spolia detrahunt. Cum enim ad vesperam vsque dimicatum esset, vel persequendis fugientibus laboratum, nec quisquam hostium vltra vel in viuis, vel in armis appareret: ad curanda corpora sua Philisthæi sunt conuersi. Facta autem die altera Philisthæi venerunt, vt interfectos spoliarent, & apud montem Gelboë Saulem, eiúsque tres filios coniacentes reperére. Nec fuit difficile, viros Principes vel ex armorum, ac vestium specie, vel ex frequenti aspectu dignoscere. An non miraris, ex tot militibus, qui solent in prælio circumsistere Principes, non extitisse vnum aliquem qui Saulem, ac filios eius, aut statim, aut saltem intempesta nocte Philisthæorum furori, & irrisionibus eriperet, cum tamen Rex infelix hostilia probra, ac dedecora deuitaturus suum ipse vltrò acceleraſſet interitum.* Porrò hac in re diuinum recognosco iudicium, vt Saul peculiari ignominia puniatur, qui ignominiæ vitandæ causa deliquerat.] Inuento itaque Saulis cadauere, caput eius Philisthæi præciderunt, spoliavére armis, & in terrram Philisthæorum per circuitum milites immiserunt, vt ostentaretur idolorum fanis, ciuibúsque horribile illud superbiæ ac ingratitudinis documentum. Cæterùm arma Saulis Dagon consecrarunt, capútque idoli affixerunt in delubro.

Peculiari ignominia punitur, qui vitandæ ignominiæ causa peccauit.

2. A viris Iabes Galaad Saulis cadauer sepelitur.

Vers. 11. 12. 13. 14.] Cùm igitur aliqui Israëlitæ, qui fuerant ad fugam tardiores, animaduerrissent, Philisthæos, qui Bethsan habitatoribus desertam occupauerant, ex eius muro corpora Saulis, & filiorum eius suspendisse, ingenti dolore tam insolentis spectaculi affecti, abierunt & ipsi trans Iordanem, & Iabesitas tota de re certiores fecerunt. At illi ad testandam suam in Saulem beneuolentiam, & accepti beneficij memoriam, quando Naas Rex Ammonitarum eis dextros oculos statuerat eruere, & à Saule magnificè liberati fuerant, statuunt & ipsi abeundum in Bethsan primo quoque tempore, tollenda de muro corpora, auferenda trans Iordanem, & honorifico apud se tumulo addicenda. Obrulére se plerique omnes viri fortissimi, qui ipso octauo belli die pomeridianis horis de Iabes profecti, sub noctem traiecto Iordane, nocte Bethsan peruenére, vt quod erat in primis periculosum, nocte conficerent. Tulerunt cadauera Saulis, ac filiorum eius de muro Bethsan, & transmisso rursùm Iordane, cum defunctorum corporibus, venérunt Iabes, Galaad, & inibi tradidérunt igni cineres, ossáque semi-usta subrer quercum, quæ erat in Iabes sepeliére. * Qui expetit post obitum honorari, viuens beneficiis coëmere studeat gratitudinem posterorum.] Septem autem dierum siue hebdomadæ circulo abstinuére à cibo siue in doloris documentum, siue in functorum vita suffragium. * Pœnalia enim fidelium opera ad minuendam animarum purgatoriam pœnam apprimè proficiunt.] Nihil hic Scriptura de ciuium occursu, nihil de luctu, nihil de funebri pompa dixit, memorato dumtaxat septem dierum ieiunio, quòd penè clanculum celebratum sit hoc funus Philisthæorum metu. Porrò id ieiunium vltrò susceptum est à Iabesitis & sine vlla obligatione; non enim vel lege, vel consuetudine aliqua Iudæi in Principum funere ieiunabant, sed spontè aliquandò, & quantum videbatur. Sic Dauid pro Saule & filiis vno die ieiunauit, sicut & in Abneris Principis militiæ cæde. Septem verò diebus ieiunauére Iabesitæ iuxtà numerum dierum induciarum inter ipsos & Ammonitas, intrà quos à Saule liberati fuerant. * Illa enim gratitudo apprimè commendabilis obijcitur, quæ morem beneficij gerit, eique similis ostentatur.] Mortuus est ergo tam dirè tam infeliciter Saul *propter iniquitates suas.* * A peccato enim cuncta mala huiusmodi ducunt exortum, id est ea, quæ cum æterna damnatione videntur colligari.] Specialim verò Saulem ad tàm horribilem traxit interitum prævaricatio legis, sine contemptus præceptorum Dei, & infidelitas, qua Pythonissam adiit, magis eius arte, quàm Dei fretus auxilio. Propter hoc Dominus *interfecit eum,* seu permisit, vt sibi ipse exitiale vulnus infligeret, & Regnum eius ad Dauidem Isai filium transtulit. * Cum videris Regna à suo recedere Principe, documentum haud improbabile cape, in Principe vigere delicta quæ & in subditis flagellantur.]

Qui post mortem expetit honorari, viuens beneficijs coëmat posterorum gratitudinem.

Pœnalia fidelium opera pœnam defunctorum maximè imminuunt.

Gratitudo illa apprimè est commendabilis, quæ morem beneficij gerit.

Cuncta mala, quæ damnationem sapiunt, à peccato oriuntur.

Regna recedunt sæpè ob Principum delicta.

CAPVT

CAPVT XI.

Dauid in Regem ab omnibus Tribubus Iſraël inungitur: Iebuſæóſque ex arce Ieruſalem expellit. Nomina, heroicáque geſta fortium virorum Dauidis recenſentur. Allátam è ciſterna Bethlehem aquam per medios hoſtes Rex noluit bibere.

1. CONGREGATVS eſt igitur omnis Iſraël ad Dauid in Hebron dicens: Os tuum ſumus, & caro tua. 2. Heri quoque, & nudius tertius, cùm adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſraël: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris Princeps ſuper eum. 3. Venérunt ergo omnes maiores natu Iſraël ad Regem in Hebron, & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino: vnxerúntque eum Regem ſuper Iſraël, iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. 4. Abiit quoque Dauid, & omnis Iſraël, in Ieruſalem. hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſæi habitatores terræ. 5. Dixerúntque qui habitabant in Iebus ad Dauid: Non ingredieris huc. Porrò Dauid cepit arcem Sion, quæ eſt Ciuitas Dauid. 6. Dixítque: Omnis qui percuſſerit Iebuſæum in primis, erit princeps & Dux. Aſcendit igitur primus Ioab filius Saruiæ, & factus eſt princeps. 7. Habitauit autem Dauid in arce, & idcircò appellata eſt Ciuitas Dauid. 8. Ædificauítque vrbem in circuitu à Mello vſque ad gyrum; Ioab autem reliqua vrbis extruxit. 9. Proficiebátque Dauid vadens & creſcens, & Dominus exercituum erat cum eo. 10. Hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuérunt eum vt rex fieret ſuper omnem Iſraël iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſraël. 11. Et iſte numerus robuſtorum Dauid: Iesbaan filius Hachamoni princeps inter triginta: iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice. 12. Et poſt eum Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iſte fuit cum Dauid in Pheſdomim, quando Philiſthiim congregáti ſunt ad locum illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugerátque populus à facie Philiſthinorum. 14. Hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum: cúmque percuſſiſſent Philiſthæos, dedit Dominus ſalutem magnam populo ſuo. 15. Deſcenderunt autem tres de triginta principibus ad Petram, in qua erat Dauid, ad ſpeluncam Odollam, quando Philiſthiim fuerant caſtra metati in Valleraphaim. 16. Porrò Dauid erat in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethlehem. 17. Deſiderauit igitur Dauid, & dixit: O ſi quis daret mihi aquã de ciſterna Bethlehem, quæ eſt in porta! 18. Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad Dauid vt biberet: qui noluit, ſed magis libauit illam Domino. 19. dicens: Abſit vt in conſpectu Dei mei hoc faciam, & ſanguinem iſtorum virorum bibam: quia in periculo animarum ſuarum attulerunt mihi aquam, & ob hanc cauſam noluit bibere, hæc fecerunt tres robuſtiſſimi. 20. Abiſai quoque frater Ioab ipſe erat princeps trium, & ipſe leuauit haſtam ſuam contra trecentos vulneratos, & ipſe erat inter tres nominatiſſimus. 21. & inter tres ſecundos inclytus, & princeps eorum: verumtamen vſque ad tres primos non peruenerat. 22. Banaias filius Ioiadæ vir robuſtiſſimi qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel: ipſe percuſſit duos Ariel Moab: & ipſe deſcendit, & interfecit leonem in media ciſterna tempore niuis. 23. Et ipſe percuſſit virum Ægyptium, cuius ſtatura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium texentium: deſcendit igitur ad eum cum virga, & rapuit haſtam, quam tenebat manu, & interfecit eum haſta ſua. 24. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ, qui erat inter tres robuſtos nominatiſſimus. 25. Inter triginta primus, verumtamen ad tres vſque non peruenerat: poſuit autem eum Dauid ad auriculam ſuam. 26. Porrò fortiſſimi viri in exercitu: Aſahel frater Ioab, & Elchanan filius patrui eius de Bethlehem. 27. Samoth Arorites, Helles Phalonites. 28. Ira filius Accés Thecuites, Abiezer Anathotites. 29. Sobbochai Huſathites, Iſai Ahohites. 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites. 31. Ethai filius Ribai

de Gabaath filiorum Benjamin, Banaia Pharathonites. 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filij Aſſem Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filij Aſſem Gezonites, Ionathan filius Sage Ararites. 34. Ahiam filius Sachar Ararites. 35. Eliphal filius Vr. 36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites. 37. Heſro Carmelites, Narai filius Asbai. 38. Ioël frater Nathan, Mibahat filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Ioab filij Saruiæ. 40. Ira Ithræus, Gareb Iethræus, 41. Vrias Hethæus, Zabad filius Oholi, 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo triginta: 43. Hanan filius Maacha, & Ioſaphat Mathanites. 44. Ozia Aſtarothites, Samma & Iehiel filij Hotham Aroritès. 45. Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thoſaites. 46. Eliel Mahumites, & Ieribai & Ioſaia filij Elnaëm, & Iethma Moabites, Eliel, & Obed, & Iaſiel de Maſobia.

COMMENTARII.

1. Dauid in Regem à cunctis Tribubus inungitur.

VERS. 1. 2. 3.] Omnis igitur Iſraël ſiue cunctæ Tribus, confluxit in Hebron, vbi aderat Dauid, & profatur: *Os tuum ſumus, & caro tua*, id eſt, corpus ſumus tuum, cuius tu Caput, ſeu Princeps. *Heri quoque & nudius tertius*, ſiue vel ante Saulis obitum, cum adhuc ille regni clauum teneret, tu eras, qui educebas, & introducebas Iſraël, ſcilicet qui ſancti populi Ducem agebas. Tibi enim olim Dominus Prophetico dixerat ex ore: *Tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris Princeps ſuper eum.* * Illam præme particulam, *Os tuum ſumus, & caro tua.* Idem eſt eſſe ſubditum, ac carnem & os, ſeu corpus Regis eſſe. Ergo ſubditi ſic debent Regi ſubmitti, ſicut membra capiti, eíque in cunctis obedire.] * Rex ſubditorum eſt caput: Ergo non debet à ſubditis abſtrahi, nec dedignari cum ipſis agere commercium: ſiquidem caput neceſſariò cum membris corporis commoratur.] * Nec prætereat ſine pondere illud: *Tu paſces populum, & tu eris Princeps.* Principatus paſcendi vocabulo ſpeciatim exprimitur; quia nihil prius Principi, quàm de temporariis ſubditorum commodis curam gerere, vt poſſit efficaciùs eos ad ſpirituales profectus adducere.] Venérunt itaque cuncti Principes Iſraëlis ad Dauidem in Hebron, & Rex coram Domino, ſiue in Tabernaculi conſpectu cum eis fœdus iniuit circa legum Regalium obſeruantiam: vnctúſque eſt Dauid in Regem ſuper Iſraël iuxta Samuëlis præfatum ex præſcriptione Domini vaticinium.

Principi ſubditi debent ſubmitti ſicut membra capiti.

Rex non debet à ſubditis abſtrahi, nec dedignari cũ ipſis agere cõmercium.

Rex ſubditis prouideat tẽporaria ſubſidia, vt eos efficaciùs ad ſpirituales profectus adducat.

2. Capit Dauid arcem Sion, expuncto Iebuſæo.

Verſ. 4. 5. 6. 7. 8. 9.] Perrexit quoque Dauid omni Iſraëlitico cinctus exercitu in Ieruſalem, ſeu *Iebus*, vbi Iebuſæi habitatores terræ illius præcipuum habebant domicilium. Curauérunt itaque Iebuſæi Dauidis impedire irruptionem, eíque ſeu clamoribus, ſeu nuncij ex ore, ſeu ipſa oppoſitione dixére: *Non ingredieris huc.* At Dauid fortiſſimè decertans cœpit arcem Sion, quæ Dauid Ciuitas appellatur, dixítque: *Qui ex vobis primus Iebuſæum percuſſerit, Princeps, ac Dux totius exercitus conſtituetur.* Verum Ioab filius Saruiæ Sororis Dauid primus murum ſcandit; & iuxtà Dauidis promiſſionem *factus eſt Princeps.* * An non debuiſſet Ioabus nepos ex ſorore tam arcto propinquitatis titulo exercitui præfici? Minimè quidem iuſto Rege imperante; belli enim Principatus è quo tota Regni quies non ſanguinis, ſed fortitudinis merito acquirendus.] Porrò Dauid capta habitauit in arce Sion & idcircò *Dauid Ciuitas* fuit appellata. * Vt ediſcas, te Ciuitatem Chriſti eſſe, ex quo ſub ſpecierum velamine ipſe dignatus eſt tuo in pectore inhabitare.] Ædificauit autem Rex Vrbem in circuitu *à Mello vſque ad gyrum.* Mello erat locus muro iunctus, latus vbi populus congregabatur. Ergo locum illum cinxit ædificiis, id eſt vſque ad gyrum: & *Mello* à plenitudine dicebatur. Ioabus autem *reliqua Vrbis extruxit.* Hebr. *Viuificauit*, id eſt, quæ quaſſata erant, belli iniuria, refecit; quod & de arce Sion, & de Vrbe ipſa Ieruſalem poteſt intelligi. Quæſieris, ſi Ioab iam priùs Princeps belli erat, quonam modo aſſeritur nunc factum eſſe Principem, eo quod primus percuſſerit hoſtes? An quia perpetùò ei Principatus addicitur? Ità planè. * Niſi malueris anteà quidem Principem nominari; poſt facinus autem ex merito Principem eſſe factum. Nomen te Principatus vacuum habere exiſtima, cùm operibus non imples nominis ſignificationem.] Profectò in dies Dauidis virtus & fama auguſtis fulgebat incrementis, & tot de hoſtibus gerebat triumphos, vt Dominus exercituum cum eo ſpecialiſſimè eſſe videretur. * Quonammodo hoſtes Rex ille ſuperabit, qui nunquam non replicatis piaculis Deum è corde depulit?]

Ex quo Chriſtus dignatus eſt tuo in pectore habitare ſub Euchariſtiæ velamine, Chriſti Ciuitas diceris.

Nomen te Principis vacuum habere exiſtima, cùm operibus nominis nõ imples ſignificationem.

Non vincit hoſtes Rex ille, quocũ Deus non eſt.

3. Memoratur fortitudo Ieſbaami, & Eleazari Samma fortium Dauidis.

Verſ. 10. 11. 12. 13. 14.] Porrò *virorum fortium Dauidis* quorum ope Iſraëlitico Regno potitus fuit, iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſraël, *hic numerus, hæc nomina.* Explicat Sacer Scriptor, quibus adiutoribus Dauid tam multa bella geſſerit, Regnúmque fuit adeptus. * Præme verbum *Virorum fortium, qui adiuuerunt eum, vt Rex fieret.* Niſi Principes à viris fortibus adiuuetur, haud poterunt pacificè Regno potiri. Imprudens ergo eſt Rex ille, qui milites non honorat ac præmio cumulat, ſinè quibus nec adipiſci Regnum, nec adeptum poterit conſeruare.] Primus itaque Princeps fortium eſt *Iesbaham filius Hachamoni.* Hic eſt, de quo 2. *Reg.* 23. 8. *ſedens in cathedra ſapientiſſimus.* Hic quidem *Princeps inter triginta*, id eſt, omnium Dauidis fortium fortiſſimus. Loco particulæ huius *Princeps inter triginta* in *lib. Reg.* dicitur, *Princeps inter tres.* Suſpicor Hebraïcè alterum locum eſſe vitiatum aut additionem *Nem* hîc, quæ eſt terminatio pluralis, & triginta ſignificet, ſcilicet *Seloſim*; aut eius detractione *in lib. Reg.* Iesbahamus itaque *leuauit haſtam ſuper trecentos vulneratos vna vice.*

Imprudens Rex, qui non honorat milites, ſine quibus nec Regnũ adipiſci, nec adeptum conſeruare poteſt.

Principatus militiæ non ſanguinis, ſed fortitudinis meritis acquirendus.

Alij,

Alij, *super trecentos occisos*, scilicet, quos ipse Iesbaham vulnerauit, & occidit certamine vno. *in lib. de Regum* dicitur, *octingentos*. Sed duas pugnas reor fuisse; ibi omissa hîc supplentur. Post Iesbaham secundus annumerandus est *Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter potentes*. Dodo est patruus eius, id est, Isbami. Ita Eleazar & Isbaham patrueles erant. LXX. *Filius Dodai patrui eius*. Hic *inter potentes*. Ex hoc videtur *Vers.* 11. legendum *inter tres*. Priùs enim quàm ad triginta fortes perueniat, duos virorum fortium ternarios exponit. *Iste* Eleazar fuit cum Dauide apud Phesdomim; quando Philistæi in locum illum decertaturi fuére congregati. Erat autem ager regionis illius *plenus hordeo. Hebr.* Pars agri, siue regionis, id est, prædium, apta quidem ad equorum subsidia commoratio. *In lib. Regum* pro *plenus hordeo* dicitur ager *plenus lente*; sed vtrumque erat. Fugerátque populus à facie Philisthæorum. Porrò hi steterę, reliquis fugientibus, in medio agri, eúmque defendérunt: cúmque validissimè Philisthæos vulnerassent, Deus populo suo mirificè extitit salutaris, parto illustri triumpho. Pro *Hi steterunt*, LXX. legunt: Hic stetit, vt referatur ad Eleazarum. * Qui quidem in plurali numero aptè collocatur, quia vir fortissimus pro multis reputandus.] Attamen cum *in lib. Reg.* hæc victoriâ Samma tribuatur, vt vterque locus constet, oportet profiteri, nostram lectionem veriorem, & tres simul, scilicet Iebaham, Eleazar, & Samma simul interfuisse.

Vir fortis pro multis reputandus.

4. Trium horũ virorum facinus de adlata aqua cisternæ Bethlehemiticæ commendatur.

Vers. 15.16.17.18.19.] Hi ergò tres viri inter triginta fortes facilè Principes descendérunt ad *Petram*, seu ad arcem, vbi Dauid commorabatur, nempe ad speluncam Odollam, quando Philistæi fuerant apud Vallem Raphaim castra metati. Viri fortes triginta septem erant, vti *lib. Reg.* dicitur; sed triginta omnes vocantur numero suppresso. Ars verò *Petra* vocitatur, quia arces rupibus erant impositæ: descenderunt ergo ad arcem, vbi Dauid aderat. Profectò Dauid erat in præsidio, siue in arce illa, quæ *Petra* vocitatur; & statio Philisthæorum aderat in Bethlehem. Loco vocis illius: *Et statio Philistinorum* Hebraicè est, *Et Præfectus Philistinorum*, ac si diceret, Et Dux cum militari præsidio Philisthæorum apud Bethlehem commorabatur. Desiderauit igitur Dauid æstuans aquam, profatus; O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehemica, quæ profluit in porta! * Haud sunt coram subditis Regum cupiditates exponendæ: exlex etenim adulatio assolet cuncta parui pendere incommoda vt Regiæ deseruiat voluptati.] Tres ergò illi viri fortissimi media Philisthæorũ castra penetrarunt, ac de cisterna Bethlehemitica, quæ erat in Vrbis vestibulo aquam hausérunt, & Dauidi poculum prælibarunt. At fortior illis Rex sese superans noluit bibere, vel æstu validissimè renitente, sed illam Domino libauit in Sacrificium. * Gratissima enim coram Domino oblatio est Regia de subditis æstimatio.] Absit (inquit Dauid) vt in conspectu Dei mei hoc gentam, & non iam aquam de cisterna, de venis horum fortium virorum cruorem exhauriam; quia exantlato vitæ periculo, aquam ad me attulére. * Nescio quidem, quonammodo potest dulce existere Principi, quidquid subditorum comparatur incommodo?] *Ob hanc causam* Dauid Princeps egregius noluit vnda illa subditorum rubricata sanguine epotari. Hæc gessére tres illi robustissimi Principes. Loco particulæ illius, *Absit, vt in conspectu Dei mei, Hebr.* est, *Absit mihi à Deo meo*, id est, auertat id Deus. *sanguinem bibam*, id est, pretium sanguinis, siue aquam sanguinis periculo emptam non hauriam.

Non sunt coram subditis Regum cupiditates exponendæ.

Gratissima Deo oblatio est Regia de subditis æstimatio.

Non potest dulce existere

probo Principi, quod subditorum incommodo acquiritur.

5. Alter ternarius fortium Dauidis exponitur.

Vers. 20.21.22.23.24.25.] Iam post primum Principum inter triginta septem fortes Dauidis ternarium alter ternarius commendatione afficitur. Porrò Abisai frater Ioabi trium erat Princeps, siue trium fortissimus. Leuauit enim hastam suam *contra trecentos vulneratos*. An vulnerati erant trecenti illi, ante quam Abisai suam contra eos leuaret hastam? Certè ex fortissimi militis aspectu iam quodammodò ex metu illi fuerant vulnerati. At sententia verborum est, Abisai hasta trecentos milites hostes vulnerasse. Ille enim erat inter tres secundi ternarij nominatissimus, & admodum inclytus, eorúmque præcipuus; verumtamen vsque ad tres illos primi ternarij *non pertenerat*. * Vt ediscas, robustissimum quemque non debere de fortitudinis gloriari præstantia; aderit enim fortasse alter, à quo longo interuallo superetur.] Celeberrimus quoque in secundo ternario extitit *Banaias filius Ioiadæ viri robustissimi*, qui egregia facinora perpetrarat. * Commendabilis vel hinc Banaias, quòd paternam referret fortitudinem. Laudandus enim filius qui probo parenti assimilatur.] Banaias itaque (ortus de Cabseel) *percussit duos Ariel, Noab: & ipse descendit, & interfecit leonem in media cisterna tempore niuis*. 2. *Reg.* 23.20. dicitur, *Percussit duos leones Moab*: Ariel enim significat *leonem Dei*, id est, præferocem, & inusitatæ magnitudinis. Porrò hos à Banaia cõfectos leones fuisse aliqui affirmant duos potentissimos Duces, instar leonum truculentos, aut robustos, qui subsidio accurrerunt Moabitis, tum cùm Dauid illos expugnaret 2. *Reg.* 8.2. Fortè verius alij veros ac naturales exposuére leones. Ast quidquid sit de duobus istis leonibus, certum mihi tertium, cuius hoc eodem Versu mentio fit, verum fuisse, & naturalem leonem, quem Banaias in media cisterna interfecit, tempore niuis, id est, hiemali & niuoso tempore, cùm membra contracta minus apta sunt ad arma tractanda, & cum interim leo natura calidissima & quasi ignea nihil, aut certè parum à frigore patiatur; & hic in profunda cisterna quasi in tuto nido lateret. Vnde Banaiæ robur tùm maximè commendatur, qui non veritus est subintrare foueam, in qua non tam expedita esset armorum tractatio aduersus truculentissimum hostem, & è qua tamen nullum nisi victori pateret effugium. * Hinc aliquando ex suggestu spiritualem Banaiam meum Franciscum Xauier commendabilem exposui, dum *tempore niuis*, pedibus gelu acie vulneratis, apud Iaponia Regna leonum truculentorum rugientium descendit in foueas, eósque comminuit.] Et ipse prætereà Banaias virum Ægyptium, cuius statura quinque cubitos exæquabat, quique lancea vtebatur, texentium simile licitatorio percussit. Iniuit enim cum eo certamen virgam pro hasta tenens, & cepit hastam hostis, eúmque proprio eius mucrone interemit.

Nullus de fortitudinis præstantia gloriatur, aderit enim fortasse alter, à quo superari valeat.

Laudabilis filius, qui probo parenti assimilatur.

Franciscus Xauier spiritualis Banaias tempore niuis comminuens Leonem.

teremit. Hoc facinora gessit Banaias Ioiadæ filius, qui inter robustissimos nominatissimus habebatur, inter triginta *primus*, id est, è primis. Hebr. *Extriginta illis erat inclytus.* Verumtamen ad tres vsque primi ternarij non peruenerat. *Posuit autem eum Dauid ad auriculam suam.* Hebr. *Posuit eum super auditum suum.* R. Kimhi, *Præfecit eum super audientes se*, id est subditos, siue ij essent aulæ ministri, Regiæ cùm magistratum præfecit: siue Prætoriani, cùm prætorio præposuit. Nam ex alio loco constat, Cerethi & Phelethi eum præfuisse. Quòd autem per auditum subditi significentur, probo ex Isaia *Cap.* 11. 14. *Et filij Amon ad auditum eius*, id est, *obedientes erunt*, vt vertit Hieronymus.

Ad obediendum Rectori promptitudo.

* Audite itaque idem est, ac obedite; vt innuatur obedientiæ sine cunctatione promptitudo. Haud secunda post auditionem vocis Rectoris est obedientiæ actio: sed illud ipsum vocem audire, iam obedire est.]

6. *Verſ.* 26.27.28.29.30.31.32.33.34.35.36.

Alij fortes Dauidis viri recensentur.

37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.] Cæterum facer Scriptor præter vnum ac alterum ternarium alios viros fortitudine illustres recensет. Fortissimi itaque in Dauidico exercitu viri fuére *Asahel* frater Ioabi, & *Elchanam filius patrui eius* Bethlehemita. LXX. *Filius Dodi.* Pergit ergo annumerare viros fortes, nec solos triginta, vt *in lib. Reg.* Sed alios quosdam adiicit. Verum nomina non semper cum expositis *in lib. Regum* conueniunt, quia nonnulli fuére binomij. Inter fortes igitur recensendi *Sammoth* Arorites, *Helles* Phalonites, *Ira* filius Accès Thecuites, *Abiezer* Anathothites, *Sobbochai* Husathites: nec, silentio obuoluendi *Ilai* Ahohites, *Maharai* Netophathites, *Heled* filius Baana Netophathites, *Ethai* filius Ribai de Gabaath, quæ ad Tribus Beniamin attinet ditionem. Commendabiles simul ex robore extitére *Banaia* Pharathonites, *Hurai* de torrente Gaas, *Abiel*, Arbathites, Azmoth Bautamites, & *Eliaba* Salabonites. Memorandi cum laude *filij Assem Ionathan* & *Semma* Gezonites, & alter *Ionathan* filius sage Ararites, *Ahiam* filius Sachar etiam Ararites, & *Eliphal* filius Vr. Digni etiam æternitate famæ *Hepher* Mecherathites, *Ahia* Phelonites, *Hesro* Carmelites, & *Naarai* Asbai filius. Nec prætereundi sine commendatione *Ioël* frater Nathan, *Mibahar* filius Agarai, *Selec* Ammonites, *Naarai* Betothites Saabi filj Saruiæ armiger, *Ira*, & *Gareb* Iethræi, & *Vrias* Hethæus Bethsabeæ maritus, quem Regia delictum operiendi cupiditas interemit. Ad fortium item catalogum adducendi *Zabad* filius Oholi, *Adina* filius Siza Rubenites Princeps Rubenitarum, & cum eo ex eadem Tribu triginta præclarissimi milites. Offerendi panegyride *Hanan* filius Maacha, *Iosaphat* Mathanites, *Ozia* Astarothites, Samma, & *Iehiel* filij Hotham Arorites. Denique celebrandi *Iedihel* filius Samri, & *Ioha* frater eius Thosaites, nec non *Eliel* Mahumites, *Ieribai* ac *Iosaia* filij Elnaëm, *Iethma* Moabites, *Eliel*, *Obed*, & *Iasiel* de Masobia exorti.

CAPVT XII.

Eorum, qui adhæsére Dauidi, cum Saulem fugeret, catalogus exponitur: & qui primi ex omnibus Tribubus peruenére ad Dauidem in Hebron, vt eum Regem constituerent, recensentur.

1. ETI quoque venérunt ad Dauid in Siceleg, cùm adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregij pugnatores. 2. tendentes arcum, & vtraque manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas: de fratribus Saul ex Benjamin. 3. Princeps Ahiezer, & Ioas, filij Samaa, Gabaathites, & Iaziel, & Phallet filij Azmoth, & Baracha, & Iehu Anathothites. 4. Samaias quoque Gabaonites fortissimus inter triginta & super triginta. Ieremias, Iehezieł, & Ioanan, & Iesabad Caderothites, 5. & Eluzai & reimuth, & Baalia, & Samaria, & Sapharia Haruphites. 6 Elcana, & Iesia, & Azareel, & Ioëzer, & Iesbaam de Carchim: Ioëla quoque, & Zabadia, 7. filij Ieroham & Gedor. 8. Sed & de Gaddi transfugérunt ad Dauid, cùm lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus: 9 Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius. 10. Masmana quartus, Ieremias quintus. 11. Ethi sextus, Eliel septimus. 12. Iohanan octauus, Elzebad nouus. 13. Ieremias decimus, Machbanai vndecimus. 14. Hi de filiis Gad principes exercitus: nouissimus centum militibus præerat, & maximus, mille. 15. Isti sunt qui transiérunt Iordanem mense primo, quando inundare consueuit super ripas suas: & omnes fugauérunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam, & Occidentalem. 16. Venérunt autem & de Beniamin, & de Iuda, ad præsidium in quo morabatur Dauid. 17. Egressúsque est Dauid obuiam eis, & ait: Si pacificè venistis ad me vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiamini mihi

pro

pro aduerſariis meis, cùm ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum, & iudicet. 18. *Spiritus* verò induit Amaſai principem inter triginta, & ait: Tui ſumus, o Dauid & tecum fili Iſai: pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuuat Deus tuus. Suſcepit ergo eos Dauid, & conſtituit principes turmæ. 19. Porrò de Manaſſe tranſfugerunt ad Dauid, quando veniebat cum Philiſthiim aduerſus Saul, vt pugnaret: & non dimicauit cum eis: quia inito conſilio remiſerunt eum principes Philiſtinorum, dicentes: Periculo capitis noſtri reuertetur ad dominum ſuum Saul. 20. Quando igitur reuerſus eſt in Siceleg, tranſfugerunt ad eum de Manaſſe, Ednas, & Iozabad, & Iedihel, & Michaël, & Ednas, & Iozabad, & Eliu, & Salathi, principes millium in Manaſſe. 21. Hi præbuerunt auxilium Dauid aduerſus latrunculos: omnes enim erant viri fortiſſimi, & facti ſunt principes in exercitu. 22. Sed & per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus quaſi exercitus Dei. 23. Iſte quoque eſt numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid cùm eſſet in Hebron, vt transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini. 24. Filij Iuda portantes clypeum & haſtam, ſex milia octingenti expediti ad prælium. 25. De filiis Simeon, virorum fortiſſimorum ad pugnandum, ſeptem millia centum. 26. De filiis Leui, quatuor millia ſexcenti. 27. Iojada quoque princeps de ſtirpe Aaron, & cum eo tria millia ſeptingenti. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius, principes viginti duo. 29. De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc ſequebatur domum Saul. 30. Porrò de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortiſſimi robore, viri nominati in cognationibus ſuis. 31. Et ex dimidia tribu Manaſſe, decem & octo millia: ſinguli per nomina ſua venerunt vt conſtituerent regem Dauid. 32. De filiis quoque Iſſachar viri eruditi, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Iſraël, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum conſilium ſequebatur. 33. Porrò de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & ſtabant in acie inſtructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici. 34. Et de Nephthali, principes mille: & cum eis inſtructi clypeo & haſta, triginta & ſeptem millia. 35. De Dan etiam præparati ad prælium viginti octo millia ſexcenti. 36. Et de Aſer egredientes ad pugnam, & in acie prouocantes, quadraginta millia. 37. Trans Iordanem autem de filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manaſſe, inſtructi armis bellicis, centum viginti millia. 38. Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, vt conſtituerent regem Dauid ſuper vniuerſum Iſraël: ſed & omnes reliqui ex Iſraël, vno corde erant, vt rex fieret Dauid. 39. Fuerúntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes: præparauerant enim eis fratres ſui. 40. Sed & qui iuxta eos erant, vſque ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad veſcendum: farinam, palathas, vuam paſſam, vinum, oleum, boues, arietes, ad omnem copiam: gaudium quippe erat in Iſraël.

COMMENTARII.

5. Memorantur Benjamitæ, qui Dauidi adhæſerunt, cũ Saulem fugeret.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.] Profectò commendabilior eſt eorum fides, qui aduerſitatis tempore tuo à latere non recedunt. Ideò recenſendi, qui adhæſere Dauidi, cum Saulem fugeret: primum Beniamitas ipſius Saulis contribules memoro. Hi ergo ex Tribu Beniamin deuenérunt ad Dauidem in Siceleg, cum adhuc Saulem filium Cis fugeret, fortiſſimi quidem & egregij pugnatores tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſumma dexteritate ſagittas. Porrò Dauid in Siceleg ſub finem vitæ Saulis habitauit. Hebr. pro *tendentes arcum* eſt, *Armati arcu, & dirigentes arcu ſagittas. Et vtraque, inquit, manu fundis ſaxa iacientes*, ne ſcilicet membrum aliquod in pugna eſſet inutile. * Ille enim illuſtris operator, qui totum ſeſe iniuncto muneri addicit, nihil ſui exponit otioſum.] Deſcriptio quidem egregij bellatoris eſſe videtur, quòd vtraque manu pugnare poſſit, ſaxa iacere, haſtam librare, & tela in hoſtem intorquere. Hoc nomine laudatur Aod *Iud. 3.15.* * Eodémque titulo commendandi ſpirituales milites qui duplici ſimul ſacro muneri operam expediunt, nempè orationi & actioni: concionando & confeſſiones audiendo, &c.] Illam particulam *De fratribus Saul* explicat Abulenſis *De cognatis.* Aptiùs expoſui De contribulibus, quia ſtatim per epexegeſim additur, *Ex Benjamin.* Hi cum viderent, Dauidem fortiter, ac prudenter ſe gerere, & ea, quæ aggrediebatur, bonum ſortiri euentum: quia nimirum Deus erat cum illo, Saule, aut propinquo, aut contribule relicto, ad partes Dauidis ſeſe applicarunt. * An non quotidie abnegatur à te ſan

Ille egregius operator, qui totum ſeſe iniuncto muneri addicit, nihil ſui exponit otioſum.

Commendabiles ſpirituales milites, qui vtraque manu pugnant.

Sæpè abnegãt

Propinqui sanguinis necessitudinem, vt sua sectentur commoda.

sanguinis necessitudo, vt commodi tui iura sectaris?] Certè initio de horum fide potuit Dauid suspicati, sed posteà captis experimentis, prudenter illos inter suos adlegit sectatores, & socios. * Plerumque tamen non fidendum

Non fidendum iis, quos ega aliàs infidos experti sumus.

iis, quos ega aliàs infidos experimur.] Horum itaque Beniamitarum Princeps fuit *Abiazer*, quem secuti fuére Ioas *Filij* Samaa Gabaathites: *Iaziel*, & Phallet filij Azmoth, *Baracha*, ac *Iehu* Anathothites: *Samaias* Gabaonites *fortissimus inter triginta, & super triginta*, id est, præerat triginta omnibus fortior. Ac si diceret, Quia fortissimus inter tringinta, ideo *super* trigintafuerat præpositus

Officia militaria non cõmittenda nobiliori, sed fortiori.

* Munia enim seu officia militaria non nobilioribus, sed fortioribus sunt committenda: nec quidem nobilitas, sed virtus acquirit victorias.] Accessére simul ad Dauidem *Ieremias, Iehezieł, Iohanan, & Iesabad* Gaderothites: *Eluzai, Ierimuth, Baalia*, Samaria, & Sapharia, Haruphites: *Elcana, Iesia, Azareel, Ioëzer*, & *Leshaam* de Corihem, id est, de Coritis posteris Core, vt ex Hebræo colligo. *Ioëla* quoque, & *Zabadia* filij Ieroham è Gedor oborti.

2. Gadditæ recensentur ad fugitantem Dauidem accurrentes.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.] Necnon peculiariter sese Dauidi fugienti adiunxére viri ex Tribu Gad, quia Tribus hæc Moabitis erat vicina; & desertis locis, per quæ Dauid diuagabatur. Itaque de Gabdi Ciuitate Tribus Gad transfugerunt ad Dauidem apud deserta latitantem vndecim viri robustissimi, ac pugnatores optimi clypeo & hasta vtentes in certamine. Horum facies leonis vultum imitabantur; nam quemadmodum leo, ad nullius pauebant occursum, vt de leonibus dicitur *Prou.*30.30. montanæque capræ erant æmulatores; sic eorum requitas velocitatem: Sic de Asaël dicitur 2. *Reg.* 2.18. *Porrò Asael cursor velocissimus, quasi vnus ex capris, quæ morantur in syluis.* Pro particula *Transfugerunt ad Dauid.* LXX. habent, *separati sunt ad Dauid*, scilicet, à Saule deficientes. Illud autem, *Cum lateret in deserto* Hebraïcè habetur, *Ad arcem deserti.* * Et quando desertum hominibus è Curia fugientibus ars tutissima non existit?] Pro particula verò *Tenentes clypeum & hastam* in Hebræo est, *Disponentes clypeum, & lanceam*, siue præparantes, vt in pugna his armis vterentur. * Ante pugnam enim præparandus armorum apparatus, ne, instante certamine, inermis des hosti triumphum.] * Id quod ad spirituale bellum magnus faciebat Antonius, de quo hodie (sacro Antonij hæc scribimus die) Ecclesia canit: *sæpè discipulos suos excitans ad pugnandum contra diabolum, docens que quibus armis vincerentur, Mihi credite* (dicebat) *pertinescit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, &c.* Huiusmodi igitur arma dispone ad dira certamina.] Nomina itaque horumce Gadditarum fugientium ad Dauidem iam expono. Primus erat *Ezer* & sociorum facilè *Princeps.* * Qui enim primus ad quodcumque facinus perrandum accurrit meritò obtinet principatum. Ideò sacer Scriptor pro *primus*, posuit *Princeps.*] secundus fuit *Obdias*, tertius *Eliab*, quartus *Masmana*, quintus *Ieremias*, *Ethi* sextus, septimus *Eliel*, *Iohanan* octauus, *Elzebad* nonus, alter Ieremias decimus, vndecimus denique *Machbanai.* Hi de Gadditarum exercitu extitére Principes: quorum *nouissimus centum militibus præerat, & maximus mille.* Quasi dicat, nemo paucioribus præerat, quàm centum, nemo pluribus quàm mille. Profectò cum sese Dauidi hi viri fortes adiunxére, paucos ille milites annumerabat. Postquàm verò Regnum adeptus est, eorum præfecturas auxit subiectorum numero militum, vt aliqui etiam millenis imperarent. Hi itaque sunt, qui transmisére Iordanem *mense primo*, id est, mense Nisan, qui Martio nostro respondet, vel partim Martio, partim Aprili, quandò *inundare consueuit super ripas suas.* Hebraïcè, *Quando ipse Iordanis plenus super ripas suas*, quo messis tempore contingebat. Hinc Gadditarum audaciæ capitur argumentum; magno enim periculo se obiecerunt, tumentem fluuium natatu fortasse transmeantes, vt improuisi hostibus, qui eo tempore nihil sibi timebant, superuenirent. Omnes igitur hostes, qui apud valles ad Orientalem, & Occidentalem plagam commorabantur in fugam compulérunt.

Desertum hominibus tutissima ars.

Ante pugnã præparandus armorum apparatus.

Magnus Antonius discipulos edocebat, spiritualia arma ante certamen præparare.

Qui primus ad quodlibet facinus gerẽdum accurrit, meritò obtinet Principatum.

3. Qui de Beniamin, & Iuda Tribubus ad Dauidẽ deuenére, ob iiciuntur.

Verſ. 16.17.18.] Verum & de Tribu Benjamin, alij ac De Iuda viri peruenérunt ad præsidium, seu arcem, in quo Dauid commorabatur. * Pigriores quidem aliis venérunt Iudæi Dauidis propinqui ac contribules, scilicet post Beniamitas, ac Gadditas. Tardior enim assolet ex propinquis, quàm ex alienis aduentare auxilium egenti.] Egressus est autem Dauid obuiam eis, non solus, sed cum selecta suorum manu, & profatur: si animo pacifico veniſtis ad me; vt auxilium egenti mihi exhibeatis, *cor meum iungatur vobis*, id est, Seriam & synceram ineamus amicitiam: si autem mihi insidias molimini, *pro aduersariis meis* siue in aduersariorum, & nominatim Saulis gratiam, cum nullius criminis mihi conscius sim, siue integer sim, ac purus à scelere: *videat Deus patrum nostrorum, & iudicet*, id est, Deus sit vltor. * Certè qui alicuius criminis se conscium inuenit, vel amicorum insidias debet, vti supplicium sine imprecatione tolerare: Solus enim ille, qui *iniquitatem in manibus suis* non habet, potest amicorum insidiis actus inclamitare: *Videat Deus, & iudicet.*] Porrò hæc Dauid & Beniamitis & Gadditis, & Iudæis dictitauit de omnibus subdubitans, num ad se syncero corde procederent. Est tamen qui suspicetur excepisse quidem sine vlla duplicis animi suspitione Beniamitas, & Gadditas: aduentantibus autem Iudæis contribulibus obuiam processisse de eorum addubitans fidelitate. * Nàm si aliqua proditio Dauidi pararetur, ea quidem generetur à sanguine; propinqui enim crudeliores in propinquum, quùm punguntur inuidia, dum eum vident eleuatiorem elatum ad sedem.] *Spiritus verò induit Amasai Principem inter triginta, & ait*: id est, voluntas, cupiditas, siue rectus animus in Dauidem accendit Amasai: aut comitas, & mansuetudo Dauidis accenditanimos & amorem in eum, & Amasai caput seu Præfectus triginta virorum suo ac sociorum nomine Sic locutus est: O Dauid, tui sumus: *& tecum* ò fili Isai, siue à te decertare contendimus: *pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis.* Salutandi affectuosè hæc formula Hebræis familiaris. *Adiutoribus*, inquit *tuis pax*, id est, iis, qui iam tecum sunt, & iis, qui deinceps ad te, defendendi tui causa aduentauerint. Te enim à Deo protegi nullus est, qui non videat. Graro itaque

Tardiùs ex propinquis, quàm ex alienis egenti venies auxilium.

Qui criminis alicuius conscius est, vel amicorum insidias æquo animo toleret.

Si aduersum te proditionẽ parari scias, caue præcipuè à propinquis.

itaque animò eos Dauid suscepit, & turmæ Principes constituit. Quod referendum putarim ad tempora Regni Dauidis iam constituti: tunc enim singulos, aut certè primarios eorum fecit cohortis alicuius, aut turmæ Præfectos.* Regij animi est tribulationis socios, sibi prosperitatis comites adhibere.

Socius aduersitatis sit tibi prosperitatis comes,

Verſ. 19.20.21.22.] Profectò & de Tribu Manasse viri fortes ad Dauidem, relicto Saule, transfugerunt quando ipse veniebat cum Philisthæis (historiam habes 1. *Reg.* 29.) vt cum Saule dimicaret: attamen prohibitus est in Philisthæorum agmine aduersum Saulem decertare; quia Philisthæorum Duces, consilio inito, remiserunt eum ad Vrbem, è qua fuerat cum Rege Achis egressus profantes: Procul dubio Dauid, ad Saulis curabit gratiam redire capitis nostri periculo; vnde incipiens à nobis contra Saulem dimicare nos, remissa manu, hosti tradet ignaros.* Loco illius verbi, *Transfugerunt ad Dauid*, est in Hebræo, *Ceciderunt ad Dauid.* Et quidem tutum deserere Principem, vt ad alienum te recipas, cadere est. Nam vel ipse Princeps, ad quem fugis, te ignobilem ducit, te despiciendum omninò iudicat.] Quando ergo Dauid reuersus est in Siceleg, de Tribu Manasse transfugérunt ad eum octo fortissimi, in ea Tribu *Principes millium*, scilicet *Ethnas, Iozabad, Iedihel, Michaël, Eddas, Iozabad alter, Elin, & Salathi.* Hi Dauidi aduersus latrunculos Amalecitas auxilium præbuére: omnes enim erant viri fortissimi, digni quidem, vt cum paulo post Dauid Saule extincto factus est Rex, in exercitu Israëlitico Principes seu Duces constituérentur. Porrò hi *Principes millium*, non militum appellantur; erant enim singuli mille militibus præfecti Duces. Nisi volueris per *Millia* Oppida intelligere iuxta illud Michææ 5. *Minima es in millibus.* Itaque capita suorum Oppidorum singuli erant ij, quos sacer Scriptor nominauit. Porrò quotidie ad Dauidi auxilium exhibēdum tot fortissimi viri vndique confluebant, vt *quasi exercitus Dei* coalesceret, id est, magnus admodum. Scriptura enim quod magnū est, hac phrasi assolet exponere, *Montes Dei, Cedri Dei* &c.

Deserere Propriam Principem, vt ad alienum te recipias, idem est, quod cadere.

5. Numerus Principum, qui venérunt ad Dauid, vt eum Regem constituerent.

Verſ. 22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.38.39.40.] Iam verò hic est numerus Principum, seu Capitum exercitus expeditorum ad militiam, qui venérunt ad Dauidem in Hebron, Saule mortuo, vt iuxta verbum Domini Prophetico ex ore expressum Regnum ad eum transferrent. Tribu Iuda portantes clypeum & hastam sex millia octingentos ad certamina expeditos immisit. Tribus Simeon virorum fortissimorum ad decertandum septem millia supra centum dedit. Tribus Leui quatuor millia sexcentos exposuit. Speciatim hac ex Tribu & Aaronis familia accessit Princeps Ioiada, & cum eo tria millia septingenti milites processerunt. Sadoc simul puer *egregia indolis*, seu *fortia robore* (vt LXX. vertunt) Principibus viginti duobus ex patris familia comitatus ad Hebron proficiscitur. *Ioiada* hic non erat Pontifex, sed Dux eorum, qui ex ea familia in Hebron venerunt. Porrò *Sadoc* hunc existimo fuisse Pontificem constitutum à Saule pro Abimelech, quem occiderat Saul nulla ætatis senilis cura, vt alia raptim ac præpostere fiebant Saulis ruina.* Tunc enim præpropere corruit Imperium cum senilis despicitur ætas, & Sacerdotalis dignitas violatur.] Vt autem asseram, Sadoc fuisse illum constitutum à Saule Pontificem, eo nitor fundamine, quia non credam, Pontificem abfuisse, cum tanto gentium consensu Regnum Dauidi deferebatur: aut verò quis præter illum Principes viginti duos secum adduxisset?* Vtinam Pontifices seu Præsules essent adeò à Regalibus negotiis, aulicáque adulatione abstracti, vt publico Regum plausui ipsi non interessent!] Profectò de Tribus Beniamin viris *fratribus* seu contribulibus Saul solum tria millia ad Dauidem ventitarunt; magna enim pars eorum adhuc domum Saulis, siue eius domus hæredem sectabatur. Verum de Tribu Ephraim viginti millia octingenti viri, fortissimi robore bellico, in cognationibus suis *nominati* peruenére, id est, (vti in Hebræo legitur.) in domo patrum suorum clari, magníque nominis. Dimidia verò Tribus Manasse decem & octo millia militum delegit, singulique *per nomina* sua venérunt, vt Dauidem Regem constituerent. Loco illius particulæ, *singuli per nomina sua*, Hebr. legitur, *Qui nominati sunt per nomina*, id est, ex omni Tribu nominatim fuére delecti.* Nec enim ad bellum instituendum confert militum multitudo, sed delectus.] Porrò dimidia hæc Manasse Tribus erat cis Iordanem, nam de reliqua dimidia Tribu, quæ erat vltra fluuium, infrà dicitur. De Tribu quoque Issachar aduentarunt ducenti Principes, *viri* quidem *eruditi*, qui *singula tempora noterant, ad præcipiendum* quid Israël gerere deberet. Quid Issacharitis rusticanis, (plerique enim agriculturæ operam impendebant) cum eruditione? Hieronymus sic explicat: *Erant enim Doctores, computatores, & Magistri siue ad festiuitates, siue ad cætera.* * Putásne ab agricolarum ingenio exulare doctrinam, peritiam, magisterium? Quot agricolarum filios vidi dignitatum insulis meritissimè exornari.] Non influit sanguinis angusta nobilitas sapientiam, sed studium.] * Ad quidnam autem adducuntur, *ad bella gerenda* Doctores & Magistri *ad festiuitates* Quia tunc victorias canet exercitus, cum milites sese legis exhibuerint obseruatores. Attamen aptiùs de illa peritia interpretor, quæ pluuiam, aut aëris serenitatem, aliásve huiusmodi cœli mutationes prædicit, & rei militari vsui esse potest. Loco autem verbi illius *Ad præcipiēdum*, Hebraicè, dicitur, *Ad sciendum, quid faciet Israël.* LXX. *Ad cognoscendum, quid fieri deberet.*

Tunc corruit Imperium, cū ætas senilis despicitur, & cum Sacerdotalis dignitas violatur.

Aulici præsules subtexantur.

Non confert ad bellum recte gerendum, militum multitudo, sed delectus.

Agricolarum filij sapientissimi. Nec enim augustus sanguis influit sapientiam, sed studium.

Exercitus legis obseruator canet triumphos.

* Itaque scientia præcipiendi vocabulo exprimitur. Quia tam necessaria est ad aptè præcipiendum scientia, vt idem sit scire ac præcipere.] Faciliùs alij exponunt de prudentia, quæ benè quid facto opus sit, in tempore coniectat.

Ad aptè præcipiendū, scitia necessarió requiritur.

* Si ad exercitus Ducatum cogeret eligere aut imprudentem fortissimum militem, aut prudentem ignauum: priùs hunc quàm illum aptiorem ducerem ad Ducatum: ignauus enim fortes potest prudentia dirigere ad facinus gerendum: imprudens autem fortis milites aget temerarios.] Omnis autem reliqua Tribus, siue reliqui dimidiæ huiusce Tribus Manassæ milites ducentorum horumce Principum consilium sequebantur.* Quàm aptè bellum administrabitur, cum milites nihil sine Ducum consilio gerunt!] Profectò Tribus Zabulon quinquaginta millia virorum ad Dauidem, emisit eorum scilicet, qui egredi solebant ad prælium, & instructi armis bellicis *stabant, in acie*, id est, parati ad certamina

Potiùs ignauus prudens eligendus ad Ducatum, quàm fortis imprudens.

Aptè administratur bellum, cum milites nihil sine Ducū consilio gerunt.

certamina ad Imperatorum nutum. Hi quidem venérunt *in auxilium, non in duplici corde.* Hebr. *Non corde, & corde.* Quare hoc de Tribu Zabulon speciatim dicitur; Fortassè maior de illis suspitio fuerat. * O quot homines vidisti *corde, & non corde* ad te ventitantes. Altero hi affirmant se tua sectari commoda, altero verò suis cupiditatibus operam exhibent.] Porrò particula illa, *Et stabant in acie instructi armis bellicis* sic Hebr. expenditur: *Ordinantes bellum in omnibus armis belli*: Ac si diceret: Alij sagittis valebant, alij clypeum & lanceam versabant. *Hi* omnia bellica arma gestare poterant. E Tribu Nephthali mille Principes aduentarunt, & cum eis triginta & septem millia militum clypeo instructorum & hasta. De Tribu Dan ad Dauidicum preparantur exercitum viginti octo millia sexcenti. De Tribu Aser quadraginta millia proficiscuntur egredientes ad pugnam, & *in acie* non solum intuentis hostis impetum retundentes, sed & ipsi fortissimè hostem *pronocantes.* Trans Iordanem autem de Tribubus Rubet, Gad, ac dimidia Tribu Manasse ad Dauidis auxilium instructi sunt armis bellicis centum viginti millia. Omnes igitur, qui recensiti sunt, Duces ac milites expediti ad certamina corde *perfecto* seu syncero venérunt in Hebron, vt Dauidem supra omnem Israël Regem constituerent. * Vidisti, ante Saulis mortem paucos ad Dauidem fugitantem milites transmeasse: post Saulis vero obitum quàm plures acessisse. Potens mirum in modum est viuenti Principi placendi cupiditas. * *Ad quid* autem tot millia Ducum accinguntur ad prælium, tot milites mortuo hoste Saule, præparatur ad arma? Certè quia eo ipso quod Rex deberet exurgere inuidentium excitabat exercitus: eodem enim die Regnum, ac inuidia nascitur.]* Christus Rex natus prædicatur, à Regibus, *Vbi est, qui natus est Rex.* Math. 2. Eadem itaque natabitij nocte facta est cum Angelo ortum pastoribus annunciante *multitudo militiæ cælestis.* Luc. 2. Vndenam cœlicolis bellum indicitur, cum *pax hominibus* euulgatur? Profectò Regem natum necessarium est persequatur inuidia, ad quam confringendam tantus Angelorum exercitus apparatur.] Commorati itaque sunt tot Duces tot milites triduo apud Dauidem conuiuio excepti, *præparauerant enim eis fratres sui,* id est, reliqui Israëlitæ, qui apud Dauid iam antea aderant, curauerant de victu eis præparando; sed & omnes Tribus, quæ Tribui Iuda erant finitimæ vsque ad Tribum Issachar, Zabulon, & Nephthali, iuuerunt viros Iuda, cibaria eis ministrantes, ne tot conuiuis necessarius deficeret commeatus. Afferebant enim asinos, camelos, mulos, boues onustos panibus, ad vescendum: victuique militum farinam *palathas*, seu ficorum aridorum massas, uuas, passas, vinum, oleum, boues, arietes exponebant, *ad omnem copiam*; *gaudium quippè erat in Israël.* Hebr. sic: *In multitudine*, id est, copiosè & abundanter afferebant annonam, erat enim gaudium Hebræis illis diebus, quandò Dauid Rex acclamabatur. * Et quonammodo poterat sine abundantia cibi aut gaudium stabiliri, aut Rex acclamari? si enim subditi saturati non fuerint, murmurabunt.

Homines corde duplici ventes taxantur.

Potentissima est, nemo Principi placendi cupiditas.

Eodē die Regnum & inuidia nascitur.

Ad lesumna, tum Regem, vti ad Dauidem Angelorum accurrit exercitus eōtra inuidiam hostium.

Sine abundātia cibi gaudium à communitate exulat, de Præsule subditis obmurmurantibus.

CAPVT XIII.

Fœderis Arca de Cariathiarim reducitur; Rex Dauid ante eam ludit, ac psallit. Quia Arcam contingit à Deo Oza interimitur. In domum Obededon, ingenti illius gaudio, & bono Arca deflectit.

INIIT autem consilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuersis principibus, 2. & ait ad omnem cœtum Israël: Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israël, & ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitant in suburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, 3. & reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisiuimus eam in diebus Saul. 4. Et respondit vniuersa multitudo vt ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. 5. Congregauit ergo Dauid cunctum Israël, à Sihor Ægypti, vsque dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et ascendit Dauid, & omnis vir Israël. ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, vt afferret inde arcum Domini Dei sedentis super cherubim, vbi inuocatum est nomen eius. 7. Imposuerúntque arcam Dei super plaustrum nouum de domo Abinadab: Oza autem, & frater eius minabant plaustrum. 8. Porrò Dauid, & vniuersus Israël, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis. 9. Cùm autem peruenissent ad Aream Chîdon, tetendit Oza manum suam, vt sustentaret arcam: bos quippe lasciuiens paululùm inclinauerat eam. 10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, & percussit eum, eò quòd tetigisset arcam: & mortuus est ibi coram Domino. 11. Contristatúsque est Dauid, eò quòd diuisisset Dominus Ozam: vocauítque locum illum: Diuisio Ozæ, vsque in præsentem diem. 12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quomodo possum ad me intro

introducere arcam Dei? 13. Et ob hanc causam non adduxit eum ad se, hoc est, in Ciuitatem Dauid, sed auertit in domum Obededom Gethæi. 14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.

COMMENTARII.

1. De reducenda Arca cōsilium initur.

Nihil prius Regi Catholico, quàm rei sacræ incrementis studere.

Regia Vrbes ex accuratiori circa Dei cultum affectu præcipuè exornantur.

Præsules consulant subditos, vel ad eorum voluntatis faciliorem executionem.

Regnāte impio Rege, vel pij non audēt pietatis negotia promouere.

Sacrorum despectus Regnis ingerit exitium.

Principes facilè possunt subditos ad Dei obsequiū perducere.

VERS. 1.2.3.4.5.] Piissimus itaque Dauid illicò post Regnum acceptum de promouendo sacro cultu cogitat. * Nihil enim Principi Catholico priùs quàm rei sactæ incrementis studere.] Cogitauerat itaque Dauid de Arca Testamenti in Sion arcem transferenda, vt certum locum obtineret, sanctiùs coleretur, & Regiæ Vrbi tantum decus accederet. * Nihil enim sic Regias Ciuitates exornat, ac circà Dei cultum accuratior affectus.] Conuocat ergo, ac consulit Regni Primores, Tribunos scilicet, seu Chiliarcos, qui mille viris præerant, Centuriones qui centum imperabant, vniuersósque Principes; ne videretur velle, cuncta pro arbitratu gerere, & vt res faciliùs & efficaciùs executioni mandaretur. Hi enim, quorum consilio negotium agitur, ad eius perfectionem auxilium expediunt. * Cùm autem inconsultis ipsis pro Principis arbitratu efficitur, licet in magnum Reipublicæ, seu communitatis commodum cedat, multis subest contradictionibus. Oportet ergo Præsules subditos consulere, vel ad executionis eorum voluntatis, & affectus.] Fatur itaque Dauid omnem Israëlis ad cœtum, id est ad Primores, quorum voluntati, aut dispositioni vulgares hæresciunt. Si placet vobis, *& à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquar*, id est, quia sentio, me ad hoc diuinitùs excitari: ad fratres nostros reliquos qui vniuersas Israël incolunt regiones, immittamus nuncios; præcipuè ad Sacerdotes & Leuitas, qui habitant *in suburbanis Vrbium*, id est, non solùm eos accersamus, qui in Vrbibus habitant, sed eos etiam, qui suburbia incolunt, vt ad nos congregentur; ad eos enim in primis hæc solemnitas attinet, cum ipsorum sit Arcam deferre, cantúque sacro pompam comitari. Conuocatis igitur Proceribus cunctis, major erit celebritas: & aduocatis Sacerdotibus & Leuitis reducemus Arcam Dei nostri ad nos: *non enim requisiuimus eam in diebus Saul*: quo tempore nunquam Regi suggessimus, vt in opportuniorem locum Arca transferretur. * Totum enim Regnum ad Principis mentem componi assolet. Si in corde Regis viget impietas, vel piorum linguæ circà Religionis promotionem conticescent.] Toto ergo tempore Regni Saulis mansit Arca in domo Aminadab, vbi post captiuitatem fuerat collocata, nulla restituendi eam in locum pristinum cura. Ideò Saulis Regnum tot fuit obnoxium ærumnis. * Sacrorum enim despectus Regnis ingerit perditionem.] Annuit propositioni Regis vniuersa multitudo, cunctis enim Dauidis pietas *placuerat*. * Quam facilè Rex potest subditorum animos ad Dei obsequium accendere. Si non placet subditis Religionis obsequium, signum est, Regem se circa id ostentare socordem.] Congregauit igitur Dauid cunctum Israël *à Sihor Ægypti, vsque dum ingrediaris Emath*, id est, à fluuio, seu torrente, qui dicitur Ægypti, Phinocorurā alluit, & Tribum Simeonis à Meridie terminat vsque ad Emath Oppidum ad radices Libani versus Damascum in finibus Tribus Neththalim ad Boream. Hic est extremus Israëlis terminus ad Aquilonem, vt Sihor ad Meridiem, quibus terminis tota Chananitidis longitudo continetur. Totus itaque Israël fuit aduocatus vt de Cariathiarim Arcam Dei ad arcem Sion adduceret. Porrò *Sihor Ægypti* idem est Hebr. ac *Niger Ægypti*, seu *Nilus* sic ab aqua turbida vocitatus. *Ierem.* 2. 18. *Quid tibi est in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Emath autem scio esse Antiochiam Palestinæ finem ad septentrionem.

2. Arca aduciur super plaustrū, ludit, & psallit Dauid coram Arca.

Deiuratores corripiuntur.

Actiones suæ Sacerdotum, sæcularium leges.

Quæcumque à Sacerdotibus geruntur licèt non aptè, excusare debemus.

Nec Principibus licet se se officijs Sacerdotum ingerere.

Verſ. 6.7.8.] Dauid, & omnes viri Israël, qui ad Arcæ adductionem fuerant aduocati, ad collem Cariathiarim, quæ adiacet in Tribu Iuda, ascenderunt, vt indè Arcam Domini Dei sedentis super cherubim, vbi inuocatum est nomen eius, in Ierosolymam adducerent. Prò voce illa, *Ascendit in collem* Hebraicè est, *Ascendit in Baalathah* nomen Oppidi propè Cariathiarim. Certè Ios. 15.6. inter Vrbes Iuda ponitur. Loco autem particulæ, *Vbi inuocatum est nomen eius* Hebraicè solùm patitur, *Vbi inuocatum est nomen*, quod per antonomasiam Hebræus de nomine quadriliteri intelligit, quod dicunt solùm in Tabernaculo fas fuisse proferri, idque semel in anno. Sed simplicius *eius* aut *Domini* debet suppleri. * Simul autem annotari, quanta sit Dei nomen reuerentia ore proferendum, quod solùm in Tabernaculo & semel in anno proferebatur, vt hinc effrænati homunciones, qui passim deiurant, corripiantur.] Apparet autem Abinadabum & Eleazarū, quibus Arca ante annum quadragesimum nonum fuerat commissa, fuisse defunctos, quibus alij duo filij Abinadabi iuniores, aut fortè nepotes substituti erant Oza, & Ahio, qui de Arca transferenda moniti, eam, vt erat suis obuoluta velaminibus, de loco suo cum reuerentia sublatam super plaustrum nouum imposuerunt, quod Oza & Ahio deducebant, sic quidem, vt hic Arcam bouésque antecederet, ille sequeretur: cū tamen ex legis præscripto eam humeris, gestare debuissent. Fortè laboris pigebat, & didicerāt, impunè à Philistæis plaustro fuisse impositam; neq; mirum, quippe qui Mosaica lege non tenebantur. * Hinc ediscе, actiones esse Leuitarum, id est, Sacerdotalis status leges: quod sæcularibus quandoque licet, fas non est, à Sacerdote geri.] An Dauid, aut populus participes Leuitici criminis extitére? minimè; neq; enim prohibere tenebantur, rati fortassè id eis Dominum nouo priuilegio indulsisse. * Quæcumque à Sacerdotibus geruntur, excusare debemus, æqui bonique ducere. Aut certè credebant, nō esse Laicorum, officiis Leuiticis, aut Sacerdotalibus sese immiscere. Abiatharis potiùs ea culpa fuit, si interfuit, & dissimulauit. * Nec Principes debent sese officiis Sacerdotum ingerere; ad eorum enim Præsules attinet commissorum correptio. Haud exprimit Scriptura pompæ huius modum & ordinem. Existimo Arcam fuisse in medio, vt tam qui præibant, quàm qui sequebantur magis ei præsentes adessent. Præcedebant ergo sine illa

triginta electorum millia Israelitarum, siue illa viginti quatuor millia *turmæ*, quæ apud Regem hoc Mense in armis erat: Inde sequebatur David, præcedebátque Arcam, vt fatur Iosephus, & cum eo plurimi viri primarij: Tum sequebatur Arca in plaustro, Ahio præcedente, & Oza subsequente cum multa turba Sacerdotum, ac Leuitarum, cum Ephod lineo, quo ne David quidem carebat, indéque reliquum vulgus omnis ætatis, conditionis & sexus. David autem, & omnis Israel *ludebant coram Domino* omni genere instrumentorum musicorum resonante: accedebant etiam tubæ vel corneæ, vel argenteæ, quas Sacerdotes insiabant: alternis autem cantica Leuitæ personabant, quorum plerique cantores erant: illique præcinentibus, reliquus populus sonoris vocibus succinebant, quo fere modo vbique canitur in Ecclesiis. Ponderá illud: *Dauid verò, & vniuersa Israël ludebant coram Deo omni virtute*, (siue pro vitibus, profuso scilicet affectu) *in canticis, &c.* Alicui visum fuit minus decorum virum grauem publice psallere, vel saltare. En Regem psallentem, saltantem, & omnes Principes, cunctum populum ad canticum, saltationémque excitantem, Omnis augusta est actio, ex qua Deo gloria resultat.] * Quod alias viris Primoribus velut impossibile videretur, facile redditur Regis exemplo; canit & saltat David, psallit ac saltat cunctis populus.]

Omnis actio vel vilis, è qua Deo gloria resultat, augusta est.

Regis exemplo vilia, vel difficilia reddunturfacilia admodum.

Vers. 9. to. 11. 12. 13, 14.] Hactenus res bellè procedebat, cum contigit non modica turbatio. Postquam enim peruentum est ad aream Nachon, cœperunt calcitrare boues, & Arca nutabat ad casum: cum Oza, animaduerso periculo, tenuit Arcam, & prohibuit casum; statimque diuinitus percussus interiit. At videbatur, inquies, id pietati potius, quàm temeritati adscribendum, & laudem magis, quàm pœnam meruisse. Equidem iam culpa erat admissa; Deus autem distulit pœnam, donec effectus peccati palam fieret: si enim portassent humeris vt oportebat, Arca non adiisset ruinæ periculum, nec contactus eius necessarius fuisset.

3. Ozæ supplicium.

* Leuitici ordinis, id est Sacerdotum piacula dissimulari curat Deus, nec publicè punit, nisi speciali populi scandalo prouocetur, ipso Sacerdote sua piacula propalante.] Porrò & si vterque erat in culpa, Oza tamen solus pœnam publicè luit, quia eius culpa publicè populo innotuerat. * Quis non crederet Ahium innocentem, cum videret, secundum Ozam exitio affici? Deum ad misericordiam allicit, qui curat, dum delinquit, scandalum vitare.] Scio ex Abulensis mente, Ahium non impune fuisse, sed secreta morte interemptum. * Quia occultum crimen Deus assolet secretò flagellare supplicio.] An supplicium horum Leuitarum erit æternum? Negat meritò Abulensis, tum quia de admisso peccat dolere potuerunt, cum agnouerunt se culpa sua grauissimi scandali incurrisse periculum, si Arca in terram coram populo corruisset; * tum quia (auctore Hieron. in cap. 1. Nahum) eiusmodi culpæ, quæ tam seuerè castigatæ leguntur præsenti supplicio compensantur, neque postea puniuntur. Tristitia igitur affectus est David *eo quod percussisset Dominus Ozam* in negotio ipsius causa, & voluntate suscepto. Suspicatus etiam fortasse, Deo non placere, vt Arcam apud se collocaret, qui triumphalem pompam funebrem reddidisset. * An non Maria vtero continens Virgam illam virtutis Dei ab ipso immissam ex Sion, Mannæ vrnam, Legisque tabulas, id est ipsum Legislatorem continens? Patres passim affirmant. Merito igitur à Deo percutitur, qui, quantumuis, bouè humanæ naturæ calcitrante, sibi persuasis est Arcam corruere potuisse, Domino eam dilucidè ne corrueret, adiuuante. Certè legimus, aliquos fuisse à Domino punitos, qui non vt veritatem odirent, sincerè quam opinionem, quam tueri licet, exponunt: sed malitiosè & pertinaciter vt proprium placitum sectentur audent scandalum coram fideli populo excitare.] * Haud indiget Deus manu hominum vt Maria non excidat, ipse firmauit eam Altissimus.] Vocauitque locum illum. *Diuisio Ozæ vsque in præsentem diem*; morte enim diuisus fuit Ozæ animus à corpore. Eam tristitiam David timor excepit; Extimuit enim David Dominum in die illa dicitans: *Quomodò ingredietur ad me Arca Domini?* Existimauit, in tam numerosa familia facilè admissum iri delicta contra reuerentiam Arcæ Domini debitam, quæ crebris subindè funeribus lucrentur, & fœderis Arca in petram scandali verteretur. At quia sciebat, eam in domo Abinadab Leuitæ vltrà quadraginta octo annos impunè mansisse, existimauit, eam in domo Obededonis Leuitæ experiundi causa esse collocandam, in qua, vt longè minore, pari paucæ delinquendi occasiones per irreuerentiam nascerentur. * Aula quidem assolet esse iniquitatum fons, criminum scaturigo.] Itaque non magis terruit Obededonem mors Ozæ, nè Arcam libenter acciperet, quam confirmauit Abinadab, qui tanto tempore eam apud se sine damno cuiusquam habuisset. Expectauit itaque, se studiosè obseruaturum, quæ ad inculpatam Arcæ custodiam pertinerent. * O quàm securè possumus Arcam fœderis Marian nostram ad corda transferre! Nullum, si adsit Arca in domo, periculum: minus reuerenter custodita parcit peccatori, indulget excipienti.] Mansit ergo Arca in domo Obededan Gethæi trium Mensium spatio: & benedixit Deus domui eius in *omnibus, quæ habebat*, eximia scilicet fœcunditate hominum, atque pecorum. *In* 1. *Paralip.* 26. 4. octo eius annumerantur filij; & additur ratio, *Quia benedixit ei Dominus*; quæ benedictio in filios & nepotes est propagata.

Deus curat piacula Sacerdotis dissimulari.

Deum ad misericordiam allicit, qui dat delinquit, curat vitare scandalum.

Secretum crimen Deus occulta supplicio flagellat.

Culpæ, quæ in præsenti seuerè castigantur, assolent æternùm non puniri.

Puniuntur, qui non sincerè, sed malitiosè asserunt Mariam Arcam fœderis certasse, quæ tumuli naues calcitrarunt.

Haud Deus, indigeat hominum manu, vt Maria non excidet, ipse eam firmauit,

Aula iniquitatis fons.

Nullum subit periculũ qui Mariam Arcam fœderis domo excipit, irreuerenti enim parcit.

Ex obsequio in Mariã sterilitas pellitur.

Similis iudicatur socio, cui hæreses.

CAPVT XIV.

Tyri Rex Hiram ligna, & artifices ad Dauidem immittit, qui Regium ei palatium exædificarent. Dauid pluribus ex coniugibus plures liberos gignit. Bis strage ingenti percutit Philistæos.

1. MISIT quoque Hiram Rex Tyri nuntios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices parietum, lignorúmque: vt ædificarent ei domum. 2. Cognouítque Dauid quòd confirmasset eum Dominus in Regem super Israël, & subleuatum esset regnum suum super populum eius Israël. 3. Accepit quoque Dauid alias vxores in Ierusalem: genuítque filios, & filias. 4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem: Samua, & Sobad, Nathan, & Salomon, 5. Iebahar, & Elisua, & Eliphalet, 6. Noga quoque, & Napheg, & Iaphia, 7. Elisama, & Baaliada, & Eliphalet. 8. Audientes autem Philisthiim eò quòd vnctus esset Dauid in Regem super vniuersum Israël, ascenderunt omnes vt quærerent eum: quod cùm audisset Dauid, egressus est obuiam eis. 9. Porrò Philisthiim venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim. 10. Consuluítque Dauid Dominum, dicens: Si ascendam ad Philistæos, & si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, & tradam eos in manu tua. 11. Cúmque illi ascendissent in Baalpharasim, percussit eos ibi Dauid, & dixit: Diuisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut diuiduntur aquæ: & idcircò vocatum est nomen illius loci Baalpharasim. 12. Dereliquerúntque ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri. 13. Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, & diffusi sunt in valle. 14. Consuluítque rursùm Dauid Deum, & dixit ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex aduerso pyrorum. 15. Cúmque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, vt percutiat castra Philisthiim. 16. Fecit ergo Dauid sicut præceperat ei Deus, & percussit castra Philisthinorum, de Gabaon vsque Gazera. 17. Diuulgatúmque est nomen Dauid in vniuersis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.

COMMENTARII.

1. Rex Tyri ligna & opifices ad Dauidem mittit.

VERS. 1.2.] Ab Hiram Rege Tyri immissi fuére ad Dauidem nuncij, vt de confirmato Regno gratularetur: ac simul adducta fuére à seruis Tyrij Principis ligna cedrina perueneruntque iussu Hirami opifices & ad concinnandos parietes, & ad ligna perpoliêda: vt exædificarent Hebræo Regi augustius palatium. Num id gesserit Hirã à Dauide requisitus, vti post à Salomone 3. *Reg.* 5. 2. an vltrò & spõte sua fœdus, amicitiámq; obtulit? Crediderim, sponte nuncios immisisse, ne forsan & ipse aliquando aduersarium pateretur, quem videbat, tam felicibus, ac prosperis successibus vti.

Nullus non proprio consulit commodo, cum alij vtilitatem præstat obsequio.

Nullum non reperietis hominem alij homini obsequia vltrò præstantem, qui proprio non consulat commodo.] Cognouítque Dauid, se à Domino in Regem super Israël esse confirmatum, Imperiúmque suum esse subleuatum suprà populum eius. Vndénam cognouerit? An potuit id certò nosse ex primis, adeóque prosperis Regni initiis? Minimè; nam & Sauli similia obtigerant, nec tamen confirmatum, aut stabilitum fuerat Regnum eius. Num eius Diuina seu Prophetica id cognouit admonitione, aut reuelatione? Ita aliqui affirmant. Ast ego crediderim, id cognouisse ex vicinorum amicitia Principum, quæ magnum Regibus solet esse præsidium. Sic ex donorum missione à Rege Tyri cognouit Regnum suum fore stabile. * Porrò Reges vicinorum Principum amicitiam vel coëmere debent ad Regni stabilitatem. Si inimicitiæ exsurgunt, bella cientur: bellis vigentibus potentissimum nutat Imperium.] Pro verbo autem illo, *Quod subleuatum est Regnum super populum* Hebraicè est, *Quod subleuatum esset Regnum propter populum*, * Ob merita populi Deus Regibus fauet, ob demerita punit.] Hinc Dauidis humilitas obiicitur, qui populi meritis, non suis Regni tribuit stabilimentum. * Certè humilitas optimum fundamentum est ad quæque augusta, ac præcelsa formanda, & stabilienda.

Amicitiæ Principũ vicinorum Regna stabilit.

Ob merita populi Deus Regibus fauet, ob demerita punit. Humilitas vel Regna stabilit.

Vers. 3.4.5.6.7.] Præter eas autem coniuges, quas iam Dauid alibi acceperat, apud Ierosolymam alias duxit, è quibus filios, filiásque suscepit. Porrò *eorum*, qui nati fuére Dauidi in Ierusalem, hæc extitére nomina: *Samua, Sobad, Nathan, Salomon, Iebahar, Elisua, Eliphalet, Noga, Napheg, Iaphia, Elisama, Baaliada,*

2. Dauid pluribus ex vxoribus plures liberos accipit,

liada, & *Eliphalet* alter. Totidem filij Dauid eisdem fere nominibus *cap.* 3. annumerantur. Si genuit Dauid Ierosolymis *filios & filias*, cur solummodò filiorum nomine sacer recensuit Scriptor? *Quia filiæ* adeò debent reclusioni addici, vt nec earum nomina peruulgentur.

Filiarum nomina haud debent à ciuibus agnosci.

* *Filia*, cuius nomen à ciuibus scitur, & crebro vsurpatur, haud exhibet perspicuum pudicitiæ documentum.

Vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.] Fremuere Philisthæi, quòd Dauid Rex factus esset, à quo meritò sibi malè metuebant, cúmque cum populo suo, vt nuper Saulem, perditum exoptabant. Ascenderunt igitur vniuersi, vt Dauidem quærerent cum eo pugnaturi. Nam cum cognouissent populum vniuersum maxima multitudine Hebronem confluxisse, Dauidem creasse, Iebusæorum expugnasse arcam, rem minimè negligendam putarunt; veriti, vt se dabant initia, ne se in Philisthæorum Satrapias improuisi effunderent, Saulis mortem vlturi, & dudum victi victores euaderent, ac frænum tributi à se reiectum in ora ipsorum immitterent. Dum autem ingentes illi copias contrahunt, diuino spiritu Dauid afflatus eximium illum Psalmum cecinit, cuius initium: *Quare fremuerunt gentes.* * Præcipuus enim apparatus ad bellum, est Regis pietas, qua precibus studet.] Ergo Philisthæi contractas copias in Valle Raphaim, quæ aderat in extrema ferè Tribu Benjamin versus Occidentem, effuderunt: quæ Vallis à gigantibus nomen accepit. Dauid autem nolens obsidionem expectare Ierosolymis nondum munitis, sed foris potiùs hostem inuadere, præsidium sibi prídem notum ad speluncam Odollam occupauit. Ibique per Abiatharem Pontificem Dominum consuluit, *an ipso annuente* contrà Philisthæos esset decertaturus: & an ipso propugnante consecuturus esset victoriam? Respondit Dominus ad vtramque petitionem, ascendendum, Philisthæósque Dauidis tradendos in manus. Ità promisit, ità perfecit immisso (vti existimat Abulensis) Philisthæis timore, vt non auderent in Hebræorum conspectu consistere. Sic enim per Moysem promiserat Dominus, se terrorem suum in Chananæorum populos immissurum. Itaque venit Dauid in Vallem, quæ posteà dicta est *Pharasim*, id est, *diuisorum*, ibique percussit Philisthæos, ac cognoscens diuinitùs datam sibi fuisse victoriam, *Diuisit*, inquit, Dominus inimicos meos coràm me, sicut diuiduntur aquæ, quæ omnem in partem diffluunt, atque diffugiunt. Huius autem timoris ac fugæ indicium est, quod in eo pugnæ loco reliquére sculptilia sua, quæ quidem tulit Dauid & viri eius, eáque comburi iussit, quæ scilicet lignea erant: metallica verò fundi, atque conflari. Vbi Philisthæi ex fuga & pauore se se collegerunt, de eo, vt par est credere, maiorem in modum confusi sunt, animaduersa copiarum suarum multitudine, cæterísque victoriæ præsidiis. Vndè damnata priore fuga, pugnam quam primum redintegrarunt, ac diffusi sunt rursum in *Valle Raphaim*, vt dum priorem ignominiam delere satagunt, eam noua clade cumulent, ac pudore. * Ediscat spiritualis belli miles, locum profanum, in quo semel est ab hoste tartareo deuictus, aptum non esse ad victoriæ assecutionem. Apud mulierculæ domum corruisti? Extrà eam cum hoste tibi ineundum certamen. Nam si in eadem domo velis hostem superare, potiùs secundo in certamine corrues.] Dauid autem accepto nuncio de Philisthæis certamen repetentibus. Dominum iterùm consuluit, an prælium contrà eos redintegrari placeret, & an iteratam sponderet victoriam; Cui Dominus non solùm victoriam promittit, sed pugnæ quoque modum præscribit, sic vt ad internum terrorem externus etiam ex terrifico accederet sonu. Iubet enim, Dauidem cum exercitu vsque ad conspectum hostium venire, deindè easdem circunducere copias vsque ad Philisthæorum terga. Eo verò cum peruentum esset, expectare dum Dominus signum pugnæ ex cacumine *Pyrorum* daret, quæ erat sylua inter castra Dauidis & Philisthæos. Eo fragore Dauidem monitum iri significat de præsenti Dei auxilio, déque ipso temporis articulo ad pugnandum diuinitùs destinato: Philisthæos verò metum concepturos de exercitu indè superueniente. Hîc Dauidis acie Philisthæos à tergo inuadente, coactum iri facie ad eos conuersa se se defendere: alterius autem exercitus imminentis, & è sylua superuenientis opinione occupatos, existimaturos, se à gemino exercitu cæsum iri: indéque metu perculsos salutis viam præcipiti fuga vndique perituros; & victoriam Dauidi persequenti relicturos. Quod & factum est. Quæ quidem, rumore nuncio, per circumquaque posita vulgata regiones, Dauidis nomen celebre, ac formidabile reddiderunt. Cæterùm nonnullas huiusce periodi particulas annoto. *Cúmque illi ascendissent in Baal pharasim*, sic per anticipationem vocatur, nam ab ea victoria sumpsit id nomen, quod significat, *Idolum diuisionum*, quia *diuisit Deus inimicos*, id est, dissipauit. Victoriæ partæ argumentum, cum hostes diuiduntur, neque in vna acie consistunt. * Et quando vel in spirituali exercitu diuisio militum non præparat hosti triumphos? * Aptè autè appellatur *Idolum diuisionis*, seu dissipationis; quodcumque enim animæ idolum, quicumque inordinatus cordis affectus, ipsius animæ, ipsius cordis est dissipatio.] Pro particula autem, *Recede ab eis*, quam Dominus exposuit, in Hebræo habetur, *Circunda desuper eos.* * Si Philisthæorũ exercitu ex mente Ausonij luxuries semel & iterum irruens importuna signatur, tunc circundatur ad exitium, cum ab ea recedis; cum luxurie enim à longè pugnandum.] Illud pondera, *Egressus est enim Deus ante te*, id est Angelus Dei. Ex eo te ô Dauid fore victorem intelliges. Nam si Duce Déo aut Angelo militas, quonam modo ab hostibus poteris superari?] Denique vox illa premenda: *Dominus dedit pauorem eius*, id est, reddidit eum formidabilem. * In omni bello victoriæ neruus & fundamentum est hostibus incussus pauor ex fama aduersarij. O quotiens fama alicuius Regni potiùs quàm peritia, aut fortitudo militum perfecit victorias!]

Præcipuus ad bellum apparatus, est Regis pietas, qua precibus vacat.

apud mulierculæ domum victus fuisti, extra illam cũ hoste concerta, nè rursũ corruas, eodem pugnans in campo.

In bello & materiali, & spirituali diuisio militum dat hosti victoriam.

Quicunque affectus animæ scilicet idolum ipsius animæ dissipatio est.

Recedè à luxurie, si eam expetis superare; nam cũ hoc hoste à lõgè dimicandum.

Si Deo, aut Angelo Duce pugnas, proculdubio vincès.

In bello victoria neruus est plerumque hostis fama, quæ metũ incutit aduersario.

CAPVT

CAPVT XV.

Tabernaculo Ieroſolymis præparato, Arca in illud à Dauide inducitur, omni Iſraële comitante. Michol filia Saul, Dauidis coniux ſterilitate punitur, eo quod Dauidem coram Arca ſaltantem deſpexit.

1. FECIT quoque ſibi domos in Ciuitate Dauid: & ædificauit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum. 2. Tunc dixit Dauid: Illicitum eſt vt à quocumque portetur arca Dei niſi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad miniſtrandum ſibi vſque in æternum. 3. Congregauítque vniuerſum Iſraël in Ieruſalem, vt afferretur arca Dei in locum ſuum, quem præparauerat ei. 4. Necnon & filios Aaron, & Leuitas: 5. De filiis Caath, Vriel princeps fuit, & fratres eius centum viginti. 6. De filiis Merari, Aſaia princeps, & fratres eius ducenti viginti. 7. De filiis Gerſon, Ioel princeps, & fratres eius centum triginta. 8. De filiis Eliſaphan, Semeias princeps, & fratres eius ducenti. 9. De filiis Hebron, Eliel princeps, & fratres eius octoginta. 10. De filiis Oziel, Aminadab princeps, & fratres eius centum duodecim. 11. Vocauítque Dauid Sadoc & Abiathar Sacerdotes, & Leuitas, Vriel, Aſaiam, Ioel, Semeiam, Eliel, & Aminadab. 12. & dixit ad eos: Vos qui eſtis principes familiarum Leuiticarum, ſanctificamini cum fratribus veſtris, & afferte arcam Domini Dei Iſraël, ad locum qui ei præparatus eſt. 13. ne vt à principio quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus; ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. 14. Sanctificati ſunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent arcam Domini Dei Iſraël. 15. Et tulerunt filii Leui arcam Dei, ſicut præceperat Moyſes iuxta verbum Domini, humeris ſuis in vectibus. 16. Dixítque Dauid principibus Leuitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicorum, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus letitiæ. 17. Conſtituerúntque Leuitas, Hemam filium Ioel, & de fratribus eius, Aſaph filium Barachiæ: de filiis verò Merari, fratribus eorum, Ethan filium Caſaiæ. 18. Et cũ eis fratres eorum: in ſecundo ordine Zachariam, & Ben, & Iaziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, Eliab, & Banaiam, & Maaſiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniã, & Obededom, & Iehiel, ianitores. 19. Porrò cantores, Heman. Aſaph, & Ethan, in cymbalis æneis concrepantes. 20. Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Ani, & Eliab, & Maaſias, & Banaias, in nablis arcana cantabant. 21. Porrò Mathahias, & Eliphalu & Macenias, & Obededom, & Iehiel, & Ozaziu, in citharis pro octaua canebant epinicion. 22. Chononias autem princeps Leuitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiã: erat quippe valdè ſapiens. 23. Et Barachias, & Elcana, ianitores arcæ. 24. Porrò Sebenias & Ioſaphat, & Nathanaël, & Amaſai, & Zacharias, & Banaias, & Eliezer, ſacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: & Obededom, & Iehias, erant ianitores arcæ. 25. igitur Dauid, & omnes maiores natu Iſraël, & tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia. 26. Cúmque adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri, & ſeptem arietes. 27. Porrò Dauid erat indutus ſtola byſſina, & vniuerſi Leuitæ qui portabant arcam, cantoréſque, & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: Dauid autem etiam indutus erat ephod lineo. 28. Vniuerſúſque Iſraël deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & cimbalis, & nablis, & citharis concrepantes. 29. Cúmque peruenìſſet arca fœderis Domini vſque ad Ciuitatem Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſaltantem atque ludentem, & deſpexit eum in corde ſuo.

COMMENTARII.

1. Conuocat Dauid parato Tabernaculo Sacerdotes, & Leuitas ad trãslationem Arcæ.

Si expetis domum tuam æternari, simul Deo domum ædifica, aut ædificatã refici cura.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.] Dauid itaque fecit sibi domum Regiam in Ciuitate Ierosolyma, siue in colle Sion, sacer Scriptor Domos fecisse Dauidem asseruit. *Fecit sibi domos.* Domum quidem Regiam, & domum, siue Tabernaculum, in quo Arcam collocaret. * Cur autem *sibi* fecisse domum vtramque dixit. Quia quod Deo extruis, tibi paras ad honorem scilicet tuum, ad propriæ domus durationem, ad tuæ prosperitatis incrementum. Cùm tibi domum extruis cura Deo domum ædificare, si æternam domus tuæ expetis durationem.] Et simul Rex ædificauit Tabernaculum nouum, quo Arca collocaretur; antequam enim Mosis aderat apud Gabaon. Porrò intra ipsam Sion arcem, in qua Rex Regiam extruxerat, tetendit Arcæ excipiendæ Tabernaculum. Tunc dixit aulicis, & Proceribus Dauid: Haud licet, Arcam Dei ab aliis humeris, quam à Leuiticis deportari. Ita enim præcipitur Num. 4.5. erátque munus Caathitarum; Leuitas enim elegit Dominus ad deportandum eam, & ad ministrandum sibi *vsque in æternum.* Ac si diceret, hæc lex perpetua est à Deo constituta, quam iussi sumus perpetuo seruare. Hac concepta mente Dauid vniuersum Israël in Ierusalem coëgit, vt in locũ, quem ipse ei præparauerat Dei Arca sacerrima transferretur. Aduocati simul curauit Sacerdotes & Leuitas Aaronis posteros. E filiis seu posteris Caath *Vriel* fuit Princeps quem centum viginti fratres, seu familiares secuti fuére. De filiis Merari egit Principatum Asaia, cuius gressus ducenti supra viginti Meraritæ sectantur. E filiis Gerson Ioël Princeps exsurgit, & centum triginta socios ex eadem familia deduxit. De filiis Elisaphan Semeias Principatum gessit, ac ducentis fratribus præstitit ducatum. De filiis Hebron Princeps Eliel aduenit, octoginta consamiliaribus comitatus. E posteris Oziel Princeps Aminadab centum supra duodecim propinquos adduxit. Vocauit itaque Dauid Sadoc & Abiathar *Sacerdotes* summos; aliquamdiu enim videntur simul Pontificatum gessisse; *& Leuitas* Vriel, Asaiam, Ioël, Semeiam, Eliel, & Aminadab, eísque profatur. Vos, qui Principes agitis Leuiticarum familiarum, Sanctificamini *cum fratribus vestris,* id est, parate vos sanctè, vt puri sitis ab omni legali immunditia. Vos inquam *cum fratribus vestris,* seu vos & reliqui Contribules vestri. Principes verò purificati incipiant, vt reliqui subditi faciliùs purificationi studeant. * Principis enim exemplum subditos allicit ad eandem gerendam actionem. Quid magis difficile, quàm purificationi operam dare, id est Sacramentali Confessione expiare conscientiam? Præcedat Princeps, sacrum inire fontem, gestientes subditi prosequentur.] Afferte Arcam Domini Dei Israël, id est, estote parati ad eam humeris deferendam in locum, quiei est præparatus. Nè rursum accidat quod *à principio,* cum scilicet eam primum transferre cœpimus, nec tamen in Sion adducere ausi sumus Ozæ casu perterriti. Quod quidem ideo euenit, *quia non eratis præsentes,* vos nimirum Principes familiarum, qui in familiis vestris scientia ad dirigendum, docendúmque iuniores, & auctoritate ad præcipiendum polletis, vt impediretis, nè delictum aliquod in suscepta Arcæ translatione admitteretur. Ne igitur sic nunc fiat, vt tunc quum *percussit nos Dominus,* Oza repentina atque dira morte sublato, illicitum quid nobis per ignorantiam iuris agentibus. * Preme illud: *Percussit nos Dominus.* An non solus Oza percussus; Cur ergo Dauid omnes præsentes asserit fuisse percussos? Certè quià vno fratre vulnerato tota debet communitas vulnerari.] * Et quidem cum vnus ciuis à Deo punitur, omnes debent compungi, se supplicij reos esse cogitantes.]

Principis exemplum facilem subditis purificationis reddit actionem.

Vno socio vulnerato tota debet sancta communitas vulnerari.

Cum socius punitur, compungi debemus eadem digni pœna.

2. Deportatur à Leuitis Arca.

Verſ. 14.15. Igitur Sacerdotes & Leuitæ *sanctificati sunt* in diem sequentem, si qui fortè immunditiam aliquam contraxerant, quæ ad vesperam vsque produceretur: vt ritè possent Arcam Domini Dei Israël deportare. Tulerunt itaque filij Leui Arcam Dei non plaustro inuectam sed humeris suis vectibus, sicut Moses ex præscriptione Domini præceperat. Hinc patet, causam percussi Ozæ fuisse neglectum legis diuinæ, quæ iubebat, Arcam cum transferenda esset, non aliis, quàm Leuitarum humeris apportari. * Huiusce transgressores legis obiiciuntur Sacerdotes illi, qui Arcam siue arcanorum fidei ministerium brutalibus humeris apponunt, vtentes scilicet ineptis Vicatiis ad Sacramentorum administrationem. Quàm meritò hi horribiliter assolent flagellari! Annon hi boum plaustro sacrum committunt onus, quod ipsi propriis deberent humeris eleuare?]

Taxantur Sacerdotes qui Sacramentorũ pondus incertis Vicarijs committunt.

3. Cantores pompam Arcæ comitantes recensentur.

Verſ. 16.17.18.19.20.21.22.23.24.] Profatúsque est Dauid Leuitarum Principibus, petens, vt de Contribulibus Cantores constituerent, vt instrumenta musica pulsarent, scilicet, vt *nablis, lyris, cymbalisque* lætitiæ sonitum *in excelsis* excitarent. Pro *Nablis* est Hebr. נבל *nebel,* quæ dictio *vtrem,* lagenam, aut hydriam significat. Hinc translatum nomen ad musicum instrumentum, quod interpretes nunc *Psalterium,* nunc *lyram* transferunt. Pro *Lyris* Hebr. est כנרות *Chinnorot,* quam vocem Vulgatus *Organa,* iam iam *Citharas* vertit. Pro *Cymbalis* verò est Hebr. מצלתים *metsiltaim,* siue *tintinnabula, crepitacula*: Loco autem particulæ illius. *Vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ* ex Hebræo Pagninus legit, *Audire facientes exaltando vocem in lætitia.* Constituerunt igitur Pontifices à Dauide moniti, Leuitas, qui Cantorum officium agerent, Heman filium Ioël; & de contribulibus eius Asaph filium Barachiæ; de filiis verò Merari ac contribulibus eorum assignarunt Ethan filium Casaiæ. Itaque è familia Caathitarum Hemam Princeps Cantorum fuit: de familia autem Gersonitarum Princeps Cantorum extitit Asaph. de familia verò Merari Ethan Cantorum Princeps fuit assignatus, omnes quidem hi ad primi ordinis moderationem. Porrò in secundo ordine constituerunt, Zachariam, Ben, Iaziel, Semiramoth, Iahiel, Ani, Eliab, Banaiam, Maasiam, Mathathiam, Eliphalu, Maceniam, Obededom, & Iehiel, qui ianitorum fungebantur officio. Itaque Cantores inferiores hi constituti fuerunt, nam qui in primo ordine fuére annumerati, Cantorum erant Principes, & Chorum moderabantur, vulgatiter dixeris, *Magistros de Capilla.* Porrò

Cantores

Cantores Heman, Asaph, & Ethana, in cymbalis æneis concrepabant. Zacharias, Oziel, Semiramoth, Iahiel, Ani, Eliab, Maasias, ac Banaias in nablis arcana canebant. Mathathias, Eliphalu, Macenias Obededon, Iehiel & Ozias in citharis pro octaua *epinicion* modulabantur. Aliqua ad loci intelligentiam adnotarim. *Cymbala ænea* vocito, quæ ex solo ære siue alterius materiæ admixtione sunt conflata, & artificiosa collisione concrepant: qualia sunt sistra, crotali, & alia his similia: quò etiam refero tintinnabula, & pelues, quæ percussione resonant. *Nablum* seu nablium instrumentum esse reor, ex Hebraïca voce, quòd aërem recipit ab vtriculo, & eundem perfistulam reddit cum modulato sono sine inflatu cuiusquam. Vtriculum Latini vocitant, Græci ασκον: & qui eo vtitur *Ascaules*. & Vtricularius appellatur. Existimo istud Dauidicum plurib⁹ fistulis fuisse compactum, vt magis varium ederet sonum: videtúrque idem esse cum eo, quod Hieronymus epist. ad Dardan. *Symphoniam* vocat. Per *Arcana* & *Octauam* illi Psalmi indicantur, qui talibus titulis insigniti erant: qualis est Psalmus nonus, & Psalmus quadragesimus quintus, quorum titulus est *Alamoth*, quod Noster nunc *Arcana* vertit, nunc *Occulta*. Et sunt duo illi Psalmi ad illum temporis articulum, quo solemniter translata est Arca, sic accommodati, vt in illam rem ex professo à Dauide compositi esse videantur. Psalmus verò quartus, sextus, & vndecimus, titulum habent *super seminith*; quod Noster vertit, *In Octaua*, videtúrque instrumentum fuisse *Octachordum*, v.gr. Cithara octo chordis instructa: sicut erant aliæ *Heptacordæ*, & *Decachordæ*. In his octachordis cani iubebatur *Epinicium*, id est, *Carmen triumphale*, seu pro victoria: qualem Psalmi iam citati continent. Porrò Chonenias Princeps Leuitarum *prophetiæ præerat ad præcinendum melodiam: erat quippe valdè sapiens*, id est, canentibus Dei laudes Præfectus summus erat, illud munus exercendo, quod Hispanè dicimus *Maëstro de Capilla*, cuius officium est, musicas cantiones artificiosè componere, & curare, vt musici concinnè & modulatè canant. Quorsum additur. *Erat quippè valdè sapiens*. significat, circa prophetiam valdè peritum esse. Certè hoc loco *prophetia*, & *prophetare*, non est futura prædicere, sed laudare Deum, de quo 1. *Reg.* 10. 10. *Ad præcinendam melodiam* Hebraicè, Principatum tenebat. Hebræus vocem נשא *iasor* sumis in significatione increpandi, quasi diceret: Increpabat siue eleuationem, siue prophetiam, Psalmos scilicet proferentes, quoties aliquis aberrabat. * Ergo cuiusuis Principis officium est errantes corripere subditos.] Verum Bachias & Elcana erant Arcæ ianitores, scilicet vbi collocata fuisset. Fortasse etiam in via curabant, ne quisquam prope accederet. Porrò Sebenias, Iosaphat, Nathanaël, Amasai, Zacharias, Banaias, & Eliazer Sacerdotes coram Arca tubis clangebant. Et Obededom ac Iehias Arcæ etiam erant cum duobus iam memoratis ianitores. Quatuor itaque ianitores Arcæ designantur, quorum duo, me auctore, præibant, & alij duo Arcam ponè sequebantur.

Cuiusnis Principis officium est, errantes subditos corripere.

4. Adhuc pompa describitur, Dauid saltans coram Arca à Michol vxore patui penditur.

Verſ. 25. 26. 27. 28. 29.] Perrexere igitur Dauid, & omnes Primores Israël, & Tribuni cùm lætitia & alacritate in domum Obededom ad fœderis Arcam deferendam in Sion. Cùmque *adiuuisset Deus Leuitas*, qui fœderis deportabant Arcam, septem tauri, ac totidem arietes gratitudinis ergo immolabantur. Sententia est, Leuitas in ferenda Arca à principio sensisse, mirabili se alacritate perfusos ad Sacrum illud onus subleuandum, id Deo agente, vt clarè cognoscerent, qui memores Ozæ contactus fortasse timidi accesserant, gratam sibi esse huiusmodi Arcæ gestationem. * Et quando pondus Sacrum apportantes non alleuat humeros?] * Alacritate illos Deus donauit, vt facile eis pondus redderetur. Alacritas enim seu deuotio operantis operis molestiam omnino tollit.] * O Maria Arcæ fœderis quàm facilia obsequij tui onera exponuntur; ipsum pondus alleuat apportantes.] Hebræi asserunt Leuitas sine vllo labore Arcam portasse. Ego existimo significari, sine molestia, & sine offensione portatam, idque Dei ope; hoc enim significat illa particula *Cúmque adiuuisset Deus Leuitas*. Adiuuit quidem ad onus tollendum, non omnino sustulit. * Nec enim à Deo expectandum, vt penitus nos à legis pondere liberet, sed vt infirmitatem dignetur subleuare.] Profectò Dauid byssina erat indutus stola, & Leuitæ, qui portabant Arcam, Cantoresque, ac Chonenias Princeps Cantorum Deum laudantium stola byssina amicti incedebant. Dauid autem præter stolam byssinam Ephod lineum gestabat; sic exponunt nonnulli. Crediderim tamen byssinam illam stolam, qua Dauid & Cantores induebantur, idem esse ac Ephod lineum. Vnde cum additur, *Dauid autem etiam indutus erat Ephod lineo*. Explicatur quidnam significaret & Dauidem & Leuitas Cantores byssina stola amictos incedere. Cuncti igitur, quos memorat hìc Sacer Scriptor *Ephod* lineo induebantur: vniuersúsque Israël celeberrima pompa Arcam fœderis Domini deducebant in iubilo, buccinis tubis, cymbalis, nablis, ac citharis dulciter insonantibus. Denique cum Arca Domini ad Ciuitatem Dauid, seu ad arcem Sion peruentasset Michol filia Saul Dauidem maritum è fenestra prospexit coram Arca saltantem, ac ludentem, eúmque suo in corde despexit, * Vereor ne dilectio illa, qua olim in Dauidem flagrabat, remissa iam fuisset. Nam qui diligit, nulla ex actione assolet dilectum despicere, potiùs cuncta inaurat errata.] Certè Michol, quæ domi subsistiterat, cum priùs Dauidem saltantem contempsisset, conceptum animo dolorem diu retinere non potuit, sed cùm venienti marito officiosè occurrisset, cum prima salutatione. *Quàm gloriosus*, inquit, *fuit hodie Rex Israël &c.* Quæ quidem 2. *Reg.* 6. 20. exposui. Quibus addo, Dauidem, in hac non iocularí, sed religiosa saltatione immemorem honestatis fuisse, aut non satis prouidisse, nè contra eam casu aliquo peccaretur. Iam verò totam accuratiùs pompam describo ad vberiorem capitis huiusce intelligentiam. Arcam quaterni Sacerdotes in humeris per vectes ad breuiora eius latera immissos deferebant: ad latera aderant quaterni Arcæ ianitores, siue custodes, qui turbam submouerent. Arcam proximè præcedebāt nouem Sacerdotes, quorum duo erant Sacerdotum Principes Abiathar & Sadoc; vterque cum vestibus, omnique, ornatu suo;

Pro pa describitur.

Sacrum onus alleuat apportantes.

Alacritas, seu deuotio operantis ei facilè reddit molestiam operis.

Obsequij Mariæ facilia onera.

Non expectandum à Deo, vt nos omninò à legis pondere liberet; sed vt adiuuet, ad tollendum.

Qui diligit, nullam dilecti contemnit actionem, inaurat errata.

Pompa descripta.

ſeptem autem reliqui tubis coram Arca clangebant, quas apparet fuiſſe argenteas, quorum vſus erat in Iubilæis. Hos autem antecedebat non exiguus Sacerdotum numerus, qui partim cum Leuitis canebant, partim crebris Sacrificiis operam dabant. Porrò Leuitæ in ſeptem erant diſtributi choros, diuiſi in ordines duos, quorum *prior conſtans* tribus choris antecedebat Arcam, quatuor ſequebantur, & variis omnes muſicis inſtrumentis, vocibúſque Dei laudes concinebant. Tota autem pompa lentè admodum procedebat, quòd ſexto quoque paſſu ſacrificia fierent à ſingulis choris, per Sacerdotes, qui in illis aderant. Itaque quod 2. *Reg.* 6. 13. dicitur immolatus bos vnus cum vno ariete, hîc autem ſeptem tauri & totidem arietes, nulla eſt repugnantia. Nam prior locus docet, quid fieret in ſingulis choris; poſterior, quid in omnibus ſimul. Cùm ergo Arca Domini ſex paſſibus cum vniuerſa pompa proceſſiſſet, Arca ſuper præparatam menſam aulæo inſtructam imponebatur, ſtatímque ſuum à ſingulis choris ſacrificium fiebat in altari, quod in eum vſum commodè circumferri poſſet, boue vno, qui modò taurus, modò vitulus appellatur: & vno ariete immolato: ſicque Deus frequenti honorabatur ſacrificio, & tanto populo epulum de tot pacificis hoſtiis parabatur. Conſtituta Arca in nouo Dauidis Tabernaculo de quo cap. 16. Quæſieris, an Dauid indutus fuerit Leuitico amictu? Dicitur enim, *Porrò Dauid erat indutus ſtolâ byſſina, & vniuerſi Leuitæ, qui portabant Arcam*, quam ſtolam mox (vt vidimus) *Ephod* lineum interpretatur. Reſpondeo. Cum Leuitis nullæ propriæ veſtes aſſignatæ eſſent, potuerunt Laici, modò ne in contemptum Leuitici ſtatus, iiſdém cum eis vti veſtibus, vtpote non ſacris: qualia, ſunt quæ dicuntur *ſuperpellicea*, quibus etiam non Clerici nunc vtuntur ſine culpa ac reprehenſione præſertim in ſupplicationibus & pompa ſolemniore.

CAPVT XVI.

Deo victimæ coràm Arca offeruntur. Rex populo benedicit, & exhibet epulum. Leuitarum miniſteria coram Arca decernuntur cum laudum diuinarum cantico.

ATTVLERVNT igitur arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocauſta & pacifica coram Deo. Cúmque compleuiſſet Dauid offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domni. 3. Et diuiſit vniuerſis per ſingulos, à viro vſque ad mulierem, tortam panis & partem aſſæ carnis bubalæ, & frixam oleo ſimilam. 4. Conſtitúitque coram arca Domini de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſraël. 5. Aſaph principem, & ſecundum eius Zachariam: Porrò Iahiel, & Semiramoth, & Iehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banariã, & Obededom: Iehiel ſuper organa pſalterij, & lyras: Aſaph autem vt cymbalis perſonaret; 6. Banaiam verò & Iaziel ſacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini. 7. In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino, Aſaph, & fratres eius. 8. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adiuuentiones eius. 9. Laudate nomen ſanctum eius: lætetur cor quærentium Dominum. 10. Quærite Dominum, & virtutum eius: quærite faciem eius ſemper. 11. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: ſignorum illius, & iudiciorum oris eius. 12. Cantate ei, & pſallite ei: & narrate omnia mirabilia eius. 13. Semen Iſraël ſerui eius: filij Iacob electi eius. 14. Ipſe Dominus Deus noſter; in vniuerſa terra iudicia eius. 15. Recordamini in ſempiternum pacti eius: ſermonis, quem præcepit in mille generationes. 16. Quem pepigit cum Abraham & iuramenti illius cum Iſaac. 17. Et conſtituit illud Iacob in præceptum: & Iſraël in pactum ſempiternum. 18. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ. 19. Cum eſſent pauci numero, parui & coloni eius. 20. Et tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. 21. Non dimiſit quemquam calumniari eos: ſed increpauit pro eis reges. 22. Nolite tangere chriſtos meos: & in prophetis meis nolite meis malignari. 23. Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem ſalutare eius. 24. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius. 25. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis, & horribilis ſuper omnes deos. 26. Omnes enim dij populorum, idola: Dominus autem cælos fecit. 27. Confeſſio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius. 28. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium. 29. Date Domino gloriam, nomini eius leuate ſacrificium,

crificium, & venite in conſpectu eius: & adorate Dñm in decore ſancto. 30. Commoueatur à facie eius omnis terra: ipſe enim fundauit orbem immobilem. 31. Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnauit. 32. Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis ſunt. 33. Tunc laudabunt ligna ſaltus coram Domino: quia venit iudicare terram. 34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius: 35. Et dicite: Salua nos Deus ſaluator noſter, & congrega nos, & erue de gentibus: vt confiteatur nomini ſancto tuo, & exultemus in carminibus tuis. 36. Benedictus Dominus Deus Iſraël ab æterno vſque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino. 37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Aſaph, fratres eius, vt miniſtrarent in conſpectu arcæ iugiter, per ſingulos dies, & vices ſuas. 38. Porrò Obededom, & fratres eius ſexaginta octo, & Obededom filium Idithum, & Hoſa, conſtituit ianitores. 39. Sadoc autem Sacerdotem; & fratres eius ſacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon. 40. vt offerrent holocauſta Domino ſuper altare holocauſtomatis iugiter, mane & veſpere, iuxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, quam præcepit Iſraëli. 41. Et poſt eum Heman, & Idithun, & reliquos electos, vnumquemque vocabulo ſuo ad confitendum Domino: Quoniam in æternum miſericordia eius. 42. Heman quoque & Idithun cauentes turba, & quatientes cymbala, & omnia muſicorum organa, ad canendum Deo, filios autem Idithun fecit eſſe portarios. 43. Reuerſúſque eſt omnis populus in domum ſuam: & Dauid, vt benediceret etiam domui ſuæ.

COMMENTARII.

1. Offeruntur victimæ, Rex benedicit populo, & epulum exhibet.

VERS. 1.2.3.] Allatam ergo pompam huiuſmodi fœderis Arca in medio Tabernaculi, quod Dauid præparauerat, collocauerunt, holocauſtáque & pacifica *coram Deo*, id eſt, in Arcæ ipſius obtulére conſpectu. Verùm poſtquam Dauid holocauſtorum pacificorúmque perfecit oblationem *populo benedixit*, duplici quidem benedictione; vna ſpirituali, dum ei benè precatur, Deúmque exorat, vt populi pietatem cœlectium terreſtriúmque rerum abundantia compenſet; altera corporali, cum diſcedentem populum ferculo proſequitur hoſpitali. * Nec enim Regi, vt gratus populo exiſtat, ſufficit ſpiritualem impendere benedictionem, niſi ſimul cum corporalibus ſubſidiis afficiat.] *In nomine* itaque *Domini* populo benedixit. * Nomen enim Domini *Iehouah*, ſeu *Ieſus* omnium benedictionum eſt epilogatio.] Vt ergo corporali benedictione faceret ſatis, diuiſit Rex cunctis & viris & fœminis quam pararat annonam, exhibens ſingulis tortam panis, partẽ aſſæ bubalæ carnis, & frixam oleo ſimilam. Pro *Torta* panis 2. *Reg.* 6. 19. *Collirida* ponitur, ſeu *Cruſtula*. Erat genus placentæ, cui ad conciliandum ſaporem, aliquid dulciarium erat admixtũ. Particulam vero illam, *Et partem aſſæ carnis bubalæ* ſic lege, Et partem aſſæ carnis *bubulæ*. Sic legendum patet *ex* 2. *Reg.* 6. 19. Hebr. פַּר אֶחָד *Es par*, quod fruſtũ carnis ſignificat. Noſter in duas partes diſſecuit, *Es-par*, id eſt *bos ignitus*, vel *aſſatus*, ideóque reddidit *Aſſam carnem bubulam*, ſeu vitulinam. Pro *Similam oleo frixam* eſt Hebr. חֲשִׁישָׁה *haſiſah*, quæ vox ſolùm in genere ſignificat id, *quod hominem exhilarat* maximè in conuiuio. Vnde pro rerum ac temporum opportunitate variè interpretes vertunt, nunc *ſimilem oleo frixam*, & hîc, nunc *laganum*, vt hîc enim LXX. vel *Arcolaganum*; nunc *Flores* vt *Cant.* 2. 5. *Fulcite me floribus*; nunc *lagenam* vini ſcilicet, *R. P. de Eſcob. & Mendoza in Paralipom. lib. I.* vt in præſenti pleríque recentiores vertendum exiſtimant. Id crediderim facilè, nè vinum menſæ Dauidicæ defuiſſe videatur. * Certè ſi ſpiritualia contemplaris, quinam vnicus ille cibus, apud quem tot ciborum dulcedo inuenitur, qui nunc eſt flos, nunc vini ſuauiſſimi, & efficaciſſimi parit effectus, niſi Euchariſtica ſimila oleo charitatis Dominicæ frixa?] * Vt myſticè innuat Dauid auguſtiores ſolemnitates appoſitè Euchariſtiæ receptione celebrantur.] * Speciatim hortor eos, qui Deiparæ mancipantur obſequio Euchariſticam menſam inire ea die, qua cœleſtium ineffabile plauſu Arca ſacerrima, qua Deus ipſe clauditur ad cœleſtis Sion Tabernaculum fuit aſſumpta.] Porrò ſimilis ratio recipiendi cum xenio populi, apud multas nationes olim in vſu fuit. In Hiſpaniæ locis plurimis cum ad feſtum aliquod ſolemnùs celebrandũ populus concurrit. Quod officium vulgò *Charitatem* vocant, vt Græci olim *Apagem*.* Dauid itaque tranſlationis Arcæ feſtũ profuſa *charitate* coluit, edocens Principes, diuitéſque feſtos dies diſperſa vbertim eleemoſyna celebrare.]

Vt Rex populo ſit gratus, debet cum nõ ſpirituali ſolùm; ſed & corporali benedictione afficere.

Nomen Ieſu omnium benedictionum epilogatio.

Vbicus cibus Euchariſticus & flos & vinum eſt, varios parient effectus.

Feſtiuitates ſolèniores appoſitæ Euchariſtiæ receptione celebrãtur.

Feſto Aſſumptionis Deiparæ eius addicti obſequio Euchariſtiam recipiant.

Diebus ſolemnibus diuites vbertim pauperi ſuccurrant.

Verſ. 4. 5. 6. 7.] Conſtituítque Dauid è Leuitis, qui coram Arca Domini miniſtrarent, & & recordati operum, ſeu miraculorum eius ea celebrarent, Dominúmque Iſraël Deum glorificarent, ac laudibus profuſis efferrent.* Et quis memor Dei operum, ſiue beneficiorum in ſe collatorum, perpetuas Numinis non feratur in laudes? Ideò aptè Dauid conſtituit Dei laudatores, ac glorificatores, ſed prius curat eos Deo laudandi, ac glorificandi operum recordari: *Qui recordarentur operum eius, & glorificarent, ac laudarent Dominum Deum Iſraël.* * Edocemur, ante precum exercitamentum ſpiritualis libri præſertim continentis beneficiorum tractatum lectioni operam exhibere, vt memores Dei operum, in eius vberes laudes profundamur.] Princeps laudaturorum Deum Aſaph conſtituitur, ſecundus eius ſiue ab eo ſecundus, ſeu Vicarius Zachatias aſſignatur. Deputantur ſimul ſacro huic miniſterio Iahiel

2. Leuitarum miniſteria coram Arca decernuntur.

Memores beneficiorũ Dei, ad eius laudes excitamur.

Ante orationem libri ſpiritualis lectioni vacemus.

Semiramoth, Iehiel, Mathatias, Eliab, Banaias, & Obededom. Porrò Iehiel Præpositus erat eorum, qui organa psalterij, seu nablorum instrumenta, lyrásque resonare faciebant. Asaph autem Princeps præcipuè eorum, qui pulsandis cymbalis operam dabant. Banaias demum ac Iaziel Sacerdotes coram Arca fœderis Domini tuba iugiter concinebant. In illa die fecit Dauid *Principem Asaph, & fratres eius* ad confitendum Domino. Hebraicè *Tunc dedit Dauid in principio*, id est, inchoauit *ad laudandum Dominum in manu Asaph, & fratrum eius*, hoc est, initium fecit subiecto Psalmo, seu Psalmis laudum Dei Asaph ministro, reliquisque Cantoribus choro subiectis.

3. Psalmũ centesimũ quartum Cantores coram Arca concinunt.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.] Profectò duo Psalmi hoc in Capite canuntur vnus *Confitemini Domino*, alter *Cantate Domino omnis terra*, rudiori primum opere in hac Arcæ translatione à Dauide compositi: sed postmodum magis expoliti, numerisque donati suauioribus in Psalterium fuére translati. Prior ordine est Psalm. 104. posterior 95.* Edocentur Auctores Librorum, post opus compositum, rursum id calamo accuratiori inire, vt perpoliant, ac colliment.] Certè Psalmus centesimus quartus hîc in gratiarum actione solitus est decantari. Cum beneficia ingentia hac die à Domino acceperitis in Arcæ sacerrimæ translatione, *confitemini Domino, & invocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius*, siue operas adeo magnifica, & augusta, vt videantur quodammodo speciali à Deo studio inuenta esse. Inuocare nomen alicuius, est illum, cuius inuocatur, aut imploratur nomen, superiorem, ac Dominum agnoscere. Isa. 63. *Facti sumus, sicut in principio, cum non dominareris nostri, neque invocatum esset nomen tuum super nos.* * Moneo hinc Iesuitas super quos Nomen Domini nunquam non inuocatur, specialissimo iure debere Iesu obsequio mancipari.] * Quodnam verò beneficium adeò ingens hodie recolitur, vt cogat Israëlem Dei magnalia vbertim intonare? Verum ingenti beneficio cœlesti apud nos Arcam fœderis habemus, siue in Arca signetur Eucharistia, siue Deiparæ protectio exponatur. Pro huiusmodi ergo beneficio nunquam non Deo gratiæ profundendæ.] *Cantate ei, & psallite ei, & narrate omnia mirabilia eius.* Cantamus voce, psallimus adhibito musico ad vocem instrumento. Vtrumque Psaltes ad prædicanda diuina beneficia requirit. Neque tantùm id cantando, vel psallendo vult celebrari; sed etiam priuatis publicisque sermonibus, ita vt nihil audiatur non in Templo solùm, ac Vrbe, sed etiam in tota Israëli de regione, atque adeò in orbe toto, nisi quæ à Deo in beneficium populi sui prodigia, ac facinora gesta fuére. * Ex cordis abundantia ora loquantur: & cum tua præcordia innumeris fateare beneficiis oppleri, numquam tua labia conticescant: genus enim gratitudinis est illustre, nunquam non beneficium deprædicare, ac profiteri.] *Laudate nomen sanctum eius.* Laudate Deum (iuxta Hebræorum idioma, qui nomen alicuius sumunt pro eo, cuius est nomen) & vos fortunatas existimate, vestrumque omninò probate, ac laudate consilium, quod ex omnibus diis hunc, qui solus est Deus quæsistis, ac elegistis. Huc facit quod mox subiicitur, *Lætetur cor quærentium Dominum*; quia nimirum illis nunquam deerit satis ampla laudandi, atque exultandi materia.* Illud enim ipsum quærere Dominum innumeris muneribus est oppleri.] *Quærite Dominum, & virtutem eius, quærite faciem eius semper.* Proximè iussi fuerant lætari, qui Dominum quærunt: & nunc Dominũ quærere iubentur non semel, quia illis inde aduenit ad quilibet adeundem, perficiẽdúmque robur, & virtus. Certè faciem alicuius sumi pro eo, cuius est facies, est in scriptura frequens, vnde eadem sententia repetitur cum dicitur, *Quærite Dominum*, & *Quærite faciem Domini*. Cur additur *semper*? Si enim quærimus, & inuenimus Dominum pœnitentiæ affectu, quem ob piacula amiseramus: quem iam tenemus, ad quid vltra quærere curabimus?* Porrò nunquam qui deliquimus, debemus esse de recuperata gratia securi, vnde semper debemus Deum replicatis pœnitudinis affectibus quæritare.] *Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius.* In *signis* prodigia intelligo, quibus Deus potentiam suam, & benignitatem in tuendo populo ostendit. *Oris iudicia* legem interpretor, quam Deus dedit populo, quod sanè magnum à Deo beneficium fuit. Horum igitur beneficiorum iubet refricari memoriam, vt illorum excitati commemoratione qui tunc aderant, sese in diuinas laudes totos effunderent.* Quia scilicet beneficia à patribus accepta filiorum etiam beneficia existunt.] *ipse Dominus Deus noster, in vniuersa terra iudicia eius.* Ille, qui dum nostram salutem, & possessionem tuetur, miracula edidit illustria, viuendique religiosè ac sanctè modum præscripsit: ille est ô Israël Deus noster, qui in vindicanda causa nostra, in vniuersa terra, in qua, aut habitauimus diu, aut certè posuimus aliquando vestigium, iudicia fecit, dum hostium nostrorum aut fregit spiritum, aut debilitauit vires, & si quod nobis impedimentum opposuerunt, pœnas ab illis acerbissimas exegit. * Nunquam non Dei tribunal collocatur, & exeritur iudicium illa in terra, vbi iustus ab improbo persecutione afficitur,] vt absoluatur innocens, reusque puniatur.] *Recordamini in sempiternum pacti eius sermonis, quem præcepit in mille generationes.* sententia eadem per epexegesim iteratur. Quodnam sit hoc pactum sempiternum, aut sermo in mille generationes, statim vers. 18. ostendit, *Tibi dabo terram Chanaam funiculum hereditatis vestræ.* Hoc verò pactum, & præceptum, vt maior in geminatione significetur promissi firmitas sæpius iteratur, Vers. 15. 16. & 17. Porrò hoc pactum, aut promissa possessio futura, dicitur æterna. Quod tamen intelligendum est, dummodò populus fidem seruet, quam tueri debuit integram, & sanctam.* Non sufficit promissam esse nobis æternam fælicitatem, si ob piacula indigni efficimur promissionis impletione. Vnde à Deipara precamur, vt digni Christi promissionibus efficiamur.] *Cum essent pauci numero, parui, & coloni eius.* Eo tempore Deus Abrahamo, Isaaco, & Iacobo latissimam regionem, quam nationes septem incoluerant, promisit, quando illorum soboles sic erat exigua, vt viculus quantumliber exiguus pro illorum habitatione sufficeret. Sic autem Deus familiam illam à paruis ortam principiis amplificauit, vt extenderet propagines suas vsque ad mare, & regionem, quam septem nationes

Auctores librorum post compositum qui, illud postmodũ recognoscere, ac tollimare.

Iesuita speciali iure Iesu obsequio debent mancipari.

Ingens à Deo beneficiũ datam esse hominibus Eucharistiam, ac Deipara protectionem.

Genus illustre gratitudinis est, nunquam non prædicare, ac profiteri beneficium.

Quærere Deũ, idem est, ac innumeris bonis oppleri.

Nũquam debemus esse de recuperata gratia securi, vnde semper pœnitẽtia affectu Deũ requiramus.

Patrum beneficia à Deo accepta filiorum beneficia sunt.

Tribunal & iudicium Dei collocatur vbi iustũ impius persequitur, vt liberetur innocens, & reus puniatur.

Non sufficit, promissum esse nobis Regnum cœleste, si indigni efficimur promissionis impletione.

tiones

tiones habitauerant, impleuerit. *Et transierunt de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum.* Cum autem tot Regna obierint tam varia ingeniis, ac studiis diuersa, tàm parentes, quibus facta est promissio, quam illorum pueri: sic tamen illos Deus paterna texit prouidentia, vt ab hostilibus siue armis, siue insidiis seruauerit incolumes, & tandem ad promissam, paratámque regionem induxerit.* Multas sine offendiculo peragrasse terras, eximium à Deo beneficium est.] *Non dimisit, quemquam calumniari eos, sed increpauit pro eis Reges.* Hæc optimè in tres Patriarchas conuenire nemo nescit. Abrahamus variis temporibus varia lustrauit Regna, & à variis periculis ereptus, & eius causa aut puniti, aut increpati Reges. Isaacum diutiùs acceperunt Palestini, Deus autem Amilecheco Regi fuit terrori. De Iacobo constat multò apertiùs, quem à Labano defendit, quem Dominus increpuit, edixítque, ne quidquam aduersùs generum grauiùs loqueretur. Deinde ab Esau fratre defendit; & iterùm à Sichimitis, quos filiorum exulcerat grauiter inopinata crudelitas; ac tandem nè peregrinus à Regibus virísque potentibus, per quorum transibat fines, aliquid pateretur acerbiùs, Deus omnium animos pauore concussit. *Gen. 35.5.* Et quod statim subditur aptè in tres Patriarchas hosce cadit. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Tres isti Patriarchæ appellantur Christi, quia licèt Reges non fuerint, Regum tamen videri poterant habuisse potentiam. Prophetas autem constat extitisse. De Abrahamo Deus Gen. 20.7. Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est. Fuisse Isaacum, & Iacobum Prophetas, satis indicant benedictiones, quibus quæ essent euentura filiis prædixerunt. *Nolite* ergò tangere eos, qui apud me eo loco sunt, ac si Sacerdotes inuncti essent: & nolite in Prophetis *malignari*, ô Reges, id est, ne quid Prophetis mali inferatis. Hucusque prior Psalmus, quem Dauid edidit prò Arca ad arcem Sionis, seu Ciuitatem Regiam traducenda: neque existimo plus ex hoc Psalmo, aut fuisse, aut cecinisse Cantores, aut tunc composuisse Dauidem. Plura sunt in Psalterio; posteà enim Dauid quædam abstulit, dum editum Psalmum magis elimat, & illorum loco alia reposuit, quæ vel ad numeros musicos, aut sententiarum pondus magis attemperata videbantur. * Certè Spiritus sanctus quæ dictauit quodammodo se corrigere, & obliterare simulat, quæ nulli erant obnoxiæ correctioni, vt edoceat Auctores, qui possunt errare, semel ac iterum recognoscere scripta.]

Eximium à Deo beneficium est, multas sine offendiculo peragrasse terras.

Spiritus Sanctus edocet Auctores scripta corrigere.

Verſ. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.] Alterum iam Psalmum scilicet nonagesimum quintum Cantores coram Arca proferunt: *Cantate Domino omnis terra, annunciate die in diem salutare eius.* Dicunt Hebræi, vt refert Agellius priorem Psalmum matutino tempore in Templo, posteriorem hunc vespertino à Sacerdotibus solitum esse cantari. Vnde hoc sumpserit Agellius non inueni: neque admodum curandum, quid dicant Hebræi, quorum mira in fingendo licentia. Sed si vera dicitent in præsenti, laudo quotidianam illam vnius & alterius Psalmi replicationem, vt celebretur interminabili gratitudine Arcæ translatæ beneficium. * Edoceantur, qui sacratiorem Arcam Deiparam cœlesti augustissimo beneficio ad animum, siue ad filialem transtulere affectum interminabilibus laudibus tantum celebrare beneficium. Nam qui te in Virginem deuoto donauit affectu, te ineffabili ad beatitudinem assequendam donauit documento.] Toto itaque hoc Psalmo Dauid id agit, vt omnes gentes ad diuinas laudes celebrandas inuitet, quas laudes cum rebus omnibus etiam inanimatis curat esse communes. Atque adeò cœlum terram, maria, Syluas, & agros, & quid quid est in natura rerum, ad laudandum ipsorum Conditorem hortatur, & prouocat. Omnis ergò terra siue omnia creata *narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes Deos.* Horribilis duo significat, quòd nempè horrorem & pauorem hominibus infert; & quod stuporem affert, ac admirationem. Vndè Deus formidabilis dicitur, admirabilis, & venerandus. Horrorem pro religiosa veneratione etiam sumunt profani. Ita Seruius ad illud Æneï. lib. 1.

Horrentique atrum nemus imminet vmbra.

Luc. 1. nato Ioanne, *Factus est timor super omnes vicinos*, id est, admiratio. Igitur Deus super omnes gentium Deos admirabilis est. Quia *omnes dij populorum idola*, nihil aliud sunt, quàm vmbræ quædam futiles, ænea, siue marmorea, certè muta, & quæ nullam habent scientiæ facultatem: simulacra, quæ non sunt timenda aut venerandaaut veneranda magis quàm ligna, & saxa. *Deus autem cœlos fecit*, & quæ cœlorum complexu continentur. *Confessio & magnificentia coram eo: Fortitudo, & gaudium in loco eius.* Agitur hîc de ornatu & gloria, quæ Deo, aut exhibetur, aut exhiberi debet in Tabernaculo, ad quod modò traducitur Arca, & in Templo posteà, quando à Salomone traducetur. Et hoc indicat *τὸ Coram eo*, & *In loco eius*, & *In sanctificatione eius.* In Templo autem laudes resonant Dei, in quibus est *Magnificentia*, id est, magnorum operum prædicatio.* Aut oratio, quæ Deũ magnificat, seu esse magnum ostendit.] *Fortitudo & gaudium*, id est, canticum, in quo diuinæ virtutis opera prædicantur, & gaudendi hominibus materiam exhibuit, aut quia de hostibus, Deo auspice, obtinuere victoriam, quæ gaudium parit; aut quia de victoriis authori Deo gratulamur.* Fidelium est, de Dei operibus exultare.] *Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam, & imperium.* Offerte Deo non solùm veras & proprias, sed etiam metaphoricas victimas, quales sunt animi affectus, & desideria. *Ose.* 14. 3. dicuntur *Labiorum vituli: Reddamus*, inquit, *vitulas labiorum nostrorum.* & *Psal.* 49. *Immola Deo Sacrificium laudis.* * Et certè oratio suauissimum est Domino vitulorum vincens arietumque suffitum holocaustum.] Monentur ergo omnes familiæ populorum vt ad Deum afferant gratissima sacrificia, hoc est, hymnos, qui illum gloriosum prædicent, & Imperatorem obiiciant, cui omnes timere, ac obseruare debeant. Hoc latiùs amplificat, & eleganti quadam prosopopeia prosequitur, dum ad hanc laudem omnes creaturas, non solùm quæ rationis sunt, sed etiam quæ sensus & vitalium facultatum expertes: *Date Domino gloriam, nomini eius leuate Sacrificium, & venite*

Qui à Deo accepit in Deiparæ deuoto donari affectu, se interminabilibus laudibus profusis, gratum ostendat.

Oratio Dei magnificat.

Fidelium est, de Dei operibus exultare.

Oratio suauissima Deo holocaustum.

4. Psalmum nonagesimũ quintum Cantores coram Arca proferunt.

venite, &c. Commoueatur à facie eius omnis terra, &c. Lætentur cœli, &c. Tonet mare, &c. Tunc laudabunt ligna saltus, &c. In quibus nihil est, quod Interpretis desideret operam, cum tantùm admoneantur creaturæ, quæ diuinas excitantur ad laudes, vt qua ratione iuxtà naturæ suæ vim & modum possunt, ad hoc opus religiosum & pium, & multis nominibus debitum incumbant. *Moueatur terra* coram Domino, sicut olim ad ingressum in terram promissionis. Neque illi deest causa, cur exultare debeat; & commoueri, & cum à Deo, quod aliis elementis negatum est, firmitatem acceperit, & cœli ipsi, dum scintillantibus distincti syderibus suos orbes rata conuersione conficiunt, exultent, & Deum vniuersorum esse Regem, quo possunt, sermone fateantur. Id ipsum faciat mare tumenti ac sonante fluctu, & agri, quæcumque in ipsis aut nascuntur, aut vagantur: & quæ in syluis ligna fruticeíque proueniunt, & lætitiæ & laudis eam sibi materiam assumant. *Quia Dominus venit iudicare terram*, iudicare autem non solùm est, ius dicere, aut disceptare causam; sed etiam pauperes, pupillósque defendere, causam suspicere communem, & Regio more Rempublicam constituére; atque ita moderari, vt neque violentus, aut tyrannus res rapiat, aut conturbet alienas: pauper potentiorum prædæ, atque calumniæ pateat. Quia ergò Dominus iudicauit terram, & illam quasi victor triumphat atque constituit, monet Propheta creaturas omnes, vt triumphanti occurrant, epinicium cantent, & ad tantam Principis gloriam quidquid habent speciosum, ostentent. Ager herbarúmque proferat varietatem, colorum signa maiori quodam splendore colluceant: exultent in pelago pisces, in æthere volucres ludant, cum triumphante Deo ipsa quoque rerum natura exultet, & triumphet. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Versus hic etiam in Psalm. 117. inuenitur. Sed putarim primum à Dauide in hunc rerum articulum fuisse compositum, ac deinde ad alia fuisse loca translatum. Certè tam hic versus, quàm alij qui sequuntur omissi sunt in Psalterio: ideò fortasse, quia non tàm alibi commodè, quàm in præsenti rerum articulo poterant decantari. *Et dicite: Salua nos Rex Saluator noster.* Optat populus, ac precatur quem Regem agnoscit, vt saluti publicæ, ac subditorum vitæ prouideat; quòd Regum est proprium; qua voce, illum esse Regem, legitima salutatione profitetur. * Eo itaque ipso, quo Rex est, debet subditorum studere saluti; idem enim est, eum precari vt saluet, ac eum Regem esse profiteri.] *Et congrega nos, & eripe de gentibus, vt confiteamur nomini sancto tuo.* Orat Deum, quem suum sibi fatetur Saluatorem, & Regem, vt dispersos congreget, & exolutos à seruili iugo, patriæ, Tabernaculóque restituat: vt & diuino nomini debitos impendat honores, & ipsi ex canticorum suauitate, ac religioso cultu aliquid honestæ capiant voluptatis. *Et dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.* Siue Leuitæ & Sacerdotes in Tabernaculo & Templo, siue in aliis locis cantabunt alij. * Neque enim vllus est locus, in quo non possint, aut debeant diuinæ laudes insonare: aut vllus homo, qui à diuinæ laudis præconiis excludatur: quia nullus homo à recipiendis beneficiis cælestibus eximitur.] Respondebit itaque omnis populus, *Amen*, quasi petitionem illam, & votum approbans, & orans, vt ratæ sint preces. Et in super ipse quoque suum hymnum addet, & laudabit Dominum, quo tempore ac loco fas illi sit: erit autem quodcumque tempus idoneum, & quicumque locus, dummodo extrà Templum, vbi tantum ab ore Leuitico diuinæ resonant laudes.

Idem est, aliquem Regem esse, ac subditorum studere saluti.

Vbique debent diuinæ resonare laudes; vbique enim diuina in nos beneficia exundat.

Verſ. 37.38.39.40.41.42.43.] His peractis, in ordinarium Arcæ fœderis cultum Dauid Sacerdotibus, ac Leuitis officia distribuit. Eos enim bipertito diuisit, vt alij apud Arcam Domini in arce Sion ministrarent, alij in Gabaon excelso. Prioribus præfecit Asaph Leuitam, posterioribus Sadochum Sacerdotem. Vtrisque autem Præpositum fuisse Abiatharem Pontificem, dubitandum non est. Nihil enim à Dauide toto Regni sui tempore circa eius dignitatem est innouatum. * Commendabilis planè Rex, qui nec specialis dilectionis titulo alium Pontificiæ addi, nec specialis odij causa antiquum Pontificem summo à vertice deiudi curauit.] Potrò sacrificia, quæ vtrobique fiebant ita ex Abulensi distinguo: vt Gabaone illa fierent, quæ erant ordinaria, ac legitima: in Ciuitate verò Dauidis quæ erant votiua, ac priuatæ deuotionis. Dauid denique post collocatam Arcam suam est reductus in aulam, & benedixit domui, id est, quod præsenti est celebritati consentaneum, cum domesticis, & amicis, & primariis viris lætus est epulatus.

5. Leuitarum ministeria coràm Arca Dauid decernit.

Commendabilis Rex, qui Pontificiæ dignitatem admodum reuereatur.

CAPVT

CAPVT XVII.

Dauidi Templum Domino paranti extruere cœlitùs id inhibetur. At filius ei promittitur, qui id sit præstaturus, & longæ adiicitur posteritatis pollicitatio. Ideò Dauid prolixas Deo gratias gerit.

1. CVM autem habitaret Dauid in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Et ait Nathan ad Dauid: Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est. 3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens: 4. Vade, & loquere Dauid seruo meo, Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. 5. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore quo eduxi Israël, vsque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio. 6. Manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem vni iudicum Israel, quibus præceperam vt pascerent populum meum, & dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam; 7. Nunc itaque sic loqueris ad seruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cùm in pascuis sequereris gregem, vt esses dux populi mei Israel. 8. Et fui tecum quocumque perrexisti: & interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi vnius magnorum, qui celebrantur in terra. 9. Et dedi locum populo meo Israel, plantabitur, & habitabit in eo, & vltrà non commouebitur: nec filij iniquitatis atterent eos, sicut à principio, 10. ex diebus quibus dedi iudices populo meo Israel, & humiliaui vniuersos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quòd ædificaturus sit tibi Dominus domum. 11. Cúmque impleueris dies tuos vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum eius. 12. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum. 13. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. 14. Et statuam eum in domo mea, & in regno meo, vsque in sempiternum: & thronus erit firmissimus in perpetuum. 15. Iuxta omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid. 16. Cúmque venisset rex Dauid & sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia; 17. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, ideóque locutus es super domum serui tui etiam in futurum: & fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus. 18. Quid vltrà addere potest Dauid, cùm ita glorificaueris seruum tuum, & cognoueris eum? 19. Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, & nota esse voluisti vniuersa magnalia. 20. Domine, non est similis tui, & non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audiuimus auribus nostris. 21. Quis enim est alius, vt populus tuus Israël, gens vna in terra, ad quam perrexit Deus, vt liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua, atque terroribus eiiceret nationes à facie eius, quem de Ægypto liberarat; 22. Et posuisti populum tuum Israël tibi in populum vsque in æternum, & tu Domine factus es Deus eius. 23. Nunc igitur Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo, & super domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es. 24. Permaneátque & magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum, & dicatur: Dominus exercituum Deus Israël, & domus Dauid serui eius permanens coram eo. 25. Tu enim Domine Deus meus reuelasti auriculam serui tui, vt ædificares ei domum: & idcircò inuenit seruus tuus fiduciam, vt oret coram te. 26. Nunc ergo Domine, tu es Deus: & locutus es ad seruum tuum tanta beneficia. 27. Et cœpisti benedicere domui serui tui, vt sit semper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Dauidis de extruendo Templo cōsilium.

VERS. 1.2.] Profectò conceptus à Dauide in Arcæ sacerrimæ translatione deuotionis feruor eiusdem zelum diuini honoris accendit, & ad aliquid longè præstantius pro diuinæ Maiestatis cultu audendum excitauit. * Hoc habent actiones ad Dei gloriam excitatæ: ex vno operè egregio ad aliud opus longè celsiùs homo assolet incitari.] Quod si in Arcæ illa Deiparam adhuc contemplari, ex quolibet ad Mariæ obsequium patrato opere feruentiores ad aliud illustrius patrandum in Dei gloriam exsurgimus. * Deuotio enim in Deiparam feruorem accendit, vt ad præstantiora gesta audenda gestiamus. Id consilium ad hoc tempus pertinere tùm res ipsa per se, tùm series sacræ narrationis persuadet. Meliores planè profitentur Interpretes, consilium de Templo ædificando breui à Dauide susceptum post Arcam in Sione collocatam. Occasionem reor fuisse requiem illi datam diuinitùs ab vniuersis hostibus; causam verò religiosam Deum honorandi voluntatem, magnificentiúsque colendi, quando illum tam liberalem erga se hactenùs esset expertus. * Nec enim iuxta cor Dei Dauid esse obiiceretur, si accepta beneficia ad gratitudinis eum non cogerent. censum. Deifica enim virtus est gratitudo.] Porrò insita Regis pietas ea comparatione acuebatur, quam verba illa continent, quæ ad Prophetam Nathan ad se aduocatum dixit. Videsne, quod ego habitem *in domo cedrina*, quod scilicet attinet ad materiā lignearn, *Arca autem fœderis Domini sub pellibus est*. Tam sollicitus est diuini cultus religiosissimus Princeps, vt ipsum Prophetam omnésque (crediderim) Sacerdotes, quorum maximè munus erat ista cogitare, ac Regi suggerere, ipse præueniat, & ad quandam sui reprehensionem pertinere arbitretur, quod ipse magnificentiùs, quàm Deus ipse, habitare videatur. * O quam in Regum, Principum, diuitúmque præcordiis frigisset nunc pietas! Palatia præcelsa incredibilibus sumptibus homini præparantur, Deo Regi Regum habitaturo tugurium exponitur. Quomodo nunquam eis menti subest Dauidica excogitatio: *Arca Domini sub pellibus est*, dum ego Regiæ aulæ incola superbus obiicior.] Quoniam Nathan ille? Non quidem filius Dauidis ex Betsabea, quæ nondum Regi nupserat, sed vnus è Prophetis, quo Dauid familiariter vtebatur. Vnde iure familiaritatis & amicitiæ Rex suum cum eo communicauit desiderium, vt amici inter se assolent. * Quàm commendabilis ille Regis amicus, cum quo ille negotia ad pietatem pertinentia confert! Huiusmodi amicus (Hispanico dixerim idiomatè *Valido*) cuncto Regno commendabilis, haud inuisus existet.] Existimo non consuluisse tanquam Prophetam, vt per eam Dei voluntatem exquireret; alioqui præceps fuisset eius responsio, nec Regiæ voluntati satisfeciisset. * Si cum Regibus aut Principibus vt amicus loqueris haud dedecet te repente respondere, quod iudicas: si autem vt Dei minister rogitaris, illicò non respondeas, sed maturo consilio, ac præmissa oratione; quæsitis studè satisfacere.] Eo itaque Rex animo Nathano mentem suam aperuit, vt rem sanctissimam, minimè que dubiam, iunctis ambo consiliis, viribúsque promouerent. * Nec deceret, eximium Regem Dauidem, haud præmisso consilio, operari. Regium enim est prius consiliarios quàm actiones adire.] Nathanus ergo prima probabilitatis allectus specie, ratus in re laudatissima de diuina voluntate nihil esse ambigendum, *Omnia*, inquit, *quæ in corde tuo sunt, fac: Dominus enim tecum est*: qui quidem inspirante, in cor tuum huiusmodi ascendit cogitatio. Etsi enim noluit Dominus Templum à Dauide ædificari, voluit tamen ipsum id velle, & spatio triginta ferè annorum sumptus & materiam magnificentissimo Templo præparare. * Et licet non præparasset materiam Templo, solùm tamen illud ædificare voluisse, præcelsi admodum erat meriti.] * Magni enim huiusmodi humani affectus ausus, licet executioni non dentur, magni à Numine diuino æstimantur.] * Cæterùm sumptus præparasse Templo, illud quodammodò fuit ædificasse, quia Regis fuit solummodò sumptus exhibere, architectorum autem, & fabrorum materiam comparatam sumptibus ædificio applicare. Vnde quidquid ad Dei cultum post tuum obitum tua ex mente tuísque opibus extruitur & apparatur, opus tuum procul dubio est.

Ex vno opere egregio ad aliud præcellius gerendum homo assolet excitari.

Deuotio in Mariam efficit, vt ad perficiora opera audenda accendamur.

Deifica virtus est gratitudo.

Pudet Principes, præcelsa habitare in domo, dū abiecto Deus habitat in tugurio.

Bonus Regis amicus & cōmendabilis, cum quo ille negotia ad pietatem attinentia confert.

Sacerdos ad quæsita non respondeat nisi maturo consilio & præmissa oratione.

Voluisse facere, quasi fecisse est.

Deus magni æstimat præcelsos humani affectus ausus.

Quidquid ad Dei cultum post obitum tuis ex facultatibus, tuáque ex mente geritur, tuum opus est.

2. Deus Prophetæ Natan reuelat Templum à Salomone extruendum, non à Dauide.

Vers. 3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.] Non distulit Dominus patefacere suam Prophetæ voluntatem; sed proxima nocte ab illo colloquio pluribus cum eo egit de iis, quæ vellet Dauidi nunciari. Totum Dei oraculum tribus capitibus continetur, negatione ædificationis, & gemina promissione, altera de familia Dauidica in perpetuum in throno regio conseruanda, altera de suscitando ipsi filio, à quo Templum Domini ædificaretur. Igitur *nocte illa factus est sermo Domini ad Nathan*. * Nec enim Deus suos patitur diù aberrare consilio, præsertim si curant illo ei placere, & aliàs conueniens non sit id dari executioni.] Redi, inquit, & Dauidi profaberis seruo meo: Hæc dicit Dominus: Haud tu mihi domum extrues ad habitandum. Nec vrget necessitas illicò Templum extruendi; siquidem stabili in habitaculo commoratus non fui ex eo tempore, quo Israelem è Pharaonis tyrannide eduxi, vsque ad diem hanc: sed fui semper mutans Tabernaculi *loca, & in tentorio manens cum omni Israël*. Hebr. *Et fui è Tabernaculo in Tabernaculum, & è tentorio* in tentorium: Ac si diceret, non habui fixam habitationem; sed loca subinde mutabam, *manens* cum omni Israël, siuè communiter degens, & de peculiari domo minimè curans. Numquid vel vni Iudicum Israël, quorum tunc imperio populus regebatur, locutus sum voce querula dictitans: Quarè non ædificastis mihi domum cedrinam: Qui ergo tot annis sine domo speciali vobiscum incessi sine querimonia, nec nunc querulus Dauidem ad Templi extructionem excitabo. Vulgariter licèat exponere. *Naay para que darse priesa a edificar el Templo, que comohe esperado hasta agora esperare hasta su tiempo*. Cur autem à Dauide Deus noluerit Templum ædificari? An ob bellicas occupationes, & sanguinem plurimum ab eo effusum, causam

Deus non patitur, suos diu aberrare consilio, si eo curant placere.

sam hæc adæquatam non continent. Crediderim causam primariam esse diuinum, quòd hactenus Deus viatoria domo contentus, vrbanam, stabilem non desiderarit, nec adhuc ædificari cupiat, donec dederit Dauidi filium, cui id opus destinauit. Porrò nè hæc recusatio defectui diuinæ in Dauidem beneuolentiæ tribui posset, collata in eum beneficia memorat, quæ sunt totidem beneuolentiæ argumenta. * Annumera stellas si potes, beneficia à deo accepta ad numerum affer, totidem te existima diuinæ in te dilectionis adinuenisse documenta.] Quibus additur illa quasi referendæ gratiæ causa, vt quoniam Dauid Domino voluit domum ædificare: Dominus illi viciſſim se domum siue familiam Regiam ædificaturum spondeat, eámque sempiternam, id est, non qualis fuit Saulis, sed longissimi temporis. Ergo signum exponitur, Deum Dauidis voluntatem pro opere accepisse; Domus enim pro domo repeditur, æterna pro temporaria. * Vt ediscas quàm ineffabili superentur interuallo à præmiis obsequia.] Nunc itaque (Deus adiicit) sic profaberis seruo meo Dauidi: Hæc fatur Dominus exercituum: Ego te ex ouili assumpsi, vt gregis melioris scilicet populi Israëlitici Pastorem ageres. * Nec enim Rex effectus officium mutasti, sed subditos; ille enim præstantior est Princeps qui sollicitiorem didicit esse Pastorem.] Et quocumque perrexisti me nactus es comitem: cunctos coram te seu te, aspectante hostes interemi; tu enim gladium stringebas, fundam agebas in rotam hostam librabas: ego autem brachiis vim ingerebam; *fecique tibi nomen quasi vnius Magnorum*, qui celebrantur *in terra*. Hebr. *Sicut nomen magnorum* (Regum) *qui in terra* sunt. *Et dedi locum populo meo Israël*, Gentilibus pulsis habitatoribus: *plantabitur*, hoc est, instar arboris profundas emittentis in humo radices, obfirmabitur ista in regione, firmus ibi populus habitator existet, & à fertilissimo solo non commouebitur: nec iniquissimi idolorum cultores, filij inquam iniquitatis atterent Israëlitas, quemadmodum à principio attriti fuére ex tempore illo, quo Iudices Israëlitico populo constitui. Denique replicatis victoriis auxilio meo, tua manu partis, cunctos inimicos tuos humiliaui, fregi, comminui. Spondet Dominus, eadem diuina manu ac potentia qua subacti fuérunt Israëlis hostes, cõseruatum quoque iri Israëlitas in læto otio, & stabili pace. Non quod omnimoda libertas, & integra pax, plenúmque otium concedẽdum sit (nam sæpè id non expedit, & constat, non rarò posthac tùm à vicinis hostibus, tùm ab inquilinis turbatum fuisse Israëlis Imperium) sed non esse affligendum populum *sicut à principio*, cùm Iudices populo præessent, id est, eo modo, quo Iudicum temporibus affligebantur iam à Madianitis, iàm ab Ammonitis, iam à Moabitis, iam à Philisthæis: quæ afflictio penè similis Ægyptiacæ seruituti videbatur. Vides seruorum Dei otium, quietem, & pacẽm non esse ab inquietudine, à tribulatione, à bello immunem. * Pax fidelium est cum bello coniuncta. Nec enim expedit animæ paci, corpus esse omninò à tribulationis bello liberum.] Profectò quod hîc dicitur Israëlitas *vltra* non sic afflictum iri, intelligendum de tempore longissimo: & sub conditione, si de nouo Deum suis sceleribus non prouocent, vti prouocauerunt sequentium Regum tempore; vndè meritò similes, si non graniores Assyriis, & Chaldæis dederunt. * Crimina enim nostra Deum cogunt vt beneficia promissa reformet.] Annuncio ergo Dei ex nomine tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus *domum*, seu familiam daturus stabilem. Cúmque dies impleueris tuos, vt ad sinum Abrahæ descendas *semen tuum*, seu filium tuum *post te suscitabo*, tuo solio addicam, eiusque stabiliam Imperium. Ipse ædificauit mihi domum; ego autèm gratitudinis ergo solium eius vsque in æternum obfirmabo. *. Præmium enim à Deo præparatum assolet obsequio respondere; vndè domus pro domo promittitur, pro ædificatione Templi, solis æterna siue diù permansura paratur extructio. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Me erga filium tuum Salomonem vti patrem exeram eius commoda curans: & ipse mihi vti filius obsequentissimus longo temporis subibit interstitio; *& misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul qui ante te imperauit*, id est, non priuabo Salomonem Regno, quemadmodum priuaui Saulem; *& statuam eum in domo mea, & in Regno meo vsque in sempiternum.* An hæc ad æternam Salomonis salutem allicienda? Sic multi, quos sequor. Scio tamen, à particula, *Ego ero illi in patrem*, cum de Salomone, & aliis Regibus satis commodè intelligi non videant, totam clausulam à doctis Interpretibus Christo potiùs accommodari: De Salomone autem magis hærens literæ intelligendam reor, cuius potentiam iam alibi confirmaui. *Thronus* itaque filij tui Salomonis *firmissimus* in perpetuum existet.

Verſ. 15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.] Omnem visionem seu reuelationem Nathano factam ipse Dauidi aperuit. Cui vt Rex responderet, totus in gratiarum actione effunditur, promissaq; postulat confirmari. Nam cum ad Tabernaculum pergeret, & Arcæ ventitaret aspectum, profatus est: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, vt me tantis muneribus donare digneris? Parum tibi me à grege ouium aduocasse vt populi electi Pastor efficerer: nisi & domum meam, siue familiam æterno addiceres Imperio; me, Domine Deus, reddens supra cũctos homines spectabilem Propositione, *Et fecisti me spectabilem* Hebraicè est, *Et aspexisti me iuxta ordinem hominis excellentiæ*, id est, me quasi excellens essem, aspexisti, mihique consuluisti, prouidentiam ad posteros extendens. *τὸ super omnes homines* additum ad Interprete. *Quid vltra addere potest Dauid?* Quid amplius petam? *Cum ita glorificaueris seruum tuum*, id est, quid petam ad gloriam mihi, qui seruus tuus tuum. * Nihil enim gloriosius homini, quàm Deo seruire, inter eiusque accuratores famulos annumerari.] *Et cognoueris eum.* Hebr. *Et tu seruum tuum nosti.* * Initium hoc omnis boni, cognosci à Deo. Nec enim Deus sicut homines, qui quidem eos, quos agnoscunt magis, amplius despiciunt, eorumque obliuiscuntur.] O domine, *propter famulum tuum iuxta cor tuum*, id est, quia me iuxta cor tuum seu beneplacitum tuum esse inuenisti, tuæ vtique benignitatis ac mansuetudinis æmulatorem, tam magnificis me muneribus cumulasti & nota esse cũctis huiusmodi magnalia prouidisti. Domine nõ est similis tui, & ex omnibus Diis quos audiuimus apud nationes impiè adorari.

Quot à Deo beneficia accepisti, tot diuinæ dilectionis in te fulgurant documenta.

Præmia à Deo longo interuallo superant humani cultus obsequij.

Ille præstantior est Rex, qui sollicitior est Pastor.

Pax fidelium est cum bello tribulationum coniuncta.

Crimina Deum prouocant, vt promissa reformet.

Præmium à Deo paratum hominis respondet obsequio.

3. Nathan Dauidi Dei monitum aperit. Rex autem Deo gratias profundit.

Nihil homini gloriosius, quàm inter Dei seruos annumerari.

Homo quos magis nouit, amplius despicit. Deus non ita.

nullus verè est Deus præter te. Solus Israëliticus populus tui cultor vero Deo potitur, gens scilicet vnica in terra, ad quam Deus velut descendit, vt totiùs è seruitute spirituali ac temporaria liberaret, suum populum efficeret, & horribilibus omnipotentiæ documentis à facie eius quem ex Ægypto eduxisti, gentes idololatras disturbares, vt pacificè suo habitaculo frueretur. Et elegisti Israëlem tibi in populum vsque in æternum: & tu, Domine, *factus es Deus eius*, protegendo, pascendo, pacificando, munerando, corripiendo. * Dei enim proprium est, protegere, pascere, munerare subditos præclara gerentes, delinquentes corripere.] Nunc igitur Domine, quæ promisisti circa famili tui eiúsque familiæ, seu posterorum commoda in perpetuum confirmentur: & quemadmodum es pollicitus exequi dignare. * Si promisit Deus procul dubio absque precibus Dauidis implebit. Cur ergo Dauid preces profundit, vt promissa impleantur? Certè oratio promissa à Deo dona confirmat, imò fortasse ideò promisit; quia vidit enixis ab accepturo precibus postulanda.] Da simul, vt in hac à te electa familia permaneat *nomen tuum*, seu cultus ac religio vera, in eaque æternùm honoretur: vt vbique terrarum vti prouerbialiter dicitetur: Dominus exercituum Deus est Israëlis, & specialiter domus Dauidis: & Israël, ac Domus Dauid peculiari affectu semper permanet *coram eo*, id est, nunquam à Dei cultu, ac obsequio recessit. Tu enim Deus *reuelasti auriculam serui tui*, id est, indicasti mihi ex ore Prophetæ Nathani, quòd velles mihi domum ædificare; seu familiam filiorum ac nepotum perpetuò stabilire) & idcircò tanti beneficij fiducia audio precari quæ labiis expressi. * Vnum enim à Deo expressum beneficium velut ius homini tribuit ad alia beneficia maiora exoranda, & consequenda.] Quia ergò priora beneficia ad maiora aditum patefaciunt; *inuenit seruus tuus fiduciam*, vt *oret coram te*, postulans augustioribus donari muneribus. Igitur ô Domine, tu es Deus, & locutus es seruo tuo *tanta beneficia*. Hebr. *Bonum hoc*, scilicet, quòd illi ædificares domum reuelasti. Erit vtique domus mea felix. *Et cœpisti benedicere domui serui tui, vt sit semper coram te*, id est, quia cœpisti benedicere, erit coram te semper, seu nunquam à tuo cultu (sic spero) recedet. * Nam cum Deus incipit speciali iustum affectu prosequi, opus assolet ducere ad perfectionem.] Te enim, Domine, benedicente, domus hæc *benedicta* aderit *in perpetuum*. Hebraïcè. *Tu Domine benedixisti, & benedicta est in æternum.*

Dei officium protegere, pascere, pacificare, munerare, ac corripere subditos.

Oratio promissa à Deo confirmat.

Vnum beneficium à Deo acceptum velut ius nobis tribuit, ad alia petenda, & consequenda.

Cum Deus iustum speciali prosequitur affectu, opus soleat perficere.

CAPVT XVIII.

Dauidis de Philisthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis, & Amalecitis recoluntur victoriæ. Catalogus officialium Dauidis recensetur.

1. FACTVM est autem post hæc, vt percuteret Dauid Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias eius, de manu Philisthiim, 2. percuteréque Moab, & fierent Moabitæ serui Dauid, offerentes ei munera. 3. Eo tempore percussit Dauid etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit vt dilataret imperium suum vsque ad flumen Euphraten. 4. Cepit ergo Dauid mille quadrigas eius, & septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subneruauítque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reseruauit sibi. 5. Superuenit autem & Syrus Damascenus, vt auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed & huius percussit Dauid viginti duo millia virorum. 6. Et posuit milites in Damasco, vt Syra quoque seruiret sibi, & offerret munera. Adiuuítque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat. 7. Tulit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant serui Adarezer, & attulit eas in Ierusalem. 8. Necnon de Thebath & Chun, vrbibus Adarezer, æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa ænea. 9. Quod cum audisset Thou Rex Hemath, percussisse videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer regis Soba, 10. misit Adora filium suum ad regem Dauid, vt postularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quòd percussisset & expugnasset Adarezer: aduersarius quippe erat Thou Adarezer. 11. Sed & omnia vasa aurea, & argentea, & ænea, consecrauit Dauid rex Domino, cum argento, & auro, quod tulerat ex vniuersis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quàm de Philisthiim & Amalec. 12. Abisai verò filius Saruiæ percussit Edom in Valle Salinarum, decem & octo millia: 13. & constituit in Edom præsidium, vt seruiret Idumæa Dauid: saluauítque Dominus Dauid in cunctis, ad quæ perrexerat. 14. Regnauit ergo Dauid super vniuersum Israël, & faciebat iudicium, atque iustitiam cun-

cto populo suo. 15. Porrò Ioab filius Saruiæ erat super exercitum, & Iosaphat filius Ahilud à commentariis, 16. Sadoc autem filius Achicob, & Abimelech filius Abiathar, sacerdotes: & Susa, scriba. 17. Banaias quoque filius Ioiadæ super legiones Cerethi & Phelethi: porrò filij Dauid, primi ad manum regis.

COMMENTARII.

1. Victoriæ Dauidis de Philisthæis, Moabitis, ac Rege Soba Aderezer.

Principes acquirūt victorias Templa visitantes, & donarijs ornantes, dum Duces ac milites cum hoste decertant.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.] Post hæc igitur, siue postquam Dominus dispositionem suam circa Templi extructionem Dauidi ex ore Nathani reuelauit, mille Rex donatus est triumphis munerante Domino pium Dauidis votum. * Principes enim, qui se circà Dei cultum Templique obsequium sese pios præstiterint, de hostibus acquirent trophæa. Ideò Reges Catholici dum Duces ac milites cum hostibus decertant, religiosis ad Templa expeditionibus, magnificis donariis Delubro sacratis efficaciùs apparant triumphos.] Percussit ergo Dauid Philisthæos, eosque humiliauit, tulit Gerth Vrbem, quæ erat vna ex præcipuis quinque Vrbibus Philisthæorum, *& filias eius*, id est, circumiectas Villas Metropoli subiectas, de Philisthæorum potestate; támque valida manu Moabitas vulnerauit, vt ipsi fierent serui Dauidis *ei munera offerentes*, seu soluentes tributa. * Multi enim Principes tributo nomen muneris imponunt, & veraciter est tributum. Nam si munus vltroneum est, quomodo vti necessarium tributum exigitur. Si donarium est, quomodò non petitur, sed tollitur, exactorum fatuit nequitia, non Regum præscriptione? Eo tempore Dauid etiam percussit Aderezer Regem Sóba regionis Emath, cum expeditionem bellicam gessit, vt Imperium suum vsque ad flumen Euphratem produceret. Porrò regio Emath est Antiochia. Ex Hebraico textu innuitur Aderezer fugisse in Emath. * Quid fugæ cum Imperij dilatatione? Certè fuga signum est ignauiæ: & Reges qui curant Imperium dilatare, propriæ studeant ignauiæ, & imbecillitati; quia quemadmodum virtus maior, est vnita, quàm ipsa dispersa; dispersa quidem ex Imperij productione minor est quàm ipsa contracta.] Quando itaque perrexit Aderezer, vt dilataret Imperium suum, tunc à Dauide percussus est. Scio alios relatiuum *eius* non ad Aderezer, sed ad Dauidem referre hoc sensu: Aderezer percussum à Dauide proprio in Regno fuisse, quum Dauid profectus fuit vt propriam ditionem vsque ad Euphratem dilataret. Cepit ergo Dauid mille quadrigas Regis Aderezer, & septem millia equitum, vigintique millia militum peditum, & omnes equos curruum subneruauit, exceptis centum quadrigis, quas proprio vsui iussit adscribi. Sed cur equos subneruarit, & non potius sibi cunctos retinuerit? Crediderim quia inter leges Regni scriptum est, *Non multiplicabit sibi equos.*) Sic Hebræus. An pij Regis esset facinus detrahere à pauperum subsidio, quod addiceret fastui?] * Non referuet ad fastum, sed ad bellum. At non indiget tanto quadrigarum apparatu Dux ille, qui sub Dei præsidio decertat.] * Nec prudens Rex fidit vel curribus, qui aduersus se aliquandò certarāt. Quàm imprudens, qui existimat posse à se dimicare militem, qui aliquandò aduersum se dimicauit ab hoste.] Superuenit autem & Syrus Damasco-

Dare operam Regem Imperij dilatationi eiúe est, quod fugere, & se imbecillem ostendere.

Subtrahitur Rex qui à subsidiis ciuium inopum detrahit, quo fastui non necessario addicit.

Non indiget belli apparatu ille, à quo Deus dimicat.

nus (alij *Damascenus*,) lege Damascenus; quia eius ditio Damascus.) vt Aderezeri Regi Soba præberet auxilium. At Dauid Damasceni huius Syri viginti duo millia militū interemit. Et statuit præsidium in Damasco, quem cepit, vt & Syria sibi seruiret & *munera* offerret annis singulis, seu tributa persolueret. In cunctis, ad quæ sese expedierat Dauid, cœlesti fuit auxilio donatus. Tulit quoque Dauid pharetras aureas seruorum Aderezer spolia, & in Ierosolymam attulit. Pro clausula illa, *Et posuit milites in Damasco*, alij legunt ex Hebræo, *Posuit præfectos*, id est, in formam Prouinciæ redegit eam Regionem, amoto Rege. At pro, *Adiuuit eum Dominus* Hebræus habet *seruauit*, seu incolumen præstitit. Denique pro *Pharetras aureas* LXX. transtulere, *torques*. Hebraicè est, *peltas*, seu *clypeos*. Quis non videt militum Aderezeri stultam vanitatem?] * Si *torques* sunt, ad quid profanus in bello ornatus? si *clypei* sunt, stultissimè ex molli auri materia fit clypeus, qui deberet ex ære validissimo perfici. O quam stulti illi qui (vt vulgariter explicem) *Hacen gala de los peligros.*] Simul de Thebath & Chun Vrbibus Regis Aderezer opulentis detulit Dauid æris ingentem vim, è qua mare æneum, columnas, æneaque sacrā vasa perfecit. * Piè admodum à sancto Rege Dei obsequio litantur, quæ seruierant vanitati & nequitiæ. Sic Magdalena ad Iesum inungendum attulit alabastrum ynguenti, vt Deo curaret placere, quo sæculo placere curauerat.]

Non fidas militi, qui aliquando aduersum te ab hoste pugnauit.

Luxurias hæbitas in bello taxantur.

Pię, quæ vanitati seruierant, & nequitiæ, Dei litantur obsequio.

Vers. 9.10.11.12.13.] Thou Regis Hemath ad aures peruenit, omnem Aderezeri Regis Soba exercitum à Dauide fuisse percussum, & filiū suum Adoram ad Regē Dauidē immisit, vt pacem ab eo efflagitaret, & ei cōgratularetur dē victoria, Thou enim erat Aderezeri Regis aduersarij; Vtq; fœdus cū Dauide iniret. Loco vocis illius, seruit. Vt *congratularetur ei*, est in Hebr. Vt *benediceret ei* quod grauis Interpres refert ad munera allata opportunam scilicet congratulationem. * Principibus enim optima congratulatio est munerum apportatio.] Loco vero illius particulæ *Aduersarius quippe Thou erat Aderezer* in Hebræo legi, *Quoniam vir bellorum Thou erat Aderezer*; id est, bella cum eo gerebat. * Et quidem vt *Vir pacis* vocatur amicus Psal. 40. 10. *Homo pacis meæ*: sic vir belli rectè pro hoste accipitur. Multi hostes sunt, quia viri belli, id est, quia eorum ingenium ad excitanda certamina addicitur.] * Hi quidem omnes habebunt sibi hostes. Adsunt & in communitatibus *viri belli*, qui nunquam non quæstiones suscitant. Hi quidem tot sibi hostes acquirunt, quot socias comitantur.] Porrò Dauid non solùm ex ære adlato ex Vrbibus Aderezeri Deo sacrauit, sed & cuncta vasa aurea, argentea, & ænea Rex Domino litauit cum auro & argento, quod ex omnibus subiugatis gentibus, scilicet Idumæis, Moabitis Ammonitis, Philisthæis, & Amalecitis iam attulerat * Rex qui vnius victoriæ spolia Deo sacrat, Deum proculdubio reddit ad aliam ei victoriam tribuendam debitorem. sic Dauid, quia sacrauerat Deo aurum & argentum ex Idumæa de-

2. Rex Hemath Dauidi submittitur. Vasa Deo sacrantur. Idumea Dauidi seruit.

Principibus optima congratulatio est munerum apportatio.

Taxantur illi, qui solum ex pugnacī ingenio, non ex iustitia bella excitant.

Excitatores quæstionū in communitate cunctos socios sibi hostes reddunt.

Rex aut Dux, qui vnius victoria spolia Deo litat, eō reddit ad aliam ei tribuendam victoriam debitorem.

uicta, à Deo accepit Moab vincere: & quia Templo litauit spolia Moab, accepit superare Ammon, &c.] Porrò Abisai filius Saruiæ sororis Dauid apud Vallem Salinarum decem & octo millia Idumæorum interemit, & constituit in Edom præsidium, vt Idumæa Dauidi tributi annui solutione seruiret. *Saluauitque Dominus Dauid in cunctis ad quæ perrexerat*, id est, ex meritis Dauidis Abisai, & alij Dauidis Duces hostes comminuerunt. * Debentur enim tribui pietati Regis victoriæ, quæ Regij Duces, vel longè dissitis comparant in regionibus.] Loco verbi illius. *Sed & omnia vasa aurea, & argentea consecrauit Dauid Rex Domino*, est in Hebræo, *sed & in manu eius*, id est Dauidis, *omnia vasa aurea & argentea*. Vt idem sit esse in manu Regis piissimi vasa aurea & argentea, ac ea Domino consecrasse. * Hoc Principis sit ingenium, tanta munificentia vti, vt habere in manu idem sit ac expendere; dedecet enim augustum sanguinem auara tenacitas.] * O Regem cœlestem Dauidis filium, cuius *manus tornatiles aureæ plenæ iacinthis*; Plenæ sunt? Ergo tornatiles, vt subditis totam profundant plenitudinem.]

Pietati Regis tribuendæ victoriæ, quæ Regij Duces vbique comparant.

Dedecet Principes auara tenacitas.

Christi cœlestis Regis manus plenæ hyacinthis ad tribuendum.

3. *Vers.* 14.15.16.17.] Imperauit igitur Dauid super vniuersum Israël cunctis hostibus subiugatis. * Quodammodo enim non regnat Princeps, dum bellis subditi affliguntur.] & cuncto populo *faciebat iudicium, atque iustitiam*, siue ius gerebat. Aliquis ex Hebræo vertit, *Faciebat benignitatem, & misericordiam*. * Quid cum misericordia iustitiæ? Porrò sic debet probus Rex iustitiam exercere vt subditi agnoscât iudicium esse misericordiæ.] Verùm Ioabus Seruiæ sororis Dauidis filius Princeps erat exercitus. Iosaphat filius Ahilud *à commentariis*, id est, dierum scribebat historiã. Sadoc verò filius Achitob, & Abimelec filius Abiathar summi erant Sacerdotes. Aliquandiù enim duo fuêre Pontifices, aut Principes Sacerdotum. Susa scribæ munere fungebatur. Banaias quoque Ioiadæ filius prætorianis Cerethi ac Phelethi legionibus præsidebat. Profectò filij Dauidis *primi ad manum Regis* erant, id est, præsto erant, vt inter primos, vbi opus erat, ministrarent. * Quàm aptè Regum filij educantur, cum primi ad Regni ministeria nempe ad bella mittuntur, vt cunctis subditis obedientiæ sint in exemplum.] *Primi ad manum Regis.* * Agnatum est enim augustiori nobilitati, maiori obedientiæ submissione fulgere.]

Domus Dauidis varia Officia.

Quodammodo non imperat Rex, dum bellis affligitur Regnum.

Iustitiam sic gerat Rex, vt subditi agnoscant, iudicium esse misericordia.

Filij Regis primi sint ad Regni ministeria, nempe ad bella, &c.

Agnata augustiori nobilitati obedientia promior.

CAPVT XIX.

Ob iniuriam ac contumeliam, qua Hanon Ammonitarum Rex Dauidis legatos affecerat, bello inuaditur, & vnà cum Syriis auxiliatoribus superatur.

1. CCIDIT autem vt moreretur Naas rex filiorum Ammon, & regnaret filius eius pro eo. 2. Dixitque Dauid: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater eius gratiam. Misitque Dauid nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cùm peruenissent in terram filiorum Ammon, vt consolarentur Hanon, 3. dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quòd Dauid honoris causa in patrem tuum miserit, qui consolentur te: nec animaduertis, quòd vt explorent, & inuestigent, & scrutentur terram tuam, venerint ad te serui eius. 4. Igitur Hanon pueros Dauid decaluauit, & rasit, & præcidit tunicas eorum à natibus vsque ad pedes, & dimisit eos. 5. Qui cùm abiissent, & hoc mandassent, Dauid misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) & præcepit vt manerent in Iericho, donec creſceret barba eorum, & tunc reuerterentur. 6. Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam feciſſent Dauid, tam Hanon, quàm reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, vt conducerent sibi de Mesoporamia, & de Syria Maacha, & de Soba, currus & equites. 7. Conduxerúntque triginta duo millia curruum, & regem Maacha cum populo eius. Qui cùm veniſſent, castra metati sunt è regione Medaba. Filij quoque Ammon congregati de vrbibus suis, venerunt ad bellum. 8. Quod cùm audisset Dauid, misit Ioab, & omnem exercituni virorum fortium: egresíque filij Ammon, direxerunt aciem iuxta portam ciuitatis: reges autem, qui ad auxilium eius venerant, seorsum in agro steterunt. 10. Igitur Ioab, intelligens bellum ex aduerso & post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de vniuerso Israël, & perrexit contra Syrum. 11. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui, & perrexerunt contra filios Ammon. 12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superauerint te filij Ammon, ero tibi in præsidium. 13. Confortare: & agamus viriliter pro populo nostro, & pro vrbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet. 14. Perrexit ergo Ioab, & populus

lus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugauit eos. 15. Porrò filij Ammon videntes quòd fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Ebisai fratrem eius, & ingressi sunt ciuitatem: reuersúsque est etiam Ioab in Ierusalem. 16. Videns autem Syrus quòd cecidisset coram Israël, misit nuntios, & adduxit Syrum, qui erat trans fluuium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum. 17. Quod cùm nuntiatum esset Dauid, congregauit vniuersum Israël, & transiuit Iordanem, irruítque in eos, & direxit ex aduerso aciem, illis contrà pugnantibus. 18. Fugit autem Syrus Israël: & interfecit Dauid de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem. 19. Videntes autem serui Adarezer se ab Israël esse superatos, transfugerunt ad Dauid, & seruierunt ei: noluítque vltrà Syria auxilium præbere filiis Ammon.

COMMENTARII.

1. VERS. 1. 2. 3. 4.] Naas Ammonitarum Rex diè suum obiit, & filius Hanon, patris loco regnauit. *Dixitque* Dauid, suè secum ipse decreuit: Me vrbanum humanúmque geram cum Hanon filio Regis Naas, pater enim eius *præstitit mihi gratiam*, me scilicet sibi beneficiis obstrinxit. Quandonam precor Crediderim, Dauidem, cum Saulem fugeret, ad Ammonitas etiam abiisse; quippe finitimos; exceptúmque beniguiter à Rege illo fuisse. * Porrò beneficia accepta tribulationis tempore altiùs in animo retinentur.] Immisit ergò Dauid nuncios vt Hanonem *super morte patris sui* consolarentur, siue vt consolatoria verba proferrent, vt simularent noui Regis se profiteri luctum. * Proh cordis humani fictiones! Quàm ratò filius hæres de patris obitu verè sauciatur!] Cum autem Dauidis nuncij ad Ammonitarum Regiam Vrbem peruentassent, Principes aulici Regi Hanoni dixére: An existimas, Regem Dauidem causa honoris in patrem tuum nuncios te consolatum immisisse? Rex nouus non aduertis Dauidis seruos obsequij simulatione aduentasse, vt exploratorum ditionis tuæ munere fungerentur. Facilè credulus Hanon Dauidis nuncios decaluauit, rasítque barbam, ac tunicas eorum à natibus vsque ad pedes præscidit, eósque tanto affectos dedecore ad Dauidem emisit. Nobilitatis signum cæsaries, ignominia ea abrasa apud omnes gentes contingitur. 2. *Reg.* 10. 4. dicitur rasisse *dimidium barbæ*, hìc additur eos decaluasse. In Hebræo Chaldæo, & Græco non habetur, sed solùm *Rasit* dimidiam scilicet capitis ac barbæ partem. Neque ibi dicitur, præcidisse vestes *à natibus vsque ad pedes*: sed præcidisse *vestes medias vsque ad nates*, nempe à pedibus vsque ad cingulum, ita vt nates detegerentur; hoc enim maiori probro erant, ac dedecori. * Vt hinc contemplari liceat Iesu torturam ineffabilem, cum passus est in tot hóstium denudari conspectu.]

Beneficia accepta tribulationis tempore altiùs in animo retinentur.

Raro filius hæres verè de patris obitu sauciatur.

Horribilis tortura, Iesu denudatio.

2. *Vers.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.] Abierunt dehonestati Dauidis legati, & eum de turpi Regis Ammonitarum facinore aliorum ore fecére certiorem, nec enim ipsi ausi sunt tanto affecti rasionis opprobrio in Dauidis apparere conspectu. Certè non ipsos, sed alios Dauidi, quæ acciderant, indicasse, probat Hebraica lectio. Nam loco particulæ illius, *Qui cum abusset, & hoc mandassent Dauidi*, scribit Hebræus, Et abierunt, & nunciauerunt Dauidi super *viris*, id est, alij itineris comites, aut famuli Dauidi renunciarunt, quæ illis viris immissis acciderat. Misit ergo Rex in occursum eorum, ne cogerentur ipsi Vrbem Regiam inire (grandem enim sustinuerant iniuriam) & præcepit, vt apud Ierido manerent, donec capilli, ac barba crescerent, & post comæ, ac barbæ restaurationem sine turpitudine in Vrbem remearent. Animaduertentes verò Ammonitæ Regem Dauidem ab eis iniuria fuisse affectum in seruis.) * Nec enim probus aut verus est Rex, qui seruorum iniurias, esse ducit alienas]) tam Hanon quàm reliquus populus mille argenti talenta coegerunt, vt mercede illa è Mesopothamia, id est è Regibus Regionum Syriæ Maacha & Soba currus & equites suum in auxilium afferrent. * Priusquàm Dauid vindex exsurgeret, Ammonitæ se præparant ad certamen mala conscientia puncti. Prauam enim conscientiam metus sequitur, fiducia bonam comitatur.] Triginta duo millia curruum, & Regem ipsum Maacha cum populo conduxére. Ingens curruum numerus, multo minor 2. *Reg.* 10. 6. memoratur. Quid causæ? Ibi electi, hic omnes. *Ibi* peditatus prætermissus, hìc additus. * Porrò ad bellum multus numerus militum properat, sed soli electi verum numerum efficiunt.] Hic sacer scriptor cunctos annumerat milites, ibi autem solos memorauit electos, innuens, alios verè milites non extitisse.] Cum ergo venissent Syri è regione Medaba, fuére castra metati. Ammonitæ quoque de Vrbibus suis confluentes, ad bellum processerunt. Audiuit Dauid bellicam Ammonitarum ac Syrorum expeditionem, immisítque Israëliticum, fortiorum quidem militum exercitum, cuius Princeps erat Ioabus: egressi Ammonitæ aciem iuxta Vrbis portam direxére: Reges autem Maacha & Soba, qui ad auxilium Hanon Regis Ammonitarum aduenerant, separatim constiterunt in agro. Igitur Ioabus cognoscens, ex *aduerso & post tergum*, id est, à fronte & à dorso bellum (sibi præparari, viros fortissimos de vniuerso delegit exercitu, & aduersum Syras perrexit acies; reliquam verò partem exercitus sub imperio Abisai fratris sui reliquit, qui eam contrà Ammonitarum direxit exercitum. Pro particula *Elegit viros fortissimos*: Hebraicè est, *Elegit ex omnibus electum in Israël*. Cur *electum* in singulari posuit? * Certè idem est ac *Electum quemque*, siue electos, sed eos numero singulari expressit, vt innuat, vel vnicum militem selectum quodammodo sufficere ad ingentes hostium copias superandas.] Porrò priusquam Ioabus cum electis ab Abisai, reliquáque exer-

Rex Ammonitarum auxilium à Syris cõtra Dauidem petit, Ioabus & Abisai aduersùs eum expediuntur.

Non est verus Rex qui seruorum iniurias ducit esse alienas.

Prauam conscientiam metus sequitur, bonam fiducia.

Soli electi milites numerãdi in exercitu.

Vel vnus miles electus quodammodo sufficit, ad ingentes hostiũ copias superandas.

citus portione diuideretur, dixit Ioabus Abisai fratre suo; si vicerit me Syrus, mihi auxilium impendes: si autem Ammonitæ te superauerint, ero tibi in præsidium. Confortare, & populi nostri causam viriliter geramus, Deique nostri pro Vrbibus fortiter decertemus. Dominus autem id faciet, quod suo conspectui placuerit.

In omnibus diuinæ voluntati cõformes oportet nos fieri.

* Hæc sit militum Dei stabilis sententia, pro viribus Dei causam, Reipublicæ, seu communitatis commodo tueri: Dei tamen subesse voluntati circa expressi laboris effectum.]

3. Dauidis de Ammonitis, ac Syris victoria.

Vers. 14.15.16.17.18.19.] Ioab ergò & lecti milites, qui cum eo aderant, contra Syrum ad certamina perrexerunt, eosque coëgerunt in fugã. Videntes autem Ammonitæ, aufugisse Syros, ipsi quoque impetum Abisai fratris Ioabi timentes impetum aufugerunt; Ciuitatémque Medaba, ad quam pugnatum est, & vbi Ammonitarum aderant castra, se se recepére: & Ioabus in Ierosolymam victor fuit reuersus. Videns verò Syrus qui cis fluuium Euphratem erat, se ad Israëlis aspectum cecidisse infirmitate ac formidine pressum, nuncios immisit, & adduxit auxiliatores Syros qui trans fluuium commorabantur; huius autem de nouo aduentantis & illius iam in campo morantis exercitus Dux erat Sophach Princeps militiæ Aderezer. Nunciatum est Dauidi, hostes vires collegisse, & auxisse vndè vniuersum Israëlis congregauit exercitum, ac transmittens Iordanem, in eos validissimè irruit, dirigens scilicet ex aduerso aciem, illisque contra repugnantibus. Cæterùm Syrus fractus fugam arripuit, post interemptos à Dauide septem millia currus, quadraginta millia pedites, ac Sophach exercitus Principem. Pro particula illa, *Irruitque in eos* Dauid, *& direxit aciem ex aduerso*, Hebraicè est, *Venit ad eos, & instruxit aciem ad eos, & instruxit Dauid aciem belli contra Syrum.* Hanc repetitionem Hieronymus abstulit.* Cur autem replicatur illud verbum *Instruxit aciem, & instruxit aciem*, siue *direxit*? Quia tota certaminis felicitas in eo sita est, quòd acies opportunè dirigatur, ideo Dux fortissimus ac prudentissimus Dauid speciale admodum impendit studium circa aciei directionem.] Porrò cum *serui* siue subditi Aderezer conspicerent, se ab Israële fuisse non semel superatos, *transfugerunt ad Dauid* seu pacem cum Dauide gesserunt, & seruiére ei tributi annui solutione. Noluitque vlteriùs Syria Ammonitis auxilium expedire.

Totu belli fœlicitas in eo sita est, quod opportunè acies dirigantur.

* Nam si cordatus quisque alieno fit sapiens periculo, propria debet sapientior reddi ex ærumna.] * Si ex certamine, quod cum luxuriæ (verbi gratia) iniisti, victum te compereris aliquando, non fœdus cum hoste ineas, haud pacem geras, aut seruias tyrannæ; sed cura minimè vlteriùs cum tanto hoste confligere, *fuge fornicationem*; fuga enim hæc non ignauiæ signum, sed fortitudinis est documentum.]

Alieno periculosis sapiẽs, proprio autem sapientior.

Luxuriei aciem fuge, cũ ea confligere non audeas.

CAPVT XX.

Supplicia, quibus affecti Ammonitæ fuère, describuntur. Contrà Philistæos horribiles Gigantes terna prælia enarrantur.

1. FACTVM est autem post anni circulum, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregauit: Ioab exercitum, & robur militiæ, & vastauit terram filiorum Ammon: perrexítque, & obsedit Rabba: porrò Dauid manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, & destruxit eam. 2. Tulit autem Dauid coronam Melchon de capite eius; & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecítque sibi inde diadema: manúbias quoque vrbis plurimas tulit. 3. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur; & contererentur: sic fecit Dauid cunctis vrbibus filiorũ Ammon: & reuersus est cum omni populo suo in Ierusalem. 4. Post hæc initum est bellum in Gazer aduersùm Philisthæos: in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliauit eos. 5. Aliud quoque bellum gestum est aduersus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cuius hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. 6. Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. 7. Hic blasphemauit Israël: & percussit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi sunt filij Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu Dauid & seruorum eius.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Ammonitæ supplicijs affecti.

VERS. 1.2.3.] Accidit verò post anni circulum, seu vertente anno, aut aperiente se vere mense scilicet Nisan, quo quidem tempore Reges assolent ad bella expediri, tunc enim equis pabulum, militibus cœlum benignum ad capessenda arma vbertim exponitur: congregauit Ioabus exercitum robúrque militiæ coëgit, profectúsque Ammonitarum terram vastauit, ac Rabba obsedit. Porrò Dauid Ierosolymis commorabatur, quandò Ioabus *Rabba percussit, & destruxit eam*, id est, quando incepit percutere, & destruere: Dauid enim id perfecit, à Ioabo auocatus. Cur autem Dauidis facinus absolutè Ioabo tribuitur. * Verum quia opus egregium incipere & viriliter aggredi, quasi perficere, imò totum est gerere. *Dimidium facti* (dixit bellè aliquis) *qui bene cœpit, habet*; dixerim ego eum, qui bene cœpit, totum factum habere.] * Pondera particulam, *Quo solent Reges ad bella procedere*. Reges ipsi *solebant* gerere expeditiones bellicas, iam insolitum ipsos Reges ad certamina expediri magno quidem Regnorum incommodo.] * Porrò mense Nisan, id est, initio veris ad bella procedebant Reges illi, & cœli benignitate fauente, tempus suppetebat ad victoriam. Iam verè exacto ad certamina procedunt, vnde vix possunt victoriam alicubi perficere nisi Dux aliquis, Iosuë instar, ob sanctitudinem possit solis retardare gressus, diésque efficere longiores.] Profectò Dauid de capite Melchom coronam abstulit, in eaque auri pondo talentum inuenit, gemmasque pretiosissimas, & in Regium sibi diadema aptauit. Certè quia nomen *Melchom* idoli est, aliqui existimant, non fuisse hoc diadema Regis Ammonitarum, sed eorum idoli. At quonammodo ausus fuisset Dauid ex auro idoli sibimet diadema conficere, cum Deut. 6. cautum, *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque accipies quidquam ex eis*. Vox Hebraica mea difficultate expedier. Est enim *Malcham*, siue *Quod Regis eorum* erat, insigne. An te terret talenti pondus, quod erat centum viginti quinque librarum, quale nemo facilè capiti suo imponi patietur? * Certè pondus auri non aggrauat, magna vis auri assolet hominibus sarcina leuis existere.] Literæ autem seruiens, assero non debere tam ponderosam coronam illam immediatè capiti infigi, sed supra caput in throno aut conopæo Regio: quam inde sublatam iussit Dauid suo deinceps throno, & conopæo alligari, vt vertici sedentis perpetuò immineret. *Manubias* quoque Vrbis plurimas tulit, hoc est (vt in Hebræo legi) *prædas* ingentes; nam *manubiæ* pecunia est ex præda vendita redacta, & prædam promiscuè ea vox sæpe significat. Populum autem qui ea morabatur in Vrbe fecit educi, cunctósque habitatores, super eos tribulis, trahis, ac ferratis carpentis transeuntibus, dissecati, ac conteri. Tribula & traha illud est instrumentum, quo segetes in area teruntur; Quin & plaustris, & rotis ferratis teri fruges colligo ex Isaiæ 14.15. *Posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia*. Ita igitur modo egit Dauid in Ammonitas hùmi stratas rotas, & plaustra serrantia, & tribulas ferreis cuspidibus horrentes, quo modo agricola tribulas immittit in segetes, quas in ea triturat. 2. *Reg.* 12. 31. dicitur, *serrauit, diuisitque cultris, & traduxit in typo laterum*. Græcè *Per fornacem*, nempe vt solent lateres. Ac si diceret, Ammonitæ in clibanum ignitum seu fornacem fuere coniecti, sicut in illum lateres coniiciuntur, prorsus ad illorum typum & exemplar: nam & talia ibi patiebantur, qualia lateres igne coquendi; neque magis ex eorum dolore ac cruciatu dolebat Dauid, quàm doleret figulus, qui formatos è luto lateres coquendos ignitum mittit in fornacem. *Sic fecit Dauid* non vni Ciuitati *Rabba*, sed *cunctis Vrbibus filiorum Ammon*. Crudelia supplicia, & forsan ad id tempus sine exemplo, nisi quod aliquid ferè simile in Gedeone præcesserit, qui *tulit seniores Ciuitatis, & spina deserti ac tribulos, & cum eis contrinit, atque comminuit viros Socoth*. Posterioribus autem sæculis talia frequentiùs legimus vsurpata. Nam *Prou.* 20.26. mentio huius fit tanquam vsitati supplicij. Manasse serra Isaiam dissecuit. Hazaël Rex Syriæ mulieres prægnantes 4. *Reg.* 8. Et Ammonitæ eàdemque à Dauide passi sunt; posteà in Israëlitas Galaad exercuerunt, Amos. 1.13. Forsan id nunquam factum, nisi à Dauide didicissent. * O quam pernitiosi Reipublicæ existunt cuiusuis supplicij crudelis inuentores, nam qui student priores æmulari addunt adhuc crudelitati inuentæ nouam plerumque feritatem. Vnde à Geone spinis ac tribulis agri seniores vulnerante Dauid didicit hostes ferris horribiliter dissecare. A Dauide autem Ammonitæ Galaaditas docti sunt extorquere.] Num deliquit Dauid? Abnegat Abulensis, eo quod Ammonitæ grauem contra ius gentium iniuriam Hebræis legatis intulissent: At hoc dictum ad solum Regem & aulicos consiliarios spectabat: non item ad omnes reliquas Ammonitarum Vrbes, quas Dauid eodem supplicij genere comminuit. * Nisi dixeris Regem, Adami in morem, quodammodo aut probe aut improbe subditorum ex nomine operari: vnde velut delinquentes in capite, cum capite sunt iustè plectendi.] Probabilius reor peccasse Dauidem, & quidem grauissimè. Quod minus miraberis, si consideres, hæc tam crudelia Dauidem eo tempore perpetrasse, quo adhuc adulterij Bethsabee hærebat in luto. * Et quando crudelitatis parens luxuria non extitit?] * Addo, ex homicidio Vriæ crudeli ad aliud crudelius facinus fuisse prolapsum; vna enim actio crudelis crudeliorem facilè impellit in aliam.] * Quid mirum, si de adulterio & homicidio adhuc Dauid non pœnituerat? Solent siquidem pales ex vno in aliud scelus ruere, & magis magísque sordescere in dies?] igitur post tam dira facinora Dauid cum omni exercitu suo in Ierosolymam est reuersus.

Qui viriliter incipit gerere opus quasi totum factum habet.

Reges iam non solent ad bella procedere, magno regnorum incommodo.

Quàm in tempestatiuè assolent iam Reges ad certamina procedere, scilicet verè exacto.

Crudelis supplicij inuentores taxantur.

Princeps quodammodo, Adami instar, subditorum operatur ex nomine.

Luxuria parens est crudelitatis.

Ex actione vna crudeli homo crudeliorem fertur in aliam.

Qui post crimen citò non pœnitent, solent ex vno in aliud scelus facilè ruere.

2. Terna aduersùs Philisthæos, Gigantésq; Dauidis prælia.

Vers. 4.5.6.7.] Post horribilia Ammonitis illata supplicia, aduersùm Philisthæos apud Gazet bellum est initum: in quo Dauid ille fortis, Sobochai Husathites Saphai de Gigantum prosapia interemit: & Dauid Philisthæos humiliauit. Aliud quoque bellum initum fuit contra Philisthæos, in quo Adeodatus siue Elcana, qui inter fortissimos Dauidis annumeratur, filius quidem *Saltus Libani*, id est, filius *Iahare*,

hare, (quæ vox *saltum* significat) Bethlehemites domo occidit fratrem Goliath Gethæi, cuius hastæ lignum erat quasi iugum, circà quod textores telam circumuoluunt. (Quod intelligo quoad hastilis crassitiem) Hunc fratrem existimo Goliath illius, qui fuit à Dauide percussus. Cæterùm aliud certamen accidit apud Geth contra Philisthæos, quorum in exercitu dimicabit homo longissimus senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor de stirpe scilicet Gigantea. Hic ausus est in Israëlitas probra congerere, & Ionathan filius Samaa fratris Dauid illum de medio sustulit. Hi sunt filij *Raphæ* seu Gigantes horribiles, qui apud Geth *in manu* Dauidis, ac militum eius cecidere. * Si horum trium Gigantum primus fuit à Sobochai occisus, secundus ab Elcana, tertius autem à Ionathan, cur sacer Scriptor addit, hosce *in manu Dauid, & seruorum eius* cecidisse? Quia quælibet militum victoria Ducis notat fortitudinem, cuius præsentia ac prudens belli dispositio roborat pugnatores.] Scio tamen D. Hieronymum in trad. Hebr. *ad 2. Reg. 21. 19.* asseruisse Adeodatum illum Bethlehemitem esse Dauidem: alioquin quo pacto in manu Dauid Gigantes cecidissent. * At tamen expedita responsio, si dicamus id facere Regem, quod per milites gerit.

Quælibet militum victoria. Duci etiam tribuenda.

Id Rex facit, quod per milites gerit.

CAPVT XXI.

Deum Dauid offendit populum annumerando: pro delicti huius expiatione è tribus propositis supplicijs deligit pestem, qua plurima millia depereunt, donec Deus precibus ac sacrificio placatur.

1. ONSVRREXIT autem satan contra Israël: & concitauit Dauid, vt numeraret Israël. 2. Dixítque Dauid ad Ioab, & ad principes populi: Ite, & numerate Israël à Bersabee vsque Dan: & afferte mihi numerum vt sciam. 3. Respondítque Ioab: Augeat Dominus populum suum centuplum, quàm sunt: nonne domine mi rex, omnes serui tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israëli. 4. Sed sermo regis magis prævaluit: egressúsque est Ioab, & circuiuit vniuersum Israël: & reuersus est Ierusalem. 5. dedítque Dauidi numerum eorum, quos circuierat: & inuentus est omnis numerus Israël, mille millia & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta millia bellatorum. 6. Nam Leui, & Benjamin non numerauit: eò quòd Ioab inuitus exequeretur regis imperium. 7. Displicuit autem Deo quod iussum erat: & percussit Israël. 8. Dixítque Dauid ad Deum: Peccaui nimis vt hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem serui tui, quia iusipienter egi. 9. Et locutus est Dominus ad Gad videntem Dauid, dicens: 10. Vade, & loquere ad Dauid, & dic ei: dicit Dominus: Trium tibi optionem do; vnum, quod volueris, elige, & faciam tibi. 11. Cúmque veniisset Gad ad Dauid, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris: 12. aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse euadere: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, & angelũ Domini interficere in vniuersis finibus Israël: nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me. 13. Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum. 14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël: & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. 15. Misit quoque angelum in Ierusalem, vt percuteret eam: cúmque percuteretur, vidit Dominus, & misertus est super manitudine máli, & imperauit angelo, qui percutiebat Sufficit; iam cesset manus tua. Porrò angelus Domini stabat iuxta aream Ornam Iebusæi: Leuánsque Dauid oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & ceciderunt, tam ipse quàm maiores natu vestiti ciliciis, proni in terram. 17. Dixítque Dauid ad Deum: Nónne ego sum, qui iussi vt numeraretur populus? Ego, qui peccaui: ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. 18. Angelus autem Domini præcepit Gad, vt diceret Dauidi vt ascenderet, extruerétque altare Domini Deo in arca Ornam Iebusæi. 19. Ascendit

dit ergò Dauid iuxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini. 20. Porrò Ornan cùm suspexisset, & vidisset angelum, quatuórque filij eius cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum. 21. Igitur cùm veniret Dauid ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obuiam de area, & adorauit eum pronus in terram. 22. Dixítque ei Dauid: Da mihi locum aræ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti accipias, & cesset plaga à populo. 23. Dixit autem Ornan ad Dauid: Tolle, & faciat dominus meus rex quodcunque ei placet: sed & boues do in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium: Omnia libens præbebo. 24. Dixítque ei rex Dauid: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. 25. Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. 26. Et ædificauit ibi altare Domino: obtulítque holocausta, & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo super altare holocausti. 27. Præcepítque Dominus angelo: & conuertit gladium suum in vaginam. 28. Protinus ergo Dauid, videns quòd exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusæi, immolauit ibi victimas. 29. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. 30. Et non prævaluit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore, perterritus, videns gladium angeli Domini.

COMMENTARII.

1. Dauid populum iubet annumerari Ioabi ministerio.

VERS. 1.2.3.4.5.6.] Cùm altissima pace Dauid potiretur, & inter gratias agendas Deo heroës recensuisset, surgente Satana contra Israël, subiit etiam Regis animum cogitatio ac voluntas vniuersum numerum bellatorum in fastos suos redigendi. Cui voluntati cum vaninitas ac superbia satanæ consurgentis effectus sese insinuassent, Deus permisit Dauidem in eam culpam labi, vt id peccatũ in populo, alioquin culpabili ista animaduersione castigaret. Populi autem culpa, quæ mox pestilentia punita est, fuisse videtur illa defectio, qua Sebæ filio Bochri, contra Dauidem legitimum suum Principem adhæserat: solus enim Seba suæ nequitiæ dederat pœnas. Nunc autem populus ipse morte septuaginta millium virorum punitus est. * Si populus deliquerat Sebæ adhærendo, quid necessum fuit à Deo peccatum Dauidis expectari, vt populum puniret? Certè quia Deus plerúmque ob Regis probi merita grauissima populi dissimulat crimina. Permittit ergò Regis lapsum, vt populum dira clade diuerberet.] Dedit ergo Dauid Ioabo, aliísque Principibus viris in mandatis, vt populum bello idoneum, à viginti scilicet annis & suprà, iunioribus omissis, & omni sexu muliebri, senibúsque parum bello idoneis, censerent. *Ite* (inquit Rex & numerate Israël à Bersabee vsque ad Dan: ad méque numerum adducite, *vt sciam*, oblata belli occasione, quot militibus Israëliticus constare valeat exercitus. Id Ioabus Dauidi dissuadere studet, veritus, ne Deus vanitatis ossor, populum puniat. * Quidquid enim delirant Reges subditi dependere afflolent.] *Augeat* (Dux ait) Dominus populum suum centuplum. Annon ô Rex omnes Israëlitici populi tui sunt servi? Oblata ergo occasione cuncti incunctanter tuo parebunt imperio. Quare hoc intendit dominus meus, quod Israëli à Domino in piaculum reputetur? Perstitit tamen Dauid in sententia, cui denique acquiescens Ioabus profectus est cum Principibus militum à Regis conspectu, vt populum censeret. Hos militum Principes non ineptè dixerim Principes duodecim turmarum militarium, & Principes Tribuum, in quorum albo populus erat inscribendus. Inchoata est annumeratio ab iis, qui trans Iordanem erant à Tribu scilicet Ruben Septentrionem versus: inde ad Occasum descendentes, Tribus eis Iordanem positas perlustrarunt. Enumeratio itaque populi hunc in modum est absoluta. Post nouem menses dum populus percensetur, Dauid ex inspiratione diuina tactus religione doluit, quod iussisset, numerari populum, & supplex à Deo veniam postulauit. Mox autem venit Gad Propheta, qui Regi pœnæ diuinitùs subeundæ obtulit obtionem. Interea Dauid, qui quod factum erat esse vellet infectum, mittit ad Ioabum, qui cunctanter Regis imperium exequebatur, vt desistat à cœptis. Itaque omissa lustratione tribus Leui & Benjamin, quas nondum annumerauerat, quia cum *inuitus* exequeretur Regis imperium, tot tantísque vtebatur moris, vt cum legatus Dauidis accederet, imperfecta esset populi annumeratio. * Prudens planè Rector, qui studet subditis committere munia, ad quæ ipsi non inuiti ferantur, nam qui ad iniunctum ministerium pergit inuitus, socordiâ vtitur ad actiones.] Rediit ergo Ierosolymam, tradiditque Dauidi numerum eorum, quos censuerat, ex iis quas inierat, Vrbibus & Oppidis. Inuentus autem est omnis numerus Israëlitarum, qui poterant gladium educere, *mille millia, & centum millia*: de Iudæis autem *quadringenta septuaginta millia*. Hebraïcè sic Israëlitarum ille numerus, *Mille millia, & centum millia* exponitur: *Quadringenta septuaginta millia*. Lxx. *Quadringenta octuaginta millia*. Alij, *Trecenta septuaginta millia*: sed quocumque modo hic numerus potest in superiori includi, scilicet in *mille millia, & centum millia virorum, quos in Israël censuit*. 2. *Reg.* 24. 9. *De Israël octingenta millia, de Iuda quingenta*

Deus plerũque populi peccata dissimulat ob Regis pietatem.

Quod Reges peccant subditi afflolẽt dependere.

Prudens Rector curat subditis committere munia ad quæ ipsi non ferãtur inuiti.

quingenta millia. Porrò si hîc trecenta septuaginta millia de Iuda diceremus, locus vterque satis consentiret, si hîc in priori alter numerus includatur, ibi secus. Sed quid de quingentis millibus, quos facer Scriptor ponit in Iuda *in Libris Regum.* Fortè *trecenta millia* legendum.

Illud subditus abominabile putat, quod inuitus exequitur.

* Profectò loco illius particulæ, *eo quod inuitus exequeretur.* Dauidis imperium Hebraicè est, *Eo quod abominabile putaret.* Illud planè abominabile subditus arbitratur, quod inuitus exequitur.] Hieronymus in trad. Hebr. asserit Leui & Benjamin non numeratos, eaque ex Tribubus nullos peste periisse, è Leuitis quidem, quia Deo sacri: è Benjamitis, quia extincti fermè non multo antè ob Leuitæ vxorem afflictam, non multi numero reliqui erant. * Certè Deo sacri Leuitæ, qui cum popularibus reliquis non annumerantur, à communibus cladibus eximuntur. Moneantur ergo Sacerdotes à sæculatium consuetudine abstrahi, nè cum eis flagris afficiantur.]

Viri Deo sacri, id est, Sacerdotes à sæcularibus abstracti à communibus cladibus eximuntur.

2. Tribus obiectis supplicijs Dauidi optio datur.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.] Verùm Deo displicuit, quod iussum erat à Rege, & mitiori flagello Israëlem percussit, Surrexit verò mane Dauid stimulo conscientiæ, & spiritu pœnitentiæ excitatore vsus: Peccaui ô Domine, sed insipienter parce gerenti. At sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & *Videntem Dauidis*, quo scilicet Deus peculiariter vtebatur, ad suam Regi voluntatem enunciandam. Et quamuis tanquam iratus Deus agat cum Rege per internuncium: tanquam beneuolus tamen offert ei electionem eius pœnæ de tribus, quam ipse sibi duxerit esse tolerabiliorem: peste scilicet tridui, trimestri bello, vel triennali fame. Vade (ait Dominus) ad Dauid, & dic ei. Hæc dicit Dominus: Trium tibi suppliciorum optionem exhibeo, quod malueris elige, & exequar. Venit Propheta ad Dauidem, eique affatur: Hæc indicenda tibi, mihi Dominus præscripsit; elige ex triplici flagello quod minus visum fuerit insuaue: aut tribus annis fame premi, aut tribus mensibus hostes fugere, eorumque gladio infallibiliter vulnerari, aut tribus diebus pestilentia; gladio quidem Domini sauciari, Angelo iustitiæ ministro in cunctis Israëlis finibus percutiente. Elige igitur, quod magis tibi expedire videbitur, vt valeam ei, qui me ad te immisit, respondere. Certè 2. *Reg.* 24.13. dicitur, *Aut septem annis veniet tibi fames*, & ita est in Hebræo. Quonammodo ergo hîc dicitur, *Aut tribus annis famem?* An ex similitudine Hebraicarum vocum quibus ternarius & septenarius significatur, errore positi septem anni pro tribus? LXX. tamen ibi etiam non nisi trium annorum meminere: & cum in diebus ac mensibus per ternarium procedatur, verisimile arbitror, etiam in annis ita factum fuisse. Porrò errorem omnino euitare volens, affirmo Prophetam initio comminationis septem annorum famem proposuisse, vti in *Libris Regum* habetur; sed cohorrescente Dauide, mitiorem pœnam vrgente, & probabiliter ex pœnitudinis affectu seu lacrymas, seu suspiria, seu preces addente, pœnam ad triennij spatium (vti hîc legimus) fuisse contractam. * Nam

Pœnitentis affectus imminuit iniungendi à Domino supplicij rigorem.

pœnitentiæ affectus iniungendi à Domino supplicij rigorem imminuit. * Edisserunt hinc Confessarij imminuere pœnitentiam seu satisfactionem post confessionem ad integritatem Sacramenti iniungendam, cum viderint peccatorem doloris interni externa exprimere documenta.] Simile habes *Gen.* 18. *vbi* à quinquaginta iustis ad decem Abrahami precibus delabitur Angelus. * Preme illam particulam, *Aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse euadere.* At *in libris Regum* pro Gladium eorum non posse euadere, dicitur & *illi te persequentur* fugientem. An fugere idem est ac perimi? Profectò strenuo militi fuga idem debet esse ac dira percussio.] Dauid itaque Prophetæ respondit: Omni ex parte me angustiæ premunt: sed satiùs mihi, Domini in manus incidere mira pleni miseratione, quàm in *manus hominum.* * Hostiles enim hominis manus gerentes vindictam nesciunt contineri.] * Haud excidat sine pondere clausula, *Melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.* At Susanna Dan. 13.23. fatur impiis Iudicibus; *Melius mihi est, incidere in manus vestras.* Respondeo, Dauidem locutum de sola temporaria ac corporali pœna, in qua infligenda Deus longè magis misericors est, quàm soleant homines, & maximè hostes: Susannam vero agere de pœna æterna, & malo etiam spirituali, nempè morte animæ per adulterium: & præ illis prudenter eligere potiùs quoduis malum corporeum, ac temporarium, putà mortem corporis, infamiam, &c. Aliæ ergo sunt manus Dei, quas optat Dauid; aliæ quas Susanna fugit: optat Dauid paternas ex amore castigantes; fugit Susanna iudiciales æternis flammis scelera punientes.]

Inminuat Confessarius satisfactionis iniungēda rigorem, cum viderit pœnitentem externa doloris documenta exprimere.

In strenuo milite fuga idem debet esse ac dira hostis percussio.

Quàm horribiles hostis hominis manus.

Dei manus hic mitissimæ, æternum horribiles.

3. Populus pestilentia premitur, Dauid Angelū percussorem aspicit.

Vers. 14.15.16.17.18.19.20.] Dominus itaque æthere infecto diuinitùs, pestilentiam in Israël immisit, & de Israëlitis inuisibilis gladij visibili vulnere *virorum* septuaginta millia ceciderunt. * Cur non & *fœminarum?* An tam viuaces fœminæ, vt nec miraculosæ pestis lues illas valeat abripere?] Porrò 2. *Reg.* 24.15. additur, *De mane vsque ad tempus constitutum.* Nempè cœpit sæuire pestis ipso illo articulo; quo illam elegit Dauid, id est, à Summo mane, quo ibidem *Vers.* 11. dicitur surrexisse Dauid, & à Propheta Gad iussus est, vnum è tribus eligere. An triduo plaga perdurarit? Abulensis affirmat, quia triduanum spatium fuerat à Deo illi pœnæ præfixum, ac constitutum. Existimo vsque ad vesperam primi diei perdurasse: quod tempus præstitutum à Deo erat sacrificio iugi & quotidiano à meridie offerendo. Nam sub id tempus videtur Dauid sacrificio suo in area Areuna Iebusæi iratum Dominum placasse, nec verisimile est, Dauidem secundum, aut tertium diem expectasse. * Cum primum te videris diuino vulnerari flagello, illicò Deum iratum placare sacrificiis stude; præscripta enim pœna hominum pœnitudine, muneréque imminuitur.] * Efficaces quidem ad pœnæ imminutionem, seu ablationem preces existunt; sed sacrificij Eucha-

Quàm viuaces famine.

Pœna præscripta à Deo hominis pœnitudine imminuitur.

Ad pœnæ ablationē efficacissimū Eucharistiæ sacrificium.

ristici

ristici oblatio hic expressi ex illa lectione, *De mane usque tempus mensæ*, efficacissima prorsus exponitur.] Cur Rex prudentissimus potius elegit peste quàm fame puniri, si etiam famis vulnus immediatè à manu Domini inferèdum erat? Elegit pestem, quoniam exæquat omnes, diuitem, inopẽ, fames verò in inopes maximè grassatur. * Pius Rex proprio periculo debuit pauperum molestias singulariter euitare. Nec enim benignissimus Principis animus pateretur, gemente solummodò inope, reliquos subditos esse liberos à supplicio.] Præterea Deus Angelum immisit in Ierosolymam, vt eam percuteret communi clade, cumque dirè vulnerari incepisset, videntem Dominus miseriæ ærumnæque magnitudo miserationè affecit, Angelóque percussori imperauit: *sufficit*: dira manus tua exitialia cesset vulnera inferre: Hebraïcè est. *Remitte manum tuam, ô Angele.* Porrò Angelus Domini iuxta arcam Ornam Iebusæi *qui 2. lib. Reg. 24.* vocatur Areuna: Regulus quidem inter Iebusæos (priusquam Dauid Iebusæos expugnasset) stabat. Alleuans verò Dauid oculos Angelum Domini inter cœlum & terram stantem, gladiumque nudum manu ostentantem, verso in Ierosolymam vultu, conspexit: territique Dauid ac Principes qui aderant, induti cilicijs in terram proni ceciderunt. Dauid verò ad Dominum proclamauit: Annon ego, Domine, sum, qui populum recenseri imperaui? Ego sum, qui deliqui; ego qui malum gessi: ex iniquo pastore, innocens grex quidnam, quæso, commeruit? Domine Deus, in me nocentem tua rigida manus contorquens flagella vertatur, mea mihi simul proximior familia vulneretur: populus autem tuus qui non numerauit, sed numeratus est, minimè percutiatur. * Quid non preces extorqueant?] Angelus igitur Domini Gad Prophetæ præcepit, Dauidi dictitare, vt ascenderet, apud areamque Ornam Iebusæi Domino altare exædificarent. Quinam ille Angelus? An tartareus? Minimè, sed Cœlicola; hoc enim Deus vtitur ad sanandum, illo autem ad percutiendum. Igitur non qui percutiebat, Angelus submonuit Prophetico ex ore Dauidem; hic enim erat Satan qui incitauit ad numerandum. * Vt edoceris, eundem ad te pœnas sumpturum dæmonem, qui incitat ad piacula.] * Tanta quidem est Angelorum cœlestium erga homines pietas, vt nunquam (illis mortem gerente Deo) ad percutiendum immittantur Hieronymo auctore ad Ezech. 30. *Ioel. 2. Ephes. 2.*] * An Angelus nequam assumeretur ad suadendum Dauidi altari extruendo operam dare? Hoc quidem cœlestis spiritus est officium, Dei gloriam ex erectione altarium promouere. Cum mentem tuam affectam præsenseris ad altaris erectionem, seu eius ornatum crede, te ab Angelo excitari cœlesti.] *Ascendit* ergo Dauid (locus enim erat sublimis, vbi erat area Ornam in monte Maria ad ortum Ierusalem) à Gad admonitus Dei ex nomine. At Ornam, quatuorque filij eius, cum Angelum aspexissent, se se in fruges nondum tritas dedere, vt inirent abscondita præ formidine: eo enim tempore terendo in area tritico operam exhibebant.

Vers. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30.] Cum igitur Dauid ad Ornam ventitaret, Ornam post terrorem ex abscondito, rursum

R. P. de Escob. & Mendoz. in Paralipom. lib. I.

egressus, illum conspexit, ex areaque ei obuiam processit, ac supplex adorauit. Ei ergo Rex profatur: Mihi in area tua locum aptum accommoda, vti Domino extruam altare; ita tamen vt qua tum valet accipias argenti & plaga à populo inhibeatur. * Regis enim sumptus ad pia quæque opera præsertim ad Templa aut altaria construenda cuiusuis plagæ populum liberant à cruciatu.] Ornam verò vrbanus & munificus Dauidi respondit: Gratis accipiat altari locum Dominus meus Rex, & quidquid ei placuerit, exequatur: quin & boues ad holocaustum, tribulas, ligna, ac triticum ad sacrificium vltroneus exhibeo. * Preme particulam, *Do boues in holocaustum, &c.* Non dixit, *Dabo*, sed *Do*, nè auarorum hominum gerat morem, qui Dei obsequio multa promittunt in futurum exhibenda, nunquam tamen huiusmodi promissionis præsens aduentat.] Respondit Dauid: Haud quaquam ita res geretur: sed quanti areæ necessariam ad extructionem altaris æstimes portionem, quantum valent boues & reliqua ad sacrificium & holocaustum perficiendum, tantum argenti tibi reddam. Nec enim *tibi auferre debeo*, & sic Domino *gratuita* offerre holocausta. Porrò in Hebræo loco particulæ *Holocausta gratuita, ita* est *Gratis*, id est *de alieno*. Aut *gratis*, id est, *frustra* id enim vox *Hinam* etiam significat. * Frustra enim Deo offers, quæ à subditis exigis; Deo quidem huiusmodi non placet sacrificium.] * Illud expende, *Nec enim tibi auferre debeo.* Quoniam modo Dauid auferret, quod Ornam *libens* exhibebat? Certè dicebat ille, se libentem præstare; quid autem mente haberet fortasse non exprimebat. Profectò quæ dantur Regibus vix sponte dantur.] * Quæ tunc verè donari dici non possunt cùm ab inuitis dantur.] Dedit itaque Dauid Ornam *pro loco* auri sexcentos iustissimi ponderis siclos, id est, bis mille quadringentos aureos. Arqui 2. *Reg.* 24. 24. dicitur aream, & boues argenti siclis quinquaginta emisse, qui non conficiunt totos decem & septem aureos. Crediderim, pro parua areæ portione condendo altari necessaria ac pro bobus quinquaginta argenteos exhibuisse: nec enim tunc latiori egebat spatio. Attamen pro reliqua area quam templo condendo destinauit, quæ vasta erat, & ampla, postmodum sexcentos siclos aureos addidisse. Pretium illud prius liber Regum expressit, posterius Paralipomenon. Hebræi tradidere hanc Areunæ aream, in qua Templum à Salomone fuit extructum, non solùm fuisse in monte Moria, quod certum est *ex 2. Paral. 3. 1.* sed etiam eo in loco, vbi Abrahamus filium suum Isaac iussus fuerat immolare. * Quòd si illa particula, *Dedit Dauid Ornam pro loco sexcentos auri siclos*, suadeat tibi tantum pretium à Dauide datum non pro tota area, sed pro loco altari extruendo necessario, admittens • respondeo, Dauidem quinquaginta siclos dedisse, *quantum* scilicet *Valebat* areæ portio: sexcentos verò auri siclos gratis addidisse ob loci, in quo Abraham filium suum curauerat immolare, dignitatem; pretiosissimum enim est quodlibet edocendæ obedientiæ gymnasium.] Constituxit igitur Dauid inibi altare Domino, holocausta obtulit, ac pacifica: Do-

Non patitur pius Rex populos pauperes gemere.

Cuncta à Deo precet extorqueant.

Idem dæmõ incitans ad piacula, omnes à te amet.

Tanta Angelorum cœlestium erga homines pietas, vt ad eos percutiendõs immittantur.

Ab Angelo esti excitas, cauenda dæmonis.

Quid ad aream altaris

tare extruit, offert holocausta.

Regis sũptus ad pia opera populũ à cuiusuis plaga cruciatu liberant.

Taxantur qui in futurum Deo promittunt sacrare diuitias, & nunquam dant.

Non placet Deo Regis de alieno sacrificium.

Vix sponte datur quod Regibus exhibetur.

Pretiosissimus est locus vbi virtus obedientiæ exeritur.

minum ſupplex inuocauit, qui eum exaudiſſe, immiſſo è ſuperis igne ſuper altare holocauſti, cunctis expoſuit: ſolebat enim Deus igne cœlitùs in hoſtiam immiſſo teſtari, gratum ſibi actùs in hoſtiam immiſſo teſtari, gratum ſibi actum ſacrificium. Nec ſine fructu Rex concidere ſacrificium. Nec ſine fructu Rex construxit altare, & victimas obtulit. Deus enim truxit altare, & victimas obtulit. Deus enim Angelo percuſſori iuſſit à vulnere abſtinere inAngelo percuſſori iuſſit à vulnere abſtinere inferendo: ille autem illico obtemperans, gladium dirum in vagina recondidit. Iam ſacer ferendo: ille autem illico obtemperans, gladium dirum in vagina recondidit. Iam ſacer Scriptor tacitam ſoluit obiectionem, cur eo loScriptor tacitam ſoluit obiectionem, cur eo loco obtulerit Dauid ſacrificia; nam præter Domco obtulerit Dauid ſacrificia; nam præter Domini præceptum fecit. *Protinus ergo* (inquit) ini præceptum fecit. *Protinus ergo* (inquit) Dauid videns quod eum Dominus apud aream Dauid videns quod eum Dominus apud aream Ornam Iebuſæi commorantem exaudiſſet, ibi Ornam Iebuſæi commorantem exaudiſſet, ibi victimas immolauit. Nam Tabernaculū, quod victimas immolauit. Nam Tabernaculū, quod Moſes in deſerto conſtruxerat, altareque holoMoſes in deſerto conſtruxerat, altareque holocauſtorum, vbi ritè fuerat ſacrificium offerendum; ea tempeſtate apud excelſa Gabaon aderendum; ea tempeſtate apud excelſa Gabaon aderat: nec potuit Dauid ad illud altare proficiſrat: nec potuit Dauid ad illud altare proficiſci: nimio enim erat timore perterritus cum Angeli in manu horribilem planè ſtrictum gladium aſpexit. Cùm ergo Moſis Tabernaculum procul eſſet in Gabaon, non licuit Dauid præ procul eſſet in Gabaon, non licuit Dauid præmetu inire Gabaonitarum excelſa. * ſi Angemetu inire Gabaonitarum excelſa. * ſi Angelus ita Dauidem fortiſſimum terret, dum manu gladium tenet ſtrictum: quid cum die noniſſigladium tenet ſtrictum: quid cum die noniſſima Rex Angelorum non manu, ſed ore gladima Rex Angelorum non manu, ſed ore gladium oſtentet vtraque parte acutum, & vulium oſtentet vtraque parte acutum, & vulneraturus corpus, animumque proclamat: *Diſneraturus corpus, animumque proclamat: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum?*

Quàm horribilis iudicij dies, Rege Angelorum gladium ore oſtentante.

CAPVT XXII.

Omnibus neceſſariis ad ædificandum Templum præparatis Dauid Salomoni filio cœlitùs ſibi formam modumque reuelatum tradit, hortaturque vt ſemper Deum ſtudioſè colat & Principes, vti illi ad cuncta gerenda auxiliū expediant.

1. DIXITQVE Dauid: Hæc eſt domus Dei: & hoc altare in holocauſtum Iſraël. 2. Et præcepit vt congregarentur omnes proſelyti de Terra Iſraël, & conſtituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. 3. Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & commiſſuras atque iuncturas præparauit Dauid: & æris pondus innumerabile. 4. Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerant ad Dauid. 5. Et dixit Dauid: Salomon filius meus puer paruulus eſt & delicatus: domus autem, quam ædificari volo Domino, talis eſſe debet vt in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei neceſſaria. Et ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas. 6. Vocauitque Salomonem filium ſuum: & præcepit ei vt ædificaret domum Domino Deo Iſraël. 7. Dixitque Dauid ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum Domini Dei mei; 8. ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: 9. filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam, Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Iſraël in cunctis diebus eius. 10. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmabóque ſolium regni eius ſuper Iſraël in æternum. 11. Nunc ergo fili mi, ſit Dominus tecum, & proſperare & ædifica domum Domino Deo tuo ſicut locutus eſt de te. 12. Det quoque tibi Dominus prudentiam & ſenſum, vt regere poſſis Iſraël, & cuſtodire legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata & iudicia, quæ præcepit Dominus Moyſi vt doceret Iſraël: confortare & viriliter age, ne timeas, neque paueas. 14. Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia. 15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios: artificéſque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentiſſimos, 16. in auro & argento & ære & ferro, cuius non eſt numerus. Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum. 17. Præcepit quoque Dauid cunctis principibus Iſraël, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum. 18. Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos veſtros in manus veſtras, & ſubiecta ſit terra coram Domino, & coram populo eius, 19. Præbete igitur corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum, & conſurgite, & ædificate ſanctuarium Domino Deo, vt introducatur arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata, in domum quæ ædificatur nomini Domini.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Dauid præparat omnes Templo ædificando expensas.

VERS. 1.2.3.4.5.] Post holocaustum perfectum Dauid profatur: *Hec est domus Dei*, id est, hoc loco ædificari debet Templum Domini, nempe in area Areunæ Iebusæi, apud montem Moria. Ita *dixit*, id est, decreuit Dauid, nempe Dei iussu, ac reuelatione, inibi Templum, & altare extruendum, super quod Israëlitæ holocausta Domino litarent. Hac mente concepta, præcepit, omnes proselytos seu peregrinos, & aduenas de Israëlitica terra congregari, ex quibus constituit latomos *ad cedendos lapides*, ac *poliendos*. Hebr. *Ad cædendum lapides ghazith*, id est, *politos*, vt LXX. vertunt. Nimirum in lapicidinis cædebantur prius, ac postea politebantur, ergò politos, id est, vt politentur. * Nisi dixeris, de Templo mistico Mariano proferri sermonem, cuius augustissimæ exttuctionis præparatio, scilicet conceptio prius in lapicidinis perpolitur à Domino Peregrini profectò Artificis opus, lapidem perpolitum ipso eductuu, instanti proferre.] Hisce itaque lapidibus primum eductis, postmodum politis debebat Dei domus ædificari: Ferri quoque vim magnam congessit Rex ad clauos reliquaque ferramenta ianuarum: sed & ad commissuras atque iuncturas. Claui enim non solùm portis deseruire debebant, sed & ad nectendum inter se asseres, tabulas, &c. Æris simul pondus innumerabile siue ingens admodum ad varia munia præparauit. Verùm ligna cedrina, quæ sidonij ac Tyrij ad Dauidem in Templi extruendi materiam deportauerant, *æstimari non poterant*, Hebraicè, *Ad non numerum*, id est, haud poterant ligna cedrina numerari. *Et dixit Dauid*: id est, huiusmodi mentem Dauidis subiit cogitatio: Salomon filius meus, *puer parvulus est, & delicatus*: domus autem, quam Domino extuere intendo, tam ampla, tam augusta esse debet, vt in cunctis regionibus celeberrima possit nominari: oportet ergo tantæ exædificationi necessariam præparare materiam. Et ob hanc causam Dauid ante obitum omnes Templo præparauit expensas. Hebr. *Expensas omnes in multitudine præparauit Dauid ante mortem.* * O quàm prudens, qui ædificandæ sibi domui cœlesti omnes dum viuit, expensas præparat, quæ post mortem minimè præparari possunt!] Rogas quonam modo Salomon tunc annum vitæ circiter vigesimum primum agens (loquor de tempore, quo iam inunctus erat Rex, viuente adhuc, & iubente patre anno Regni eius vltimo) potuerit *puer parvulus*, ac *delicatus* appellari? Respondeo, non vocari parvulum ac delicatum, quia puerili ætate esset, aut exiguo corpore, sed quia fratrum erat minimus, & comparatione illorum paruus erat. Sic Dauid 1. Reg. 16. 11. vocatur paruulus cum viginti & octo annorum esset & Benjamin Gen. 43. 29. à Iosepho fratre suo paruulus vocitatur, cum tamen iam tum decem filios suscepisset, vt constat. Gen. 46. 21. Nisi facilius velis Dauidem sub metaphora pueri paruuli ac delicati de recenti Salomonis inunctione fuisse locutum; quare non posset nisi post diuturnum tempus dare operam ædificio, si Dauid maturius necessarias non parasset expensas. Vel dicitur Salomon puer paruulus comparatione operis, quod erat faciendum.

Templi Mariani præparationes à Deo fiunt. Conceptionis lapis politus educitur.

Ante mortem ad donum æternæ debes omnes expensas præparare.

2. Dauid salomonē excitat ad Templi extructionem sibi factam reuelationē apetiens.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.] Dauid igitur filium suum Salomonem aduocat, eique præcipit, vt operam extruendæ domui Domini diligentem impendat. Fili mi (Rex ait) in opratis habui Templum Domini Dei mei ædificare, quo ab Israëlitis coleretur: sed à Domino Prophetico ex ore hæc audiui; Multum sanguinem profudisti, plurimis bellis gerendis distractus es: haud poteris nomini meo colendo Templum extruere tanto effuso cruore *coram me*: filius, qui tibi nascetur, vir quietissimus erit: faciam enim eum, cunctis hostibus per circuitum veluti soporatis, summa pace potiri, quare *salomon* siue *Pacificus* appellabitur, respondente quidem nomini effectu; à me enim cunctis diebus eius pace, ac otio donabitur. Ipse construet Templum, cui colendus hæream: eritque mihi in filium, ad quem attinet honori parentis pro mouendo studere: & ego obsequij memor illi adero in patrem: soliumque Regni eius super Israël æternum obsitmabo. Quæsierim, quidnam Dauidi obstaret sanguinem multum profudisse, nè posset Templi extruendi dare operam? Imò quia profuderat sanguinem Vriæ Hethæi, oportebat Templum extruere, vt tam pio opere illam deleret impietatem. * Impiæ enim actiones piis actionibus inaurandæ.] At sanguis hostium in defensionem ac propagationem Israëlis profusus non impediebat, quominus Dauidis manus decenter possent ad Templi fabricam præparari. Existimarim, hanc totam sanguinis profusi à Dauide commemorationem non aliò pertinere, quàm ad signandas bellicas Regis occupationes, quæ distinerent Dauidem, vt huic tantæ molitioni operam non posset exhibere. Didici ab ipso Salomone ad Regem Tyri scribente 3. Reg. 5. 3. *Tuscis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Dei sui, propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius.* *. Et quidem opera ad Dei obsequium pertinentia animum à cunctis distrahentibus curis requirit alienum.] *Salomon* Hebraicè est *Selomas*. Nostet autem Interpres loco proprij nominis vocabuli interpretationem posuit, *Pacificus* scilicet. *Nunc ergo* Rex adiicit.) fili mi, tecum Dominus esse dignetur, prosperis fruere euentibus, extrueque Templum Domino Deo tuo, quemadmodum de te ipse prædixit: Dominus autem te prudentia ac consilio donet, vt regere valeas Israëlem, & legem Domini Dei tui custodire. Preme particulas: *Det tibi Dominus prudentiam, vt regere possis Israël, & custodire legem Domini Dei tui.* * Ad custodiam legis magis videtur pietas, quàm prudentia requiri. Cur ergo Dauid cupit Salomonem prudentia donari nō solum ad regendum subditos, sed & ad legis obseruationem? Certe plerumque vidi exleges stolido præditos esse ingenio, sapientes verò Dei legibus subiacere. Quis enim prudens audeat legem violare, dùm cognoscit, vel vnicum lethale delictum æterna pœna vindicandum? Quis prudens Deo non obsequatur, qui vel vnicam virtutis actionem æterna est beatitudine muneraturus?] *Tunc enim proficere poteris*, & in omnibus prosperari, si legem Dei obseruaueris, secundum quam dirigendæ actiones, ac iudicia

Actio impia pia actione est inuranda.

Opera ad Dei obsequiū pertinētia requirunt animū ab omnibus alijs curis alienum.

Plerumque exleges ingenij stoliditatē exponunt, nē prudens legibus Dei assolet conformari proprium ob commodum.

exercenda quæ Dominus Mosi præcepit, vt Israëlem edoceret: confortare ac viriliter age,

Legis obseruatori nullum periculum imminet.

ne timeas, neque paueas. * Legis enim obseruatori nullum potest periculum, ex quo pauor exsurgat, imminere.] * Particula illa, *Vt regere possis Israël* sic in Hebræo: *Et præcipiat tibi ad Israël*, seu vt populum regas: Princeps, enim ac Præsul haud aptè subditos reget si prius Deus ipsis non imperauerit, seu præscripserit quæcumque subditis fuerint imperanda. Quid enim sunt Reges sine Numinis instinctu?]

Non aptè Rector præcipit subditis, nisi ipsi prius Deus præcipiat.

Qui Dei legem nō obseruat, nihil prosperè agit.

* Illud expende, *Proficere poteris, si custodieris mandata.* Hebr. est, *Prosperaberis, si custodieris legem.* Mihi crédite non prosperabitur, nihil prosperè geret, qui legi Dei custodiendæ non studet.] *Ecce ego* (addit Dauid modestiæ causa ita profatus) *in paupertate mea* impensas ædificandæ Domui Domini præparaui *centum millia* talenta auri, *mille millia* talentorum argenti; æs & ferrum sine ponderis ratione, vincitur enim ponderum numerus ipsa ponderum magnitudine. Porrò talentum vnum auri siclorum aureorum continet tria millia, siclus aureus vnus quatuor coronatis aureis æquiualet: siclus verò vnus argenteus quatuor regalium Hispanorum valorem exæquat. Talentum autem argenti tria millia argentorum continet siclorum. Ligna item, & lapides ad vniuersa impendia præparaui, id est, ad omnes fabricæ vsus, ac necessitates. In Hebræo loco particulæ, *Ad vniuersa impendia* est, *Et his addes*, id est, aliud aurum, argentum, æs, ferrum, alios lapides, alia ligna ad eundem finem contribues. * Ad opus enim pietatis perfectionem oportet te propriò addere è penu, nec alieno solummodo niti labore.] Habes quoque ad Templi exædificationem egregios artifices, plurimos, latomos, cœmentarios, fabros lignarios, aliosque omnium artium ad opus gerendum *prudentissimos*, id est, peritos admodum. * Cur pro peritia prudentia apponitur. Quia nulla ars aptè potest sine prudentiæ dictamine exerceri.] Pertissimi planè sunt hi artifices ad auri, argenti, æris, ac ferri huius *cuius non est numerus*, id ponderis penè immensi fabricam perficiendam. *Surge igitur & fac*, id est, exere ad opus manus & Dominus adstabit adiutor.

Ad pietatis opera aliquid proprio è penu addendum, nec alieno solummodo niti labore.

Nulla ars potest sine prudentia dictamine exerceri.

Vers. 17. 18. 19.] Cunctis Principibus, qui aderant, præcepit Dauid, seu adhortatus est etiam, vt filium suum Salomonem *adiuuarent*. An consilio an opibus? Certè consensu. Nam si dissentiant Regui Proceres, vix Regis vel pussimum votus poterit mandari executioni. * Prudens Præsul, ad ardua ac facilia quæque gerenda, curat subditos præsertim maiores natu, seu seniores eidem placito accommodari; si enim illi dissentiant, aut omninò disturbabitur operis executio, aut difficillimè perficietur.] Cernitis (inquit Rex) Dominum Deum vestrum esse à vobis, siquidem requiem dederit *per circuitum*, cunctos hostes vestros tradens in manibus: & hanc patribus promissam regionem Domino, ac eius populo Israëlitico esse subiectam. *Et subiecta*, ait, *sit terra coram Domino, & coram populo eius*, hoc est, nec sit vllus qui contra populum Israëliticum audeat arma mouere, sentiens se Deum nostrum infensum, & infestum habituruni, cuius potentiam maximè timent. Imò subiecta etiam terra est, qua Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, ac Philisthæi tributa soluunt. Crediderim, *tò Coram Domino* significare, Dominum peculiari cura Israëliticum populum gubernasse, ac si Rex illius esset. Exhibete igitur corda vestra, & animas vestras, vt dominum Deum vestrum requiratis, eius obsequio studentes, & legum eius obseruationi operam exhibentes. Et *consurgite*, seu surgentem sequimini Salomonem, *sanctuarium*, seu Templum Domino Deo vestro construendum curate: vt introducatur Arca fœderis Domini, & vasa Domino consecrata in Templum magnificum, quod colendo nomini eius ædificabitur. Pende illud: *In domum Domini, quæ ædificatur*. Alij legunt. *Quæ ædificabitur*. Et videtur accommodatior lectio; nec enim Templum Salomon fabricare inceperat. * Cur ergo dicitur, *Quæ ædificatur*. Certè quia præmiserat Dauid, *Prabete corda vestra, & animas vestras*, id est, *voluntates vestras*, vt Mariana expositit. Si voluntas gerendi aliquod opus affectuosa adsit, haud illud futurum prospicias quasi à longè, sed velut præsens, imò & perfectum quodammodo recognosce.]

3. Principes Dauid adhortatur vt auxilium Salomoni ad Templi fabricam exhiberent.

Præsul prudens curat seniores subditos eidem placito accommodari, ad ardua, aut facilia quæque perficienda.

Voluntas affectuosa gerendi opus, illud quodammodo ante inchoationem perfectum exponit.

CAPVT XXIII.

Iam diem suum obiturus senex Dauid, designato Salomone Rege, Leuitarum officia, ac classes distribuit; filiis Mosis inter Leuitas annumeratis.

1. IACTVR Dauid senex & plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel. 2. Et congregauit omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Leuitas. 3. Numeratique sunt Leuitæ à triginta annis, & supra: & inuenta sunt triginta octo millia virorum. 4. Ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor millia, præpositorum autem & iudicum sex millia. 5. * Porrò quatuor millia ianitores: & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum. 6. Et distribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, Gerson videlicet, & Caath, & Merari. 7. Filij Gerson: Leedan, & Semei. 8. Filij Leedan: prin

princeps Iahiel, & Zethan, & Ioel, tres. 9. Filij Semei: Salomith, & Hoſiel, & Aram, tres: iſti principes familiarum Leedan. 10. Porrò filij Semei, Letheth, & Ziza, & Iaus, & Baria: iſti filij Semei, quatuor. 11. Erat autem Leheth prior, Ziza ſecundus: porrò Iaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & idcirco in vna familia, vnáque domo, computati ſunt. 12. Filij Caath: Amram, & Iſaac, Hebron, & Oziel, quatuor. 13. Filij Amram: Aaron, & Moyſes, Separatúſque eſt Aaron vt miniſtraret in Sancto ſanctorum, ipſe & filij eius in ſempiternum, & adoleret incenſum Domino ſecundùm ritum ſuum, ac benediceret nomini eius in perpetuum. 14. Moyſi quoque hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Leui. 15. Filij Moyſi: Gerſom, & Eliezer. 16. Filij Gerſom: Subuel primus. 17. Fuerunt autem filij Liezer: Rohobia primus: & non erant Eliezer filij alij. Porrò filij Rohobia multiplicati ſunt nimis. 18. Filij Iſaar: Salomith primus. 19. Filij Hebron: Ieriau primus, Amarius, Amarias ſecundus, Iathaziel tertius, Iecmaam quartus. 20 Filij Oziel: Micha primus, Ieſia ſecundus. 21. Filij Merari: Moholi, & Muſi. Filij Moholi: Eleazar, & Cis. 22. Mortuus eſt autem Eleazar, non habuit filios, ſed filias: acceperúntque eas filij Cis fratres earum. 23. Filij Muſi: Moholi, & Eder, & Ierimoth, tres. 24. Hi filij Leui in cognationibus & familiis ſuis, principes per vices, & numerum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterij domus Domini, à viginti annis & ſupra. 25. Dixit enim: Dauid: Requiem dedit Dominus Deus Iſraël populo ſuo, & habitationem Ieruſalem vſque in æternum. 26. Nec erit officij Leuitarum vt vltrà portent tabernaculum, & omnia vaſa eius adminiſtrandum. 27. Iuxta præcepta quoque Dauid nouiſſima, ſupputabitur numerus filiorum Leui à viginti annis & ſupra. 28. Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & in vniuerſis operibus miniſterij templi Domini. 29. Sacerdotes autem, ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana azyma, & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram. 30. Leuitæ verò, vt ſtent manè ad confitendum & canendum Domino: ſimilitérque ad veſperam. 31. tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in ſabbatis & Calendis & ſolemnitatibus reliquis, iuxta numerum, & ceremonias vniuſcuiuſque rei, iugiter coram Domino. 32. Et cuſtodiant obſeruationes tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarij, & obſeruationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, vt miniſtrent in domo Domini.

COMMENTARII.

1. Dauid moriturus Salomonem Regem conſtituit, ac Leuitarum diſtribuit officia.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.] Dauid igitur iam ſenio exactus filium ſuum Salomonem Iſraëlis conſtituit in Regem (de quo 3. *Reg.* 1.) congregauítque omnes *Principes* Tribuum ac familiarum Iſraël, vel omnes Principes exercitus, cap. enim 25.1. ſequenti habemus, *Igitur Dauid & Magiſtratus exercitus ſegreganerunt in miniſterium filios Aſaph.*

Quia ad bellũ admiſtrandum eliguntur, poſſint Regis aſſumi in Conſiliarios: tanta prudentia fulgeant.

* Oporteret quidem tam prudentes, tam egregios ad militiam eligi Duces, vt conuenienter à Regibus ad politica quæque miniſteria, ad Regia munia poſſent congregari:] ſimul Rex ſacerdotes ac Leuitas congregari curauit. Annumerati quidem fuére Leuitæ à triginta annis vſque ad extremam ætatem. Licèt enim num. 8. 25. de iiſdem Leuitis dicatur, *Cùmque quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt, &c.* intelligo id de ponderum geſtatione (quæ, conſtituta iam fixa Tabernaculi ſede etiam iam omninò ceſſabat) at ad reliqua miniſteria, quæ leuiora erant habiles eſſe poterant etiam hi, qui annum quinquageſimum exceſſiſſent. * Moneantur Rectores, Leuitas, id eſt, Sacerdotes ſeu Religioſos ſeniores miniſteriis addicere ſuanſoribus, ne grauior ætas oneri inæquali ſuccumbat.] * Aſt etiam Sacerdotes ſeu Regulares hi monendi Leuiticum ordinem, ſeu ſacerdotale officium numerari *à triginta annis & ſupra*, hoc eſt, ab adoleſcentia ad extremam vſque ætatem; nè ex antiquitate à labore ponderis excuſetur aliquis, ſi vires ſuperſint ad æqualia onera comportanda.] Porrò ex annumeratione illa triginta & octo millia Leuitarum fuerunt inuenta, Sacerdotibus ſcilicet minimè comprehenſis, (quod patet apertè ex miniſteriorum diſtributione.) Ex his quidem viginti quatuor millia attributa ſunt Templi miniſterio, vt videlicet Sacerdotibus ſubſeruirent circa victimas, libamenta, ac inſtrumenta ſacrificiorum. ſex millia Iudicum, aut Præpoſitorum muneri exercendo deputantur. Idem ſunt Iudices ac Præpoſiti, quorum officium erat, Iſraëlitarum cauſas, quæ circa legem gerebantur, iudicare 2. Paral. 19. 8. *Conſtituit Ioſaphat in Ieruſalem Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſraël, & iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius.* Quatuor millia Ianitores conſtituuntur, qui portas atriorum per vices cuſtodirent. Verùm quolibet in atrio tres aderant portæ, ad Orientem ſcilicet, Meridiem & Aquilonem. Atria verò erant tria, quorum interius Leuitis & ſacerdotibus erat deſtinatum. Proximum ambiens Leuiticum ſolis Iſraëlitis. Tertium verò quod duo memorata complectebatur, omnibus parebat etiam

Rectores Religioſis ſenioribus mitius onus imponant.

Regularis ordinis nunquam ab onere æquali viribus eximũtur alumni.

etiam gentilibus: & in hoc quod admodum amplum erat, plures fortassè quàm tres portæ aperiebantur. Munus ianitorum erat portas custodire, immundos arcere, curaréque ne quid gereretur ad portas aut circa atria, quod orantes interpellaret. * Quàm pulchrè excogitauit, qui Deiparam hoc in tertio atrio Templi figurari asseruit. Nec enim Mariæ pietas solos excipit Sacerdotes, aut Israëlitas, siue fideles, ac iustos: sed & gentiles piissimo accipit amplexu. Vndè procul dubio tot patent Mariani atrij portæ, quot egentes ad eius pietatis sinum accedũt.] Porrò *totidem* Leuitæ, nempe quatuor millia Psaltæ canentes in organis, quæ Dauid perficiì iusserat ad canendum, assignantur; de quorum munere recole dicta Cap. 15. à versu 17. Hæc omnia erant officia Leuitica, non Sacerdotalia, simúlque sumpta triginta octo millium Leuitarum summam conficiunt. Distribuit ergo Dauid Leuitas per vices suas, nempe per viginti quatuor classes, sicuti distribuerat Sacerdotes: vt sic bis quotannis singulorum classium recurrerent vices, quibus à Sabbatho ad Sabbathum, id est, integra vna hebdomada in Templo deseruiebant. Distributi itaque sunt *per vices filiorum Leui.* Porro filij Leui tres fuerunt, Caath, Gerson, & Merari. Omnes ergo supra recensiti Leuitæ diuisi fuere *per vices*, hoc est per familias, quæ à filiis Leui nomen habebant; quælibet autem illarum familiarum adhuc diuidebatur per alias minores familias, de quo inferius. Filij quidem Gerson fuére Leedan, & Semei) quorum primus alio nomine Lebni dicebatur. num. 2. 18.) Leedam verò tres suscepit filios, *princeps* seu primus fuit Iahiel, quem sequuntur Zethan, & Ioël. Porrò infrà Cap. 26. 21. hæc filiorum Leedan nomina diuersa ponuntur; nam qui hic Iahiel appellatur, ibi dicitur Iehieli: Zethan autem & Ioël Ledan & Gersoni vocitantur, sæpè monui, vnum & eundem hominem apud Hebræos binomium aliquando, ac trinomium fuisse. Tres etiam extitere Semei filij, Salomith, Hosiel, & Aran. Hic Semei non est ille frater Leedan, de quo proximo vers. 7. facta fuit mentio, sed alius, me iudice, filius Ioël, cuius nomen fuerat positum immediatè. Porrò alterius illius Semei fratris Leedan, filij quatuor extitere, scilicet Leheth, Ziza, Ians, & Baria. Horum verò Semei filiorum Leheth erat prior, secundus Ziza; verùm Ians, & Baria plurimos, vti alij, filios non habuerunt, qui possent vnam & aliam familiam vbertim constituere: ideoque in vna familia, vnaque domo fuere computati, vt sæpius ad illos ministeria recurrerent. Igitur hoc pacto existimo genealogiam hanc esse ordinandam. Gerson genuit Leedan & Semei. Leedan suscepit Iahiel, Zethan, & Ioel. Ioël habuit Semei, è quo Salomith, Hosiel, & Aran fuere progeniti. At Semei frater Leedan pater fuit Leheth Ziza, Ians, & Baria. Rem ita se habere, ostendam, nam cum dicitur in textu, *Filij Semei: Salomith, Hosiel, & Aran*, additur, *Isti Principes familiarum Leedan.* Et quia Vers. 10. eodem, annumeratis filiis Semei Leeth, Ziza, Ians, & Baria, additur, *Filij Semei quatuor.* Si autem vnus tantùm Semei fuisset, diceretur, *Filij Semei septem*, quorum tres numerati essent Vers. 9. quatuor autem Vers. 10. Profectò filij Caath fuerunt Amram, Isaar, Hebron, & Oziel, quatuor scilicet: quorum Amram Aaronem suscepit, ac Moysem. *Separatúsque* est Aaron vt ipse ac filij eius in Sancto Sanctorum ministrarent, id est, vt Aaron esset summus Sacerdos ad eiusque filios Pontificatus per successionem transmitteretur. Porrò solus Pontifex Sancta Sanctorum semel in anno Propitiationis die ingrediebatur. Aaron itaque ac filij eius Pontificio muneri *in sempiternum* addicuntur, vt adolerent incensum Domino iuxta *ritum suum*) vnus enim de Sacerdotibus quotidie cremabat bis mane quidem ac vespere incensum) *vt benedicerent nomini eius in perpetuum.* In officiis nimirum Sacerdotalibus quæ gerebant Aaron filij eius, benedicebant Domino, quia erant Sacra misteria ad Dei laudem instituta. * Vnde ediscunt Canonici, Clerici, ac Religiosi, qui è choro ad quidlibet Sacrum ministerium, ad officium diuinum pertinens immittuntur, non minus quàm reliqui in choro cantantes, diuinis laudibus operam exhibere; illæ enim actiones mutæ non sunt, sed dulcissimè diuinis in auribus personantes.]

Maria Deipara est atriũ Templi omnibus patens, portis plenum.

In quolibet sacro ministerio Deus tam actione, quàm voce benedicitur.

Vers. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 23. 24.] Profectò inter Leuitas etiam Moysi hominis Dei filij fuerunt annumerati. Vt Mosis mirere molestiam, ex eáque plus quàm ex potestate tibi sit venerabilis. Iosue filiis Regiam potestatem reliquit Moyses, Aaronis posteros Sacerdotes fecit, filios suos inter Leuitas relinquit. * O virum prudentissimum! Liceat mihi suspicari etiam Mosem filiorum commodis studuisse, dum eos & à Pontificatus & à Regni hereditate submouet; Sciebat enim quàm difficile quàm periculis obnoxium seu Præsulis, seu Regis, seu Magistratus officium.] Itaque filij Mosis fuére Gersem, & Eliezer ex Sephora filia Sethro Sacerdotis Madian: Eliezer autẽ fuit ille, quem incircumcisum parentes in Ægyptum deferebant, ideóque propè abfuit Moses à morte, quem illi Angelus intentauit. * Vnde moneantur parentes, haud differre filiorum Sacram ablutionem, ne diu originis labes in infante resideat, sed illicò Dominici sanguinis perfulgeat effectus.] Hi autem extitére filij Gersom: *Subuel, primus.* Cum dicitur primus, indicatur apertè, ex aliquorum sententia, etiam alios genuisse. Ast ego crediderim vocem *Primus* primogenitum significare, etiamque vnigenito conuenire. vt mox patebit in Rohobia. Hic Subuel Cap. 26. 24. Præpositus thesauri fuisse dicitur. *Fuerunt autem filij Eliezer: Rohobia primus*, id est, Rohobia fuit vnigenitus Elezeri filius, quia ei non fuere filij alij. At filij Rohobiæ nimium fuere multiplicati, vt patris familias acciperet ex nepotibus quod non habuit ex filiis. Verùm Isaar (qui fuit secundus filiorum Caath) suscepit Salomith vnigenitum. Hebron autem, qui tertius erat filiorum Caath, quatuor filios hoc ordine progenuit: Ierian, Amarias, Iahaziel, & Iecmaam. Oziel verò, qui quartus est inter filios Caath, duorum extitit genitor filiorum, Micha fuit primus, secundus Iesia. Profectò Merari filius Leui; qui vnam è præcipuis tribus familiis Leuitarum constituit Moholi, ac Musi genuit. Moholi suscepit Eleazar, & Cis. Obiit autem diem suum Eleazar filias non filios relinquens hæredes. At filij Cis *fratres* seu propinqui, id est, patrueles earum eas duxerunt vxores. Musi vero secundus Merari filius tres natos eduxit, Moholi, Eder, & Ierimoth.

2. Mosis filij inter Leuitas annumerantur, aliique Leui filij recensentur.

Difficile ac periculosum Præsulatus, aut Magistratus officium.

Non differendus diu filiorum Baptismus.

moth. Itaque omnes toto hoc capite recensiti sunt Leui posteri in cognationibus ac familiis, Principes per *vices* seu sortes, & numerum capitum singulorum, qui quidem gerebant opera ministerij domus Domini à viginti annis & deinceps. Prius Leuitæ à trigesimo anno sua incipiebant ministeria obire, quia frequenter grauia onera erant circunferenda, verbi gratia, in deserto; ideò robusta ætate viri, qui labori pares essent, eligebantur. Iam verò fixis Tabernaculo sedibus Ierosolymis imminutus erat labor, quare citiùs Leuitæ ministrare incipiebant. * Nec enim vnquam Deus hominibus supra vires onera imponit. Recole, quæso, cuncta Dei Ecclesiæque præcepta, & hominum recognosce vires, videris planè aut legis obseruationem gerere non teneri, aut vires non esse oneri impares.]

Deus non imponit hominibus supra vires onera.

3. Demùm Leuitarum officia à Dauide constituuntur, extremo vitæ suæ tempore.

[*Vers.* 25.26.27.28.29.30.31.32.] *Dixit enim Dauid*, id est, hoc secum meditatus est, Hispanè dixerit, *Hizòse esta cuenta*: Requie Dominus Israelem donauit siue stabili sede; apud Ierosolymam enim æternùm Dei populus habitabit. Vnde necessum non erit, vt Tabernaculum, & cuncta vasa, quæ necessaria sunt ad sacrificia à Leuitis deportentur. *Iuxta præcepta quoq; Dauid nouissima*, id est, vt diuino instinctu statuit Dauid extremo ætatis seu vitæ suæ tempore instante. Deinceps à vigesimo anno & supra Leuitæ computabuntur inter Templi ministros. Et ederunt (decretum est Dauidis) *sub manu*, seu potestate filiorum Aaron, id est, summorum Sacerdotum, qui ab Aarone genus ducunt, *in cultum Domus Domini* hoc est; Cantorum, Ianitorum, Iudicum &c. ministeria exercendo in *vestibus & in exedriis*, siue ad portas, & cubicula in quibus sacra supellex asseruatur: *& in loco purificationis*, vbi scilicet Sacerdotes lauantur, victimæ diluuntur) *& in sanctuario*. Certè Leuitæ ministrare in sanctuario dicuntur, cum in loco magis sacro, quam sunt portæ, aut atria munera sua exercent, vt cum Cantores tempore Sacrificij in Sacerdotum atrio canebant, vbi holocausti altare aderat & demùm in cunctis Domus Domini ministeriis: Sacerdotum autem munus erit ex accepta à filiis Israël simila panes propositionis efformare, similæ Sacrificium perficere *Leu.* 2. 1. lagana azima sartagine torrere oleo scilicet immisso, quod in spicarum primitiis fiebat *Leu.* 2. 14. & omne pondus ac mensuram Templi exerere *Exo.* 30. 13. Hæc itaque ministeria excipiuntur, ne quis existimaret Leuitas ea exercuisse. Iam denique ad Leuitarum munia redit, *Leuitæ vero* mane ac vespere adstent *ad confitendum & canendum Domino*, hoc est, ad laudandum Deum; hoc enim in Sacris significat confiteri. Cantus itaque mane ac vespere Sacrificiorum tempore adhibebatur: idque fiebat tam in holocaustorum Domini oblatione, quàm in Sabbathis & Calendis, (qui dies festi erant Hebræis) & reliquis solemnitatibus *iuxta numerum* canticorum, quæ canenda præscribebantur, & vnius cuiusque munij iugiter in conspectu Domini gerendi, ceremonias. *Et custodient obseruationes Tabernaculi fœderis* &c. sententia totius clausulæ est: Leuitæ sacros ritus ad vnguem obseruent, tam in Templi custodia & atriorum, quàm in proferendi diuinas laudes tempore ac modo: & iussa fratrum suorum summorum Sacerdotum exequatur, *vt ministrent in Domo* Domini, id est, vt prompti sint ad ministrandum in iis, quæ opus fuerint in Templo Domini. Obserua particulam, *Et obseruationem filiorum Aaron fratrum suorum.* Fratres Leuitarum vocantur Sacerdotes, quia & Leuitæ erant ex Tribu Leui. * Moneantur hinc Præsules minimè expresso munere superbire despiciéque inferioris ordinis Clericos: omnes enim sunt fratres filij Leui, hoc est, ex summo Sacerdote Iesu spiritualiter progeniti:] Porrò illud *super omne pondus atque mensuram* Sacerdotes præponantur, expendendum; nam Hebrææ voces *Midah.* & *Mesurah* mensuram significant. Kimhi asserit hoc modo distinqui: Prior Vox mensuram magnam, posterior paruâ significat. Alij putant priori voce significari mensuram longitudinis, posteriori molis, siue liquores sint, siue arida, Sacerdotes itaque mensuræ erant Præfecti, ne qua fraus, iis vitiatis, contingeret. Siue quia pondera & mensuræ in Templo seruabantur, ne à populo fraude vitiarentur. * Tanti ponderis est, fideli in populo ponderis ac mensuræ non lædi rectitudinem. Profectò ad ponderum ac mensurarum læsionem tanta est pronitas mercatorum, vt necessarium esset apud Templa rectas mensuræ ponderis normas asseruari.]

Præsules Ecclesiæ non despiciant inferioris Ordinis Clericos: omnes enim sunt fratres.

Pronitas mercatorum ad vitianda pondera ac mensuras.

CAPVT XXIV.

Classes seu vices viginti quatuor Sacerdotum, totidémque reliquorum Leuitarum, qui Sacerdotibus in sacrificiorum ministerio assisterent, recensentur.

1. PORRO filiis Aaron hæ partitiones erant: Filij Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 2. Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante patrem suum absque liberis: Sacerdotióque functus est Eleazar, & Ithamar. 3. Et diuisit eos Dauid, id est, Sadoc de filiis Eleazari, & Ahimelech de filiis Ithamar secundùm vices suas & ministerium. 4. Inuentique sunt multò plures filij Eleazar in principibus viris, quàm filij Ithamar. Diuisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim:

& filiis Ithamar per familias & domos suas octo. 5. Porrò diuisit vtrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarij, & Principes Dei, tam de filiis Eleazar, quàm de filiis Ithamar. 6. Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Leuites, coram rege & principibus, & Sadoe sacerdote & Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium & Leuiticarum: vnam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum, quæ sub se habebat cæteros, Ithamar. 7. Exiuit autem sors prima Ioiarib, secunda Iedei, 8. tertia Harim, quarta Seorim, 9. quinta Melchia, sexta Maiman, 10. septima Accos, octaua Abia; 11. nona Iesua, decima Sechenia, 12. vndecima Eliasib, duodecima Iacim, 13. tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab, 14. decimaquinta Belga, decimasexta Emmer, 15. decimaseptima Hezir, decimaoctaua Aphses, 16. decimanona Phetaia, vigesima Hezechiel. 17. vigesimaprima Iachin, vigesimasecunda Gamul, 18. vigesimatertia Dalaiau, vigesimaquarta Maaziau. 19. Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, vt ingrediantur domum Domini, & iuxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israel. 20. Porrò filiorum Leui, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, & de filiis Subael, Iehedeia. 21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Iesias. 22. Isaari verò filius Salemoth, filiúsque Salemoth Iahath: 23. filiúsque eius Ierian primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaan quartus. 24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir. 25. Frater Micha, Iesia: filiúsque Iesiæ, Zacharias. 26. Filij Merari: Moholi & Musi. Filius Oziau, Benno. 27. Filius quoque Merari: Oziau & Soam & Zachur & Hebri. 28. Porrò Moholi filius Eleazar, qui non habebat liberos. 29. Filius verò Gis, Ieramel. 30. Filij Musi: Moholi, Eder, & Ierumoth. isti filij Ledi secundùm domos familiarum suarum. 31. Miserúntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram Dauid rege, & Sadoc, & Ahimelech, & principibus familiarum, Sacerdotalium & Leuiticarum, tam maiores, quàm minores. omnes sors æqualiter diuidebat.

COMMENTARII.

1. Filiorum Eleazari, & Ithamar facta à Dauide diuisio.

VERS. 1.2.3.4.5.6.] Enimverò filiis Aaron hæ *partitiones* seu classes erant. Quatuor extitére Aaronis filij, scilicet Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Quorum Nadab & Abiu antè patrem sine liberis diem suum obierunt igne cœlesti absúmpti, eo quod igne profano ad Sacra vterentur num. 34. ideo Eleazar, & Ithamar Sacerdotio functi fuere, *id est*, fuerunt Sacerdotes viuente patre, Eleazar verò etiam summus Sacerdos, successórque patris Aaronis. *Et diuisit Dauid*, duorum fratrum Eleazar & Ithamar filios, id est, cum Leuitarum iniret numerum, seorsim filij Eleazar, & seorsim filij Ithamar fuerunt annumerati. Porrò hæc diuisio in classes viginti quatuor facta quidem fuit à Dauide Sadoch ac Ahimelech ministerio. Sadoc enim de filiis Eleazari, & Ahimelech de filiis Ithamar classes constituit, *secundùm vices suas & ministerium*, vt scilicet per hebdomadas singulæ familiæ Sacerdotum ministrarent, quod etiam Leuitæ asserebant. Duo summi Sacerdotes seu Principes Sacerdotum fuére Dauidis tempore Sadoc de posteris Eleazar, & Abiathar de posteris Ithamar. Quis ergò hic Ahimelech? Quidam putant esse filium Abiathari, cui concedente patre is honor sit delatus. Alij credunt, esse ipsum Abiathar, qui vocaretur etiam Ahimelech. Facta ergò annumeratione inuenti sunt multo plures familiarum Principes ex filiis Eleazar, quàm ex Ithamar filiis. Idcircò Eleazari filij in familias sexdecim, filij verò Ithamaris in octo tantum fuére tributi. Porrò hæc diuisio sortibus facta fuit; tam enim filij seu posteri Eleazari, quàm Ithamaris, inter quos diuisio gerenda fuerat, erant *Principes sanctuarij* seu Sacerdotes ministrantes in loco sancto, & *Principes Dei*, seu Principes magni, qui nimirum magni, qui nimirum magnarum opulentarúmque familiarum capita erant. Ne igitur æmularis, contentio, aut rixa oriretur, res tota sortibus est commissa. Verum Semeias Leuites filius Nathanaël Scriba eos descripsit coram Rege Dauide, Sadoc Sacerdote Summo, Ahimelech filio Abiatharis, & coram familiarum Sacerdotalium ac Leuiticarum Principibus. Certè hæc particula, Et coram *Abimelech filio Abiathar* apertè infirmat sententiam illorum, qui putarunt fuisse ipsum Abiatharum vno & altero nomine insignitum. Vnde crediderim, filium esse Abiathari eius, qui cæso patre ac fratribus à Saule, fugit ad Dauid. Descripsit itaque semeias vnam & alteram domum, nempe Domum Eleazari, quæ cæteris præerat familiis ex ipsa obortis: & domum Ithamaris, quæ sub se habebat cæteras à se familias procedentes. Vel faciliùs dixerim, Sacerdotes in duas domos fuisse ad descriptionem diuisos, in Eleazari domum, quæ præcipua erat capitum multitudine: & in domum Ithamaris.

2. Vna & altera Sacerdotum domus nempe Eleazari, & Ithamaris in viquinquaginta diuiduntur classes.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.] Mox semeias scriba ex præscriptione Dauidis per vices, seu classes distribuit Sacerdotes, vt scirent, quo tempore quisque ministrare deberet. Exiuit igitur sors prima *Ioiarib*, secunda *Iedei*, tertia *Harim*, quarta *Seorim*. Contigit quinta *Melchia*, sexta, *Maiman*, septima *Accos*, octaua Abia, è qua vice, seu sorte erat Zacharias Ioannis pater. *Luc.* 1. 5. *Sacerdos de vice Abia.*

Num

Num autem Abia esset ex Eleazari posteris, an ex Ithamaris, haud satis colligere potui. Euenit sors nona *Iesua*, decima *Sechenia*, vndecima *Eliasib*, duodecima *Iacim*. Accidit decima tertia *Hoppha*, decimaquarta *Isaab*, quinta decima *Belga*, decima sexta *Emmer*. Prodiit quidem decima septima *Hezir*, decima octaua *Aphses*, decima nona *Phetaia*, vigesima *Hezechiel*. Obuenit denique sors vigesima prima *Iachin*, vigesima secunda *Gamul*, vigesima tertia *Dalaian*, ac vigesima quarta *Maazian*. *Hæ vices* Hebr. *hæ supputationes* eorum secundùm ministeria, quibus singulæ classes addicebantur, vt in Templo Domini ministrarent iuxta ritus sacros, *sub manu* quidem *Aaronis*, siue sub obedientia summi Sacerdotis, qui Aaroni successerat, cui parere debebant inferiores Sacerdotes, ac Leuitæ. Cur autem dixit, sub manu aut obedientia *Aaronis*, & non apertiùs, sub obedientia *summi* Præsulis? * Vt edoceamur, in omnibus successoribus primi Sacerdotis ipsum nos contemplari debere: summus Romanus Antistes, qui à Christo potestatem accepit, non alius à Christo est putandus, Christus procul dubio est.] * Haud aliter quoliber in Præsule tenemur Christum aspectare, cuius exerit ille vices.] Certè particula illa, *sub manu Aaron* Hebr. est, *In manu* seu *in loco Aaron*, seu *vice* eius. Sæpe manus in sacris pro loco sumitur. * Illa autem particula, *Hæ vices eorum secundùm ministeria* est in Hebræo, *Hæ Præfecturæ eorum ad ministrandum*. Annon Præfectura constituitur ad imperandum? Quid ergò Præfecturæ cum ministratione? Multum planè, Præfectura enim imperandi specie, seruire quidem est: tot Rector dominos habet, quot subditis imperat.] Addit textus *sub* manu Aaron *patris eorum*, ex quo scilicet omnes Sacerdotes trahebant genus, & quem omnes Leuitæ vt patrem venerabantur, obsequium & obedientiam illi præstantes. * Hinc ediscimus, Parentes nostros Religionis Fundatores iam diù vita functos quasi præsentes admodum venerari.) Sorte itaque viginti quatuor classes sacerdotum constituuntur ad ministerium Templi, quemadmodum Dominus Deus Israëli præceperat.

Summo in Præsule Christi debemus aspicere.

Quilibet Præsul nobis sit Christus.

Officium Præsulatus sortitus est: tot dominis ministras, quot imperas subditis.

Religionis Fundatores tanquam præsentes admodum veneremur.

3. Aliæ viginti quatuor Leuitarũ classes constituuntur.

Vers. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.] Profectò præter Sacedotes, de quibus hactenùs actum est hoc capite, aliæ Leuitarum viginti quatuor classes sorte constituuntur ad Templi ministerium sub Sacerdotum dispositione. Igitur de filiis Amran, qui pater extitit Aaronis ac Molis, sors accidit *Subaëli* pro nepoti Amran, erat enim filius Gerson filij Aaron. Capite superiori vers. 16. mentio fit huius Subuël, quia erat Thesauri Præpositus, vt habes infrà cap. 26. 24. * Et quando de Thesauri præpositis (apud nostrates *De los Thesoreros*) crebra mentio non agitur. Apud omnes in memoria, in veneratione saltem externa sunt, quia omnes speciatim diuites eorum indigent ministerio. Secunda sors accidit *Iehedeia* de filiis Subaël. Tertia Principi *Iesiæ* de filiis Rohobiæ. Hic non dicitur, cuius filius fuerit Rohobias; sed constat ex superiori capite vers. 17. fuisse filium Lizer. Porrò Rohobias alios etiam filios habuit vt patet ex capitato; sed fit mentio tãtùm Iesiæ, quia Princeps erat.* Quàm antiquũ, de Primoribus geri mentionem, inferiores silẽtio præteriri adulationis quidem studio. Quarta sors contigit *Isaaro* filio Selemoth, qui superiori capite Salomith vocitatur. Quinta verò *Iaath* eiusdem Selemothi filio. Sexta sorte assignatur *Ierimau* primus Iaath filius. Septima *Amarias* filius secundus. Octaua *Iahaziel* filius tertius. Nona *Iecman* filius quartus eiusdem Iaath. Verùm decima sors euenit *Michæ* filio Oziel, qui fuit quartus filius caath. Vndecima *Samir* Michæ huius filio. Duodecima Iesiæ Michæ patri. Tertiadecima Zachariæ Iesiæ filio. Profectò hactenus recensiti pertinent ad familiam Caath.: iam verò fit transitus ad Merari familiam verò Gesoni tacitus sacer præterit textus. Ex posteris itaque Merari decimaquarta sors adhæsit *Moholi*. Decimaquinta *Musi*, Decimasexta *Benno*, Alter verò *Oziau*, qui etiam ex Merari trahebat originem. (Sic locum difficilem admodum reor intelligendum,) Decimasexta sorte educitur *Soma*. Decima septima *Zachuri*. Decima octaua *Hebri*. Decima noua *Moholi* filius Eleazari, qui quidem Moholi liberos non suscepit. Vigesimam classem sorte iniit *Ierameel*, filius Cis primam vigesimam. Denique tres filij Musi *Moholi* (qui patrui sui nomine fuit insignitus) *Eder*, & *Ierimoth* vigesima secunda, vigesima tertia, ac vigesima quarta sorte fuere designati. Hi sunt Leuitæ addicti per classes Templi ministerio iuxta familiarum suarum domos. Miserunt itaque ipsi sortes *contra fratres suos*, propinquos ac cognatos filios Aaron; *contra* inquam id est, ex altera parte in conspectu Dauidis Regis, Sadoci, Ahimelechi, ac Sacerdotalium Leuiticarúmque familiarum Principum. Porrò tàm *maiores* quàm *minores*, id est, tam Sacerdotes quàm Leuitas sors æqualiter, quoad Templi ministeria diuidebat; *Sors* inquam, siue quoad ministeria, quæ illis sorte obueniebant. * Nihil in communitate Leuitica, seu Religiosa molestius, ac noxius, quàm sorte inæquali inter fratres diuidi ministeria, dum *maiores* ab oneribus eximuntur, & *minores* solummodò difficilibus oneribus humeros cogũntur submittere. Sors maiores & minores æqualiter diuidat, ne minores sub onere gemant, dum maiores exempti à pondere otiantur.]

Thesauri Regij Præpositi à

cunctis æstimantur ob propria commoda.

Primores memorantur, inferiores silentio obtolluntur.

Molestum est in communitate, maiores eximi ab oneribus, dum minores subpondere gemant.

CAPVT XXV.

Viginti quatuor Classes Cantorum, Psaltarum, & Citarædorum ex Leuitis constituuntur.

1. IGITVR Dauid & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaeh, & Hemam, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum dedicato sibi officio seruientes. 2. De filiis Asaph: Zacchur, & Ioseph, & Natania, & Aserela, filij Asaph: sub manu Asaph prophetantis iuxta regem. 3. Porrò Idithun, Godolias, Sori, Ieseias, & Hasabias, & Mathathias, sex: sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum. 4. Heman quoque: filij Heman, Bocciau, Methaniau, Oziel, & Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romenthiezer, & Iesbacassa, Mellothi, Othir, Nahaziorth. 5. Omnes isti filij Heman Videntis regis in sermonibus Dei, vt exaltaret cornu: dedítq; Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres. 6. Vniuersi sub manu patris sui ad cantandum in templo Dñi distributi erant, in cymbalis, & psalteriis, & citharis in ministeria domus Domini iuxta regem: Asaph videlicet, & Idithun, & Heman. 7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebãt canticum Domini; cuncti Doctores, ducenti octoginta octo. 8. Miserúntque sortes per vices suas, ex æquo tam maior quàm minor, doctus pariter, & indoctus. 9. Egressáque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis eius, & fratribus eius duodecim. 10. Tertia Zachur, filiis & fratribus eius duodecim. 11. Quarta Isari, filiis & fratribus eius duodecim. 12. Quinta Nathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 13. Sexta Bocciau, filiis & fratribus eius duodecim. 14. Septima Isarela, filiis & fratribus eius duodecim. 15. Octaua Iesaiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 16. Nona Mathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 17. Decima Semeiæ, & fratribus eius duodecim. 18. Vndecima Azareel, filiis & fratribus eius duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 20. Tertiadecima Subael, filiis & fratribus eius duodecim. 21. Quartadecima Mathathiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 22. Quintadecima Ierimoth, filiis & fratribus eius duodecim. 23. Sextadecima Hananiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 24. Septimadecima Iesbacassæ, filiis & fratribus eius duodecim. 25. Octauadecima Hanani, filiis & fratribus eius duodecim. 26. Nonadecima Mellothi, filiis & fratribus eius duodecim. 27. Vigesima Othir, filiis & fratribus eius duodecim. 29. Vigesima secunda Geddelthi, filiis & fratribus eius duodecim. 30. Vigesimatertia Mahaziotli, filiis & fratribus eius duodecim. 31. Vigesimaquarta Romenthiezer, filiis & fratribus eius duodecim.

COMMENTARII.

1. De filiis Asaph, Idithũ, & Heman constituuntur Psaltes.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.] Dauid igitur & *Magistratus* exercitus, id est, Principes tam politici quàm Ecclesiastici ex Leuitis segregauerunt ex filiis Asaph, Idithun, & Heman, ad ministerium canendi & modulandi in Templo, (hoc enim hîc significat *prophetare in citharis & psalteriis & cymbalis*) Secundum *numerum* suum, id est, tanto numero, quanto ad id munus destinati fuerunt, & eo ordine quo sunt destinati. Psalterium quidem reor fuisse lytam septem, octo, vel decem chordarum, quæ plectro pulsabatur. De filiis Asaph electi fuére *Zachur, Ioseph, Nathania, & Asarela, sub manu Asaph prophetantis iuxtà Regem*, id est, sub magisterio patris eorum Asaph laudes diuinas decantari curauit iuxta Regis præscriptum: Sic aliqui interpretantur. Crediderim, indicari, hos psaltes non in Gabaon (vbi alij erant constituti) sed in arce Sion functos fuisse Cantorum officio, vbi Rex suam sedem habebat: vel in separato Templi loco, vbi Rex adorare & laudibus diuinis vacare solebat; nam in ampliſſimo loco Templi, vt plura atria, ita etiam plura erant loca, in quibus laudes Deo decantabantur: Mundi enim habebant sua loca separata ab immundis: Rex à plebe. * Nostris quidem in Templis mundi ab immundis loco non separantur, sed habitu: hi enim immodesto vultu, prophanitate indumenti se immundos esse exponunt; illi verò vultus vestimentorúmque modestia animi ostendunt puritatem. Igitur mundis curandum, si non corpore, animo ab immundis in Templo sacerrimo separati.]

Christicolarum in Templis immundis à mundis non loco sed habitu separandis.

parari.] Ex filiis autem Edithun *sex* designantur, *Godolias, Sori, Iesaias, Asabias, & Mathatias.* Vbinam sextus psaltes ex filiis Idithun, si quinque solùm annumerantur? Certè particulam illam, *Porrò Idithun filij: Idithun Gadolias* &c. sic distinxerim. *Porrò Idithun filij: Idithun, Godolias*, &c. vt primus filius sit patri cognominis (vti sæpè apud nostrates) Alioqui senarius numerus filiorum, qui ponitur illo verbo *sex*, non constaret, Sex hi Cantores patris Idithun magisterio submittebantur, qui quidem *prophetabat in cithara*, seu modulabatur *super confitentes, & laudantes Dominum.* Hebr. *Ad confitendum, & laudandum Dominum.* LXX. *Qui prophetabat confessionem, & laudem Domino.* * Quàm vera prophetia, Confessio, & laus Domini! Nullam poteris ô fidelis augustiorem Deo laudem excogitare, quàm peccatorum Confessionem.] Ex filiis denique Heman assignati fuére quatuordecim, nempe *Boccian, Mathanian, Oziel, Subuel, Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddathi, Romemthiezer Iesbachasa, Mellothi, Othir, & Mahazioth*: omnes hi filij erant Heman *Videntis* Regis, id est, Cantoris, aut Musici Regij, seu Cantorum Præfecti. Profectò sicut Cantores appellantur Prophetæ, ita etiam Videntes dicuntur, quæ vox in Scriptura non semel Prophetas sæpè significat. Erat igitur Heman Videns Regis seu Cantorum Præfectus aut Magister *in sermonibus Dei*, siue in Psalmis, & prophetiis, quas canebat chorus, *vt exaltaret cornu*, id est, ad laudandum diuinam potentiam, (quæ cornu metaphorâ designatur in Scriptura) & diuinæ potentiæ, ac bonitatis opera. Dedítque Deus Hemano hosce filios quatuordecim, & tres filias, scilicet vti in præmium pij admodum ministerij. * Et quidem nullum hîc præmium parenti potest excogitari augustius, quàm filios sortiri sacris addictos ministeriis.] * Vt ediscant parentes, tunc ob virtutum exercitamenta eximio à Deo munere se donari, cum aliquis ex eius filiis, aut ex filiabus aliqua ad Monasterium assumitur, vt diuinas æternùm concinat laudes.] Vniuersi igitur tam filij ac filiæ Heman, quàm filij Asaph, & Idithun sub magisterio patrum suorum, qui erant omnium Cantorum Principes canebant in Templo Domini, & distributi erant, vt alij in cymbalis, alij in psalteriis, alij in citharis modularentur hoc sacro fungentes ministerio Templi Domini *iuxta Regem*, id est, ad Regis imperium, siue apud Ierosolymam, aut arcem Sion, vbi Rex aderat. Certè tam masculos, quàm fœminas in Templo Domini ceciniſſe asserit Abulensis hîc q. 14. * Monuerim interim sacri Chori Cantores suis muneris perpendere dignitatem. Canere in Templo idem fic ac prophetare, ergò, instar Prophetarum, debent modestiâ excellere ac grauitate, his vtentes actionibus, quæ Videntem seu Prophetam minimè dedecere videantur.] Ergò Asaph, Idithun, & Heman erant omnium Cantorum Principes, licet sub illis essent alij viginti quatuor Principes minores ex eorũ filiis, à quibus viginti quatuor Cantorum vices aut classes nomen habuerunt. Fuit autem numerus eorum filiorum scilicet Asaph, Idithun, & Heman, *cum fratribus suis*; id est, & aliorum è tribus hisce familiis filiorum Asaph, Idithun & Heman propinquis, *qui erudiebant canticum Domini*, seu qui eruditi erant canere, siue docti ad canendum, *Ducenti octoginta octo.* In Sacerdotum sortes solùm capita mittebantur, in Cantorum sortes ex singulis familiis, quæ ad æmulationem Sacerdotum viginti quatuor sortes fuerunt, & ex vnaquaque familia duodecim viri, qui omnes eum numerum conficiunt 288. * Loco illius particulæ, *Fuit numerus* eorum, qui erudiebant canticum Domini in Hebræo est, *Eruditi*, ideo Hieronymus addidit, *Cuncti Doctores.* Quid Doctoribus cùm canendi ministerio? Non sufficit cantus perfectioni materialis vocum expressio, dùm ignoratur hymni sensus, licet ad præcepti sufficiat impletionem: ergo qui doctus non fuerit linguæ, cuius canitur idiomate, haud perfectè poterit modulari.] * Hinc subtaxarim Præsules, qui idiotissimos quosque ad sacros ordines admittunt ea sola scientia, qua valeant diuinas materialissimè laudes voce exprimere sine sensus cognitione. Doctores erant, qui apud Templum illud nostri sacratioris Templi typum diuinas proferebant laudes: in nostro autem (heu) diuinis laudibus proferendis vacant qui vix possunt dici discipuli. * Monuerim etiam hinc sacrarum Religionum alumnos Doctores olim diuinis laudibus concinendis adesse Doctores dedignantur? Certè Doctoris officium deberet esse nouus hærendi choro titulus, non à choro essemptionis.]

Verſ. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.] Iam verò diuisis in viginti quatuor classes Cantoribus, sorte decretum est, quo ordine in Templo adesse, & canere deberent. Miserunt itaque sortes per vices seu classes suas *ex æquo tam maior quàm minor, doctus pariter & indoctus.* sensus est. In classibus ordinandis, super quas sortes missæ sunt, seruata est æqualitas, quantum fieri potuit; ita vt quælibet classis totidem haberet Cantores. Deinde res sorti commissa est, vt iuxta illam primum, secundum, tertium &c. locum hæ classes sortirentur; siue ex melioribus Cantoribus classis constaret aliqua; siue ex deterioribus; siue prærogatiuas aliquas haberet, ob quas aliis posset præferri, siue non. Hinc oritur difficultas. *Verſ.* 7. Dictum est, omnes illos, qui missi sunt in sortes, fuisse Doctores, seu doctos, & intelligentes Musicæ: quonammodò igitur hîc dicit *indoctos* etiam in sortes venisse? Certè in Hebræo pro *Doctus pariter, & indoctus* est, *intelligens cum Discipulo*, Hieronymus vero discipulum vocitauit *indoctum.* Venerunt ergo in sortem tam Magistri Musicæ, quàm reliqui Cantores qui submittebantur eorum directioni, quemadmodum discipulus Magistro submitti assolet, & choris in nostris cuncti periti cantores chori Magistri numeros imitantur. * Non dedecet doctos seu indocti doctiorum dogmata æmulari, & velut indocti eorum doctrinæ studere.] Sors itaque prima exiit Ioseph, qui fuit filius Asaph. Porrò in hac prima sorte suppleri ex aliis debet duodenarius virorum numerus, alioqui summa ducentorum octoginta octo posita *verſ.* 7. non cõstaret. Secunda sors accidit Godoliæ & duodecim filiis, seu propinquis eius. Tertia Zachur & duodecim filiis seu propinquis eius. Quarta Izari & filiis ac propinquis eius totidem. Euenit quinta, sexta, septima, octoua, ac nona Nathaniæ,

Augustissima Deo laus est peccatorum Confessio.

Cantores omnino idiotæ nõ deberent sacrum ad chorum admitti: minùs quidè sacros ad Ordines.

Te Doctorem esse, deberet esse nouus chorũ harendi titulus, non à choro essemptionis.

Parentis virtutis præmiũ est, filios habere sacro ministerio addictos.

Magno à Deo munere donaris, cuius filius ad Religionem assumitur.

Cantores eis vtantur moribus, quæ decebant Prophetas.

Qui canendi diuinas laudes muneri incumbunt deberent esse Doctores.

2f.

In viginti quatuor classes distribuuntur Cantores, & decernitur, quo ordine in Templo cantare deberent.

Non dedecet doctos uti discipuli doctioribus submitti.

thaniæ, Bocciau, Iſraëla, Ieſaiæ, Marthaniæque, ſingulorúmque filiorum, ac propinquorum integro duodenario. Contigit decima, vndecima, duodecima, decimatertia, decimaquarta, & decimaquinta ſors Iemeiæ, Azareel, Haſabiæ Subaël, Marthathiæ, ac Ierimoth, duodecimque ex eadem familia fratribus ſeu propinquis. Porrò ſextadecima, ſeptimadecima, octauadecima, nonadecima, vigeſimaprima, vigeſimaſecúda, tertia, ac quarta ſorte aſſignati fuere totidem viri Hanaias, Iesbacaſſa, Hanani, Mellothi, Eliatha, Othir, Geddelthi, Mahazioth, ac Romemthiezer, & ſingulis his nouem viris ſinguli duodenarij filiorum, ſeu propinquorum numerus ſortè adhæſit eadem. Monuerim, in his viginti quatuor Cantorum ſortibus, non explicari de omnibus, quinam filij Aſaph eſſent, quinam, Iduthun, quinam Heman. De omnibus, inquam, quia de quibuſdam ſatis intelligitur ex iis, quæ de horum trium filiis ſuperiùs dicta ſunt, vt de Ioſeph, Iesbacaſſa, Mellothi. Certum planè eſt, omnia capita ſortium eſſe trium illorum virorum filios, quibus viginti quatuor filios attribuit, quot fuere ſortes: licet in pleriſque nomina mutata eſſe videantur, hic in ſortibus, & vbi initio capitis nomina filiorum, quos Aſaph, Idithun & Heman habuere, ponuntur.

CAPVT XXVI.

Ex Leuitis etiam Ianitorum Templi variæ claſſes conſtituuntur. Cuſtodum theſaurorum tùm Templi, tùm Regis variæ item claſſes deſignantur.

1. DIVISIONES autem ianitorum: de Coritis Meſelemia, filius Core, de filiis Aſaph. 2. Filij Meſeleміæ: Zacharias primogenitus, Iadihel ſecundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus, 3. Ælam quintus, Iohanan ſextus, Elioënai ſeptimus. 4. Filij autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad ſecundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanaël quintus. 5. Ammiel ſextus, Iſſacher ſeptimus, Phollathi octauus; quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio eius nati ſunt filij, præfecti familiarum ſuarum: erant enim viri fortiſſimi. 7. Filij ergo Semeiæ: Othni, & Raphael, & Obed, Elzabad, fratres eius viri fortiſſimi: Eliu quoque, & Samachias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipſi, & filij, & fratres eorum fortiſſimi ad miniſtrandum ſexaginta duo de Obededom. Porrò Meſelemiæ filij, & fratres eorum, robuſtiſſimi decem & octo. 10. De Hoſa autem, id eſt, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcircò poſuerat eum pater eius in principem) 11. Helcias ſecundus, Tabellias tertius, Zacharias quartus. omnes hi filij, & fratres Hoſa, tredecim. 12. Hi diuiſi ſunt in ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorum, miniſtrarent in domo Domini. 13. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex quo, & paruis, & magnis, per familias ſuas, in vnamquamque portarum. 14. Cecidit ergo ſors Orientalis, Selemiæ. Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo, & erudito, ſortitò obtigit plaga Septemtrionalis. 15. Obededom verò & filiis eius ad Auſtrum: in qua parte domùs erat ſeniorum concilium. 16. Sephim & Hoſa ad Occidentem, iuxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam. 17. Ad Orientem verò Leuitæ ſex: & ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem ſimiliter in die quatuor & vbi erat conſilium, bini & bini. 18. In cellulis quoque ianitorum ad Occidentem quatuor in via; biníque per cellulas. 19. Hæ ſunt diuiſiones ianitorum, filiorum Core & Merari. 20. Porrò Achias erat ſuper theſauros domus Dei, & vaſa ſanctorum. 21. Filij Ledan, filij Gerſonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, & Gerſonni, Iehieli. 22. Filij Iehieli: Zathan, & Ioel fratres eius, ſuper theſauros domus Domini, 23. Amramitis, & Iſaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis. 24. Subael autem filius Gerſon, filij Moyſi, præpoſitus theſauris. 25. Fratres quoque eius Eliezer, cuius filius Rahabia, & huius filius Iſaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius, Zechri, & huius filius Salemith. 26. Ipſe Selemith, & fratres eius, ſuper theſauros ſanctorum, quæ ſanctificauit Dauid rex, & principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & duces exercitus, 27. de bellis, & manubiis, prælíorum, quæ conſecrauerant ad inſtaurationem, & ſupellectilem templi Domini. 28. Hæc autem vniuerſa ſanctificauit Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Saruiæ: omnes qui ſanctificauerant ea

per

per manum Selemith, & fratrum eius. 29. Isaaritis verò præerat Chonenias, & filij eius, ad opera forinsecùs super Israël, ad docēdum & iudicandum eos. 30. Porrò de Hebronitis Hasabias, & fratres eius viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israëlitrans Iordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Ieria, secundùm familias & cognationes eorum. Quadragesimo anno regni Dauid recensiti sunt, & inuenti sunt viri fortissimi in Iazer Galaad, 32. fratrésque eius robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos Dauid rex Rubenitis, & Cadditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.

COMMENTARII.

1. De stirpe Core, ac Merari Ianitores Templi constituuntur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.] Verùm diuisiones seu classes Ianitorum Templi è Leuitis etiam constituuntur. At tantùm fuerunt è stirpe Core & Merari: Core autem cuius hîc mentio, fuit filius Aaronis, vnde colligo filios Core fuisse Cathitas, Aaron enim ac Moyses à Caath filio Leui genus trahebant. Primùm ergo exprimuntur Ianitores è filiis Core. *De Coritis Meselamia filius Core, de filiis Asaph.* Non est sententia, Core fuisse de filiis Asaph: sed Meselemiam fuisse de filiis Asaph, qui erat de filiis seu posteris Core. Meselemias itaque de filiis Asaph filij Core septem habuit filios qui Ianitorum Templi muneri seruierunt *Zachariam* scilicet primogenitum, secundum *Iadihel*, tertium *Zabadiam*, quartum *Iathanaël*, quintum *Ælam*, sextum *Iohanan*, septimúmque *Elioënai*. Obededom verò de Core etiam stirpe progenitus octo filios sacro eidem muneri dedicauit: nempè *Semeiam* primogenitum, *Iozabad* secundum, *Ioaha* tertium, *Sachar* quartum, *Nathanael* quintum, *Ammiel* sextum *Issachar* septimum, & *Phollathi* octauum: quia benedixit Dominus Obededom multitudine ac robore prolis in compensationem Arcæ tam religiosè exceptæ, ac domi custoditæ. 2. *Reg.* 6. 12. Superat enim hic numero prolium omnes alios Leuitas Ianitores hoc capite recensitos. * Mirum fuisset, si non vel hîc à Deo proseperaretur, qui honorandæ Arce speciale studium exhibuit: vt hinc edisces, vel in hoc sæculo prosperari vberiùs, qui sacratiori Arcæ nempe Deiparæ excipiendæ ac corde custodiendæ impendit affectum.] * Multos vidi coniuges de prolis conqueri sterilitate, qui quidem monendi, vt Arcam Marianam in domum adducant, hoc est, speciale aliquod Deiparæ obsequium expediant: nam si id eorum saluti expedierit in compensationem prolium multitudine procul dubio donabuntur.] Profectò non solum Obededom prolis honoratus est multitudine, sed & filius eius primogenitus Semeias multos filios suscepit familiarum suarum Principes, id est fortium Ianitorum: *erant enim viri fortissimi*, ideóque apti, vt Ianitorum officio fungerentur ad Templi custodiam destinati. * Certè Præsules verè Templi Dominici, seu Ecclesiæ custodes debent pollere fortitudine, si quando oportuerit Principes, aut procetes ab Ecclesiæ ingressu repellere, de quo fortissimus Ianitor Ambrosius egregium planè reliquit exemplum.] Fuére ergo hi filij Semeiæ; *Othni* primogenitus & *Raphaël*, *Obed*, *Elzabad* fratres *Othni* viri planè fortissimi; *Elin* quoque, & *Samachias* filij Semei aptitudine ad custodiendum Templum excelluerunt. De posteritate igitur Obededom tam de filiis quàm de nepotibus sexaginta duo viri fortes admodum ad ministerium custodiendi Delubri fuére designati. Verùm de filiis Meselemiæ & ex propinquis eorum decem & octo robustissimi custodiæ Templi fuere Ianitores addicti. Denique de Hosa, qui erat ex filiis seu posteris Merari Princeps fuit Semri constitutus à patre (non enim habuerat primogenitum superstitem, cum diuisiones hæ, seu classes Ianitorum constitutæ sunt, & idcircò pater eum constituit in Principem.) * Procul dubio Semri inter reliquos fratres dignior Principatu; nam si ex solo parentis peculiari affectu sine filij ipsius merito electus fuisset, imprudentiæ accusaretur Hosa; qui fratribus iustæ querelæ ansam exhibuisset.] *Helcias* ergo post Semri secundus annumeratur, Tabelias tertius, Zacharias quartus: & ex filiis hisce, aliisque fratribus aut contribulibus seu propinquis Hosæ *tredecim* Ianitores constituuntur.

Solùm ob meritum filius è fratre reliquis fratribus est præferendus.

2. Ianitores hi sorte variis portis addicuntur.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19.] Certè, hi, quorum nomina expressimus, aut numerum indicauimus, constituti ac diuisi sunt Ianitores, vt Principes *custodiarum*, seu Ianitorum ad custodiam Templi deputati per vices, vti alij eorum fratres ac cognati, in Templo Domini ministrarent. Missæ ergo sunt sortes *ex æquo* tam *paruis* quàm *magnis* per familias suas *in vnamquamque portarum*, id est, in classibus ordinandis seruata est æqualitas, ita vt quælibet classis totidem haberet Ianitores. Deinde res sorti permittitur, vt iuxta illam primum, secundum tertium &c. locum hæ classes sortirentur è *paruis* & *magnis*, id est, siue ex præcelsioribus, aut procerioribus Ianitoribus classis aliqua constaret, siue ex inferioribus. * Tam præcelsa enim est dignitas eorum qui Dei Templo seruiunt, vt omnis mundialis celsitudo aut nobilitas ostentetur æqualiter infima quemadmodum in conspectu Solis & magnæ facis & paruæ lucernæ fulgor pariter extinguitur.] Non autem intelligo, paruos & magnos in sortes veniisse, iàm enim dixit in datum Capitibus tantùm. Sed per *paruum* & *magnum* intelligo familias pauperum, ac diuitum. * Vt edisces, quanti apud Deum familiæ pauperum æstimentur; parui enim primo loco commemorantur: Nec enim dixit textus *Magnis & paruis*: sed *Paruis*, & magnis.] Cecidit igitur *sors Orientalis Selemiæ* vt scilicet atria ac portas ad Orientem expositas custodiret. Hæc porta præcipua erat, quippè in fronte Templi aut atrij. Hic Selemias Meselemiæ *Vers.* 2. vocitatur. * Qui quidem vir erat egregius, cui portæ Orientalis custodiam sors diuina commisit.

Vel in hoc sæculo prosperantur, qui Arcæ Marianæ honorandæ studium impendit. Coniuges Deiparæ præstantes obsequiū, prole donantur in compensationem.

Præsules sint fortissimi, si quando oportuerit è Templo Principes inobedientes repellere.

In conspectu Ecclesiastici ciuisuis officij & nobilitæ & ignobilium merita æqualiter videntur exigua, aut nulla.

Pauperes apud Deū pluris, quàm diuites æstimātur.

D. Iosepho porta Orien-

Typum

talis id est, Deiparæ custodis sorte diuina commissa fuit.

Typum enim gessit Diui Ioſephi, quem elegit Dominus, vt portam Orientalem Deiparam custodiret.] Verùm Zachariæ filio eius viro *prudentiſſimo & erudito* ſorte obtigit ſeptentrionalis plaga, id eſt, portæ ad ſeptentrionem adiacentis cuſtodia committitur. Pro particula *Prudentiſſimo, & erudito* Hebr. eſt, *Conſiliario in intellectu*, id eſt, ſapienti. Nullum ſit Eccleſiaſticum munus, ad quod imprudens, ac indoctus eligatur. * Amon Ianitoris illi officio Hoſtiarij noſtri officium reſpondet? Quis dubitet? O quanto Eccleſiæ incommodo & Præſulum fortaſſe piaculo ad minores Ordines Hoſtiarij, Acoliti &c. pueruli inepti penitus admittuntur, qui vix legere vulgariſſima norint!] Obededon vero ac filiis eius obtigit porta Auſtralis, *in quæ parte domus erat; ſeniorum concilium*, aula ſcilicet, in qua cogebatur concilium Seniorum, quod *Senedrin* appellabatur. Porrò Sephim & Hoſæ egreſſa eſt ſors ad Occidentem, *iuxta portam*, Hebr. *cum porta, quæ ducit.* Hebræus ſic, *cum porta Salecheth*, id eſt, *proiectionis*, quod per eam ſordes Templi prodirent. *Ad viam aſcenſionis.* Hebr. *in via aſcenſionis*, id eſt, ſuperiori & acclíui, ſcilicet in via ea porta erat. *Cuſtodia contra cuſtodiam*, id eſt, per vices erant cuſtodiæ. Verùm cuſtodiæ aliæ per vices erant, de quibus tamen hoc non dicitur. Credidérim ergo geminam cuſtodiam his verbis ſignificari his Leuitis demandatam, & portæ Templi Occidentalis, & præterea domus illius. Niſi dixeris, geminam demandatam fuiſſe portæ illius, per quam ſordes Templi prodirent, cuſtodiam, (*Cuſtodia contra cuſtodiam*) vt innuatur, magnam admodum neceſſariam eſſe cuſtodum aduertentiam, nè proiiciatur è domo Domini niſi id quod verè ſordeſcit: nec quod id generis eſt, vllo prætexta retineatur. Magni enim ponderis eſt, ad domus Dei conſeruationem, Sordes omninò proiicere.] * O quàm commendabilis illius Communitatis inſtitutio, quæ geminam Dei domus ſeu Religionis cuſtodiam commendat, præſcribens ſcilicet patere proiectionis portam, vt hi pellantur qui ſordeſcunt moribus, nec monitis corriguntur.] Ad Orientalem ergo portam Leuitæ ſex conſtituuntur, quia ea erat præcipua ianua: quatuor nempè per diem, id eſt per ſingulos dies quatuor ex his ſex cuſtodiebant portam, totidem Aquilonarem & Auſtralem, duo domum Concilij. Id ſignificant ea verba, *Vbi erat Concilium bini & bini.* Sic aliqui exponunt. Aſt ego. Ad Orientem Leuitæ ſex: id eſt, ad portam Orientalem, quæ præcipua erat, plures conſtituuntur Leuitæ cuſtodes: ad portas vero minus præcipuas, quæ ad latera erant Templi, quatuor tantùm; quia circà illas minor erat populi frequentia. *Quatuor per diem*, id eſt, quatuor diebus ſingulis. *In cellulis autem Ianitorum.* Vatablus vertit, *Ad cellulas inſtrumentorum*, in quibus cellulis inſtrumenta Templi ſeruabantur, quorum vſus erat in Sacrificiis, quæ quidem cellulæ aderant iuxtà Occidentalem portam conſtituti fuére quatuor cuſtodes *in via* aſcenſionis, cuius mentio facta eſt *Verſ.* 16. *bini* quidem *per cellulas.* Vnde videtur colligi duas eſſe cellulas huiuſmodi inſtrumentorum, & vni & alteri, ex quatuor illis cuſtodibus binos eſſe appoſitos.) Siue aptiùs dixeris, ſex ianitores conſtitutos hiſce aſſeruandis cellulis, vt quatuor in via adeſſent, qua ad cellulas aſcendebatur; & duo ipſis hæreſcerent cellulis. Hæ itaque ſunt diuiſiones, ac ſortes Ianitorum ex filiis ſeu poſteris Core, ac Merari. Numera Ianitores, duos & viginti inuenies. Tot initio Capitis numerantur filij Core, & filij ac nepotes Obededon, inter quos miſſæ hæ Ianitorum ſortes.

Verſ. 20.21.22.23.24.25.26.27.28.] Verùm *Achias* erat Præpoſitus, & cuſtos præcipuus omnium theſaurorum Templi. Theſauri autem nomine ſignificatur aurum & argentum ſiuè factum, ſiue infectum, vaſa, veſtes, & vniuerſa ſupellex pretioſa. Cuſtodiebat ſimul *vaſa Sanctorum*, id eſt, vaſa Sanctificata in vſum Templi, ac Sacrificiorum. *Filij Ledan, filij Gerſoni*, id eſt, Gerſonitæ (nam Ledan erat filius, id eſt, ex familia Gerſon) cuſtodiendis Sacris theſauris fuere deputati. Iehieli fuit primus Princeps è filiis Ledan, deinde filij Iehielis Zéthàn, & Ioel *frater eius*, (non *fratres* vt plerique codices Latini habent ex LXX. ſed cum Hebræa lectione *frater*, vti vulgata Regia ſcripſit.) Theſauris domus Domini cuſtodiendis addicuntur. *Amramitis, Iſaaritis, Hebronitis, & Ozihelitis* idem commiſſum fuit munus; hi enim qui ſequuntur Amram, Iſaaris, Hebronis, & Oziheli poſteri erant. *Subael autem filius Gerſon filij Moyſi* theſauris erat præpoſitus. Fieri non poteſt, vt Subael fuerit immediatus Gerſonis filius, & poſt tot annorum centurias tempore Dauidis vixerit. Vnde ſenſus eſt, Subael fuiſſe præfectum theſauri in aliquo ex filiis, & ex progenie ſua: vel aliquas generationes commiſſas fuiſſe inter Gerſon & Subael. Faciliùs dixeris, *Subael autem filius*, id eſt, è poſteris Gerſon. * Quod ſi primo ſenſui adhæreas, ediſces parentem quemlibet in filiis ac nepotibus, ſeu poſteris velut exiſtere; eorumque ei quodammodo attribui operationes.] *Fratres quoque eius Eliezer.* Hebr. *Ad Eliezer*, id eſt, cognati eorum, de ſtirpe Eliezer fuerunt hoc ordine: Rahalia filius, nepos Iſaiæ; & ſic conſequenter Ioran Iſaiæ filius, & Zechri filius Ioran, & Selemith filius Zechri, & fratres huiuſce Selemith conſtituti fuerunt *ſuper theſauros Sanctorum*, ſiue facti fuere cuſtodes auri, argenti, metallorum, & aliarum rerum prerioſarum Sanctificatarum, id eſt, Templo, quod ſanctum erat, oblatarum ex præda, & manubiis à victoribus. Quos quidem theſaurros *Sanctificauit* ſeu dedicauit Dauid Rex, & familiarum Principes, & Tribuni, & Centuriones & Duces exercitus *de bellis & manubiis*, ſeu de bellorum præda: quæ illi pio affectu ad inſtaurationem Templi Domini, neceſſariáque Sacra ſupellectilia conſecrauerant. * Nec enim Catholici Reges meditantur, à Deo profluxiſſe victorias, ſi præliorum ſpolia non ſtudent Templo Sacrari.] *. Cur exiſtimas tot Dauidem repliciſſe victorias? Certè quia ex vna victoria conſecrata Deo præda ad aliam obtinendam Deum reddiderat debitorem.] Nec ſolùm Rex, ſed & Principes, Tribuni, Centuriones, Duces exercitus Sacrandis Templo ſtudebant ſpoliis; pietatem enim Regiam cuncti Principes æmulantur.] *Hac autem vniuerſa Sanctificauit Samuel Videns, & Saul filius Cis &c.* Hebr. eſt: Hæc autem, & vniuerſa, quæ ſanctificauit Samuel, & Saul &c. alioqui quomodò Samuel *Videns* ſeu Propheta & Saul primus Rex Iſraël Sanctificarent, quæ poſteriori tempore ſunt oblata? Itaque

Ad minores Ordines non admittendi, qui omninò ſint expertes prudentiæ, & ſcientiæ.

Cuſtodia accuratiſſima neceſſaria eſt, ad ſordes è Dei domo proijciendas.

Commendabilis Societatis Ieſu inſtitutio portam habentis proiectionis, qua ij qui ſordeſcunt, è domo pellantur.

2. Theſaurorum Templi, ac Regis Præpoſiti conſtituuntur.

Actiones filiorum ac nepotum parenti, aut auo quodammodò tribuuntur.

Spolia victoriæ Templo ſacranda.

Qui prædam Deo ex vna victoria ſacrat, eum ad aliam tribuendā quaſi debitorem reddit.

Pietatem Regu æmulātur Principes.

que non vniuersa illi quos nominat textus, Sanctificauerunt. Sic ergo sensum allicio: Hæc autem, quæ Dauid, Principes familiarum, Tribuni, Centurionis ac Duces sacrarunt, & vniuersa, quæ sanctificauit seu Sacrauit Propheta Samuel, cum Rempublicam administraret, & Saul filius Cis primus Rex Israël, & Abner filius Ner, & Ioabus filius Saruiæ, erant Templi fabricæ destinati. Porrò omnes qui sanctificabant, aut offerebant aliquid Domino, per manum Selemith sacrabant, id est, offerebant custodiendum Selemith ac fratribus eius.

4. *Assignantur Magistrorũ, ac Iudicum Præfecti, aliáque officia memorantur.*

Verſ. 29.30.31.32.] Isaaritæ verò, qui erant ex Caath stirpe, populum edocebant, causasque disceptabant de iure Mosaicæ legis respondentes: ideóque *ad opera forinsecùs* erant destinati, quia per Vrbes, ac Vicos Regni Israëlitici variis locis erant dispositi, vt omnibus ad eos facilis pateret accessus: nec erant alligati Templi ministeriis vt Cantores, Ianitores, Custodes thesauri. Hisce ergo Isaaritis præerant Chonenias ac filij eius ad docendum, ac iudicandum Israëlitas. * Oportet, eos, qui muneri iudicandi, aut docendi incumbunt aliis non distrahi ministeriis; officium enim docendi aut iudicandi virum requirunt integrum.] * Hinc subtaxantur Reges, qui viro vni tot munera, tot officia committunt, vt vel illorum nominum sit difficilè recordari. Quomodò vnus multis satisfaciet obligationibus, si vnicum docendi, aut iudicandi munus, vim doctissimi magnáque dexteritate pollentis excedit?] Nec sine pondere excidat, hosce Israëlitas Magistros ac Iudices nullis fuisse Templi ministeriis addictos; nam sacra munia requirunt hominem omninò à secularibus curis abstractum. Quid cum sæculari tribunali ad laïcas lites, dirimendas Episcopis?] Verùm de Hebronitis, qui erant ex filiis Caath *Hasabias*, & mille septingenti fratres, seu propinqui eius *viri* quidem *fortissimi* trans Iordanem contrà Occidentalem plagam præerant Israëli *in cunctis operibus Domini, & in ministerium Regis*, id est, illi mille & septingenti Leuitæ ex familia Hebron Israëli præerant, quia Iudices erant, & alia munera, aliásque Præfecturas exercebant iudicando iuxtà legem, & edocendo rudes, quæ ad eandem legem pertinebant: necnon Regi in aliquibus seruientes, scilicet illius exercentes iurisdictionem, vel colligentes redditus. * Aptè autem hi viri *fortissimi* esse memorantur, quia etiamsi ad eos solummodò attineret munus reddituum Regalium colligendi, magna deberent pollere fortitudine, quia maiori fortitudine debitores assolent debita retinere.] Non solùm verò Hasabias & filij eius fuére Hebronitarum horumce Principes, sed & Ieria *secundum familias & cognationes eorum*, id est, iuxta familias ac cognationes minores, quæ sub familia Hebronitarum distinguebantur. *Quadragesimo* quidem, nempe vltimo Regni Dauidis anno recensiti fuere apud Iazer Galaad Ciuitatem Leuiticam in Tribu Gad, & inuenti sunt *viri fortissimi*, seu Leuitæ, quorum hactenus facta est mentio, ac fratres eius, id est, viri de cognatione Ieriæ robustioris ætatis duo millia septingenti familiarum Principes. Præposuit autem eos Dauid Rex Rubenitis Gaditis, & dimidiæ Tribus Manasse filiis, qui trans Iordanem incolebant, *in omne ministerium Dei, & Regis*, id est, in omni diuino, ac humano negotio. Vides è Leuitis constitui, qui Iudices essent populi, quique profana etiam curarent. * Non dedecet Sacerdotalem Ordinem ad dirimendas lites, ad causas secularium audiendas eligi, dummodò ab aliis Ecclesiasticis muneribus incompatibilibus iure abstrahantur.

Magnâ esse necessariam fortitudo, ad colligendum Regios reddi-tus.

Qui incumbit docẽdi aut iudicãdi muneri, haud debet alijs distrahi ministeriis.

Taxantur Principes, qui vni multa incompatibilia committunt officia.

Non aptè sacri Ministri ad secularia tribunalia eliguntur.

Non dedecet Sacerdotes ad secularia eligi tribunalia.

CAPVT XXVII.

Militiæ Regiæ duodecim Principes ex variis Tribubus memorantur, quorum singuli suo mense præerant vigintiquatuor millibus armatorum: Necnon alij Principes singularum Tribuum, & Regiorum Officialium recensentur.

1. ILLI autem Israël secundùm numerum suum, principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabant regi iuxta turmas suas, ingredientes & egredientes per singulos menses in anno, vigintiquatuor millibus singuli præerant. 2. Primæ turmæ in primo mense Iesboam præerat filius Zabdiel, & sub eo viginti quatuor millia. 3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. 4. Secundi mensis habebat turmam Dubia Ahohites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus vigintiquatuor milliũm. 5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Ioiadæ sacerdos: & in diuisione sua vigintiquatuor millia. 6. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta. præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius eius. 7. Quartus, mense quarto, Asahel frater Ioab, & Zabadias filius eius post eum: & in turma eius vigintiquatuor millia. 8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Iezerites: & in turma eius vigintiquatuor millia. 9. Sextus, mense sexto, Hira filius

Acces Thecuites: & in turma eius vigintiquatuor millia. 10. Septimus, menſe ſeptimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: & in turma eius vigintiquatuor millia. 11. Octauus, menſe octauo, Sobochai Huſathites de ſtirpe Zarahi: & in turma eius vigintiquatuor millia. 12. Nonus, menſe nono, Abiezer Anathothites de filiis Iemini: in turma eius vigintiquatuor millia. 13. Decimus, menſe decimo, Marai, & ipſe Netophathites de ſtirpe Zarai: & in turma eius vigintiquatuor millia. 14. Vndecimus, menſe vndecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephram: & in turma eius vigintiquattuor millia. 15. Duodecimus, menſe duodecimo, Holdai Netophathites, de ſtirpe Gothoniel: & in turma eius vigintiquatuor millia. 16. Porrò tribubus præerant Iſraël, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatiat filius Maacha: 17. Leuitis, Haſabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: 18. Iuda, Eliu frater Dauid: Iſſachar, Amri filius Michael. 19. Zabulonitis, Ieſmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Ierimoth filius Oźriel: 20. filiis Ephraim, Oſee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manaſſe, Ioël filius Phadaiæ: 21. & dimidiæ tribui Manaſſe in Galaad, Iaddo filius Zachariæ: Beniamin autem, Iaſiel filius Abner. 22. Dan verò, Ezrihel filius Ieroam: hi principes filiorum Iſraël. 23. Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferiùs: quia dixerat Dominus vt multiplicaret Iſraël quaſi ſtellas cæli. 24. Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit: quia ſuper hoc ira irruerat in Iſraël: & idcircò numerus eorum qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos regis Dauid. 25. Super theſauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. his autem theſauris, qui erant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, præſidebat Ionatham filius Oziæ. 26. Operi autem ruſtico, & agricolis qui exercebant terram præerat Ezri filius Chelub. 27. vineárumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. 28. Nam ſuper olineta & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Balanan Gederites: ſuper apothecas autem olei, Ioas. 29. Porrò armentis, quæ paſcebantur in Saron, præpoſitus fuit Setrai Saronites: & ſuper boues in vallibus, Saphat filius Adli: 30. ſuper camelos verò, Vbil Iſmahelites: & ſuper aſinos, Iadaias Meronathites: 31. ſuper oues quoque, Iaziz Agareus, omnes hi principes ſubſtantiæ regis Dauid. 32. Ionatham autem patruus Dauid, conſiliarius, vir prudens & litteratus: Ipſe & Iahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis. 33. Achitophel etiam conſiliarius regis, & Chuſai Arachites amicus regis. 34. Poſt Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, & Abiathar. Princeps autem exercitus regis erat Ioab.

COMMENTARII.

1. Duodecim Principes militiæ Regiæ, qui præerant 24. millibus armatorum.

PARALIP. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.] Capitibus præcedentibus facer Scriptor recenſuit omnes Principes, qui de Tribu Leui Templo domini deſeruiebant per vices ac claſſes ſuas in variis miniſteriis: quique Magiſterio ac Iudicio fuerant deputati: hoc iam Capite recenſet Principes, qui ſelecti ex omnibus Tribubus Regi ſeruiebant tum in negotiis domeſticis, tùm in re militari, etiam pacis tempore, vt & armis magis aſſueti & notiores eſſent Regi, ac familiariores, ad omnémque caſum ſemper parati. Hi erant in duodecim diſtributi claſſes, & in vnaquaque claſſi viginti quatuor millia aderant bellatorum, qui toto Lunari menſe vno erant in armis eo in loco, eo in officio, quo Rex pro temporum neceſſitate præſcribebat. Reliquis dein vndecim menſibus hi quieſcebant ab armis, & alij totidem in locum ſuccedebant poſt ſingulos quoſque menſes. Hac ratione nec grauis cuipiam erat militia, nec ſumptuoſa admodum, licèt ſine ſtipendiis decertarent: neque rei domeſticæ præpediebat, aut propriorum negotiorum curationem; cùm facilè cuique eſſet vno menſe per annum domo abeſſe. Interim Regi proſpectum ſemper erat de recenti & tamen veterano milite: & quidem adeò numeroſo, vt quibuſuis hoſtibus reſiſtendo eſſet: nam pro multitudine hoſtium poterat Rex quot vellet millia ex ſingulis pro rata claſſibus euocare. * Talis expeditionum militarium ratio deberet à Regibus conſtitui, ſed impoſſibilis omninò, niſi variæ prius pugnatorum claſſes conſtituantur, vt in locum priorum poſſint alij ſuccedere.] *Filij* ergò *Iſrael ſecundùm numerum ſuum*, id eſt, filij Iſraël, qui Dauidi miniſtrabant, in numero certo, ſunt hi, qui mox recenſentur. Dicitur *ſecundùm numerum*, quia (vt innuimus, & videbimus) Principum, Tribunorum, Centúrionum &c. certus numerus erat conſtitutus. *Principes familiarum* ſeu multitudinum aut turmarum ij nimirum, qui viginti quatuor millibus præerant, *Tribuni*, qui mille imperabant militibus, *Centuriones*, qui centum præerant, *Præfecti*, qui Principum familiarum vices gerebant, vt iis impeditis, eorum munere fungerentur, *ingredientes* ad miniſterium ſuum militare quod per vnum tantum durabat menſem, *& egredientes* menſe illo exacto; *viginti quatuor millibus ſinguli præerant*; tot enim milites per menſes ſingulos Regi aderant. Porrò primæ turmæ

Debent conſtitui à Regibus multa militum claſſes vt alij aliis ſuccedant in militaribus expeditionibus.

næ in primo menſe, qui dicebatur Niſan, & ferè Martio noſtro reſpondet, præerat Iesboam filius Zabdiel, qui erat è Tribu Iuda, vt qui ad familiam Phares ſicut Dauid ipſe pertinebat: & ſub eius poteſtate vigintiquatuor millia aderant. Hic inquam Iesboam de filiis ſeu de progenie Phares, erat Principum cunctorum *Princeps in menſe primo*, non auctoritate, & imperio, id enim pertinebat ad Principem militiæ Ioab; ſed dignitate quadam, ac iure præcedendi non ſolùm tempore (inchoabat enim annum) ſed etiam loco, cùm res ferret, vt plures conuenirent. Secundi menſis, qui Hebræis Iiar dicitur, & Aprili noſtro reſpondet, turmam ducebat Dodia Ahohites de Tribu quidem Iuda, fuit enim Ahohi Oppidum eius Tribus: & vir alter nomine *Macelloth* exercitus viginti quatuor millium partem regebat, vtique Dudiæ Vicarius. Dux tertiæ turmæ in menſe tertio (quem Siuam appellant Hebræi, ac Maio reſpondet) erat Banaias filius Ioiadæ Sacerdos nempe ex Tribu Leui: & in diuiſione ſua viginti quatuor millia ſuberant milites. Ipſe eſt ille Banaias fortiſſimus inter triginta ſortes Dauid, imò cunctos fortitudine ſuperans: præerat autem eidem turmæ Amizabad filius eius Vicarij fungens munere. Menſe quarto, qui Hebræis eſt Tammuz, & noſtris Iunius, *quartus* Princeps conſtituitur Aſahel frater Ioabi, filiúſque eius Zabadias patris agebat Vicarium: & ad vnius alteriuſque ditionem viginti quatuor millium militum turma pertinebat. Itaque in quatuor primis diuiſionibus & Duces & vicarij deſignantur, in aliis non item; ſed veriſimile eſt omnes Principes ſeu Duces ſuos habuiſſe Vicarios. * Difficillimum enim eſt vnum vel minori communitati ſufficere: & non facile, vnum Rectorem ſubditis omnibus placere; vnde oportet communitatem quamlibet, præſertim Religioſam, vnum & alterum Superiorem habere, vt ſubditus, qui non audet Rectorem præcipuum adire, Vicarium confidentiùs adire valeat.] * Illud adnoto, ad aulæ procurationem ac miniſteria viros eligi militares: vt & noti Regi & familiares eſſent milites. Digni enim Regia familiaritate & amicitia illi, à quibus Regnum defenſatur.] * Iam quidem nullus ignotior Regi, quàm miles: illi hæret Principi, per quos corruit Imperium: illi ablegantur, per quos planè ſubſiſtit.] * Dum Rex ab ignauis capit conſilium, neceſſum eſt animo deſicere: qui ſi militibus aſſiduè vteretur, magnum ſuſciperet animum.] Menſe quinto Hebræis ab noſtris Iulio turmæ viginti quatuor millium Princeps erat Samaoth Iezerites. Non ſatis conſtat ex qua Tribu prodierit. Certè ſi vox *Iezerites* patriam ſignificet, ad Tribum Gad pertinuiſſe affirmabo; fuit enim Iezer ſiue Iazer illius Tribus Ciuitas ſeparata Leuitis, vt patet ex *cap.* 6. 81. Siautem Iezerites patronymicum nomen ſit familiæ Iezeritarum (cuius mentio *num.* 26. aſſeram pertinuiſſe ad Manaſſe Tribum trans Iordanem ſexto menſe, quem Hebræi Elul, noſtri Auguſtum vocitant, viginti quatuor millibus præfectus erat Hira filius Acces, qui quidem Dauidis numeratur in fortibus *cap.* 11. 28. Thecuites erat, ſiue ex Thecua Vrbe in Tribu Iuda exortus. Menſe ſeptimo Tizri Hebræis, noſtris Septembri, viginti quatuor millium Dux conſtituitur Helles Phallonites de Ephraimi poſteris. 2. *Reg.* 23. 26. dicitur *De Phalthi*, quæ diuerſitas etiam Hebræo adeſt in textu. Menſe octauo, Hebræo vocabulo Marcheſuan, noſtro Octobri, viginti quatuor millia militum ſuberant Principatui Sobocai Huſathitis, id eſt, de Huſathi Oppido, crediderim ex Tribu Iuda; nam Sobochai ex hac Tribu fuiſſe colligo, quia additur ortum eſſe *de ſtirpe Zarahi*, hoc eſt, genus à Zara Iudæ filio duxiſſe. Menſe nono, Hebræis Caſleu, qui Nouembri reſpondet, viginti quatuor millium Dux erat Abiezer Anathotites, id eſt, de Anathot, quod Oppidum fuit iuxtà Ieruſalem, eratque iuris Sacerdotalis in Tribu Benjamin: id ſignificat illud *De filiis Iemini*. Nam (vt alibi dedimus) de voce *Beniamin* aliquando tollitur prima Syllaba *Ben* hoc eſt, *filius*, & remanet *Iamin*, vel *Iemini*, quod dexteram ſignificat, ſiue *dextera eius*, & pro Beniamin accipitur. Menſe autem decimo, quem Hebræi Teuet, noſtri Decembrem appellant, Princeps viginti quatuor millium erat Marai Netophathites ſeu ex Oppido Netophathi in Tribu Iuda: ex poſteris quidem Zaræ filij Iudæ. Vndecimo menſe ab Hebræis vocitato Seueth, à noſtris Ianuario, in turma viginti quatuor militum Ducatum agebat Banaias Pharathonites de filiis Ephraim. Oppidum hoc erat Pharaton in Ephraim Tribu adiacens. Denique menſe duodecimo, qui Adar ab Hebræis dicitur, & noſtro Februario reſpondet, turmæ viginti quatuor millium duodecimus aderat Princeps Holdai Netophathites de Gothonielis ſtirpe. Porrò Gothoniel frater erat Calebi ex Tribu Iudæ.

Qualibet communitas præcipuè Religioſa non ſolùm habeat Præſulem, ſed & Præſulis Vicarium.

Milites digni Regia amicitia, per quos Regnum defenditur.

Nullus iam Regi ignotior, quàm miles.

Rex animo deficit, quia militum conſilio non vtitur.

2. Alij Principes ſingularium Tribuum deſcribuntur.

Verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.] Iam deſcribuntur alij Principes ſingularum Tribuum Iſraëlis Præſides. Rubenitis præerat Eliezer filius Zechri. Simeonitarum Dux erat Saphatias filius Maacha. Leuitis præficiebatur Haſabias Camuel. *Aaronitarum*, id eſt, eorum, qui Sacerdotes erant, & genus ducebant ex Aaron Dux erat Sadoc. Tribus Iudæ Princeps exſurgebat Eliu Dauidis frater. Tribus Iſſachar Amri filius Michaël gerebat Ducatum. Ieſmaias filius Abdiæ Zabulonitis imperabat. Ierimoth filius Oziel Tribus Nephthalim Principatum agebat. Ephraimitas Oſee filius Ozazin moderabatur. Dimidiæ Tribus Manaſſe regimen ad Ioël filium Phadaiæ ſpectabat. Altera verò dimidia Tribus Manaſſe apud Galaad Iaddo Zachariæ filio ſubmittebatur. Tribum Beniaminiam Iaſiel filius Abner regebat. Tribus dan Ezrihelis filij Ierohami parebat Principatui. Hi quidem Principes cunctarum Tribuum Iſraël. Quomodo Tribus Gad Princeps à ſacro Scriptore non memoratur? Crediderim, Eliezer filium Zechri, quem Principem dixit Rubenitarum fuiſſe, etiam Gaditarum extitiſſe Ducem.

3. Alij adhuc Officiales Regij memorantur.

Verſ. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.] Porrò Dauid noluit numerare milites ad duodecim præfatas turmas à viginti annis inferiùs: *quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Iſraël quaſi ſtellas cœli*, id eſt, quia ſatis multi erant annumerati illi à viginti annis, ſuperiúſque, nec opus fuerit iuniores numerare qui penè erant innumeri, vberrimè ſuccreſcente Iſraëlitarum ſobole ex illa diuina promiſſione Abrahamo facta: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Profectò Ioab filius Saruiæ ſororis

Dauid annumerare cœperat Tribus Israël, sed non perfecit, quia annumeratio illa iram Domini super Hebraicum populum irritauit. Historiam habes *cap. 21. & 2. Reg. 24.* Non inquam Ioabus *complenit populi recensionem*, quia Tribum Leui & Tribum Beniamin non annumerauit: cuius omissionis duplex causa redditur hîc vna, *cap. 21.* altera: nempè plaga diuinitùs immissa, quæ cœptum abrupit, & quia Ioabus Regis imperium inuitus exequebatur.* Nam si vltroneus exequeretur, perfectio operis procul dubio diuinam præueniret vltionem. Nam quemadmodum lentè geritur quod quisque agit inuitus: præpropere efficitur, quod vltroneus exequitur.] * Hinc monuerim rursum Rectores curare, vt subditi ad opera procedant vltronei ad quod conferet, si iniuncta ministeria iuxta singulorum genia committantur, quod quidem D. Ignatius meus prudentissimè gerebat: ne subditus segniter ageret, dum inuitus, seu repugnante genio operaretur.] Idcircò itaque, id est, quia plaga diuinitùs fuit immissa, numerus eorum, qui fuerant recensiti, *non est relatus in fastos Regis Dauid*, id est, omissus census ita fuit, vt ne summa quidem annumeratorum in fastos referretur distinctè & per Tribus & familias capitum numerum recensendo. Iam alij Officiales Regij memorantur. Igitur Præpositus seu custos thesaurum Regis, qui erat in aula aut in arce Sion, erat Azmoth filius Adiel. Thesaurorum autem, qui erant in Vrbibus aliis, in Vicis, in turribus præses aderat Ionathan filius Oziæ. Porrò hi thesauri erant pecuniæ, quas Rex colligebat ex Vrbibus Regni ex tributis, quos pendebat populus: aut etiam collectiones pecuniarum ex latifundiis, pascuis, gregibus & armentis Regis propriis; vineis etiam oliuetis, ficetis, &c. * Prædiuites erant Reges, cum propria armenta ac greges nutriri, proprios fundos arari curabant. Semper Rex pauper erit, cui ex alieno penu necessum fuerit victitare.] Sunt qui thesauros, *qui erant in Vrbibus, in vicis? ac in turribus* asserant fuisse horrea vbi terræ fructus condebantur. Hæc verè thesauros appellarim horrea, è quibus famis tempore poteris egenis subuenire.] Opus autem rusticum, & agricolæ, qui terram exercebant, præsidem habebant Ezri filium Chelub. Vinearum cultores Semeiæ Romathitæ submittebantur; cellis verò vinariis Zabdias Aphonites præsidebat. Cæterùm super oliueta & ficeta, quæ in campestribus suos edebant non sine agricolarum officio fructus præfectus fuerat Balanan Gederites; Ioas autem apothecas olei curabat. Porrò cura armentorum quæ pascebantur in Saron ad Setrai Saronitem pastorum præpositum attinebat; Pastores autem boum, qui vallium gramina depascebant, Saphad filio Adli subiiciebantur; camelorum curatores Vbil Ismaëlitæ obediebant: asinorum custodes Adaiæ Meronathitæ: denique ouium pastores Iaziz Agarei parebant imperiò. *Omnes si Principes substantiæ Regis Dauid.* LXX. ἀρχοφύλακες appellant, id est, *Regiarum diuitiarum. quæstores & custodes.* Illi quidem custodiunt Regis diuitias, qui rei rusticæ curant promotionem, qui agricolas & pastores ab irruentibus defendunt calumniis; hoc quæstorum, seu Principum illorum erat officium.] Diuitiis affluent Reges, si promouendis rusticis agrestibúsque ministeriis studium exhibuerint.] * Quænam precor illa Dauidis diuitiæ curari, greges & armenta nutriri. O quàm diuites essent Principes, si non fiderent auro & argento, quod dum ventitat, potest esse pelagi cibus, hostis præda; sed rusticis ac pastoritiis emolumentis niterentur!] Porrò Saron erat mons & Vrbs egregia in Tribu Ephraim. Regio etiam campestris pinguis admodum saginandis pecoribus: quæ à Cæsarea Palestinæ porrigitur vsque ad Ioppem. Quare *Vbil* ille, qui camelorum custodibus præerat, *Ismaëlites* vocitatur? vel quod aliquo tempore in Regione Ismaëlitarum fuit: vel quod egregio aliquo facinore hoc sibi cognomen peperit: vel quod verè esset Ismaëlita natione, sed religione Hebræus, cui propterea camelorum tradita est cura, quia Ismaëlitæ camelis abundant, & quonam modo curandi sint peritiam habent.* Nec enim cuilibet aptus ministerio quis erit qui eius expeditionem non didicerit. Ideò quotidie Reipublicæ administrandi munia infeliciter planè geruntur, quia inexpertis eorum administratio traditur. Quomodo insipiens Magistratum geret? Quonammodo qui nunquam cum hoste conflixit, aget Imperatorem?] De Iaziz autem Agareo idem quod de Vbil & quoad nationem, & quoad religionem dictum habe. Cæterùm Ionathan patruus Dauid frater scilicet Isai Dauidis parentis erat à consiliis, *vir* quidens *prudens & literatus.* Hebraïcè סופר *sopher*, siue *scriba* quod nomen legis Doctoribus tribuebatur.* Nec enim quia patruus erat Regis Consiliarij eleuatus erat ad munus, sed quia prudentia ac doctrina præditus erat. Reges non debent officia præcessa dare propinquitatis titulo, sed causa meritorum.] Profectò idem Ionathan & Iahiel filius Hachamoni (crediderim fratrem esse Iesbaan viri fortissimi, qui Princeps inter triginta annumeratur *cap. 11. 11.* dicitur enim vterque Hachamoni filius) *erant cum filiis Regis*, hoc est, filiorum Regis aderant Pedagogi.* Gerere enim Pedagogi munus, & esse cum eo, cuius suscipit curam, idem debet esse. Oportet enim Pedagogum assiduum alumni agere lateronem, ne ad sinistram prima declinet labilis ætas.] * Quàm hinc Dauid laudabilis, qui eum filiis prouidet Pedagogum, adeo prudentem & doctum, qui simul Consiliarij Regis gerebat officium.] Etiam Achitophel Regis aderat à consiliis. Chusai verò Arachites *erat amicus Regis*, scilicet Consiliarius Dauidis, sed quem Rex singulari beneuolentia prosequebatur. Hispanè dixeris, *El Valido, El Priuado.* * Quàm iustum est, Reges amicum habere, dummodo ille, quem speciali beneuolentia prosequuntur, tanta prudentia præditus sit, vt possit simul agere Consiliarium.] * Pro *Amicus Regis* LXX. scripsere, *socius Regis* ad onus scilicet regiminis comportandum. Nec enim verè Regis amicum; qui vacuo titulo gloriabitur, nec oneri apportando humerum addicet vtrumque.] * Attamen socij limites non transiliat, totam sibi gubernationem Imperij abrogans, Rege solo titulo potituro: imperet Rex, eius, autem amicus socium agens, curet Regis imperia dari executioni.] *Post* mortem vero Achitophelis Ioiadas filius Banaiæ, & Abiathar Regij Consiliarij exutere Scio. τὸ *Post* sic à Saliano aliisq; expli

Lentè agit inuitus, præpropere operatur vltroneus.

Accommodanda Rectore officia subditorum genio.

Id prudentissimè D. Ignatius gerebat.

Pauper erit Rex, si ex alieno victitauerit penu.

Thesaurus vterus Regius siue horrea, è quibus possit egenis subueniri.

Custodit diuitias Regis, qui defendit agricolas & pastores.

Diues erit Rex, qui promouenda rei rustica studuerit.

Non fidant Reges auro & argento, quod facilè fallit; sed agricultura, & grauum nutrimentis.

Expertis Reipublicæ munia committenda sunt.

Reges non debent officia dare propinquitatis titulo, sed causa meritorum.

Pedagogus nunquam nō suo hæreat alumno.

Pedagogi filiorum Regis sint prudentia ac sapientia præditi.

Æquum est, Regē specialem amicum habere, (Valido) si is possit agere consiliarium.

Amicus Regis (el Valido) socius illius sit ad onus comparandum.

Regis amicus socium agat, non Regem, sibi abrogans regimen.

explicari: *Post Achitophiel* fuere Ioiadas & Abiathar, nempe impares prudentiæ opinione; id est, etiam hi erant Consiliarij Regij, sed eos Achitophel prudentia superabat. Putant hi Auctores, haud verisimile Dauidem vsque ad Achitophelis mortem distulisse in consilia adhibere Abiatharem Pontificem perpetuum laborum, ac periculorum suorum comitem. * Ego autem primæ hærens sententiæ hinc Dauidem commendarim, quòd Pontifici vel socio vel amico Achitophelem prudentissimum prætulisset, haud sine necessitate Consiliarios multiplicans. Denique Principis exercitus Regij munus Ioabus obibat.

Præferendi à Regibus prudentiores ad consiliariam mu-nus.

CAPVT XXVIII.

Dauid omnibus Regni Principibus conuocatis, tam Salomonem, quàm reliquos cunctos hortatur ad Dei imperia semper accuratè custodienda, Templique formam à Deo sibi traditam præscribit.

1. CONVOCAVIT igitur Dauid omnes principes Israël, duces tribuum, & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque & centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiósque suos cum eunuchis, & potentes, & robustissimos quosque in exercitu Ierusalem. 2. Cúmque surrexisset rex, & stetisset, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum, omnia præparaui. 3. Deus autem dixit mihi: Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis. 4. Sed elegit Dominus Deus Israël me de vniuersa domo patris mei, vt essem rex super Israël in sempiternum: de Iuda enim elegit principes: porrò de domo Iuda, domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei vt me eligeret regem super cunctum Israël. 5. Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni Domini super Israël, 6. dixítque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. 7. Et firmabo regnum eius vsque in æternum, si perseuerauerit facere præcepta mea, & iudicia, sicut & hodie. 8. Nunc ergo coram vniuerso cœtu Israël, audiente Deo nostro, custodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: vt possideatis Terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris post vos vsque in sempiternum. 9. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. 10. Nunc ergo quia elegit te Dominus vt ædificares domum Sanctuarij, confortare, & perfice. 11. Dedit autem Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, 12. necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, 13. diuisionúmque Sacerdotalium & Leuiticarum, in omnia opera domus Domini, & in vniuersa vasa ministerij templi Domini. 14. Aurum in pondere per singula vasa ministerij. Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diuersitate. 15. Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum, aurum pro mensura vniuscuiusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diuersitate mensuræ, pondus argenti tradidit. 16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diuersitate mensarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas. 17. Ad fuscinulas quoque, & phialas, & thuribula ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diuersum argenti pondus separauit. 18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini. 19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. 20. Dixit quoque Dauid Salomoni filio suo: Viriliter

age, & confortare; & fac ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerij domus *Domini*. 21. Ecce diuisiones Sacerdotum & Leuitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & nouerunt tam principes quàm populus facere omnia præcepta tua.

COMMENTARII.

1. Salomoni, & Principibus cunctis David loquitur, & hortatur eos ad legis custodiam.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.] Conuocauit igitur &c.] Dauid igitur cunctos Israëlis collegit Principes Duces Tribuum, quorum nomina superiori capite recensentur, turmarum Præpositos, qui vigintiquatuor millibus præerant (de quibus inibi) qui Regi ministrabant, Tribunos mille militibus Præfectos, Centuriones, qui centum militibus imperitabant: & eos, qui Regiis præerant possessionibus; necnon eorum omnium filios, cum *Eunuchis* seu cubicularijs viris quidem nobilibus & spectata fide ac probitate: (Hispanè dixeris *De la Camara.*) Item aduocauit potentes ac robustissimos quosque in Solymitano exercitu, id est, Proceres Regni, ac præsertim fortes illos Dauidis, qui *cap.* 11. & 2. *Reg.* 23. annumerantur. Cum autem Rex, qui lectulo iacebat affixus propter senium, ac vires exactas *surrexisset, & steterisset, ait:* Cur Rex assurgit, & stat, & non potius ex lecto accubans verba facit? * An Regis comitas ac vrbanitas inuitur? Certè Rex sic cum subditis agere debet, vt minimè vllum despicere videatur.] * An assurgit, & stat, quia illud ipsum suo muneri & obligationi satisfacere Regem, siue Præsulem membra debilia roborat? Haud Rector excusationem prætendat, infirma se grauari valetudine, ne possit officij iura seruare: ipsius enim muneris obeundi obligatio, fiadiit zelus, debilitatem excutit, vires addicit.] Audite, inquit, me *fratres, mei, & populus meus.* * Quàm egregiè Regem gerit, qui subditos fratres esse cognoscit, non æstimat esse mancipia.] * Quàm piè, quàm humaniter Rex erga populum agit, dum suum esse reputat, non alienum.] In mente habui iàm olim, Templum extruere, in quo Arca fœderis Domini *scabellum* scilicet *populum Dei nostri* post tot itinera exacta requiesceret: & ad ædificium omnes apparatus exposui. Cur Arca Dei pedum eius scabellum vocitatur? Certè quia Deus dicebatur super Cherubim alas sedere, quæ Propitiatorium obumbrabant. Deus autem dixit mihi ex ore Prophetæ: Non tu extrues domum nomini meo celebrando, seu colendo, eo quod sis vir certaminibus instituendis addictus ad Regni defensionem, ac promotionem, *& sanguinem fuderis.* Iam monui *cap.* 22.8. Hanc sanguinis commemorationem non alio pertinere, quàm ad significandas bellicas occupationes, quæ Dauidem distinerent, vt huic tantæ molitioni operam non posset exhibere. *Sed* licet ego donatus non sim hoc augustissimo munere Templum ædificandi, elegit me munificentissimus Dominus de domo patris mei immeritum, vt Israëlitici populi Rex essem *in sempiternum*, siue longo tempore imperatem. Phrasi Scripturæ particula *In sempiternum* longum tempus significat, nisi velis, Regni huiusce durationem sempiternam de Christi Regno haud terminabili esse accipiendam. De Tribu enim Iuda *elegit* Deus *Principes*, id est, voluit ex Iuda Principes & Reges populi legi. Ideò ex hac Tribu dignatus est eligere domum patris mei, & de filiis patris mei ei placuit me potius eligere, vt Rex electi populi exurgerem. Cæterùm de filiis meis (copiosa enim sum à Domino prole donatus) filium meum Salomonem elegit, vt Regni Domini, nempe Israëlitici in throno sederet. Quonammodo Deus Salomonem elegit, si Dauid eum in Regem assignauit? significauerat Dominus Dauidi per Nathan Prophetam, Salomonem regnaturum, & ædificaturum eius nomini Templum *cap.* 22.9. Dixitque mihi (Prophetico quidem ore) Salomon filius tuus Templum meum, meaque atria circumiecta exædificauit: ipsum enim mihi *in filium* elegi, *& ego ero ei in patrem.* * Significatur specialis Domini affectus in illos, qui Templa ædificant, Monasteria constituunt, erigunt altaria, vbi cultus Domini promoueatur. Annon his augustius Dei filios & hæredes effici, quàm hæredes, prædiuites relinquere?] Et quia nomini meo colendo Templum ædificabit, Regnum eius æternum efficiam, dummodo præceptis meis, ac iudiciis obseruandis persistenter opus exhibeat, *sicut & hodie*, id est, quemadmodum hoc tempore seruat. * Certè Regum æquitas & sanctitas Regna stabilit, quæ ex Regum iniustitia misere corruunt.] Nunc ergò coram vniuerso cœtu Israël, Deo nostro exaudiente, vos adhortor, & enixè rogo, vt præcepta Domini custodiatis, & cuncta eius perquiratis mandata, vt ea possitis ad vnguem custodire. * Preme particulam, *Custodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri.* Indicat studiorum cordis affectum circa iustitiæ exercitamentum, quem Christus illis verbis expressit, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Mat. 5.] * Vel monet, ad legis obseruationem necessariam esse eiusdem intelligentiam, quonammodo enim custodis dogmata, quæ nunquam didicisti?] Certè accuratam, huiusmodi legis obseruationem gerere debetis, vt Terram bonam, qua potimini, firmiter possideatis, eamque in hæredes possitis *in æternum* seu succedentibus generationibus, transmittere. * Haud sine pondere excidat *τὸ Vt possideatis Terram bonam.* Si iam possidebant Terram, quomodo eis eadem Terra possidenda promittitur? An quia iniustus eo ipso bonorum, quæ propria possidebat cum gerebat iustitiam eo ipso quòd delinquit, fit eorum bonorum malæ fidei possessor?] * An quià temporaria prosperitas fugit diuinæ legis violatores?] * Certè vel in mediis diuitis quasi vacuus omnino ac inops obiicitur peccator: nec diuitiæ prosunt, nec opulentia niteat, dum eorum contemnitur Author. Vndè ab hisce legis violatoribus vel possessiones minimè possidentur: quod enim domino non seruit, perinde est, ac si non possideretur.] * Adnota demum illud: *Et relinquatis eam* (Terram bonam) *filijs vestris post*

Qui Templa, Monasteria, aut altaria ædificat Dei hæres filius efficitur.

Rex cum subditis comiter & vrbaniter agat.

Rectori infirma vexato valetudine Deus vires addicit, dum curæ muneris obligationibus satisfacere.

Regum sanctitas stabilit Imperia, quæ eorumdem iniustitia euertit.

Egregium se Regem gerit, qui subditos æstimat esse fratres.

Iustitia toto affectu sectanda.

Humanum erga populum Rex se ostendit, qui reputat esse suum, non alienum.

Ad legis obseruationem requiritur eius intelligentia, & cognitio.

Iniustus vel propriorū bonorum fit cū peccat, mala fidei possessor.

Temporaria prosperitas fugit legis diuinæ violatores.

In mediis diuitijs peccator vel vacuus ostenditur.

Filijs hæreditas firma

vos

Transmittitur ob parentum iniquitatem.

vos in sempiternum. Iustitia parentis posteris relictam firmat hæreditatem. O quot filij hæreditate copiosa accepta, ob piacula parentum in miseram deflectunt egestatem!] Tu autem Salomon fili mi, scito, Deum Israël esse, quem colere debeas, eique corde perfecto, ac voluntario animo obsequi stude: cunctorum enim hominum corda Dominus scrutatur, nec vlla excogitatio eius fugit intelligentiam. Si obseruator legis Deum requisieris, inuenies propitium: si autem violator legis dereliqueris eum, te vltor proiiciet æternùm. Itaque quia Dominus te dignatus est ad constructionem Sanctuarij eligere gerendam, *confortare, ac perficere.* τὸ *Mentium cogitationes intelligit* Hebraicè est, *Figmenta cogitationum*; nam יצר *iezer* est propriè *prauitas, astutia* cogitationum. Dixerat nempe vt sequeretur Deum corde perfecto, quia Deus (addit) cogitationum prauitatem agnoscit. * O quot opera externè pia à Domino repelluntur agnoscente, ea ex iniquo corde affectatore vanitatis ortum habuisse!]

Multa opera aliàs pia Deus ob intentionis vanitatē non admittit.

2.

Templi, atriorum, &c. ideam Dauid tradidit Salomoni.

Vers. 11.12.13.14.] Dedit *autem &c.*] Porrò Dauid filio suo Salomoni tradidit descriptionem, quæ diuinitus Regio intellectui fuerat impressa, à Dauide vero depicta filio traditur. Erat autem huiusmodi descriptio circa fabricam Porticus, Templi, Cellariorum, Cœnaculi, Cubiculorum in adytis, ac Domus propitiationis: necnon cunctorum Atriorum expressit ideam, & exedrarum per circuitum formam expressit, ad thesauros Templi, sanctorumque asseruandos, & diuisionum Sacerdotalium, ac Leuiticarum modum præscripsit, quæ quidem diuisiones præparandæ erant, vt opera & ministeria Templi decorè, ordinatéque exercerentur. Descripsit præterea Dauid, quænam vasa fieri in Templo deberent, cuiusnam materiæ & figuræ, & ad quemnam vsum essent adhibenda. Enimverò Porticus pars erat Templi, quæ Vestibulum dicitur. Sic describit Hieronymus: *Atrium tectum, quod inter Templum & altare erat.* Symmachus *Propylem* vocitat, ac si dicat: Quod ante portas Sancti, & sancti sanctorum positum est. Quidam apud Abulensem *Cellaria* constituunt sub Templo, in quibus ea asseruarentur, quę frigus amant, vinum scilicet, oleum, & huiusmodi. Crediderim tamen tres statuendas in Templo contignationes, in quarum secunda erant Cellaria ad Sacram supellectilem asseruandam. Vel si malueris, Cellaria sunt cubicula intra parietes Templi, de quibus 3. *Reg.* 6.5. At Cœnaculum est suprema Templi pars, quæ immediatè hæret tecto. Cubicula autem in *adytis* intelligo, quæ erant in atriis, in quibus Leuitæ, qui Ianitorum fungebantur munere, nocti habitabant. Quid Propitiationis domus? Planè sancta sanctorum, vbi erat Arca, & Propitiatorium, qui etiam locus erat propitiationis Dei, qui sacrificiis & orationibus placabatur, propitiusque reddebatur supplicibus. Exedræ idem sunt ac Cubicula. Thesauri vero illi, qui in exedris seruabantur erant pecuniæ, aurum, & argentum. *Thesauri* vero *Sanctorum* appellantur, id est Thesauri rerum pretiosarum Deo consecratarum, aut oblatarum ad Templi restaurationem. Quænam verò illæ Sacerdotales ac Leuiticæ diuisiones erant? Verùm tam Sacerdotes, quam Leuitæ, qui aut Cantorum, aut Ianitorum, &c. munere fungebantur, in classes ac vices suas erant diuisi, vt vidisti cap. 24. 25. & 26. Hanc ergò diuisionum dedit Dauid Salomoni catalogum, seriem expressit. * Pro *Thesauris sanctorum* est in Hebræo, *Thesauros sanctitatum.* Nam quod Deo ad Templi cultum offertur, indicat sanctum esse largitorem, sanctitas enim ad huiusmodi munera plena pietatis excitat.]

Munus, quod cultui Templi offertur, sanctum esse indicat largitorem.

Vers. 15.16.17.18. *Aurum in pondere &c.*] Describit præterea Rex Salomoni, quantum auri & argenti pondus in ea vasa quæ aurea esse debebant, & in argentea supellectilia deberet impendi: & mox ipsum aurum & argentum, quod præparauerat ei tradit. * Vereor, ne inefficax esset præscriptio vasorum si aurum & argentum haud simul traderetur. Si expetis, tuam vltimam voluntatem efficaciter expleri post obitum, aurum & argentum viuens cura colligere, quod suppeditet studio materiam; hæredes enim nihil prius obliuioni tradunt, quàm parentum circa opera pia præscriptionem.] * Imo non relinquat id pretium hæredibus, (parci enim filij Salomones) sed timoratæ conscientiæ executoribus suum thesaurorum committat.] Aurum itaque Dauid præscripsit in pondere ad singula Sacri ministerij perficienda vasa: simul præscripsit quantum argenti ad aliorum vasorum ac supellectilium diuersitatem deberet expendi. Assignauit enim pondus auri ad candelabra, & ad lucernas eorum elaborandum, pro vniuscuiusque candelabri, ac lucernarum mensura. Scio, in Tabernaculo Mosis vnicum fuisse candelabrum aureum, in Templo vero Salomonis decem fuisse constat ex 3. *Reg.* 7.49. Licet enim Dominus Exo. 25. vnum iusserit candelabrum fieri, plura fieri non vetuit, cum Templum amplius esset excitatum, & populus diuitiis auctus esset. * Dei quidem maiestas nostræ indigentiæ lubens accommodatur: quod si supperant diuitiæ ab ipso datæ, sacro cultui vult adiici apparatū. Intolerabilis enim hominum prædiuitum ingratitudo est, prophanas domos pretiosis supellectilibus abundare; & augustissimum Dei Templum exigua, vili, lignea, ærea supellectili non ornari, sed potius de honestari.] similiter ad candelabra argentea eorumque lucernas perficiendas iuxta mensuræ diuersitatem pondus argenti tradidit. Aurum quoque exhibuit ad propositionis Mensas pro mensurarum diuersitate. Porrò in Salomonis Templo tot Mensæ propositionis fuere quot erant Candelabra, decem vtique. Loco illius verbi, *Pro diuersitate mensurarum*, Pagninus transtulit ex Hebræo, *Pro singulis mensis.* Vt sit sensus, designasse Dauidem, quantum auri in Mensas singulas esset insumendum. Hispanè dixeris: *Dio orò para hacer diuersas mesas, enque poner los panes de la proposicion.* * Tot itaque erant Mensæ quot Candelabra; nec enim deceret adesse propositionis vllam Mensam, quæ Eucharistiæ gereret typum sine lucerna, vt pudeat Ecclesiæ ministros, qui permittunt altare vbi Eucharisticus panis conditur, sine lampade exponi.] Similiter dedit argentum ad alias mensas argenteas perficiendas, quibus pateræ, & vasa ad vsum Sacrorum imponerentur. Præterea distribuit auri pondus iuxtam mensuræ qualitatem, vt efficerentur fuscinulæ, phialæ, ac thuribula *ex auro purissimo* (igni scilicet defecato) & aurei leunculi, singulis

3.

Aurum & argentum cuncta vasa perficienda Dauid præscribit.

Qui expetis suā circa res pias post obitum implerē voluntatem, viuens id quo perficiēda sit operē, pretium colligat.

Non semper filijs tradendi sunt thesauri collecti ad opera pia, quæ parens præscribit post obitum gerenda.

Dum fidelium accrescunt diuitiæ, debent sacri cultus supellectilia multiplicari.

Altare, vbi conditur Eucharistia, minimè permittatur sine lāpade exponi.

singulis leunculis suo peculiari pondere attributo: id significat τὸ *In leunculum, & leunculum.* Pro *leunculos* alij legunt *Crateres*, LXX. *Cyathos.* Vox Hebræa vt nunc legitur craterem aut cochlear significat, non leonem. Vndenam Hieronymus *leunculos* transtulit? Facilis fuit vnius literæ *in* aliam persimilem mutatio, *Iod* scilicet *in Vau*, vel vicissim *Vau* in Iod; nam כפיר *chephor* craterem cochlear, aut peluim significat: כפור *chephir* autem leonem Crediderim tamen vasa hæc fuisse leunculorum in formam elaborata, vnde affine illis nomen, & ab eadem radice deductum adhæsit. Similiter & ad perficiendos leones argenteos, seu crateres eiusdem cum superioribus formæ (licet non eiusdem materiæ) diuersum argenti pondus separauit. Altari Thymiamatis in quo incensum adoletur, aurum purissimum adaptauit: vt ex ipso fieret *similitudo quadrigæ Cherubim* protendentium alas, & Arcam fœderis Domini obuelantium. Profectò in lateribus huiusce altaris quadrigæ Cherubim erant expressæ, quales Ezechieli ostensæ sunt *cap.* 1. Erat autem aliquod discrimẽ, nam Cherubin hîc alis velasse Arcam dicuntur, quod quidam sic explicarunt, vt duo Cherubin expansis alis Sedem Dei constituerint, & simul eisdem Arcam velarent: quatuor vero currum gloriæ Dei traherent. Aſt ego existimo hîc deesse coniunctionem *Et* vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ. LXX. sic legunt. *Et vt ex ipso, &c.* Hebræus sic etiam: *Et ad imaginem quadrigæ Cherubinorum aurum ad expandentes, & tegentes super Arcam.* Totam clausulam iam expendo. Ad perficiendum altare, in quo adoleretur incensum, id est, thymiamatis dedit Dauid aurum purissimum, & similiter dedit purissimum aurum, vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubin extendentium alas, & Arcam fœderis Domini obuelantium.

Vers. 19.20.21. *Omnia inquit, &c.*] Verùm ô Salomon (addidit Dauid) omnia, quæ præscripsi gerenda ad me manu Domini scripta deuenêre, vt vniuersa exemplaris opera intelligerem. Certè non de scriptura, aut delineatione corporali hoc intelligo, sed de spirituali. Existimo enim Templi, & atriorum ideam diuinitùs Dauidi datam, seu Dauidis intellectui fuisse impressam, à Dauide autem depictam Salomoni filio suisse traditam. Dixit insuper Dauid filio suo Salomoni: Age viriliter, confortare, & idæam, quam exemplari hoc exposui, executioni committi stude. *Ne timeas, & paueas*, hoc est, ne te operis magnitudo retrahat; Dominus enim Deus meus qui descriptionem meo intellectui expossuit, tecum aderit, nec derelinquet, donec omne opus ad ministerium Templi attinens, feliciter perficias. * Quæcumque Deus tuo præscripserit intellectui gerenda ad eius obsequium licet tibi difficilia admodum videantur, facillima effectu erunt proculdubio, nam qui instituere monuit, perfici largietur.]Haud tibi ô fili, difficile erit cuncta à me tibi præscripta dare executioni, nam diuisiones, seu classes ac vices Sacerdotum & Leuitarum (de quibus dictum superiùs) tibi aderunt, vt in omne domus Domini ministerium assistant, *& parati* sunt, & nouerunt tam Principes quàm populus ad omnia præcepta tua sese obsequentes exhibere. * Multiplicem quidem hisce verbis, *Et nouerunt tam Principes quàm populus facere omnia præcepta tua*, opem Dauid assuturam Salomoni pollicetur; difficillima enim quæque Reges exequuntur, cum à se Principes & populum sortiuntur: sicut facilia minimè valent consequi, dùm Principibus, popularibúsque grati non existunt.

Quodcumque opus ad Dei obsequium attinens effectu facillimum, nam qui inspirat, ad perficiendum adiuuat.

Difficilia quaque Rex exequitur, dùm Principibus, ac popularibus gratus existit.

CAPVT XXIX.

Recensentur expensæ, quas Dauid in ædificium Templi sepossuit, & quas Principes ac populus de suo adiecerunt. Salomon secundò in Regem inungitur. Dauid autem post quadraginta imperij annos felicissimè obit.

1.  OCVTVSQVE est Dauid rex ad omnem Ecclesiam: Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Ego autem totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diuersorum colorum, omnémque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissimè: 3. & super hæc quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem sanctam. 4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. 5. Et vbicumque opus est aurum de auro, & vbicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino. 6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israël, tribuni quoque, & centuriones, & principes possessionum regis. 7. Dederúntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. 8. Et apud quemcumque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini,

mini, per manum Iahiel Gersonitis. 9. Lætatusque, est populus, cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed & Dauid rex lætatus est gaudio magno. 10. Et benedixit Domino coram vniuersa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum. 11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes. 12. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium. 13. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. 14. Quis ego, & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniuersa promittere: tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus; dedimus tibi. 15. Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. 16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam parauimus vt ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia. 17. Scio Deus meus quòd probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc: & populum tuum, qui hîc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, patrum nostrorum custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, vt custodiat mandata tua, testimonia tua, & cerimonias tuas, & faciat vniuersa: & ædificet ædem, cuius impensas parauí. 20. Præcepit autem Dauid vniuersæ Ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde regem. 21. Immolauerúntque victimas Domino: & obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, & vniuerso ritu abundantissimè in omnem Israel. 22. Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. Et vnxerunt secundò Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificem. 23. Sedítque Salomon super solium Domini in regem pro Dauid patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israël. 24. Sed & vniuersi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & subiecti fuerunt Salomoni regi. 25. Magnificauit ergo Dominus Salomonem super omnem Israël: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israël. 26. Igitur Dauid filius Isai regnauit super vniuersum Israël. 27. Et dies, quibus regnauit super Israel: fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnauit septem annis, & in Ierusalem annis triginta tribus. 28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitiis, & gloria, & regnauit Salomon filius eius pro eo. 29. Gesta autem Dauid regis priora, & nouissima, scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis; 30. vniuersíque regni eius, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, siue in Israel; siue in cunctis regnis terrarum.

COMMENTARII.

1. Expensæ, quas Dauid in ædificium Templi seposuit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Locutúsque est Dauid &c.*] Ad omnem *Ecclesiam* seu ad cœtum eorum, quos congregauerat, (vide *cap. superiori à vers.* 1.) Rex Dauid profatur: Ex omnibus filiis meis Dominus vnum Salomonem elegit *adhuc puerum, & tenellum*: non quidem ætate, vigesimum enim supra secundum iam agit annum, sed respectu habito ad operis suscepti magnitudinem; quod planè requirit hominem omnibus naturæ, artis, doctrinæ, prudentiæ, experientiæ præsidiis cumulatè instructum: opus quippe grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo Palatium extruitur. LXX. loco Hebraicè vocis illius *Birah* transtulere *Palatium.* * O tempora! Nunc requiritur prudentia, ars, opulentia ad ædes hominí ædificandas, ad Palatium Principi terricolæ construendas! & ad Templum Domini excitandum sumptus exiguus sufficit? Proh hominum emortua fides!] Itaque Salomonis ad tantum opus exilitas vestro ô Proceres roboretur auxilio.* Rex prudentissimus causam illam cũctis Principibus voluit esse communem, vt ab omnibus iuuaretur. Quidquid enim singulariter sibi abrogatur à Rege, non bene audit apud subditos.]Ego autem vt vos exemplo præcederem, totis viribus meis exædificandis ædibus Domino Deo meo præparaui. Aurum ad aurea vasa, argentum ad argentea, æs ad ænea, ferrum ad ferrea congessi, lignea vero ad quæcumque supellectilia ex ligno perficienda essent. Præterea lapides *onychinos* referentes scilicet humani vnguis colorem: & lapides *quasi stibinos.* Candidum lapidem intelligo, quem *Alabastrum* vocitamus. Qui dicitur lapis stibinus, quod colore stibium referat; de quo Plinius *lib.* 3. *c.* 6. *In iisdem argenti metallis inuenitur spuma candida lapis,*

habitacula hominũ prætanitas, dum Deo non Palatium iam, sed tugurium extruitur.

Non benè audit apud subditos, quidquid sibi singulariter abrogatur.

Subtaxatur ædificiorũ ad

R. P. de Escob. & Mendoz. in Paralipon. lib. I.

nitentisque, non tamen transluentis: stimmi appellant, alij stibium, alij alabastrum. Item collegi *diuersorum colorum* lapides, (iaspidem dixerim.) Omnémque pretiosum lapidem, & *marmor Parium* abundátissimè. Hebraicè tantùm est *Marmor*, sed Lxx. & Latinus adiecerunt epiteton *Parium* ab Insula Paro vna ex Cycladibus sic dictum, vt exponant quale fuerit marmor? nam album erat, & reliquibus marmoribus præcellebat. Et super hæc, quæ in Templum Domini præparaui, offero ad eius extructionem *meo ex peculio* aurum & argentum seu pecuniam peculiariter Sepositam, ac destinatam non ad Regni necessitates, sed ad ea, quæ Rex pro nata occasione aut cupiditate voluisset: (Hispanè aulici dixerint: *Del volsico.*) *exceptis his*, seu præterea, quæ ex variis bello subactis Prouinciis seposui in fabricam Ædis sanctæ: quæ sunt vt minimum tria millia talenta auri de Insula Ophir: & septem millia talentorum probatissimi argenti ad parietes Templi inaurandos horum vi nummorum. Peritissimorum artificum ministerio cuncta fient de auro, vbi oportuerit auream esse materiam: & vbi argenteam esse conueniens fuerit, ex argento perficientur. Attamen hisce tãtis thesauris haud puto sat adhuc prospectum necessariis Templi, quod Deo opt. max. splendidum admodum construendum est, ornamentis. Idcirco cupio, vt & vos Principes populi de vestro peculio, quantum cuique sponte libuerit, in id conferatis, & Deo manu munifica literis: si ergo quis sponte offert, *impleat manum suam* hodie, & quod voluerit Domino offerat. Significat Dauid oblationem hanc fore quasi sacrificium quoddam Deo gratissimum & manus suas hac consecraturos donatione. Implere enim manum, Scripturæ phrasi, est Sacerdotio initiare. * Qui ergo donarium aut extruendo aut ornãdo Templo offert, quasi in Sacerdótem Domini consecratur.] * Vel manum implere Principes, idem est ac largiter munera exhibere. Decet enim diuites erga Dominum omnium diuitiarum largitorem manum tendere auaram, Plena extendenda est manus ei, à quo omnis dantis profluit plenitudo.]

Quasi in Sacerdotem cõsecratur, qui donaria Templo extruẽdo, aut ornando offert.

Taxantur diuites, qui manum non plenam Domino extendunt.

Verſ. 6. 7. 8. 9. *Polliciti sunt* &c.] Itaque Principes familiarum, & proceres Tribuum Israël, Tribuni, Centuriones, & Præpositi possessionum Regis, seu qui Regiæ substantiæ præerant polliciti sunt ad Regis exemplum. * Nàm cum Rex omnes diuitias suas causæ publicæ impendit, cogit subditos cuncta, quæ possident exhibere.] Non solùm autem polliciti fuerunt, sed dedere ad exædificationem Templi, eiúsque ornatum quinque millia talenta auri, decem millia solidos, decem millia argenti talenta, decem & octo millia talenta æris; & ferri centum millia talentorum. Sæpiùs inculcaui talentum vnum auri duodecim millia coronatorum nostrorum continere, talentum argenti siclorum argenteorum tria millia; vnius verò sicli pondus quatuor Hispanicos regales æquare, siclũq? idem esse ac stacter, ac terradeachmum; solidus verò quid? Erat tantùm sexta vnciæ pars, indéque *sextula* dicebatur, & septuaginta duo solidi libram faciebant: hæc enim duodecim continebat vncias. Porrò talentum siue auri, siue argenti, siue æris, siue ferri semper erat. Ponderis eiusdem, hoc est librarum (duodecim vnciarum) centum viginti quinque. Et quidem quicumque lapides pretiosos habebat, cuiusmodi sunt marmora, *in thesauros* Templi Domini per manum Iahiel Gersonitis exhibuit, in thesauros inquàm, hoc est, vt ad Templi fabricam seponerentur. Quinam hic Iahiel? Certè hic cùm duobus filiis suis Zathan & Iohel erat domus Domini thesauris præpositus. Dicitur *Gersonites*, quia Leuita erat ex familia Gerson filij Leui. Preme quæso particulas, *Polliciti sunt & Dederunt.* * Facilè Principes promittere assolent, difficilè implere promissa. Hi fideles admodum Proceres, quibus polliceri, dare fuit.] Lætitiáque magna affectus est populus, *cum vota sponte promitteret* Lxx. *Cum sponte offerrent.* Hebraicè, *Lætatus est populus propter oblationem suam spontaneam.* * Nam quod sponte datur Regi petenti hilarem reddit largitorem, non sic quod à renitentibus siue non spontaneis exigitur.] * Certè quod à non vltroneo subdito exigitur, non ab eo datur, sed à Principe aufertur.] Inde verò populo profluebat lætitia, quia toto ex corde donaria illa Domino offerebat. Hebraicè. *Corde perfecto.* Nec mirum, corde perfecto, id est, vltroneo ex animo Regi à subditis dari, quod ipse in obsequium Domini curat impendere. * Ad causas fidei, ad pietatis promotionem cuncti fideles subditi toto ex corde donaria Regibus exhibebunt. Cum autem priuatæ causæ status gerunt, non mirum circa donaria exhibenda subditos pigritare.] *Sed & Dauid Rex lætatus est gaudio magno*, videns scilicet à subditis vltroneis donaria exhiberi. * *Lætatus* Rex, quia *lætatus* populus. Nescio quidem quonammodo mœrentibus subditis possunt Præsules potiri lætitia? Probus Rector tunc gaudet cum subditi lætantur: tunc mœret cum ex inopia, ex bellis, & ærumnis subditi mœrore conficiuntur.]

Facilè Principes promittunt, difficilè dant.

Quod dat populus Regi spontaneus, eidem populo infert lætitiã mœrorem verò quod ab eo exigitur.

Non datur à subdito, sed à Principe aufertur, quod suuditus vltroneus non exhibet.

Ad causas fidei, ad publica commoda subditi dant Regi spontaneè.

Probus Præsul cum subditis lætantibus lætatur; mœret, cum mœrentibus.

3. Gratias agit Dauid Deo pro spontanea populi oblatione.

Verſ. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Et benedixit Domino &c.*] Sciens Dauid vltroneam illam populi oblationem ex speciali Dei munificentia profluere Domino coram vniuersa multitudine benedixit profatus: Benedictus es (siue sis) Domine Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum (Vatablus) *à sæculo vsque in sæculum*, id est, per totam æternitatem. Tua est Domine *magnificentia, & potentia*, id est, tu magnificus es, & potens: & te magnificare, ac celebrare debemus. Eadé diuersis iterata phrasibus animi sancti Regis produnt affectum. Vnde addit, Tua est *gloria*, atque *victoria*, & tibi solùm *laus* ex cunctis præclarè gestis hominum debetur: nam & te roborante, diminicant, & te auxiliante, victoria potiuntur. Cuncta quæ in *cœlo* conspiciuntur, & quæ non patent oculis: omnia, quæ exponuntur in *terris*, & quæ eius in sinu latitant, *tua sunt*. Tuum Domine, Regnum, *& tu es super omnes Principes.* Hebraicè & *eleuatus ad omnes* (id est, super omnes) *ad caput*, vt sis caput omnium. A te diuitiæ profluunt, à te gloria Principum rutilat: tu omnibus dominaris, è manu seu potestate tua eorum virtus ac potentia deriuatur: in manu tua *magnitudo & imperium omnium.* Hebr. *Ad magnificandum, & roborandum*, id est, tu potes magnos reddere viros, & conseruare in magnitudine. * Quid proficit, te ad magnitudinem extolli, si non potes felici in statu persistere? Felicitatẽ inchoatam & ad perfectionem ex stabilitate non reductam infelicitatem esse dixerim.] Verùm particulam,

Infelicitas est felicitas illa, quæ incipit, & non proceditur.

ticulam, *In manu tua magnitudo, & imperium omnium*, LXX. sic transferunt: *Magnificare, roborare*, seu *confortare omnia*. Igitur esse Imperatorem idem est ac omnia, id est, omnes subditos magnificare, roborare, confortare. * Optimum Regem seu Præsulem agit, qui magnificandis roborandis, ac confortandis subditis studet. Imò Principem sic ac Præsulem agit, si idem est imperare, ac magnificare roborare, confortare. Non quidem est Imperator, qui imperij non gerit esse sentiam.] Nunc igitur Domine Deus confitemur tibi, & tuum inclytum nomen collaudamus. Quis ego & quis populus meus, vt hæc tibi vniuersa valeamus promittere, id est, sponte offerre? Hebr. *Vt prævalerem vs virtute ad offerendum sponte sicut hoc*, id est, sicut est factum. * Certè homines licet Reges, licet Principes rarò sponte munera offerunt: Vnde ex speciali Dei munere prouenit, hominem esse liberalem ac munificum.] Scientes tamen ex speciali gratia tua esse cuncta, quæ de tua manu accepimus tibi reddidimus. * Si ergo ô Deus, *tua sunt omnia*, quæ tibi in paupere petenti non damus, quasi possessores malæ fidei planè retinemus.] * Pende particulam, *Quæ de tua manu accepimus, dedimus tibi*. Verius dixisset Rex, *Reddidimus tibi*, quàm *Dedimus*. At tanta est Dei erga reddentes pietas, vt pro dato accipiat, quod sibi ex acceptis ab ipso donis redditur.] *Peregrini enim sumus* in conspectu tuo, & aduenæ sicut omnes patres nostri, id est, adeo eorum, quæ damus Templo tuo extruendo, & ornando, Domini non sumus vt vix breuem illorum vsum habeamus, dum peregrinamur in hac mortali vita, quemadmodum omnes patres nostri vix possederunt, quæ nobis hæredibus dereliquere. Dies profectò nostri quasi vmbra super terram volitant, *& nulla est mora*. Gebraica vox *mikuch* spem potius significat, ac si diceret: Dies nostri declinant, vt vmbra, nec vlla est spes mortem euadendi. Hierony. *sine mora velociter occupat mors*. * Ergo stultus qui à Deo accepta bona, Deo non reddit in Templo, & in paupere, quæ tam citò velit, nolit derelicturus est. Ex cõtemplatione itaque breuitatis vitæ cordati alliciuntur ad eleemosynam spontaneè elargiendã.] Domine Deus noster hãc omnem auri, argenti, æris, ferri, lapidum, ac nummorum vim, quam ædificando Templo ad tui nominis cultum sacrauimus, de tua munificentissima manu accepimus, cuius sunt omnia. Quid igitur dedimus? * Nihil porrò homines Deo dare possunt, à quo cuncta acceperunt. Vnde ipse Dauid quærebat anxius quid posset Domino reddere pro acceptis. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & nihil quod redderet inueniebat, quod ab ipso non accepisset.] Iam tamen inueni, quod tibi dare possim, quia *scio*, Deus mens, te promptitudinem cordis probare, ac simplicitatem diligere: vnde & ego qui nihil dare possum, quod non acceperim, meo ex penu nec sine tuo munere) addo simplicitatem seu promptitudinem cordis mei, qua lætus obtuli vniuersa hæc: & simplicitatem populi tui, qui hîc adest, quem quidem vidi, tibi cum ingenti gaudio obtulisse donaria. * Deo itaque omnium nostrarum Domino diuitiarum nihil dare possumus nisi promptitudinem & affectum, quo hilariter, & spontaneè ei reddimus, quod ab ipso accepimus.] O Domine Deus Abrahami Isaaci, ac Israëlis patrum nostrorum, eorum sanctitatis ac iustitiæ memor æternùm in filiis hanc voluntatem, seu hunc pium cordis affectum custodi, vt semper circa cultum tuum mens ista permaneat. Quid enim proderit Templum erigere, ac semel donariis ornare, si idem eorum non permaneat ac persistat affectus ad operis instituti reparationem? * Hinc commendentur qui erecto à se Templo aut altari, annuum relinquit redditum, quo valeat refici, ac exornari.] Salomoni & iam filio meo perfectum cor tribue, vt tua mandata custodiat, testimonia tua, ac cerimonias obseruet, vniuersique legi humilis exhibeat obsequium: ædemque ædificet, cuius impensas præparaui. Ponderanda verbum, *Salomoni da cor perfectum, vt custodiat mandata tua*. * Certè cor perfectum, seu intellectum integrum minimè se ostendit habere, qui Dei præscripta non obseruat. Nam qui transgressor legis tot sese incommodis temporariis & æternis addicit, expers prorsus rationis est iudicandus.]

Regem ac Præsulem esse idem est, ac subditos magnificare, roborare, confortare.

Ex speciali Dei munere euenit, hominẽ esse munificum, & liberalem.

Quæ pauperi non damus, nia, velut possessores malæ fidei retinemus.

Licet Dei sint omnia, quæ ei reddimus, quasi data proprio ex penu dignatur accipere, non quasi reddita.

Ex vitæ breuitatis obiectu alliciuntur ad eleemosynam spontaneè elargiendam.

Nihil possumus dare Deo, à quo cuncta accepimus.

Deo nihil dare possumus nisi affectum, quo hilariter ei reddimus, quæ ab ipso accepimus.

Vers. 20. 21. 22. 23. 24. 25.] *Præcepit autem Dauid, &c.*] Dauid verò vniuersæ Ecclesiæ, siue vniuerso cœtui Principum, procerum, ac officialium Regis præcepit: *Domino, Deo vestro* grati pro acceptis muneribus *Benedicite*. * Munus enim eximium à Domino est, ab ipso donari, vt donaria ei gestiamus exhibere, è quibus vberiora à Deo munera recipiamus.] Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum; procidentéque cuncti Deum adorauerunt, ac *deinde Regem*, approbantes vtique, quæ Rex nomine ipsorum & suo coram Deo præcabundus dictitarat. Iosephus *lib. 7. c. 9.* sic exposuit: *Vers. deinde ad Dauidem pro omnibus ei bonis, quæ ipso regnante perceperant* à Deo, *gratias egerunt*. * Vndenam gratiæ Dauidi pro bonis à Domino acceptis aguntur? Quia ob iustitiam Regis Deus subditos hisce bonis de more donauerat. Ob crimina Præsulum subditi puniuntur, & ob iustitiam eorumdem subditi muneribus cumulantur. Vnde proceres illi sanctitudinis Dauidis testes pulchrè collegerunt, ex Regis pietate eis tot à Deo munera orta habuisse, & ei gratias gestiunt exhibere.] Profectò *sequenti die* victimas Domino immolauerunt, & obtulerunt holocausta, tauros scilicet mille, arietes mille, ac totidem asinos cum libaminibus suis, & vniuerso ritu *abundantissimè* vtique in omnem Israël. Refert id sacer Scriptor non ad sola holocausta, quæ proximè præcesserunt: sed ad omnes victimas die illa Domino immolatas, v. gr. in hostias pacificas, quæ non totæ igni absumebantur, vt fiebat in holocaustis, sed pro maiori parte cedebant offerentibus in epulum. Vnde subditur, victimas illas abundantissimè fuisse in omnem Israël, id est omni populo, qui tunc conuenerat abundè ad lautum epulum sufficisse. * Preme particulam *Obtulerunt holocausta die sequenti*. Cur non illa ipsa die? Quia victimæ Deo offerendæ non tepentè exponuntur sed post præparationem saltem diei vnius. Hinc edisc imus non tepentè ad sacrum epulum vbi Deo Agnus offertur Eucharisticus nobis accedendum, sed saltem post diei præcedentis præparationem.] Et comederunt, & biberunt *coram Domino* die illa cum ingenti lætitia. Coram Domino scilicet. An coram Arca? Minimè, nullum enim atrium tanto populo epulanti par esse potuisset: sed Ierosolymis, loco, quem sibi Dominus ad sacrifi-

Communicatur, qui Templo aut altari à se erecto annuos relinquunt reditus, vt reparetur, & ornetur.

Demens est habẽdus, qui Deo violat mãdata, cum tot sc addicat incommodis.

4. Sacrificiis Dauid & Principes dedere operam.

Munus eximium à Domino est, donari nos à Deo, vt ei donaria exhibeamus.

Ob Præsulum iustitiam aut iniustitiã subditi aut muneruntur, aut flagellantur à Deo.

Non accedendum ad Eucharisticum epulum repentè, sed saltem post vnius diei præparationem.

Quanta reuerentia exigitur ab eis, qui in Templo commorantur.

ſacrificiorum pacificorum elegerat epulas.* Ciuitas, qua Arca reconditur, tam ſancta obijcitur, vt epulantes in ea à Tabernaculo, & ab atrijs abſtracti dicantur coram Domino, ſiue in Areæ conſpectu comedere & bibere? Ergo ſtrictioti iure qui in Delubro commorantur debent reuerentiæ accuratiſſimæ ſtudere.] Poſtmodum colligati Principes & proceres. *Secundò* Salomonem inunxerunt in Regem. Prior enim vnctio, quæ ad preces Bethſabeæ facta fuerat in Gion, tumultuaria & ſubitaneo opere facta fuerat coram paucis.* Quaſi non factum quo à Rege, non approbante toto populo, geritur.] Itaque conueniebat, eandem publicè & ſolemniter inſtitui, totóque Iſraële præſente, & conſentiente iterari. Vnxerunt autem eum *Domino* in Principem.* *Domino* quidem, non ſibi, non fratribus, non amicis Rex potitur imperio, ſed vt Domini gloriam promoueat, fidem defendat, pauperibus ſuccurrat.] Eadem opera etiam Sadocum ſolemniter in ſummum Pontificem inunxerunt: fortè ne quis locus eſſet cauillationi, non eſſe legitimum Pontificem, qui à Saule tyranno potius quàm Rege intrus eſſet in munus ſibi non debitum, vtpotè viuente legitimo Pontificatus hærede Abiathare Pontificis tum defuncti filio.* Porrò illa particula, *Vnxerunt autem eum Domino in Principem, & Sadoc in Pontificem* etiam monet Sadocum, non ſibi, non ſuis promouendis electum fuiſſe, ſed *Domino* obſequendo, protegendæ Eccleſiæ, pauperum inopiæ ſubleuandæ. Hinc Epiſcopi obligationem ſui muneris edoceantur.] ſeditque Salomon ſuper *ſolium Domini*, vt pro Dauide patre ſuo regnaret; *placuitque* cunctis, id enim actum fuit cuncti populi plauſu: illi ideò *paruit* omnis Iſraël, ſcilicet vera animi ſubmiſſione, non ſola externa executione imperij.* Vt Præſuli ſubditus verè ſubmittatur, confert, vt ei placeat iſius electio. Vnde hi, ad quod attinet Rectorum electio, debent ſubditis virum eis præficere, qui eis placeat non quidem ex noxia indulgentia, benignitate, ac efficaci manſuetudine.]* Preme verbum, *ſedit Salomon ſuper ſolium Domini*. Cum Regni, aut Præſulatus ſedem occupaueris, recordare, quod ſolium at ſedes illa Domini eſt: gere te Dei Vicarium, non dominum ſedis, vt iuxta Dei præſcripta valeas ſubditis imperare.] Porrò non ſolùm populares ſubmiſſi Salomoni fuere, ſed & vniuerſi Principes & potentati, imò & cuncti filij Regis Dauid *ei dederunt manum*, ſiue manus contactu Salomoni fidem firmarũt, vt etiam hodie fit: (Vulgariter dixerim, *Veſaron la mano al nuetuo Rey.*) & ſubiecti Regi Salomoni extitere. Hebraïcè ſolùm lego, *Dederunt manum ſub Salomone Rege*. At Vulgata exponendo addidit: *ſubiecti fuerunt Salomoni Regi*, vt illa porrectio manus in ſignum fuerit ſubiectionis. Dominus itaque Salomonem ſuper omnem Iſraël *magnificauit*, ſeu vniuerſo Iſraëli præfecit: & dedit illi talem Regni gloriam, qualem nullus Rex Iſraël ante eum fuerat adeptus.

Quaſi non factum, quod à Rege non approbante toto populo geritur.

Rex non ſibi non amicis promouendis ſed Domino obſequendo imperium accipit.

Epiſcopi dignitate donãtur non ſibi nõ propinquis promouendis ſed ad Dei gloriam propagandam.

Vt ſubditi ex corde Præſuli obediant, oportet eis placeat electio.

Verſ. 26.27.28:29.30. Igitur Dauid &c.] Dauid igitur *filius Iſai* vniuerſo Iſraëli imperauit. * *Filius* inquàm *Iſai*, nec enim obliuioni tradidit Rex vilioris conditionis originem. Rarus quidem, qui præcelſo addictus ſtatui memor priſtinæ vilitatis exiſtat.] Porrò dies quibus regnauit, quadraginta impleuere annos: ſeptem annis apud Hebron, apud Ieroſolymam verò triginta tribus ſolium occupauit. Obiit denique laudabili condecoratus ſenio, plenus dierum, diuitiis, gloriáque temporaria exundans: & filius eius Salomon eius locum obtinuit. * Preme particulam, *Mortuus eſt in ſenectute bona*, Quàm bona ad obitum ſenectus. Equidem magno Dei beneficio quis ſenio donatur; exacta enim ætas licet ad pœnitudinis aſperitatem inepta, ad pœnitudinis apta eſt affectum.] Geſta verò Dauidis Regis priora & nouiſſima in libro ſamuelis Prophetæ, in libro Nathan etiam Prophetæ, & in volumine Gad Prophetæ ſimiliter, recenſentur. Quaſnam liber ſamuelis? Primus & ſecundus Regum, quos ſamuel ſcripſit, vbi Dauidis geſta, Verùm Libri Gad & Nathan non extant. Annales illi à Samuele à Nathan, à Gad conſcripti memorant Regni Dauidici euentus, commendant Regis fortitudinem tempora denum, quæ, Dauide regnante, ſiue in Iſraël, ſiue in cunctis terrarum Imperiis præteriere, deſcribunt. Aliqui *τὸ & temporum, quæ tranſierunt ſub eo* ſic expoſuere: *Et afflictionum, quas Dauid eſt paſſus*, iuxta illud Pſalm. 30. 16. *In manu tui tempora mea, libera me.* * Quaſi Dauid non reputet tempus eſſe, niſi illud, in quo tribulationibus fuerit agitatus. Nam qui non tribulatur quaſi non viuit.]

5. Dauidis Felicitſſimus obitus.

Rarus, qui præcelſo addictus ſtatui priſtinæ vilitatis memor exiſtat.

Bona ad moriendum ſenectus.

Illud ſolũmodo tempus reputandum, quo laboribus agitamur.

LIBER SECVNDVS

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD SECVNDVM PARALIPOMENON.

PROLVSIO.

Aduentante Annalium Regum Iuda, & Israël reliqua tractatione redit ad Dei parentem Reginam respectus, quæ Reges edocet, quonammodo debeant subditos obumbrare, ac protegere. *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, &c.* Verbum Hebraïcum רדה *radah*, quod verbo *Præsit* respondet, idem est, ac *extendere*, & *obuelare*. Transfertúrque ad dominium, quoniam qui præest, aut dominatur, extendit cum imperio suum supra subditos patrocinium, vt velut sub palljo suos contineat, aut velut sub vmbraculo protegat. Rhamnus in Regem electa lignis respondet: *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite.* LXX. *Subsistite in vmbra mea.* August. *quæst.* 44. *Confidite in protectione mea.* D. Anselmus *lib. de excel. Virg. cap.* 4. asserit Deiparam à Spiritu sancto simul accepisse, & Reginam omnium existere, & posse subditos obumbrare, ac protegere ipsius virtutis Altissimi vmbraculo, de quo Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Maria igitur illos commendat Hebraïci populi Reges, qui subditis extitére protectio: illos taxat, qui Rhamni imperantis in morem, ficto vmbraculi nomine subditis parauére ruinam.

CAPVT PRIMVM.

Mille hostijs à Salomone in Gabaon oblatis, Deus illi noctu apparens, optatâ eum sapientia donat, ac simul immensas diuitias superaddidit, ac gloriam. Curruum, ac equitum eius numerus exponitur.

1. CONFORTATVS est ergo Salomon filius Dauid in regno suo, & Dominus Deus eius erat cum eo, & magnificauit eum in excelsum. 2. Præcepítque Salomon vniuerso Israël, tribunis, & centurionibus, & ducibus, & iudicibus omnis Israël, & principibus familiarum: 3. & abiit cum vniuersa multitudine in Excelsum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine. 4. Arcam autem Dei adduxerat Dauid de Cariathiarim, in locum quem

præparauerat ei, & vbi fixerat illi tabernaculum, hoc eſt, in Ieruſalem. 5. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beſeleel filius Viri filij Hur, ibi erat coram tabernaculo *Domini*: quod & requiſiuit Salomon, & omnis eccleſia. 6. Aſcenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo *mille hoſtias*. 7. Ecce autem in ipſa nocte apparuit ei Deus, dicens: Poſtula quod *vis*, vt dem tibi. 8. Dixitque Salomon Deo: Tu feciſti cum Dauid patre meo miſericordiam magnam: & conſtituiſti me regem pro eo. 9. Nunc ergo Domine Deus impleatur ſermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo: tu enim me feciſti regem ſuper populum tuum multum, qui tam innumerabilis eſt, quàm puluis terræ. 10. Da mihi ſapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim poteſt hunc populum tuum dignè, qui tam grandis eſt, iudicare? 11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non poſtulaſti diuitias, & ſubſtantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant, ſed nec dies vitæ plurimos: poſtiſti autem ſapientiam & ſcientiam, vt iudicare poſſis populum meum, ſuper quem conſtitui te regem. 12. Sapientia & ſcientia data ſunt tibi: diuitias autem & ſubſtantiam & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus nec ante te nec poſt te fuerit ſimilis tui. 13. Venit ergo Salomon ab Excelſo Gabaon in Ieruſalem coram tabernaculo fœderis, & regnauit ſuper Iſraël. 14. Congregauitque ſibi currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & fecit eos eſſe in vrbibus quadrigarum, & cum rege in Ieruſalem. 15. Præbuitque rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa, à negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio. 17. quadrigam equorum ſexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: ſimiliter de vniuerſis regnis Hethæorum & à regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

COMMENTARII.

1. Salomon mille hoſtias apud Gabaõ Domino obtulit.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Confortatus eſt ergo.*] Sublatis inimicis omninò ſtabilitum eſt Salomonis filij Dauidis Regnum, & Dominus Deus ipſi propitius aderat; eúmque admodum magnificauit, & excelſum expoſuit. Adnota verbum confortatus eſt Salomon in Regno ſuo. 3. *Reg.* 3.1. *Confirmatum eſt* Salomonis Regnum, hoſtibus ſcilicet ablatis. * Nulla enim poteſt Regno ſtabilitas adſtrui, dum ab hoſtibus ſubditi imperuntur. Vnde crediderim, tunc ſolùm imperare Reges cũ pace fruuntur.] Addidit poſt expreſſam Regni confortationem, ſeu ſtabilitatem, ſeu confirmationem ſacer Scriptor, *Et Dominus Deus erat cum illo.* * Ille ſiquidem feliciter imperat, qui à Deo delinquens non recedit. Et quonammodo poteſt ſine Deo vlla adſtrui felicitas?] *Et præcepit Salomon vniuerſo Iſraëli*, id eſt, conuocauit Rex vniuerſum Iſraëlem; Tribunos, centuriones, Duces, Iudices omnis Iſraël, & Principes familiarum. Conuocaréne hoſce primores ſubditos, in vnumque colligare, idem eſt, ac eis præcipere? Ita plane; idem eſt ſubditos ad communitatem cogi, ac ſub præceptis ſubiacere. * Eſſentiale quidem eſt communitati ſemper obedientiæ ſubeſſe ſiue Rectoris imperia exequatur, ſiue dormiat, ſine comedat, numquam non præceptis addicitur.] Et abiit Salomon cum vniuerſa multitudine in excelſum Gabaon, vbi aderat Tabernaculum fœderis Domini, quod Moſes Dei famulus in ſolitudine extruxerat. Vacuum profectò erat Tabernaculum; Arcam enim Dei Dauid de Cariathiarim in locum, quem ei collocandæ præparauerat, & vbi aliud fixerat Tabernaculum, nempe in Ieroſolymam adduxerat. * Edocemur vel vacua Delubra vbi aliquandò ſacratior Arca, Euchariſtica ſcilicet, exiterit, venerari, parietes vel deſtructos religioſo corporis habitu, animíque colere affectu.] Porrò inibi æneum altare, quod Beſeleël filius Vri filij Hur olim perfecerat coram Tabernaculo Domini aderat: hoc Salomon & omnis Eccleſia ſeu colligatus Hebræorum cœtus *requiſiuit*, ſiue adiit, vt in eo Sacrificia offerret. * Si aderat coram Tabernaculo altare illud, cur dicitur requiſitum fuiſſe, ac ſi in abſcondito latitaret? An quia miniſtrorum incuriâ aſſolent altaria adeò incompta oſtentari, vt potius communis deſpectabilis menſa, quàm Sacerrima altari eſſe videantur?] *Aſcenditque* Salomon, ſi ue fecit aſcendere ad altare æneum in cõſpectu Tabernaculi fœderis Domini, in eoque mille obtulit hoſtias. Aſcendiſſe dicitur ad altare *coram Tabernaculo*, quia altare holocauſtorum ante fores Tabernaculi aderat. Porrò pro verbo illo, *Et aſcendit Salomon*, LXX. ſcripſere, *Obtulit Salomon*, ſiue aſcendere fecit Sacrificium, quia Hebraicum יעל *Iahal* eſt in coniugatione *Hiphil*, & ſignificat *Aſcendere fecit*, ſiue *Obtulit*. Mox additur, *Et obtulit in eo mille hoſtias*, vbi eadem eſt vox *Iahal*. Alioqui autem nulli gradus ad Salomonis aderant aſcenſionem. * Niſi dixeris, nunquam non altare locum eſſe auguſtiſſimum & eleuatiſſimum, ad quem mentis magna neceſſaria ſit elevatio.]

Soluimmodò imperant Reges, cum pace fruuntur. Nulla Regibus abſtractis à Deo felicitas.

Effentiale communitati ſubditorũ eſt, ſemper ſub præceptis adeſſe.

Vel parietes deſtructi Tẽpli, religioſè colere debemus.

Thxantur miniſtri, quæ altaria incõpta eſſe permittunt, communi deſpectabili menſæ ſimilia.

Altare locus eſt eleuatiſſimus, ad quem magna animi neceſſaria eſt aſcenſio.

Verſ. 7.8.9.10.11.12. *Ecce autem &c.*] Poſt mille hoſtiarum perfectum ſacrificium, illa ipſa nocte Deus Salomoni apparuit affatus: Poſtula, quidquid expetieris à me tibi impertiri. * Preme particulam, *In ipſa nocte apparuit ei Deus.* Quàm efficax ad cœleſtia beneficia impetranda

2. Salomon & ſapientiam, qua donari à Deo poſtulat, accipit, ac ſimul diuitiarum ingentem vim

Ad cœlestia impetranda munera, efficax abundantis sacrificij oblatio.

petranda abundantis oblatio sacrificij! Mille Rex hostias obtulit, & mox ei vltro sese cœlestis munificentia exposuit.] * Vt ediscas, affluenti eleemosynæ operam dare, dum expetis augustissimo munere donari.] Salomon itaque Domino profatur: Tu in patrem meum Dauidem tuæ misericordiæ diuitias profudisti, mêque eius loco supra Israëlitici Regni sedem collocasti. Nunc ergo Domine Deus impleantur obsecro in me, quæ patri Dauidi promisisti circa Regni gubernationem. Nam qui me Regem tanti populi, cuius capita pulueri possint quodammodo numero æquari, debes Imperatori aptitudinem ad difficillimũ munus obeundum impertiri. Confer igitur sapientiam, & intelligentiam, *vt ingrediar, & egrediar coram populo meo*, id est, vt sciam, quonammodò me gerere debeam, & populum gubernare. Quis enim sine specialissimo munimine tuo valeat dignè innumerabilem multitudinem iudicio continere? * Ingredi, & egredi scripturæ assidua phrasi idem est, ac dignè gubernare. Nec enim aptè potes subditos continere Princeps, qui non egreditur ad Vrbes, ad Viculos conspectandos.] * Hinc tax̃biles Præsules Ecclesiastici præsertim, qui non egrediuntur ex Vrbe Metropoli ad totius Diœcesis Oppida inuisendum.] Dixit autem Salomoni Deus per somnium diuinitùs immissum: Quia cordi tuo placuit sapientia donari, & non efflagitasti augeri diuitiis, substantia ac gloria sæculi cumulari: nec inimicorum postulasti ruinam, nec vitæ diuturnitatem expetisti; sed prudentiam & sciẽtiam, vt populum meum cui te præfeceram, possis iudicare, ac regere: Prudentia ac scientia iam præditus es, me, munificentissimo largitore: quin & diuitias, substantiam sæculare mque gloriam adiiciam adeò excellentem, vt nullus præcesserit Rex tui similis, nec futurus sit æmulator. Non dicit, se daturum animas hostium. Quare, precor? An quia Deus benignissimus est? * Certè qui Deus decreuerat Salomonem pacificum esse Regem. At vt pax obfirmaretur, hostes in amicos erant mutandi: maior verò erat victoria Regis hostes facere amicos, quàm eos extitialiter debellare.] * Hinc commendatam à Domino inimicorum dilectionem illustro. Diligendo enim plus geris, quàm vindictâ; inimicum enim ad tuam adducis ditionem, vt tibi obsequentium numerus augeatur, quod tui procul dubio cedit in commodum.] De vitæ autem longitudine hîc nulla mentio. Causam Mariana reddit, * Quoniam longæua vita non semper in bonis poni debet.] Sed miror Auctorem non recurrisse *ad 3. Reg. 3. 14.* vbi dicit Deus: *Si ambulaueris in viis meis: longos faciam dies tuos.* Non igitur præteriit Deus vitæ longeuæ promissionem. At Salomon vita longæua donatus non fuit, quia obseruationis legis non impleuit Rex conditionem. Certè vitæ diuturnitas obseruatori legis beneficium est, violatori verò supplicium, si superstes addit quo dirius puniatur.] * Vndè peccaturò Dei maximo bene anni interciduntur.]

Non aptè subditos moderatur Princeps, qui non egreditur.

Egrediantur Ecclesiastici Præsules ad Diœcesis Oppida inuisendum.

Maior est Regis victoria hostes facere amicos, quàm eos extitialiter debellare.

Diligendo inimicum, eũ facis amicũ, quod tibi cedit in commodum.

Vita longæua non semper in bonis poni debet.

Vitæ diuturnitas beneficium est legis obseruatori, violatori supplicium.

Magno Dei beneficio peccaturus aliàs moritur.

3. Numerus currũm & equitum Salomonis.

Verſ. 13. 14. 15. 16. 17. *Venit ergo Salomon.*] Redit igitur Rex Salomon ab excelso Gabaon, vbi mille illas obtulerat hostias, in Ierosolymam *coram Tabernaculo fœderis*, Hebr. *de coram Tabernaculo*, LXX. *A facie Tabernaculi.* Nam Tabernaculum fœderis non erat (vt vidimus *verſ.* 3.) tum Ierosolymæ, sed in Gabaon, vnde Salomon redibat. Et regnauit super Israël. Ad Regium autem apparatum *congreganit* seu constituit sibi currus & equites plurimos; nam quadringentos currus, duodecim millia equites annumerauit: *& fecit eos esse in Vrbibus quadrigarum, & cum Rege in Ierusalem*, id est, (vt ex Hebræo legi) posuit currus, quos fecit in Vrbibus quadrigatum, sic dictis, quia inibi ob lætã pascua erat equorum copia, quibus currus trahebantur: necessarij verò currus & equites apud Ierosolymam Regis aderant ministerio. Porrò Rex adeò dives ostenditur, vt vim auri & argenti in Ierusalem quasi lapides vulgares, & cedros velut sycomoros, quæ in campestribus adnascuntur, exponeres. Sycomorus arbor est Palestinæ familiaris plebeiorum ædificiorum fabricis subseruiens parum ad firmitatem & speciem idonea: vsitata tamen quia exiguo parabatur impendio. Opponitur cedro speciosæ & firmo admodum ligno Regum Principúmque palatiis adhiberi consueto: sicut aurum & argentum lapidibus, vt huiusmodi exaggeratione cogia auri, argenti, & cedrorum innuatur. Præterea à Regi adducebantur equi de Ægypto & de *Coa* à negotiatoribus Regiis, qui proficiscebantur in Ægyptum & Coam & pretio quadrigas comparabant, nempè sexcentis argenteis equorum quadrigam; equum verò centum quinquaginta; similiter de vniuersis Hethæorum Regnis, ac de Regibus Syriæ pretij commutatione quadrigæ adducebantur. Nam cum apud Terram Israëlitidem pauci ad id tempus equi procrearentur, necessarium fuit, vt Salomon, si quos præstantes optaret, aliundè accerseret. Et quidem Ægyptum generosis abundasse equis, illud *Cant.* 1. 8. innuit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Quid autem *Coa*? An Goa Lusitanici Imperij in India Orientali caput? Nonnulli somniauerunt: nimis enim difficilis & sumptuosa è regionibus remotissimis equorum vectura fuisset. Certè si Coa proprium est Ciuitatis nomen, crediderim esse emporium particulare aliquod vel Ægypti, vel Ægypto confine: si verò appellatiuè sumatur (nam Hebræum *Kuch* significat *Congregationem*) tum emporium in genere denotabit, ad quod mercatorum congregatio vndique confluit: erítque sensus, ex Ægypti emporiis equos maximo numero Ierosolymam statuto certóque pretio ad Salomonem quot annis, aut quot mẽsibus adduci solitos. * Profectò ad Regnorum opulentiam & gloriam necessarium est hoc Prouinciarum commercium.]

Ad Regnorum opulentiam & gloriam necessarium Prouinciarum commercium.

CAPVT

CAPVT II.

Ad extructionem Templi architectos, & operarios Salomon decernit. Agit cum Hiram Rege Tyri de perito Artifice transmittendo, ligníque ad Templi fabricam necessarijs.

1. DECREVIT autem Salomon ædificare domum Domini, & palatium sibi. 2. Et numerauit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderẽt lapides in montibus, præpositósque eorum tria millia sexcentos. 3. Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum Dauid patre meo, & misisti ei ligna cedrina vt ædificaret sibi domum, in qua & habuit: 4. sic fac mecum, vt ædificem domum nomini Domini Dei mei, vt consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocaustomata manè, & vespere, sabbatis quoque, & neomeniis, & sollemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israëli. 5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes deos. 6. Quis ergo poterit prævalere, vt ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, vt possim ædificare ei domum: sed ad hoc tantùm, vt adoleatur incensum coram illo. 7. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudæa & Ierusalem, quos præparauit Dauid pater meus. 8. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea, de Libano: scio enim quòd serui tui nouerint cædere ligna de Libano, & erunt serui mei cum seruis tuis, vt parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta. 10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, seruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia. 11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcircò te regnare fecit super eum. 12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit cælum & terram, qui dedit Dauid regi filium sapientem & eruditum & sensatum atque prudentem, vt ædificaret domum Domino, palatium sibi. 13. Misi ergo tibi virum prudentem scientissimum Hiram, patrem meum: 14. filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, qui nouit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque, & hyacintho, & byssо, & coccino, & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei Dauid patris tui. 15. Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es domine mi mitte, seruis tuis. 16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuum autem erit transferre ea in Ierusalem. 17. Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israël, post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti sunt centum quinquaginta milllia, & tria milllia sexcenti. 18. Fecítque ex eis septuaginta, millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.

COMMENTARII.

1. Architectos & operarios Salomon decernit.

VERS. 1. 2. *Decreuit autem.*] Induxit igitur in animum Rex Salomon Templum nomini Domini colendo construere, & palatium sibi exædificare. Piè quidem priùs domus Deo à Rege, quàm aula sibi præparatur, edocens, vel ad prosperam Palatij extructionem conferre, primum studium ædificando impendi Delubro.] * Hinc Regulares fundatores Collegij aut domus ædiscant non priùs ædificando habitaculo operam exhibere, quàm Templum perficiatur.] Assignauit itaque ad ædificationis negotia septuaginta millia viros, qui humeris onera asportarent: & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent, eorúmque tria millia sexcentos Præpositos. Assignati autem

Priùs Reges Deo Templũ, quàm sibi palatium diuaturum ædificent.

Regulares fundatores priùs dent operam Templo extruendo, quàm proprio habitaculo.

tem fuere hi non de Israelitis, sed de proselytis, id est, de aduenis ad Iudaismum conuersis. Salomon enim de filiis Israël noluit hisce ministeriis *seruire quemquam.* * Meritò quidem; oportet enim, vt antiquior puritas sanguinis, & nobilitas præponatur,] cum de oneribus Reipublicæ causa geritur.] Dicuntur hîc operibus Salomonis præpositi fuisse 3600. cum 3. *Reg.* 5. 16. vbi de iisdem agitur, solummodò 3300. annumerentur. Respondeo verò, ibi prætermissos fuisse Præpositos superiores. Præpositorum inferiorum, qui erant trecenti, & hic suppleri. Cur autem Præpositis inferioribus hi superiores Præpositi fuerint superadditi? Vt recognoscerent, num Præpositi illi inferiores suum aptè ministerium implerent. * Non sufficit Principes, aut Præsules Rectores populo, Vrbibus, aut Collegiis assignare, nisi & alios superiores Præpositos aliquandò immittant, vt videant, an iniunctum munus perfectè adimpleatur.]

Antiquior sanguinis puritas præponenda circa Reipublicæ ministeria.

A Principibus, aut Præsulibus Præpositorũ Præpositi, seu Visitatores immittantur, vt videant, an Rectores suũ impleãt ministerium.

2. Epistola Salomonis ad Regem Tyri Hiram.

Vers. 3.4.5.6.7.8.9.10. *Misit quoque &c.*] Salomon quoque literas ad Hiram Regem Tyri immisit huiusmodi tenore: Obsecro mecum agas, quemadmodum cum Dauide patre meo egisti. Quemadmodum enim ad eum ligna cedrina vbertim immisisti, vt sibi domum, in qua habitauit, extrueret: sic ad me ligna cedrina immitte vt Templum ædificem, in quo nomen Domini Dei mei colatur, idque consecrem ad incensum in conspectu Numinis adolendum, *& fumiganda aromata*, siue incendenda, vt fumum efficiant odoratum: & ad interminabilem Sacrorum panum propositionem, necnon ad holocaustomata mane, vespere, Sabbatis, Neomeniis, ac solemnitatibus Domini Dei nostri, quæ mandata sunt Israëli Mosis præscriptione, in sempiternum offerenda. Nec mireris, me de ingenti lignorum apparatu esse solicitum, domus enim, quam extruere expeto, magna est, magno enim supra *omnes Deos* habitaculum apparatur, imo ei, qui Deus est solus, Templum ædificandum. Quis ergò tantum poterit, vt ei dignam domum ædificet? si cælum empyreum, & inferiores cœlorum orbes eum capere nequeunt, quantus sum ego, vt ei valeam capax extruere habitaculum. Vndè domum non ad habitaculum immensi Numinis extruo, sed ad hoc tantùm ædifico, vt incensum in illius conspectu adoleatur. * Hinc contemplari licet Templorum nostrorum præstantiam, vbi arca exigua totus Christus Deus & homo recluditur.] Immitte ergo ad me virum peritum admodùm, qui in auri, argenti, æris, ferri, purpuræ, coccini & hyacinthi materia nouerit operari: & qui sciat cælaturas sculpere; vt his artificibus assideat, quos mecum apud Ierosolymam habeo, à Dauide patre meo sacro operi præparatos. Nec tantum artificem requiro, sed & materiam precor remitti, nempe ligna cedrina *arcenthina* & pinea de libano. Certè arborum, stirpium, animalium que nomina, quæ in Hebræo, textu habentur, variè admodum assolent explicari, necsatis eorum potest constare significatio. Quod accidit in voce ברושים *beroscim* siue *Arcenthina*, alij enim vertunt *Abiegna*, alij putant, esse *beroſc* speciem quandam cedri, alij *buxum*, alij *iuniperum* interpretantur; nec desunt, qui *fraxinum* esse contendant. Ego *cypressina* ligna crediderim. Particula autem *Pinea* Hebraicè est *Algumim*, quam alij *Bresileam*, alij *Coralium* vertunt. Nec enim vulgarissimum pini lignum tam augustæ fabricæ erat accommodandum. * Omnis ad Templorum extructionem materia deberet esse augusta.] Nouerim quidem, seruos tuos singulari peritia pollere ad ligna ex libano cædenda: Serui autem mei tuis adiicientur, vt multiplicatis cæsoribus mihi ligna plurima ad ingentem fabricam præparentur. Rudes enim mei famuli ex tuorum edisscent, peritia, quonammodò sint ligna cædenda. * Edocendi rudes peritorum consortio.] Rursùm tanti apparatus causam inculco, quia Domus, quam extruere cupio, amplissima & inclyta admodum debet exurgere. Nec postulo, seruos tuos tuis expensis victitare, tuis enim operariis lignorum cæsoribus in cibaria prouidebo viginti millia tritici coros, & hordei totidem: vini autem viginti millia metretas, oleique viginti millia. * Cùm ex exteris Regnis seù Prouinciis adducuntur artifices seu milites, oportet eis vbertim & cibaria, & mercedem prouideri, ob quarum defectum assolent diræ excitari quærimoniæ, & operas deserueſcere.] Pro *Cibaria tritici* est in Hebræo *Tritici contusi*, id est, moliti, seu farinæ. Certè Corus triginta modios capit, sanecàs quinque. Pro *Metretas* est in Hebræo *Bathos*. *Olei quo Sata, Bathos* est in Hebræo. Sane *Satum* mensura est aridorum, non liquorum, tertia pars Ephi modium continens. Ephi autem & Bathus æquales; neque metreta discrepat multum à Batho. Porrò quid Bathus, quid Satum, quid Metreta sæpè alibi dictum.

Templorum nostrorum augustissima capacitas Christum Deũ & hominem cõtinentium.

Omnis ad Templorum extructionem materia deberet esse augusta.

Rudes, edocendi peritorum consortio.

Militibus, aut operariis ex Regnis exteris adductis cibaria & mercedes vbertim prouidenda.

3. Epistola Regis Hiram ad Salomonem.

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Dixit autem &c.*] Cæterum Rex Tyri Hiram, missis ad Salomonem literis, respondit: Quia Deus populum suum dilexit admodum, te super eum imperare disposuit tàm pium, tam sapientem. * Certè perspicuum est propitij Numinis documentum, Regem sanctum & sapientem populo à Domino præfici: sicut irati est signum Regem impium & indoctum imperitare.] Et adiecit: Benedictus Dominus Deus Israël cœli terræque conditor, qui Dauidem Regem filio sapiente, erudito, sedato, ac prudenti donauit, vt Domum Domino primùm extrueret, sibique postmodum palatium ædificaret. Vndenam Rex Tyrius Salomonis sapientiam, eruditionem, ac prudentiam agnouit, quàm paulò antè Salomon diuino munere acceperat? An ex tenore epistolæ; * Profectò breuis epistolæ clausulæ assolent scribentis Sapientiam & prudentiam facilè aperire.] An ex studio Regis mox post acceptum Imperium (functo vita Dauide) procurantis Templum Domino extruere? Quàm sapiens, quàm prudens, qui cognouit, totam Regni felicitatem à pietate ac religione profluxuram.] An quia Dei maiestatem agnoscit Salomon profatus: *Quantus ego sum, vt possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum vt adoleatur incensum coram illo.* * Sapientis procul dubio est propriam exilitatem agnoscere, Deique immensitatem penetrare.] Misi ergo, seu immittam ad te virum prudentiâ ac peritia admodum præditum Hiram scilicet *patrem meum* siue vt alij ex Hebræo transferunt *Hiram patris mei* scilicet seruum. At aptè (retenta Hieronymi translatione) potuit Tyrius Hiram patrem suum vocitare ætate videlicet, & beneuelentia.

Propitij Numinis signum est, pium, & Sapientẽ Regem populo præfici.

Epistola Scribentis Sapientiam, ac prudentiam facilè ostentat.

Tota Regni felicitas profluit à Regis pietate.

Sapientis est, propriam exilitatem agnoscere Deique immensitatem.

Commendabilis Principum erga fidelē seruum vrbanitas. *Fidelis seruus velut pater est Domini.* *Eximij artifices à Principibus honorandi.*

* Commendabilis plane Regis erga fidelem famulum vrbanitas.] * Et quidem fidelis seruus pater est Principis, dum eius causas ea gerit solitudine, qua parens filij negotia exequitur.] * Egregios artifices à Principibus speciali honorandos studio, Rex Tyrius exponit.] Immittam, inquàm, ad te Hiram patris mei Architectum eximiū filium nobilis fœminæ è filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius. Hic egregiè operatur in auro, argento, ære, ferro, marmore, & liguis; necnon in purpura, hyacintho, byssо, ac coccino: ad omnem cælaturam ac sculpturam perficiendam est peritissimus, & prudenter admodum ex suo ingenio noua quæque promet ad opus iniunctum necessaria: quæ quidem vnà cum artificibus, quos tu, Dauidque parens tuus assignastis, ac præparastis, lubens exequetur. Circa victum autem eorum, qui operibus debent incumbere, munificam tuam pollicitationem admitto; itaque frumentum, hordeum, oleum & vinum, Domine mi ad tuos seruos immitte. Nostrum erit ligna necessaria domui vtrique de Libano cædere, ratibus ea dare, ac per mare transmittere in Ioppem: tuum verò in Ierosolymam illa transferre. Adnota illam particulam: *Qui nouerit operari in auro &c.* LXX. *scientem facere.* Vnde peritia hæc refertur ad filium. Potest tamen in nominatiuo ad patrem referri sic. *Et* paret eius vir Tyrius sciens operari. * Vt intelligamus, à patre peritiam filium accepisse. Ij planè sunt artifices peritissimi, qui à patre artem quasi hæreditariam habuerunt. Sic Hebræus.] * Vndenam putas rarò egregium inueniri artificem? Certè qui artifices parentes cupiunt iam, filios suos elegantiorem statum ambire, & quos filios allicere deberent ad officinam, immittunt, & non rarò cogunt, ad aulas. Hinc subtaxarim non quidem omnes, sed multos artifices, qui filios ad ministerium alienum inclinant, speciatim ad literarium; quo planè vulgarissimi scholastici euadunt, qui eximij artifices edocti à parentibus fortasse exponerentur.] Porrò mater Artificis huius fuit *de Tribu Dan*, vt hîc dicitur. At 3. *Reg.* 7. 14. asseritur filius mulieris viduæ *de Tribu Nephthalim*. Et quidem illud *de Tribu Nephthalim* ad filium refero, quoniam pater, Tyrius habitatione, origine de Tribu Nephthalim erat. Denique requiris circa illam particulam, *seruus tuus dabo cibaria tritici, hordei*, cur hordeum artificibus promittitur? Certè vel ad iumenta eorum, vel quia in ea regione hordeo homines victitare solerent.

Egregij artifices, qui à patre artifice quasi hæreditariam artem accipiunt. *Subtaxantur multi artifices, qui filios, quos egregios artifices facere poterant, vulgares efficiunt scholasticos.*

Vers. 17. 18. *Numerauit igitur &c.*] Salomon itaque, omnes viros proselytos, qui post annumerationem à Dauide factam, in Terra Israëlitica aderant, recensuit, & centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti inuenti fuére. Assignauit ex his septuaginta millia, qui humeris onera comportarent; & octoginta millia, qui cædendis in montanis lapidibus operam exhiberent: tria verò millia sexcentos, qui tanti populi operibus præsiderent. Pro *proselytis* Hebræus aduenas ac peregrinos posuit. Sed & hi proselyti erant, id est ad Iudaismum conuersi. 4.

Ex proselytis Salomon eligit operarios & Præpositos ad Templi patriique constructionem.

Inducenter sacra ministeria infidelis addicuntur. *Haud nimis mancipio infideli fidendum.*

* Nec enim Salomon dicens adiudicauit sacro ministerio extructionis Templi gentiles dare operam.] * Nec ij, quibus diuina non adest fides, plerumque fidelitatem ostendunt humanam. Vt subtaxem interim heros, qui minimùm mancipiorum infidelium ministerio fident.] Explicat sacer Scriptor, eos, qui ad opus fuére delecti *Vers.* 2. omnes è peregrinis fuisse, quibus vt seruis imperabant; non ex Israëlitarum gente, quam vt ingenuam esse Rex volebat immunem. * Et quidem Principes diligenter curare debent, vt nobilitati sua ad vnguem immunitatis iura seruentur.] Porrò verba illa: *Inuenti sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti*; videntur distinctè annumeratos fuisse illos tria millia sexcentos, nec cum centum quinquaginta millibus colligandos. Cum autem hi tria millia sexcenti assignati sint aliorum Præpositi, aliquis putauit Interpres non fuisse assumptos ex proselytis sed ex Israëlitis, ne proselytis officium præsidendi committeretur. At particula illa præcedens: *Numerauit Salomon omnes viros proselytos &c.* apertè asserit etiam tria millia sexcentos Præpositos ex proselytorum cœtu fuisse assignatos, * Nec enim exteri sunt à Reipublicæ honoribus excludendi.] * Et subditi faciliùs Præsidi sibi noto eiusdémque conditionis submittuntur.]

Principes curent, vt nobilitati sua circa immunitatem iura seruentur.

Exteri non sunt à Reipublicæ honoribus excludēdi. *Subditi faciliùs Præsidi eiusdem conditionis submittuntur.*

CAPVT III.

Templum cum porticu, & duabus æneis columnis ante Templi fores construitur.

1. COEPIT Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebusæi 2. Cæpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui. 3. Et hæc sunt fundamenta, quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. 4. Porticum verò antè frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat: & deauraui eam intrinsecùs auro mundissimo. 5. Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abigenis

tegnis, & laminas auri obryzi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se inuicem complectentes. 6. Strauit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo. 7. Porrò aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia cælauit cherubim in parietibus. 8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti: & latitudinem similiter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis. 9. Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui sicli quinquagenos appenderent: cænacula quoque texit auro. 10. Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos opere statuario: & texit eos auro. 11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita vt vna ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub. 12. Similiter cherub alterius ala quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala eius altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat. 13. Igitur alæ vtriusque cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum. 14. Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso: & intexuit ei cherubim. 15. Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porrò capita earum, quinque cubitorum. 16. Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit. 17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, vnam à dextris, & alteram à sinistris: eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachin; quæ ad læuam, Booz.

COMMENTARII.

1. Cœpit Salomon Templum ædificare, fundamina iaciuntur, domus maior, siue Sancta cum porticu extruitur.

ERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Et cœpit Salomon &c.*] Salomon igitur cœpit apud Ierosolymam Templum Domini extruere *in monte Moria* qui Dauidi patri eius fuerat à Domino monstratus: eum verò locum ad fabricam elegit, quem ipse Dauid in area Ornam Iebusæi præparauerat. Historiam habes 2. *Reg.* 24. Porrò Abraham in monte Moria filium obtulit, & illum *Dominus videbit* appellauit. *Gen.* 22.14. inde *Mons Moria* id est, *visionis* fuit vocitatus. Erátque ex aduerso montis Sion, vbi post modum ars structa fuit. Area verò Ornam in monte Moria aderat, vbi Dauid locum ædificando Templo designauit 1. *Paral.* 22.1. Mons ille Orientali Vrbis Ierosolymæ parti adiacebat, habebátque ad Meridiem montem Sion. Ad quamnam Tribum mons Moria pertinuerit, non satis constat. Sunt qui Iudæ tribuant, sunt qui Beniamin. Crediderim vt Vrbem Ierusalem, sic & Templum partim in vna, partim in altera Tribu fuisse. Vt scilicet honor tantus ex Templo profluens ad vnum & alterum Regnum pertinere videretur. Quid glorioſius Regno, quàm Templis magnificis protegi?] Certè eo in monte Templum ædificatur, vbi fidelis parens filium Domino litare non dubitat, vt innuatur, difficiles quosque animi affectus vel Templi vmbraculo esse concedendos. Repugnantes quidem passiones iræ, intemperantiæ &c. ad Templi ingressum componuntur.] Cœpit itaque Rex Templum extruere Mense secundo scilicet *Iiar*, qui respondet Aprili In Hebræo additur, *In secundo* die Mensis secundi, quod LXX. ac Hieronymus omiserunt crediderim putantes mensis esse repetitionem. * At quidem & Mensis & dies, quo Templi fabrica habuit initium adnotatur, quia illustrissima Salomonis actio fuit extructio Templi, nec vlla inchoationis illius particula debuit præteriri.] Porrò fundamenta à Salomone exposita, domus Dei ædificatur, *in mensura prima* sexaginta cubitos longitudinis, viginti cubitos latitudinis, exæquans. Hebraicè pro *Et hæc sunt fundamenta est Salomon.* * Etenim fundare Templum à Rege, idem est, ac fundari ipsum, & stabiliri.] Scio, *Fundare* Hebraicè multis locis significare *Consiliari.* Psal. 2.2. *Et Principes conuenerunt in vnum.* Hebr. *Principes fundati sunt simul*, id est, *consiliati sunt.* Ergo hoc loco, *His fundatus est Salomon*, idem est, ac si diceretur, Hoc consilium cœpit, hanc formam fabricæ secutus est. Has mensuras in Templi fabrica elegit. * Et quidem actionis fundamentum consilium est. Quidquid sine consilio geritur veluti sine fundamine domus necessum est corruere. Quid est, *Ire mensura prima?* scilicet quam in Tabernaculo construendo Moses fuerat secutus; nam progressu temporis mensuræ mutantur. * Oportet, Reges, Principes, Præsules curare, vt iuxta regulæ mensuram primam cunctæ subditorum actiones exonent; temporis enim progressu assolet huiusce mensuræ immutari perfectio.] Ædificatur & Porticus ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis Templi cubitorum viginti: altitudóque eius centũ viginti cubitorum erat quanta scilicet erat Templi altitudo. Scio Salianum existimasse altitudinem centum viginti cubitorum comprehendere turrim quadrilateram, quæ supra reliqui Templi tectum attollebatur. Quod verò 3. *Reg.* 6.3. dicitur, Templum habuisse triginta cubitos altitudinis, intelligendum est à pauimento vsque ad primum tabulatum. Et Porticum intrinsecus auro mundissimo fecit operiri. *Domum quoque maiorem*, id est, priorem Templi partem, quæ appellatur *Sancta*, in qua erat altare thymiamatis, tabulis ligneis abiegnis texit, & per totum ambitum auri obrizi laminas affixit, in eaque palmas, & quasi catenulas se inuicem com-

Magnus honor Regiorũ Templis magnificis protegi. Affectus difficiles animi, vel Templi vmbraculo sunt concedendi.

Regum illustrissima actio est extructio Templorum.

Fundari Templum à Rege, idem est, ac Regem ipsum stabiliri.

Consilium est actionis fundamentum.

Præsules semper per rectorum ad primas regulæ mensuras, quas sequens progressus temporis immutari.

plectentes expoſuit. Pauimentum verò Templi pretioſiſſimo marmore multo decore ſtrauit. Aurum autem, cuius laminis Templum, trabes ac poſtes, parietes, & hoſtiá eius induit, erat probatiſſimum; Cherubim verò in parietibus cælauit. *Quid aurum obrizum?* Hebraicè dicitur, *& aurum illud aurum bonum*, id eſt, purum. Credideris, idem eſſe *Obrizum*, ſiue *Ophirizum* aurum, nam ex Ophir probatiſſimum erat. Illud, *ſe inuicem complectentes* Hieronymus de ſuo addidit ad maiorem explicationem; Hebraicè enim & Græcè ſolùm eſt, *Et catenas*. Pro particula autem *Strauit quoque pauimentum* eſt in Hebræo *Texit domum illam* (ſcilicet maiorem) *lapide pretioſo*, pro lapidibus. Quod ad pauimentum referri poteſt, vt fecit Hieronymus: aut ad parietes, quos iis lapidibus diſtinxit. LXX. habent, *Ornauit domum lapidibus pretioſis in gloriam.* * Vel ipſum Templi pauimentum decet lapidibus, pretioſis, ſeu gemmis exornari.] Quid parietes? quid altaria?] *Cælauit*, inquit, *Cherubim*, id eſt ſculpſit. * Per totum Templum Cherubim fuere inciſi, vt imagines in Templis expoſitas commendes, quas Hæretici accuſant.]

Vel ipſum Templi pauimentum decet gemmis ornari.

Imagines in Templis expoſitæ commendantur.

2. *Verſ.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Fecit quoque* &c.] Extruxit etiam Salomon Sanctum Sanctorum religioſiſſimum Templi locum, cuius longitudo iuxtà latitudinem domus maioris ſiue *Sanctorum* viginti cubitos exponebat, totidem latitudo: & laminis aureis *texit eam quaſi talentis ſexcentis*. Hebr. *Et laminis aureis texit illud* (id eſt adytum) *auro bono ad talenta ſexcenta*, pro ex talentis. Præterea clauos perfecit aureos, quorum ſinguli quinquagenos ſiclos, qui ducentis aureis noſtratibus reſpondent, appendebant. Hiſce clauis laminæ parietibus erant affigendæ. Cœnacula quoque auro contexit, quemadmodum Templum inferius ſic & ſuperiores domos duas; quæ contignationibus diſtinguebantur, auro Salomon exornauit. * In aureo Templo aurea debet eſſe hominum habitatio. O quàm indecens apud cœleſtem domum luteæ Sacerdotum actiones!] Cæterùm Rex fabricari iuſſit in Sancto Sanctorum Cherubinos duos *opere ſtatuario*, eóſque auro contexit. *Pro opere ſtatuario* eſt Hebraicè *Opere Zahazuhim*. LXX. transferunt, *De lignis imputribilibus*. Aſſerunt Hebræi pueri, ac puellæ ſimilitudinem explicare Cherubinos. Vt innocentiæ, quæ locum illum ſacerrimum decebat explicaretur.] At fabula hæc R. Salomonem habet auctorem. Profectò horumce Cherubinorum alæ viginti extendebantur cubitis, ita vt vna ala quinque cubitos haberet parietémque *domus* ſiue *Sancti Sanctorum* tangeret: & altera quinque etiam æquans cubitos alterius Cherub alam contingeret: ſimiliter verò alterius Cherub ala vna quinque habebat cubitos, & Cherub alterius attingebat alamalæ itaque vtriuſque Cherubim erant protenſæ, & per viginti cubitos expandebantur, & corpus etiam Cherubim comprehendas. Cherubini autem ipſi erectis pedibus conſiſtebant, & eorum facies *ad exteriorem domum*, id eſt, ad Sancta obiiciebantur. * Quòd ſi aliquis credat, Cherubinos ſub ſpecie maſculina ac fœminina fuiſſe perfectos, hinc modeſtiæ ac pudicitiæ documentum eliciet: nec enim ſeſe inuicem aſpectabant, ſed ad Sanctum oculos coniiciebant.] * Cum apud Templum viri fœminæque conueniunt, mutuos fugiant aſpectus, qui poſſunt animum à ſacerrima retrahere eleuatione.

Ædificatur Sanctum Sanctorum.

In aureo Templo aurea ſit Sacerdotum habitatio.

Fugiant viri ac fœminæ mutuos aſpectus.

Præcipuè apud Templa viris ac fœminis modeſtia indicitur.

Verſ. 14. 15. 16. 17. *Fecit quoque* &c.] Ex hyacintho purpura cocco & byſſo Salomon velum perfici iuſſit, eique Cherubim imaginem interſeri. Abulenſis vnicum fuiſſe Templi velum aſſerit, quod ad ingreſſum in Sancta eſſet expanſum: Ianſenius autem vnum tantùm velum agnoſcens, illud tamen ad ingreſſum in Sancta Sanctorum conſtituit. Crediderim, duo fuiſſe velamina, quorum vnum ante Sancta eſſet, alterum ante Sancta Sanctorum exiſteret. * Cur in velaminis textu Cherubim apponitur? Certè vt memor Cherubini pro foribus paradiſi appoſiti, videas, nùm indecenter Templum inire contendas, vnde Cherubini cuſtodis gladio verſatili percutiaris.] Verum ante Templi fores vnam & alteram fecit columnam ſtatui, triginta ſupra quinque cubitos æquantes. nam 3. *Reg.* 7. ſingulis decem & octo cubiti dantur. Modò autem vel dimidij cubiti ſingularum ratio non habetur, vel dimidium cubiti in capitello abſcondebatur. Scio, alios putauiſſe fuiſſe cuiuſque longitudinem decem & octo cubitos præter capitellum ac baſim, quorum cubiti numerum trigeſimum quintum implebant. Porrò capitella columnarum quinque exæquabant cubitos; nec non & quaſi catenulas *in oraculo* capitibus columnarum ſuperpoſuit, id eſt, è capitellis pendebant catenulæ circum columnas, ex illiſque malogranata centum aut bis centum in duobus ordinibus obiiciebantur pendula. Quorſum autem additur; *In oraculo?* Profectò oraculum pro porticu, vbi columnæ aderant, ſumit. * Vel ipſum Templi atrium, ipſe porticus quaſi oraculum auguſtiſſimum eſt, vt ediſcas quanta deceat reuerentia eum, qui Delubrum ingreditur.] Columnas itaque haſce in Templi veſtibulo vnam ſcilicet à dextris, & à ſiniſtris alteram Salomon collocauit. Columnam quæ à dextris aderat *Iachin* id eſt, *Firmitas*, quæ à ſiniſtris *Booz* ſiue *In robore* appellauit. Et quidem ea columnarum nomina operis perpetuitatem prædicebant, *Iachin Booz*, ſeu Templum *ſtabit æternùm in robore*; quaſi illi operi Deus robur dederit, ac firmitatem. Roborat planè Deus, & firmat, quidquid ad eius cultum ac gloriam à fidelibus apparatur.]

Non audeas Templum inire indecenti animi amictu, ne Cherubini gladio perentiare.

Porticus ſiue atrium Templi ſit tibi quaſi altare ad reuerentiam.

Deus firmat, & roborat quidquid ad eius gloriam à fidelibus apparatur.

CAPVT

CAPVT IV.

Æneum holocaustorum Altare, Mare fusile, denæ Conchæ æneæ, dena Candelabra aurea, Mensæ, Phialæ, reliquaque sacra supellectilia describuntur.

1. FECIT quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. 2. Mare etiam fusile decem cubitis à labio vsque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. 3. Similitudo quoque boum erat subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ; quasi duobus versibus aluum maris circuibant. Boues autem erant fusiles: 4. & ipsum mare super duodecim boues impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & Alij tres ad Occidentem: porrò tres alij Meridiem, & tres qui reliqui erant, Orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecùs sub mari. 5. Porrò vastitas eius habebat mensuram palmi, & labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilij: capiebátque tria millia metretas. 6. Fecit quoque conchas decem: & posuit quinque à dextris, & quinque à sinistris, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porrò in mari sacerdotes lauabantur. 7. Fecit autem & candelabra aurea decem, secundùm speciem qua iussa erant fieri: & posuit ea in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris. 8. Necnon & mensas decem: & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris: phialas quoque aureas centum. 9. Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem: & ostia in basilica, quæ texit ære. 10. Porrò mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem. 11. Fecit autem Hiram lebetes, & creagras, & phialas: & compleuit omne opus regis in domo Dei: 12. hoc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia: 13. Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, & capita columnarum. 14. Bases etiam fecit, & conchas, quas superposuit basibus: 15. mare vnum, boues quoque duodecim sub mari. 16. Et lebetes, & creagras, & phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini ex ære mundissimo. 17. In regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot & Saredath. 18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris. 19. Fecítque Salomon omnia vasa domus Dei, & altare aureum, & mensas, & super eas panes propositionis. 20. candelabra quoque cum lucernis suis, vt lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro purissimo: 21. & florentia quædam, & lucernas, & forcipes aureos: 22. omnia de auro mundissimo facta sunt. Thymiateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælauit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: & ostia templi forinsecùs aurea. Sícque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

COMMENTARII.

1. Altare holocaustorum, & Mare fusile.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Fecit quoque &c.*] Altare æneum ad offerenda holocausta constituitur, cuius longitudo viginti cubitos, latitudo totidem, altitudo vero decem æquabat. Intrinsecùs quidem erat ex lapidibus impolitis efformatum, vt seruaretur lex *Exo.* 20. 25. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud defectis lapidibus.* An vt Sacerdos in altari sacrificaret, per gradus ascenderetur: sunt qui putent ascensum ad altare per gradus patuisse. Quod abnegarim, quia id vetitum *Exo.* 20. 26. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Iosephus lib. 6. de Bello c. 6. *Ascensus ad altare paulatim arduus resupinabatur.* Itaque per pauimenti accliuitatem, non per gradus accensus ad altare patebat. * Accliuis sit tibi ad altare semper ascensus, non illud quasi rem perfacilem ineas, sed existima nihil difficilius, quàm dignè Eucharisticum Sacrificium offerre. Mare etiam fusile decem cubitis à labio vsque ad labium (id est diameter decem cubi

* *Accliuis sit tibi ad Eucharisticii sacrificium offerendum ascensus, vt puriati studeas;*

cubitorum erat) perficitur, rotundum per circuitum: quod quinque cubitos altitudinis exponebat, & *funiculus* triginta cubitorum eius ambiebat girum, id est circulus seu peripheria maris ænei erat triginta cubitorum, nempe triplo maior eiusdem diametro. Boum quoque imagines aderant subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecùs cælaturæ, *quasi duobus versibus* maris circuibant aluum, Id est, præter duodecim boues, quibus tanquam fulcris mare insistebat, erant in anteriori parte maris spatio decem cubitorum (quæ erat tertia pars peripheriæ maris) alia capita boum prominentia: fortè per illam, tanquam per epistomia aqua educebatur. Erántque hæc duobus versibus, seu ordinibus (sic Hebr. & LXX.) distincta, vno infra labium, altero versus fundum. *Boues* autem hi erant fusiles, siue capita boum erant fusilia, Hebr. *fusa in fusura eius*, scilicet maris; neque enim erant seorsim adiecta, sed simul cum mari ex eadem forma prodierant.

Virtus à cunabulis persistens.

* Nam quod agnatum est, persistens obiicitur. Curandum parentibus, vt virtutum imagines simul in filiis cum membris ingenerentur. Virtus enim à cunabulis insita cùm lacte ebibita assolet æterna persistere.] Verùm mare ipsum duodecim boum humeris innitebatur: quorum tres Aquilonem, tres Occidentem, tres Meridiem & tres respiciebant Orientem *habentes mare superpositum*. * Euangelij enim onus

Euangelicos ministros oportet varia loca percurrere.

suscipientes ministerij sacri debent prompti esse ad viam, vndè maius Dei obsequium ex proximorum salute obtendi videatur. Qui onus prædicationis iniungit, habitum deambulandi præscribit.] * Vnde D. Ignatius Parens meus

Iesuitarum Instituti est, diuersa loca peragrare.

scripsit nostri esse instituti *diuersa loca peragrare*, ad maius Dei obsequium, & salutem animarum. *Posteriora autem boum intrinsecùs* sub mari erant, id est, inter se mutuò erant conuersa. Porrò luteris huiusce vastitas seu crassitudo mensuram *palmi* habebat, palmi inquam minoris, id est, quatuor digitorum, id significat *Tepah* vox Hebræa & Græca σπιθαμη. 3. *Reg.* 7. 26. dicitur, *Grossitudo autem luteris trium vnciarum erat*. Idem est, nam tres pollices, quæ pedis vnciæ sunt, quatuor digitis sunt æquales, At labium eius calicis labium imitabatur, *vel repandi lilij*, quam repandi vocem Hieronymus addidit ad maiorem explicationem, scilicet labium esse instar

Sacerdos Christi sanguinem recepturus, sit castitate præditus.

folij lilij ad extremum incurui. * Si autem misterium attendas, idem sit tibi labium calicis ac labium lilij: vt cum calix efficeris ad Iesu sanguinem recipiendum, simul ex puritate te lilium exponas.] Vas denique hoc tria millia metretas capiebat. Hebr. *Tria millia bathos*. At 3. *Reg.* 7. *Duo millia bathos*. Sed Bathi illi ex his vnum & semissem continebant: quemadmodum apud nostrates mensura maior & minor sub eodem nomine (Cantara) assolet exhiberi.

2. Conchæ, Candelabra, Mensæ, Phialæ efformantur, & Atria construuntur.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. *Fecit quoque* &c.] Denæ præterea Conchæ æneæ efformantur Salomonis imperio, quarum quinque à dextris, totidem à sinistris, vt in eis omnia quæ in holocaustum offerenda erant, priùs abluerentur. * Te in holocaustum Domino litaturus priùs dilue; victima enim non munda repellitur.] * *Omnia* Deo litanda siue oratio, siue ieiunium, siue eleemosyna &c. abluantur oportet, nè vel puluis intentionis sinistræ muneris maculet puritatem.]

In holocaustum Domino offerendus priùs dilue te.

Profectò Sacerdotes ea oblaturi in æneo mari diluebantur, vt tam munera quàm offerentes manus coram Domino sine macula obiicerentur. Perfecit autem & dena Candelabra aurea iuxta speciem, seu normam, qua præscripta erant fieri: in Templóque à dextris quinque, à sinistris totidem collocauit. Nec non & denas fecit Mensas, quarum ad dextram quinque, quinque statuit ad læuam. Phialas quoque centum efformauit ex auro ad sacra ministeria. Constituxit & Sacerdotum Atrium, *& Basilicam grandem*. LXX. *Et Atrium magnum*, siue septum, scilicet pro populo: & ostia Basilicæ, seu atrij illius magni *texit ære*. Hebr. *& ostia eorum* (id est, vnius ac alterius atrij *texit ære*. Cæterum æreum mare in dextro latere *contra Orientem ad Meridiem* apposuit. Comparatione Aræ oculis ad Ortum conuersis, vbi ianua erat Templi, id est, contra Orientem. Alioqui si ianuæ comparatione sumas, Septentrio ad dextram erat, non Meridies, vbi mare collocauit. Certè Hebræis, & in Sacris ad dexteram est Meridies.

Quidquid Deo offerre paras, priùs dilunitur.

3. Reliqua Sacra supellectilia perficiuntur.

Verſ. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Fecit autem Hiram* &c.] Profectò Hiram peritissimus Artifex perfecit lebetes, *creagras* seu scopas, & phialas, & omne præscriptum opus à Rege in Templo fabricauit, nempe columnas duas, epistylia, & capita, quædámque velut retiacula, quæ capita super epistylia contegerent. *Retiacula* catenas expono (de quibus alibi) quæ capita columnarum obtegebant. Hebr. *ad tegendum duos orbes columnarum*. Vulgariter dixeris, *El frisodelos dos capiteles*. Addidit & malogranata quadringenta (sic Hebr.) ad vnum & alterum retiaculum, duo ordines malogranatorum ad retiaculum vnum, & totidem ad retiaculum alterum. Sed quid quod Cap. 3. 16. *centum malogranata* fecisse dixit? Fortasse prius centum sunt facta, deinde alia vsque ad quadringenta fuerunt adiecta. Quid autem illud 3. *Reg.* 7. 20. *Malogranatorum autem ducenti ordines?* Verùm ad hoc dicunt, in singulis columnis esse duos malogranatorum ordines, in singulis verò ordinibus centum malogranata, Bases etiam perfecit, & conchas, quas basibus superposuit: mare vnum, boues duodecim sub mari, lebetes, scopas, & phialas. Omnia vasa fecit Salomoni præscribenti eius pater Hiram in Templo Domini ex ære mundissimo. Vocat eum sacer Scriptor Salomonis patrem, quod eum reuereretur. Vnde (quidquid suprà *cap.* 2. 13. ex aliorum lectione dederimus) meliùs intelligo legem dum *Hiram patrem meum*, vt est, in vulgata, quam *Hiram patris mei* seruum. * Vt rursum moneam, eximios ex arte perutili homines debere esse Principibus admodum venerabiles.]* At qui rebus sacris perficiendis ad Templorum ornatum peritiam impendunt, scilicet imaginibus, calicibus, &c. eo honore afficiendi sunt, quo parentes assolent à filiis coli. Nàm si à parentibus viuere accepisti, à peritis imaginum artificibus accipis sæpè sæpius animo recreari, ex deuotionis affectu, quem ex perfectæ imaginis aspectatione concipis.] Apud Iordanis regionem iussit Rex ea vasa fundi *in argillosa terra*. Hebr. *In copia terræ*. Nam formæ crassæ esse debebant, vt tam vasta vasa in eis funderentur. Situs autem ille, vbi id opus perfectum fuit, aderat inter Socot & Saredatha.

Eximij Artifices admodùm à Principibus honorandi.

Rerum Sacrarum Artifices peritissimi sint, sicuti parentes colendi.

datha. Porrò vasorum multitudo adeò erat ingens, vt æris pondus ignoraretur. Perfici itaque Salomon iussit omnia Templi vasa, ac supellectilia efformari, nempè aureum altare, ac mensas vt super eas propositionis panes exponerentur: candelabra quoque ex auro purissimo, vt eorum lucernæ antè Oraculum ex ritu præscripto à Domino emicarent: nec non & *florentia quædam.* Hebr. *Flores,* nempe opere fusili liliorum flores imitabantur, vel etiam alios. Non solùm verò lucernæ illæ candelabrorum efformatæ fuerunt, sed & ad earum vsum additæ forcipes aureæ: nempè cuncta hæc de auri mundissimi materia perfectæ fuerant. * Preme parvticulas. *Et lucernas & forcipes aureos.* sint aureæ lucernæ, quæ emicant, at forcipes emungentes cur de auro efformatæ sunt, cum sufficeret ex ære elaborari? Certè emungendi lucernas officium obeûtes forcipes ex auro purissimo etiam debebant ostendi, vt edoceamur purissimum debere ostendi eum, qui taxandi, aut reprehendendi alios gerit officium.] Perfecta sunt & *thymiateria* siue acerræ in quibus thymiama adolebatur, thuribula, phialæ, & mortariola seu scutellæ, quibus similia in sacrificiis excipiebatur, ex auro defæcatissimo. Pro *Thymiateria* alij *Psalteria* transtulerunt.* Quid cũ psalterio thymiamati? Certè oratio instar thuris ascendens ad superos Domino suauissimum est thymiama.] Et *celauit* (verbum hoc additum ab Interprete) *ostia Templi interioris, id est, in sancta Sanctorum: & ostia Templi forinsecus aurea.* Hoc est, Cardines sancti sanctorum perfecit Hiram: ostia verò Templi exterioris sanctuarij vt ab Oraculo distinguitur, aurea intùs erant, non quod ipsæ fores extrinsecùs aureæ essent. * Quod aureum est in animo oportet à vulgaribus abstrahi aspectibus, nè vanitatis fascinatione conspurcetur.] Hunc itaque in morem cunctum opus, quod Salomon ad Templi Domini fabricam & ornatum præscripsit, fuit perfectum.

Oratio Deo thymiama suauissimum.

Purissimus debet ostendi ille, qui reprehendēdi alios gerit officium.

Virtutum thesaurus reconcludatur.

CAPVT V.

Vasis sacris, variisque donariis in Templum adductis, Arca solemniter in sanctum sanctorum inducitur. Gloria autem Domini Templum adimplet.

1. IN VLIT igitur Salomon omnia, quæ vouerat Dauid pater suus, argentum, & aurum, & vniuersa vasa posuit in thesauris domus Dei. 2. Post quæ congregauit maiores natu Israël, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Israël in Ierusalem, vt adducerent arcam fœderis Domini de Ciuitate Dauid, quæ est Sion. 3. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israël in die solemni mensis septimi. 4. Cúmque venissent cuncti seniorum Israël, portauerunt Leuitæ arcam, 5. & intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi. Porrò vasa sanctuarij, quæ erant in tabernaculo, portauerunt Sacerdotes cum Leuitis. 6. Rex autem Salomon, & vniuersus cœtus Israël, & omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, & boues absque vllo numero: tanta enim erat multitudo victimarum. 7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim: 8. ita vt cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis. 9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululùm longiores erant, capita parebant ante oraculum: si verò quis paululùm fuisset extrinsecùs, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi vsque in præsentem diem. 10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ, quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israël egredientibus ex Ægypto. 11. Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inueniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos diuisus erat.) 12. tam Leuitæ quàm cantores, id est, qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithum, filij, & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis. 13. Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuersi generis musicorum concentibus, & vocem in sublime tollentibus; longè sonitus audiebatur, ita vt cum Dominum laudare cœpissent, & dicerent: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius; impleretur domus Dei nube, 14. nec possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Vasa ac donaria adducûtur in Templum, indicitur Arca.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. *Intulit igitur, &c.*] Igitur Salomon omnia, quę Dauid pater eius Dño obtulerat in Templum intulit, nempè argentum & aurum, ex quo cuncta vasa efformata fuerant in thesauris Domini reposuit. * Quàm cõmendabilis filius qui fidelis impleț, quod parens pius Domino sanctificat (ex Hebræo) seu promittit.] Quibus gestis, maiores natu Israël, cunctos Tribuum Principes, familiarumque Israëlitarum capita apud Ierosolymam congregauit, vt Arcam Dominici fœderis de Sion Dauidis Ciuitate adducerent in sancto sanctorum collocandam. Adnocati itaque omnes hi proceres viri Israël ad Regem aduenerunt solemni mensis septimi seu Tysri, qui Septembri aut Octobri respondet, die, id est, Tabernaculorum celebri festo. Cúmque omnes Israël seniores colligarentur, Leuitæ de more humeris, deportarunt Arcam, eamque cum omnibus Tabernaculi paraturis, scilicet cunctis Tabernaculi testimonij (sic Hebr.) partibus, tabulis, cortinis &c. in Templum detulere. Sed in quem vsum Tabernaculi illius antiqui ad Templum inducuntur spolia? An vt auriquus & senex Arcæ thronus honotarentur decenter repositus in Delubri cubiculis? * Edocemur senes honorate famulos, etiam quando non seruiunt.] An vt sacro ministerio quæ deseruiit supellex profano vsui minimè deseruiret. * Ediscе veterum imaginum spoliis haud ad sæculare ministerium accommodare, sed in sacro loco recondere.] Verùm sanctuarij vasa, quæ in Tabernaculo erant Sacerdotes ac Leuitæ simul aportauerunt. Rex autem Salomon, populus Israeliticus, qui aderat non vocatus ex deuotione ac pietate, & proceres cuncti, qui aduocati conuenerant ad Arcæ inuectionem, arietes, & boues absque ratione numeri Domino immolabant: tanta erat victimarum multitudo. Hebraicè dicitur, *Omnes illi obtulerunt hostias*, Nec enim vllus sacrificio nitebatur alieno. * Cum Templum inieris, & Sacerdotes audieris offerentes Domino sacrificium pro populo; tuarum simul precum, ac eleemosynæ libamina expone.] Intulere igitur Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, nempè ad Oraculum Templi in sancta sanctorum subter Cherubinorum alas, quas quidem ita expandebant, vt locum sacerrimum in quo apposita erat Arca, ipsámque Arcam cum suis, vectibus obtegerent. Porrò vectium, quibus Arca deportabatur, quia paululum longiores erant, ante Oraculum apparebant: si *verò quis paululum fuisset extrinsecùs eos videre non poterat.* Igitur cum eminerent vectes non à sancto sanctorum (nam murus interiectus id impediebat) sed ab ipsa Arca: & apparerent summitates seu capita eorum foris sanctuarium, non apparebant vltra *extrinsecùs*, id est, extrà locum Oraculi iis, qui paulò remotiùs stabant ab ostio, quo è sancto ibatur in sanctum sanctorum. Pressiùs expono: Vectium Arcæ extremitates illis solis erant conspicuæ, qui ad ipsum Oraculi ostium propiùs accessissent: non item iis, qui paulò remotiùs consistebant. Cur vectes ab Arca non separabantur? * Vt Arca ad profectionem velut prompta obiiceretur, & moneret, nullam esse persistendi Numinis securitatem semper timendum tibi, ne ex piaculo à Domino deseraris.] Quare vero vectium capita seu summitates ij solùm aspectabant, qui propiùs accessissent? * Quia qui Deo proximiores sunt Deum in procinctu ad arripiendam fugam contemplantur, & reddunturs cautiores; nam qui remotiùs diuersantur, parum de retinendo Domino curat. Cæterùm nihil aliud includebat Arca præter geminas tabulas, quas inibi apposuerat Moses apud Horeb, quum Dominus Hebræis ex Ægypto procedentibus, legem præscripsit. Nam licèt à tempore Mosis huc vsque, dum in Tabernaculo nullus alius esset locus in quo tutò ac religiosè possent reponi virga Aaron quæ germinarat, & Vrnea aurea cum Manna, & Deuteronomium Mosis reposita fuerint, vel intra Arcam (vt Paulus innuit Hebr. 9.4.) vel saltem ad latera Arcæ: tamen ex quo conditum fuit Templum stabile, & in eo varia ad latus gazophylatia, in quibus res illæ sacræ possent commodè ac decenter asseruari, ab Arca crediderim semotas, & in vicinum aliquod conclaue traductas. * Manna præmij, virga supplicij extrà legem apponuntur, ipsa tam dulcis, Domino obsequi tam suaue, vt ad procedendum in via iustitiæ nec premij nec supplicij calcaribus indigeas.]

Senes famuli honorandi etiam cũ non seruiunt.

Imaginum veterum spolia in loco sacro recondenda.

Haud alieno nitaris sacrificio, & in Domino munera offeras.

Semper time, ne à Deo ob piaculum deseraris.

Qui Deo proximiores sunt cautiores ostentatur, elatius enim vicere, Deum facile posse ab eis recedere.

Tam suaue, seruire Deo, vt caeteris præmij ac supplicij non egeamus, ad procedendum in via virtutis.

Vers. 11.12.13.14. *Egressis autem &c.*] Omnes vero Sacerdotes quotquot ex omni Israële haberi potuerunt, confluxerunt ad hanc solemnitatem, non ij soli, quibus ministerium ea hebdomada incumbebat: hi sanctificati sunt de more ad perficiendum illius diei ministerium: nec enim adhuc illo tempore vices, ac ministeriorum ordo inter eos erat diuisus. Egressis itaque de sanctuario Sacerdotibus, tam Leuitæ, quàm Cantores, id est, & qui sub Asaph magisterio erant, & qui Eman suberant, & qui Idithun submittebantur, filij & fratres eorum byssinis induti tunicis, cymbalis, psalteriis, ac citharis concrepabant, ad Orientalem altaris plagam consistentes; & cum eis centum viginti, Sacerdotes tubis insonabant. Igitur cunctis simul & voce, & tubis, cymbalis, organis, aliisque musicis instrumentis concinentibus, vocemque ac sonitum attollentibus in sublime: longè sonitus exaudiebatur. Mox, autem ac Dominum laudare cœpissent hoc carmine: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.* Templum impletum est nube seu denso vapore Dei præsentiam asserente; Sacerdotes verò offusi caligine haud poterant ministrare; Dei enim gloria sacram domum oppleuerat. * An Dei gloria caligo est? In caligine laborum sancti hîc Dei gloria perfruuntur.] * Adnota Sacerdotes caligine offusos ministrare nõ posse. Quomodo ergo audes Sacerdos nouæ legis augustior tot voluptatum tenebris obcœcatus ad sacerrimum accedere ministerium?] * Vereor, nè Dominicum sacratiùs Templum perfusum sit densiore caligine, qua non Dei gloria indicetur, sed Dei ostentetur opprobrium.]

2. Instrumenta musica resonant. Domini gloria Templũ implet.

In laborum caligine sãcti hîc Dei gloriã potiuntur.

Sacerdos victiorum caligine offusus quomodo audet altari ministrare.

O quot tenebris hodie Sacerdotũ vitio Templum offunditur.

CAPVT

CAPVT VI.

Populo Salomon publicè benedicit, de promisísque olim Dauidi factis, opere iam expletis gratias agit. Demum enixè deprecatur, vt Deus vota populi in Templo precantis semper benignus exaudiat.

1. TVNC Salomon ait: Dominus pollicitus est vt habitaret in caligine: 2. ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum. 3. Et conuertit rex faciem suam & benedixit vniuersæ multitudini Israël (nam omnis turba stabat intenta) & ait: 4. Benedictus Dominus Deus Israël, qui quod locutus est Dauid patri meo, opere compleuit, dicens: 4. A die, qua eduxi populum meum de Terra Ægypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israël, vt ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, vt esset dux in populo meo Israël; 6. sed elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea, & elegi Dauid, vt constituerem eum super populum meum Israël. 7. Cúmque fuisset voluntas Dauid patris mei, vt ædificaret domum nomini Domini Dei Israël. 8. Dixit Dominus, ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, vt ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti huiusce modi habere voluntatem; 9. sed non tu ædificabis domum, verùm filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo. 10. Compleuit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: & ego surrexi pro Dauid patre meo, & sedi super thronum Israël, sicut locutus est Dominus; & ædificaui domum nomini Domini Dei Israël. 11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israël. 12. Stetit ergo coram altari Domini ex aduerso vniuersæ multitudinis Israël, & extendit manus suas. 13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetítque super eam: & deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israël, & palmis in cælum leuatis, 14. ait: Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in cælo, & in terra: qui custodis pactum & misericordiam cum seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo: 15. Qui præstitisti seruo tuo Dauid patri meo quæcumque locutus fueras ei; & quæ ore promiseras, opere complesti, sicut & præsens tempus probat. 16. Nunc ergo Domine Deus Israel, imple seruo tuo patri meo Dauid quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël: ita tamen si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint in lege mea, sicut & tu ambulasti coram me. 17. Et nunc Domine Deus Israël, firmetur sermo tuus, quem locutus es seruo tuo Dauid. 18. Ergóne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui? 19. Sed ad hoc tantùm facta est, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationem eius, Domine Deus meus: & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te: 20. vt aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es vt inuocaretur nomen tuum, 21. & exaudires orationem, quam seruus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Israel. Quicumque orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, propitiare: 22. Si peccauerit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, séque maledictò constrinxerit coram altari in domo ista: 23. tu audies de cælo, & facies iudicium seruorum tuorum, ita vt reddas iniquo viam suam in caput proprium & vlciscaris iustum, retribuens ei secundùm iustitiam suam. 24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conuersi egerint pœnitentiam, & obsecrauerint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco isto: 25. Tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israel, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & patribus eorum. 26. Si clauso cælo, pluuia non fluxerit propter peccata populi, & de-

precari te fuerint *in loco isto*, & confessi nomini tuo, & conuersi à peccatis suis, cùm eos afflixeris: 27. exaudi de cælo Domine, & dimitte peccata serui tui & populi tui Israël, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. 28. Fames si orta fuerit in terra, & pestilentia, erugo, & aurugo, & locustam, & bruchus; & hostes, vastatis regionibus, portas obsederint ciuitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit. 29. Si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac: 30. Tu exaudies de cœlo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiare, & redde vnicuique secundùm vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: (tu enim solus nosti corda filiorum hominum.) 31. Vt timeant te, & ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus viuunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israël, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adorauerit in loco isto: 33. tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus inuocauerit te ille peregrinus; vt sciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te sicut populus tuus Israël, & cognoscant, quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc, quam ædificaui. 34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra aduersarios suos per viam in qua miseris eos, & adorabunt te contra viam, in qua ciuitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo: 35. Tu exaudies de cœlo preces eorum, & obsecrationem, & vleiscaris. 36. Si autem peccauerint tibi (neque enim est homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captiuos duxerint eos in terram longinquam, vel certè quæ iuxtà est, 37. & conuersi in corde suo, in terra, ad quam captiui ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint in terra captiuitatis suæ, dicentes: Peccauimus, iniquè fecimus, iniustè egimus: 38. & reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captiuitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & vrbis, quam elegisti, & domus, quam ædificaui nomini tuo: 39. Tu exaudies de cœlo, hoc est, de firmo habitaculo tuo, preces eorum, & facias iudicium, & dimittas populo tuo, quamuis peccatori: 40. Tues enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. 41. Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, & sancti tui lætentur in bonis. 42. Domine Deus ne auerseris faciem Christi tui: memento misericordiarum Dauid serui tui.

COMMENTARII.

1. Recolit Salomon Dei circa Templum à se fabricandum promissionē, quam opere expletā profitetur.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Tunc Salomon.*] His perfectis Rex Salomon profatur: Quia Dominus pollicitus est, se habitaturum in caligine sue in nube, (*3. Reg.* 8. 12.) ideò colligo dignatum esse iam hoc in-Templo habitare, dum video sacerrimam domum dempso oppleri vapore. * Sic Dominus inter homines habitat, nè se nimium nobis familiarem exhibeat. Cur existimas Christum se nobis Eucharistico velamine obductum præbere? Nè nimia familiaritas despectionem ingereret.] Ego quidem domum ædificaui cultui eius, vt in ea æternùm habitaret. * Quæsierim, cur necessarium fuerit Salomonem recurrere ad illam Domini promissionem, quod habitaret in caligine; vti documentum caperet ex caligine Templum opplente, quod Deus dignaretur suum ad Templum aduentare? Amnon ad id agnoscendum sufficiebat ipsius operis conditio? Poterátne Deo ingrata existere Templi augustissimi suo nomini colendo dedicatio? Profectò vt opus sit Numini gratum, non sufficit esse egregium materialiter, nisi è pia procedat omninò intentione. Assolet enim vanitas, seu aliunde intentio sinistra egregia opera conspurcare.] Mox Rex faciem, quam locutus conuertit ad populum, & vniuersæ multitudini, quæ stabat intenta, benedixit, seu bene precatus est, & adiecit profari: Benedictus sit Dominus Deus Israël, qui opere explenit, quod Dauidi patri meo promiserat, dicens: Ab illa die, qua populum meum ex Ægypti captiuitate eduxi, nullam è cunctis Israël Tribubus Ciuitatem elegi, vt in ea Templum nomini meo colendo extrueretur: nec virum aliquem assignaui, vt Rex in populo meo esset. Verum Ierosolymam elegi Templo nominis mei cultui Sacrando nobilitandam, & Dauidem meo electo populo imperaturum. Annon antè Dauidem Deus Samuelem, & Iudices elegit? Nonne Saulem Regno Israëlitico donauit? Verum non stabili possessione illis, ac posteris dedit Principatum. * Quasierim non esse, quod exiguo temporis interstitio non erit. Solus igitur ille, qui à Deo æternùm regnaturus eligitur Rex verè vocitandus. Dauid itaque comparatione illorum, qui Imperium accepere haud ad posteros emitten

Christus in Eucharistia nubecula obducitur, vt nimia familiaritatis auertat despectionem.

Ex vanitate, aut aliunde sinistra intentione assolent opera alias egregia conspurcari.

Quasi non est, quod æternùm non est duraturum.

emittendum, Rex à Deo electus dictitatur: at comparatione Regni æterni cœlestis non Rex dicendus, sed inter vulgarissimos computandus.] Cum autem parens meus Dauid expeteret Templum nomini Domini cõdo ædificare, ei profatus est Dominus: Tuam circa Templi quo meum coleretur nomen, extruendam voluntatem commendo. Nam vel sola ad obsequium meum promouendum sancta est & laudabilis admodum voluntas præmio quidem eximio muneranda. * Sanè vel voluntas aut desiderium ad iustitiam vel iniquitatem tendens præmio ac supplicio obnoxium.] Attamen ô Dauid, non tu huiusmodi voluntatem executioni addices, sed filius tuus tuis è lumbis egressurus Templum nomini meo colendo ædificabit. * Preme verbum, *Verùm filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum.* Si dixerat *Filius tuus*, cur addidit, *Qui egredietur de lumbis tuis?* Annon multi aliquorum filij vocitantur, quide aliorum fuére lumbis egressi? O fidei thalami tàm corrupta sinceritas!] Profiteor planè, Dominum suum iam expleuisse sermonem: ego enim patris mei Regno positus, Templum Domino ædificaui, in cuius eleuatiori loco Aream, in qua lex Domini recluditur, collocari studui.

Vel sola voluntas ad iustitiam, vel iniquitatem præmio, aut supplicio obnoxia.

Suspecta (heu) non semel fides thalami erga filios.

2. Orationis à Salomone profusæ ad Dominum principium.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19.20.21. *Stetit ergo &c.*] Perfici Salomon iusserat æneam basim, seu labrum seu cõcham in vsum suggestus, eamque in medio Basilicæ (LXX. *In medio atrij*, scilicet magni collocauerat, cuius longitudo cubitos quinque, totidem latitudo, latitudo autem tres æquabat. Rex ergo in conspectu altaris coram vniuersa Israëlitarum multitudine palmis in cœlum extensis, profatur: Domine Deus Israël haud tui similis *Deus* in superis, aut in terra existit, te vnicum Numen profiteor. * Actu fidei apposità preces inchoantur. Tu pactum misericorditer cum tuis famulis initum fideliter custodis, dum illi tuo in conspectu toto ex corde tibi placere studeant. Tu quæ patri meo Dauidi Prophetarum ex ore promiseras, opere implesti, sicuti diei huius probat euentus. Quemadmodum igitur compleuisti quæcumque Dauidi pollicitus fueras circa Templi fabricam, circa Imperij successionem, ita implere dignare seruo tuo patri meo quæ etiam promiseras, affatus: Non deficiet ex progenie tua vir, qui Israëli imperet, dummodo posteri tui meam legem custodiant, sicut & tu *coram me*, seu in veritate custodisti. * Preme textus verba: *Si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint in lege mea.* Alij legunt. *Si custodierint filius tui vias meas.* Quomodo viæ Dei viæ hominis vocitantur? Quia solummodo homines incedunt per viam, cum legem Dei custodiunt; quidquid enim recedit ab obseruantia legis, non via est, sed præcipitium.] Igitur, Domine Deus Israël ratum sit, opere impleatur, quod circà Imperij durationem Dauidi promisisti. * Illam expende promissionis huiusce conditionem: *Non deficiet ex te vir, qui sedeat super thronum Israël: ita tamen si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint in lege mea, sicut & tu ambulasti.*] Regum iustitia obfirmat Imperia, quæ ex eorum nequitia corruunt. Vt Regnum obfirmetur, nõ sufficit, heredem è sanctis Regibus prodiisse.

Preces apposità inchoantur actibus fidei.

Quidquid recedit ab obseruatione legis nõ est via, sed præcipitium.

Regum iustitia obfirmat Imperia, quæ ex eorum nequitia corruunt.

Vt Regnum obfirmetur, nõ sufficit, heredem è sanctis Regibus prodiisse.

tu ambulasti.] Iàm verò ô Domine, credibile ne est, me tibi domum extruxisse adeò capacem, vt possit dici, Deum super terram cum hominibus habitare? Incredibile planè, nam si Cælum Empyreum, & reliqui inferiores orbes te minimè capiunt, quonammodo domus exigua hæc te poterit excipere? sed ad hoc perfectum est à me Templum, Domine Deus meus, vt qui à cœlis non caperis, & qui te te tua Solummodò essentia excipit, *re'picias orationem* serui tui, eiusque obsecrationem. * An quod dicitur ab homine orante videtur à Numine? Cur non dixit, *Vt audias?* Quia illa perfecta oratio quæ actibus amoris fidei, spei, aut pœnitudinis colligatur, vnde valeat ex voce auditi, & simul ex actibus hisce videri.] Vt respicias, inquam, orationem serui tui, & audias preces, quas tuus coram te famulus profundit. Ergo aperi oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, locum scilicet, in quo pollicitus es, te exauditurum eos, qui preces effuderint, tui nominis seu Numinis inuocatione. Quoscumque ergo apud Templum hoc exorantes exaudi de eluatissimo tuo cœlesti habitaculo, teque eis propitium expone. * Cur precatur Dei oculos aperiri? Vt orantium comitantes vocem cordis videat affectus.] Quare verò *diebus ac noctibus* Deum intentum esse precatur? vt iàm inde à Templi institutione nocturna oratio, quam Matutinum vocitant, commendaretur.]

Illa oratio perfecta, quæ ex voce auditur à Deo, ac simul ex actibus hisce virtutum aspicitur.

Orationis vocem cordis comitantur affectus.

Nocturnæ preces, quas Matutinum vocant, commendabiles admodum.

Vers. 22. vsque ad 42. *Si peccauerit &c.*] Si quispiam suum deliquerit in proximum & qui affectus fuerit injuria, coëgerit reum iurare, lite scilicet ad sacramentum reducta, seque reus maledicto constrixerit coram altari tuo, quoniam actor reum non alibi iurarè voluit: tu quod in Templo dictitatur, & geritur è cœlo exaudis, & aspicies, vt iudices, puniens iniustum iuxta iniquitatis vim, vltor scilicet innocentiæ, & iuxta patientiæ mensuram iusto præmium exponens. * Certè rarò videris, peieratores non puniri, & innocentiam actam iniuria non manifestari.] Si filij Israël eo quod peccatis inficientur, fuerint ab hostibus superati, affecti autem pœnitudine, in Templo hoc fuerint deprecati: tu è superis exaudies, populi delictis ignoscens, eósque ex hostium potestate reduces in Terram, qua eos, eorúmque patres donasti possidenda. * Expendo illud: *Si superatus fuerit populus tuus Israël ab inimicis (peccabunt enim tibi.)* Ob piacula quidem fidelis populus Christicola exercitus ab hostibus affligi solet superari.] * Noto & illud: *Reduc eos in Terram, quam dedisti eis.* E patria relegari, quæcumque illa sit, criminum est supplicium, siquidem ob pœnitudinis præmium orationis efficacis effectu, exilio acti ad Terram patriam reducuntur.] * Vt eorum commendes iustitiam, qui Regulare institutum ineuntes, nunquam aut rarò morantur in patria.] * Hinc D. Franciscum Xauier Patrem meum laudibus efferam, qui quidem ad Indos properans minimè rediturus, itérque agens iuxta Palatium de Xauier, vbi mater adhuc superstes commorabatur, noluit nobilissimæ parenti, patriæque telluri vel vltimum vale dictitare.] si propter populi piaculum, cœlo clauso, non effluxerint imbres, (* Terræ enim sterilitas è peccatis habet exortum.]) & acti afflictione euigilauerint, & pœnituerint, in Templóque hoc facerrimo

3. Petit Salomon, vt multæ Israëlitarum circa varias indigentias preces apud Templum effusæ à Domino exaudiantur.

Rarò non punitur peierator, & non deperitur acta iniurijs innocentia.

Ob peccata populi fidelis exercitus ab hostibus superatur.

Criminum supplicium maximum est, relegari à patria.

Commendabiles Religiosi ex perpetua à loco patrio rũcessione.

Eximus egregium D. Francisci Xauieri ad Indos pergere, vicinâ patriæ, ac parenti vale non dicto.

Terræ sterilitas è peccatis.

exorauerint: exaudi è cælo ô Domine, seruorum tuorum dimitte peccata, eos edocens salutarem viam qua deinceps procedant, ac Terræ tuæ, quam imperritus es Hebræis incolendam vbertim pluuiam impertire. * Illud pende; *& conuersi à peccatis suis, cum eos afflixeris.* Afflictio planè peccatores assolet ab iniustitia reuocare, vndè à Deo admodum misericorditer immittitur.] *Si* populus fuerit fame oppressus, si pestilentia vulneratus, si erugine segetes fuerint percussæ, si aurigine seu ictericia, si lacusta aut brucho agri deperierint, si hostes, vastatis regionibus portas inierint Ciuitatis ad Vrbem possidendam: omnique plaga populus laborauerit: quisquis de Hebraico populo fuerit precatus agnoscens plagam & infirmitatem suam è piaculis prouenire, manúsque suas hoc in loco sacerrimo exorans expanderit: tu exaudies è superis, præsesque habitaculo tuo, propitiúmque te exhibebis vnicuique reddens iuxta cordis affectum (tu enim solus præcordia hominum discutis) vt grati ex beneficio, & ex plaga correpti te tineãt, & viam arripiant salutarem, quandiu vixerint super Terram, quam patribus possidendam exhibuisti. *Ærugo* quidem propriè æris rubigo est: *Aurigo* vitium coloris in homine, quod ictericia dicitur ab auri colore sic nominatum. Sed vtrumque hîc pro segetum vitio hîc apponi videtur. Scio tamen, LXX. vertisse *æris corruptionem, & ictericiam.* * Quænam precor æris corruptionis plaga. Certè grauissima Regnum plaga afficitur, cum corrumpitur æs, id est, cum æris valor variatur.] * Illam pende particulam, *Si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam.* An plaga affectus, actus infirmitate, potest quis ignorare? Ita planè, nam qui calamitatibus pressus adhuc delinquit, documentum exhibet ignorare se hanc suam esse plagam.] * *Cognoscens plagam suam.* O quot peccatores videntes populum ærumnis diuexari, existimant illas plagas esse Regum, non suas, id est, è piaculis aliorum prouenire. Si deliquisti, tua planè plaga est, quam agnoscens debes te sispicere.] * Et illud pondera, *Redde vnicuique secundum vias suas.* Non sufficit vnum pœnitere, & orare, vt cunctus populus à plaga liberetur: quicumque ærumna se videt affectum, respiscat, vt exoret, nec aliorum vnicè nitatur auxilio.) Nè autem tua misericordia hoc in Templo residens populi fidelis terminis circumscribi videatur, si externus seu peregrinus de terra longè diffita veneris tuæ pietatis, tuæ potentiæ augustissimæ fama allectus & in Templo hoc sacerrimo adorans orauerit: de cælesti tuo firmissimo habitaculo exaudies, & cuncta geres, pro quibus peregrinus ille oraturus aduentarit: vt cunctis Terræ populis tui nominis gloria innotescat, téque sicuti electus populus timeant, & agnoscant vim inuocandi nomen tuum apud Templum hoc, quod ædificaui. * *Et cognoscant,* inquit) *quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc.* Vbique quidem efficax fidelium oratio, sed apud Templum profusam reor efficacissimam.] si progressus ad bellum contra aduersarios suos tuus fuerit populus, & constituti in via, per quam eum immiseris, conuersus ad sacram Vrbem, in qua à te electa hoc Templum nomini tuo colendo dicatum exsurgit: tu è superis eius preces & obsecrationem exaudies, & vindicabilis eos, victoriam contra hostes expendens. * Quanta orationis vis in Delubro, si qui orat, Templum à longe prospectans, exaudibilis prædicatur!] Si autem populus certaturus deliquerit (*neque enim est homo qui non peccet*) iratúsque cum hosti tradideris, à quo captiuus in terram longinquam, aut proximam deducatur, inibique egerit pœnitentiam, ac te precatus fuerit proclamans *Peccauimus, iniquè fecimus, iniustè egimus:* & conuersus fuerit ad te toto ex corde in terra captiuitatis suæ, ad quam fuerit adductus, & conuersus ad viam ducentem in patriam regionem, & in Ierosolymitanam Vrbem, vbi hoc Templum aureum caput extollit: tu exaudies de cœlo, hoc est de firmissimo habitaculo tuo, seu de habitaculi tui loco (sic Hebr. preces eius, vt populo delinquenti ignoscas, faciens *iudicium*, id est, liberans eum. *Et dimittas populo tuo quamuis peccatori*, scilicet peccata. Addit Mariana: *Cum ad bellum tui inierint.* * An militum peccata faciliùs à Domino dimittenda? Certè ipsa belli conditio occasionibus exundat delinquendi.] * At milites profectos esse ad Dei bellum gerendum aduersus infideles, magnus apud Deum ad veniam consequendam est titulus.] Tu es enim Deus meus, Hebr. *Nunc Deus meus,* tui, precor, oculi aperiantur, tuæque aures sint ad orationem, quæ ex Templo hoc auolarit, intentæ. *Consurge* nunc *Domine Deus in requiem tuam tu & Arca fortitudinis tuæ;* id est, hîc requiesce: mane in Templo hoc, quod elegisti, vt in eo post tot Tabernaculi expeditiones requiescere. Porrò Arcam fortitudinis vocat Salomon ob miracula stupenda, quæ ad Arcæ præsentiam facta sunt aduersus Chananæos, Philisthæos, aliosque hostes. * Aptiùs Dei-param Arcam fortitudinis Dei vocitarim, ad cuius præsentiam tot stupenda miracula aduersus inuisibiles hostes quotidie excitantur.] Sacerdotes tui Domine Deus *induantur salutem*, id est, à te seruentur, *Psal.* 131. 9. *Induantur iustitiam*, id est, sanctitate, ac innocentia vitæ floreant. * Idem quippè est indui iustitia, ac indui salute: iusti enim à Domino accuratissimè asseruantur.] *Et sancti tui lætentur in bonis.* Hebraicè, *Et misericordes tui* ob beneficia accepta lætentur. * Magna virtus misericordiæ, quando ab ea qui sunt boni vt sancti nominantur.] Domine Deus, ne auertas faciem *Christi tui*, id est, mei, qui Christus, id est, in Regem vnctus sum. Ac si diceret, Ne repellas preces meas, ne patiar à te repulsam. Quod procul dubio geres, si *misericordiarum Dauid serui tui* fueris recordatus, id est, si memineris beneficiorum quæ in Dauidem patrem meum contuliisti. * Gessisse namque Dominum beneficia magnus titulus, vt noua gerat, quasi dedisse, cum vlteriùs dandi constituat debitorem.]

Afflictio laborum reuocat ab iniustitia peccatores.

Vel oratio aspicientis à longe Templum efficax prædicatur.

Num militum peccata facilius à Deo dimittenda.

Titulus est magnus, ad veniam consequendã, milites Dei bellũ gerere contra infideles.

Deipara est Arca fortitudinis Dei.

Iusti à Deo accuratissimè asseruantur.

Misericordia virtus magna, cum ab ea qui sunt boni, & sancti nominantur.

Fecisse beneficia Dei, quæ dimodo eum ad noua gerenda debitorem constituit.

Plaga Regni grauissima, cum æris valor variatur.

Multi peccatores plagis affecti, ignorant, suam esse illam plagam.

Cum populus ærumnis agitur, putant multi, illam plagã ex aliorum piaculis, non è suis prouenire.

Actus ærumnis, pro te ora, non precibus, vnicè nitatur alienis.

Oratio apud Templũ profusa efficacissima est.

CAPVT

CAPVT VII.

Parata ſacrificia igne demiſſo cœlitùs abſumuntur: diebus ſeptem Templi colitur ſolemniter dedicatio. Octaua die collecta geritur. Deus referat Salomoni ſe ipſius preces exaudiſſe.

1.  VMQVE compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta & victimas: & maieſtas Domini impleuit domum. 2. Nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini, eo quòd impleſſet maieſtas Domini templum Domini. 10. Sed & omnibus filij Iſraël videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum: & corruentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide, adorauerunt, & laudabunt, & laudauerunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. 4. Rex autem & omnis populus, immolabant victimas coram Domino. 5. Mactauit igitur rex Salomon hoſtias, boum viginti duo millia arietum centum viginti millia: & dedicauit domum Dei rex, & vniuerſus populus. 6. Sacerdotes autem ſtabant in officiis ſuis: & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus ſuas: porrò Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctúſque Iſraël ſtabat. 7. Sanctificauit quoque Salomon medium atrij ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocauſta & adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat ſuſtinere holocauſta, & ſacrificia, & adipes. 8. Fecit ergo Salomon ſolemnitatem in tempore illo ſeptem diebus, & omnis Iſraël cum eo, Eccleſia magna valdè, ab introitu Emath vſque ad Torrentem Ægypti. 9. Fecítque die octauo collectam, eò quòd dedicaſſet altare ſeptem diebus, & ſolemnitatem celebraſſet diebus ſeptem. 10. Igitur in die vigeſimotertio menſis ſeptimi dimiſit populos ad tabernacula ſua, lætantes atque gaudentes ſuper bono, quod fecerat Dominus Dauidi, & Salomoni, & Iſraël populo ſuo. 11. Compleuítque Salomon domum Domini & domum regis, & omnia quæ diſpoſuerat in corde ſuo, vt faceret in domo Domini, & in domo ſua, & proſperatus eſt. 12. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij. 13. Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: 14. conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit. 16. Elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum, ibi cunctis diebus. 17. Tu quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit Dauid pater tuus, & feceris iuxtà omnia quæ præcepi tibi, & iuſtitias meas iudiciáque ſeruaueris: 18. ſuſcitabo thronum regni tui, ſicut pollicitus ſum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur de ſtirpe tua vir, qui ſit princeps in Iſraël. 19. Si autem auerſi fueritis, & dereliqueritis iuſtitias meas, & præcepta mea, quæ propoſui vobis, & abeuntes ſeruieritis diis alienis, & adoraueritis eos: 20. euellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo, proiiciam à facie mea, & tradam eam in parobolam, & in exemplum cunctis populis. 21. Et domus iſta erit in prouerbium vniuerſis tranſeuntibus, & dicent ſtupentes: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? 22. Reſpondebúntque: Quia deliquerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxit eos de Terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt: ideircò venerunt ſuper eos vniuerſa hæc mala.

COMMENTARII.

1. Parata iam Sacrificia igne cœlitus demisso absumuntur.

ERS. 1.2.3.4.5. Cumque, &c.] Preces Salomon perfecit, & mox ignis è superis dilabitur holocausta, ac victimas iam paratas absumens: & maiestas Domini Templum impleuit, id est, nubes coruſca ac rutilans præsentiam Domini indicans volitauit, se séque diffudit in Delubrum. Nec poterant, seu non audebant Sacerdotes Templum inire, reuerentia impediti diuinæ gloriæ sanctum locum, siue Templum occupantis. * Si Sacerdotes illi non audebant Templum ingredi, eo quod nubes indicans Dei præsentiam obiiciebatur: quomodo audent tot improbi ministri ad altare accedere sacratioremque nubem Christum Deum & hominem obualantes pectore immundo excipere?] Verùm cuncti, qui aderant, Israëlitæ & ignem descendérem videbant, & nubem gloriæ, seu præsentiæ Domini indicem aspectabant: & præ stupore *corruentes* super pauimentum lapideum *adorauerunt*, Dominúmque laudarunt, id est, *incuruauerunt se* (sic Hebr.) ad laudandum Dominum. * Commendabilior enim oratio quæ humilitatis habitu perficitur.] Ad huiusmodi verò fundendas preces illo Dauidico carmine vtebantur: *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Interim Rex & omnis populus victimas Domino immolabant. * Oratio enim efficacior illa, quæ non solùm verbis, sed & piis expressis actionibus instituitur.] Mactatis igitur viginti duobus millibus bobus, centum viginti millibus arietibus, Templum Domino Rex, ac cunctus populus dedicauit.

Taxatur Sacerdotes, qui audêt indignè altare inire, & Eucharistiam absumere.

Commendabilior oratio, quæ humilitatis habitu perficitur.

Efficax illa oratio, cui ęs verba opera comitantur.

2. Sacerdotes ac Leuitæ cõcinũt. Medium atrij sãctificatur. Celebratur dedicatio septem diebus. Fitque collecta.

Vers. 6.7.8.9.10.11. Sacerdotes autem &c.] Porrò sacerdotes (dum Rex ac populus immolationi operam exhibebant Sacerdotali vtique ministerio) *stabant in officiis suis*, Hebr. *Per custodias suas*, id est, distributi per turmas singuli officiis suis fungebantur. Simili modo Leuitæ stabant in organis *carminum Domini*, nempe cum instrumentis omne genus musicis, quibus *canebant per manus suas*, id est, manibus & plectris pulsantes psallebant carmina in honorem & laudem Dei à Dauide composita, illud singulis versibus replicantes: *Quoniam in æternum misericordia eius.* Illa particula, *Hymnos Dauid canentes per manus suas*, sic in Hebræo: *In haleluia Dauid in manu eorum*, id est, Dauid laudabat Deũ per manũ eorum, qui pulsabant & concinebant. * Quomodo Dauid haud superstes Dominum laudabat? Quia hymnos illos ipse condiderat, & in canentium vocibus eius resonabat affectus. Vnde commendantur precum compositores, qui quidem semper Dominum in ore eorum qui repetunt, laudibus efferunt.] * Commendabiles hinc etiam librorum Sacrorum seu piorum Auctores, qui nunquam non legentes edocent, eosque spiritualibus documentis informant.] *Sanctificauit* quoque Salomon seu Sanctum fecit *medium atrij*, quod antè Templum Domini erat, quia eo in loco, scilicet in atrij meditulio holocausta, ac pacificorum obtulerat adipes. Ideò verò in medio atrij obtulit, quia æneum altare, quod ad id munus perfecerat, holocausta, Sacrificia, & adipes tanta vi oblatos haud excipere poterat. Celebrauit ergo Salomon solemnitatem Tabernaculorum, quæ tempore illo, quo Templi dedicatio fiebat, scilicet mense Tisri die quinto decimo solebat celebrari) septem dierum circulo: simul ádstante ingenti Israëlitarum cœtu, qui confluxerat ab introitu Emath vsque ad Ægypti torrentem. Ij sunt termini Palæstinæ ad Septentrionem & Meridiem. Torrens autem Ægypti alio nomine Phinocorura. Ergo omnis Israël venit ad solemnitatem. Fecitq; die octauo collectam, eo quod alte seu Templum septem dierum interstitio dicasset, & Tabernaculorum solemnitatem diebus totidem coluisset. *Collecta* Hebraicè עצרת *azereth* quid sit non est notum. Hieronymus *Collectam* dixit, alij *concionem*, alij Retentionem, alij *Iubilum*, quod probarim. Hispanus dixeris *Algazara*. Septem diebus in tabernaculis manebant, octauo coibant ad audiendum verbum Dei siuè ad ludos celebrandos. Is Iubilus erat, quod dedicasset altare septem *diebus &c.* Nimirum die octauo mensis cœperunt Templi dedicationem, deindè subsecutum est Tabernaculorum festum vsque ad diem vigesimum primum, die verò vigesimo secundo fuit collecta siue iubilus. * Profectò si *Collecta* idem est ac *Concio* seu *Iubilus*, ad audiendum Dei verbum hinc alliciaris oportet, vnde animo iubilus.] * Non quidem immodesta corporis etiam permittitur iubilatio, dum concio geritur. Euangelicus enim concionator lacrymas debet elicere auditorum, non risum excitare.] Denique post vnam & alteram duplicis solemnitatis hebdomadam, post diei vigesimi secundi iubilum die vigesimo tertio septimi Tisri mensis populos sua ad habitacula dimisit lætantes quidem & gaudentes *super bono*, quod fecerat Dominus Dauidi, Salomoni, & electo populo suo. * Bonum enim ineffabile est Reipublicæ, Templum extrui, quo Deus laudetur, quo fideles possint Dominum deprecari.] * Salomoni etiam hoc bonum impenditur; gratissimum enim Numini diuino est, Templum eius nomini colendo ædificare, altaria extruere.] Preme & illud: *super bono, quod fecerat Dominus Dauidi.* Quodnam bonum Dei Dauidi haud iam superstiti fecit? * Præterquam quod eximia merces accipienda aliquandò in superis Dauidi fuerat reposita, vel hîc à Domino eius memoria honorabatur? Quid enim honorabilius homini, quàm expensis eius Delubra extrui, vbi Deus æternùm colatur? Annon à cunctis fidelibus Templum ineuntibus huiusmodi semper commendatur affectus?] Perfecit itaque Salomon & Templi & Palatij fabricam, & executioni dedit quidquid circa vnam & alteram extructionem suo in corde præscripserat: *& prosperatus est*, siue ad exitum perduxit, siue sapienter se gessit Salomon; nam prosperari, & sapienter agere sæpe pro eodem in Sacris accipiuntur. * Certè ei qui insipienter agit, nihil accidit prosperum; sapientiam prosperitatis originem dixerim.]

Hymnorum ac precum compositores vel mortui, semper Deũ laudant in ore eorum, qui eis vtuntur.

Librorum piorum auctores semper legentes edocent.

Dei verbum audire idem est ac iubilare animum.

Concionator non risum auditorum excitet, sed lacrymas eliciat.

Ornamentum & bonũ Reipublicæ, Templum in ea extrui.

Gratissimum Deo opus, Templorum, aut altaris extructio.

Semper à cũctis honoratur qui expensis suis curauit Templum, seu altare extrui.

Sapientia est omnis origo prosperitatis.

3. Prospera Deus Salomoni, & Israëli promittit, si præcepta custodierint: infausta si violauerint, minatur.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22. Apparuit autem.] Salomoni Dominus apparuit nocte quadam, verosimiliter post annos aut menses, vel saltem post aliquod temporis interstitium. Nam propter *He* emphaticum delitescens in puncto *Pathah*, & Græcum articulum ὁ τύπτων. agnosco id non proxima post dimissos Hæbræos ad propria; accidisse, sed quadam

Sæpè Deus differt post acceptа hominis obsequiа grаtitudinis documenta, vt fidem nostram аctuat.

dam post id tempus nocte. * Vt innuatur, sæpè Deum post acceptum hominis obsequium differre gratitudinis documenta exprimere, vt nostra fides interim acuatur.] Exaudiui (fatur Deus Regi) orationem tuam, & in Sacrificij domum Templum istud elegi. * Templum *domus* est Sacrificij, non obmurmurationis, non impudicitiæ.] Si ob piacula populibus occluſero cœlum, vt imbres nō diffluant: ſi ad præceptum meum fuerit excitata locuſta, vt Palæſtinæ germina abſumat: ſi aeris infectione meum populum flagellauero: Conuerſus autem populus meus *ſuper quod inuocatum eſt nomen meum*, ſiue qui appellantur nomine meo, ſcilicet populus Dei. Aptiùs dixeris, pro quibus Sacerdotes orant meo inuocato nomine: deprecatus me fuerit, meámque exquiſierit faciem ad Templum aceurrendo, à viiſque ſuis peſſimis pœnitens receſſerit: ego è ſuperis exaudiam, eius delictis ignoſcam, Iſraëliticámque tellurem actam ſterilitate faciam germinibus abundare. Oculi quoque mei *erunt aperti* vt aſpiciam orantes: & aures meæ arrectæ ad preces illius, qui hoc orauerit in Delubro. * Priùs inſpicit Deus orantes qui ſint, deinde preces audit, ſi digni qui profundunt. Priùs te iuſtum proba, quam precari audeas; quia te auditurus Deus, priùs periculum faciet, vtrum ſis dignus orare, & exaudiri.] Templum enim iſtud elegi, illúdque ſanctificaui, ſempiternum mei nominis inuocandi à fidelibus habitaculum: inibi oculi mei & cor meum cunctis diebus benigniſſimè aſpectabunt, munificentiſſimè excipiet exorantes. Cæterum ô Salomon, ſi meo ambulaueris in conſpectu, ſicut Dauid pater tuus ambulauit, & geſſeris iuxta meæ legis præſcriptionem, ſtatuta mea, & iuditia mea ſeruaueris: thronum Regni tui *ſuſcitabo*, Hebr. *ſtabiliam*, ſicut percuſſo fœdere fui Dauidi pollicitus cum dixi: Haud auferetur de ſtirpe tua vir, qui imperet Iſraëli. Sin autem auerſi fueritis, meámq; iuſtitiam contempſeritis, præceptáque à me vobis præſcripta violando, & abſcedentes diis ſeruieritis alienis, colueritiſq; ſimulachra: è mea vos euellam regione, qua vos donaueram: & Templum hoc, quod nomini meo colendo ſanctificaui, à facie mea proiiciam, idque in parabolam, cunctiſque populis exponam in *exemplum*. Hebraicè *In Prouerbium*, ſeu dicterium. Lxx. *In narrationem*. Omnes de eius loquentur ruina. *Et* Templum hoc (inculcat) *erit in prouerbium* cunctis tranſeuntibus, qui ſtupentes proclamabunt: Quare Dominus ſic ſe cum electo olim populo, & cum ſacerrimo Templo geſſit? Ipſique reſpondebunt: Quia Deum patrum ſuorum, qui eos de Ægypti captiuitate eduxerat munificentiſſimus, ingratiſſimi dereliquere. Deóſque coluerunt alienos: idcircò tot ſunt meritò flagellati ærumnis. Supremum hîc peccatoribus ſupplicium eſt, Templo priuari, quod Vrbibus adiicit protectionem. O quot apud Chriſticolas Ciuitates Delubra corruunt, vel deſerta relinquuntur! Quid mirum ſimul Vrbes penitùs deſolari? Illa clauſula, *Et domus iſta erit in prouerbium vniuerſis tranſeuntibus* ſic Hebr. effertur: *Et domus hæc, quæ fuit excelſa, omnis tranſiens per illam obſtupeſcet*: erit ſcilicet in ſtuporem.

Templum ſacrificij eſt domus.

Vt orans audiaris à Deo, cura te iuſtũ Deo exponere.

Magnum peccatoribus eſt ſupplicium, eos Templis priuari.

CAPVT VIII.

Salomon ædificat varias Ciuitates. Gentium reliquias tributarias facit Iſraëli. Stata holocauſta nomine ac ſumptu Regis offerenda decernit. Sacerdotum ac Leuitarum, iuxta deſignationem Dauidis, miniſteria conſtituit. Claſſem in Ophir immittit, vnde magna Regi vis auri refertur.

1. EXPLETIS autem viginti annis, poſtquam ædificauit Salomon domum Domini & domum ſuam: 2. ciuitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificauit, & habitare ibi fecit filios Iſraël. 3. Abiit quoque in Emanth Suba, & obtinuit eam. 4. Et ædificauit Palmiram in deſerto, & alias ciuitates munitiſſimas ædificauit in Emath. 5. Extruxítque Bethoron ſuperiorem, & Bethoron inferiorem, ciuitates muratas habentes portas & vectes & ſeras: 6. Balaath etiam & omnes vrbes firmiſſimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctáſque vrbes quadrigarum, & vrbes equitum, omnia quæcumque voluit Salomon atque diſpoſuit, ædificauit in Ieruſalem & in Libano, & in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ. 7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis qui non erant de ſtirpe Iſraël, 8. de filiis eorum, & de poſteris, quos non interfecerant filij Iſraël, ſubiugauit Salomon in tributarios, vſque in diem hanc. 9. Porrò de filiis Iſraël non poſuit vt ſeruirent operibus regis: ipſi enim erant viri bellatores, & duces primi, & principes quadrigarum & equitum eius. 10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. 11. Filiam verò Pharaonis tranſtulit de Ciuitate Dauid, in domum quam ædificauerat ei. Dixit enim rex: Non habitauit vxor mea in domo Dauid regis Iſraël eò quòd ſanctificata

ſit:

sit: quia ingressa est in eam arca Domini. 12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum, 13. vt per singulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysi in sabbatis & in calendis, & in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. 14. Et constituit iuxta dispositionem Dauid patris sui, officia Sacerdotum in ministeriis suis: & Leuitas in ordine suo, vt laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum vniuscuiusque diei: & ianitores in diuisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat Dauid homo Dei. 15. Nec prætergressi sunt de mandatis regis, tam Sacerdotes quàm Leuitæ, ex omnibus quæ præceperat, & in custodiis thesaurorum. 16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundauit domum Domini, vsque in diem quo perfecit eam. 17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, & in Allath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom. 18. Misit autem ei Hiram per manus seruorum suorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum seruis Salomonis in Ophir, tulerúntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri; & attulerunt ad regem Salomonem.

COMMENTARII.

1. Salomon, Ciuitates exædificat.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Expletis autem &c.*] Viginti igitur annis, *postquam* id est, in quibus Rex Salomon Templum Domino, & Palatium sibi exædificauerat, expletis, Ciuitates, quas ei Hiram dederat, ædificat, siue reficit, & ornat, in eisque Israëlitas præcipit habitare. Certauit scilicet Hiram cum Salomone beneuolentiæ signis: à quo cum viginti Oppida accepisset, vti habes 3. *Reg.* 9. 11. ipse Salomoni alia, ac fortasse totidem donauit. * Piaculum enim nobilibus, circà rem munificentiæ ab aliis superari.]

Nobiles non permittit circà rem munificentiæ ab alio superari.

Cur autem cùm facer Scriptor exposuit Regem Hiram à Salomone donatum fuisse viginti Oppidis, non expressit, Salomonem ab Hiram totidem accepisse? Quia consequens erat, siue res per se nota, Principem accipientem, illicò esse daturum.] Profectus est quoque Salomon in Emath Suba, eámque obtinuit. Huius bellicæ expeditionis non alibi fit mentio. Porrò Vrbs Emath siue Amatha, quæ est ad Libani radices, Tribui Nephthali in Terræ obtigerat partitione: eam tamen Chananæi eius incolæ multis sæculis retinuére, 2. *Judic.* 3. 3. Donec Dauid bello deuictos Syros sibi tributum pendere coëgit. 1. *Paral.* 18. vt etiam Regem Emath. Mortuo autem Dauide Rex Emath iugum tentauit excutere, (vti Iosephus *lib.* 8. *Antiq. c.* 6. asseruit,) quod Salomoni occasionem dedit, vt aduersus illum arma expediret. * Vndè abnegans tributum Rex Emath omnino debellatur, ac corruit. Id quod quotidie rebellibus accidit. Omnino depereunt, quia sese parum submittere nolunt.] Præterea exædificauit Rex *Palmiram* apud desertum Hebr. *Thadmor.* Scio, Iosephum lib. 8. Antiq. c. 2. asseruisse, à Syris Thadamoram vocaui, à Græcis verò Palmiram sitam suprà Syriam superiorem duorum dierum itinere, vnius ab Euphrate. Apud Emath autem alias ciuitates *munitissimas*, extruxit. Hebr. *Ciuitates thesaurorum.* Transtulit autem Hieronymus pro *Thesaurorum, Munitissimas.* Nam ad thesauri custodiam magnum requiritur munimentum. * Hinc edisce spiritualem accuratissimè custodire thesaurum. Virgines Dei thesauri munitissimæ custodiæ addicendi sunt, ne solliciti furis pauescant insidiis.] In *Emath* inquam, id est, in Syria, aut prope Antiochiam hæ Vrbes fuére exædificatæ. Extruxit item Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem ciuitates quidem munitas muris, portis, & vectibus. Nec mirum, cum ad fines Regni sitæ, essent hostibus obiectæ. * Magna quidem Principum incuria, Oppida ad fines Regni sita sine munimine relinquuntur facillima planè hostium præda.] Balaath etiam, & omnes Vrbes firmissimas, (Hebr. *thesaurorum*) quæ in Salomonis aderant potestate, seu quæ ad eius pertinebant ditionem, Vrbes quadrigarum, & Vrbes equitum rædificauit, & nouis roborauit munimentis. Quinam illi thesauri in hisce Vrbibus reconditi? Horrea profecto Regia, & bellici apparatus. * Hi Regij thesauri aurea decora margaritis bachisque distincta.] Quæcumque Salomon habuit in optatis circa ædificia, expressit opere aut in Ierosolyma, aut in Libano, seu loco illo, qui saltus Libani dicitur, aut in omni suæ potestatis seu ditionis regione. In saltu Libani Regia æstiua, & Palatium adiacebat.

Intolerabilis Principū incuria Oppida ad fines Regni sita sine munimine relinquuntur.

Regij thesauri horrea, & bellici apparatus.

Verſ. 7.8.9.10.11. *Omnem populum &c.*] Ex Hethæis, Amorrhæis, Pherezæis, Hebæis, ac Iebusæis, qui ad Israëlis non attinebant progeniem, copiosæ aderant reliquiæ siue filij ac posteri superstites, quos filij Israël non extinxerant in parentibus: hos Salomon fecit tributarios, vt nobilitas electi populi immunis fieret à tributo. * Ab externis Rex sapientissimus tributa exigit, vt suos immunes relinqueret: Ergo ad Regni decus pertinet, ciues tributis minimè pergrauari.] Verùm nec de Israëlitis quoſquam fecit Regiis operibus inseruire; hi enim aut militiæ nomen dederant, erant scilicet inferiores milites aut Duces primores, aut Principes quadrigarum, & equitum. * Si autem otio aliàs torpescerent, iustè ad gerenda Regia opera cogerentur; otiosi enim cogendi sunt ad ministeria, ne populus soluatur inertiâ. * Porrò qui militiæ dant operam iustè ab aliis oneribus, vilioribúsque muneribus liberantur: vnde & milites circa id Ducibus & equitibus facer æquauit Scriptor: *Ipsi enim erant viri bellatores, & Duces primi, & Principes quadrigarum, & equitum eius.* Vel infimus miles debet immunitatis iure gaudere.] si verò omnes Principes exercitus Salomonis, *qui erudiebant populum*, Hebr. *Dominantes*

2. Gentium reliquiæ tributariæ fiunt. Filia Pharaonis è Ciuitate Dauid transfertur.

Ad Regni decus pertinet, ciues tributis minimè pergrauari.

Otiosi cogendi sunt ad publica ministeria.

Milites gaudent immunitate, nec cogantur vilioribus seruire ministeriis.

Nobiles non permittit circà rem munificentiæ ab alio superari.

Accipiens nobilis, dare tenetur.

Rebelles omninò pereunt, quia se parum submittere nolunt.

Virgines Dei thesauri accuratissimè custodiendæ.

Rerum arbitrium non est ad vnũ Auditum deferendum, sed ad multos.

Omnis populus debet esse addictus militiæ, cum occasio tulerit.

Dominari idẽ est, ac subditos erudire: qui non docet subditos, haud verè dicitur dominari.

Ad Eucharisticæ Arcæ ingressum, debemus in sanctitatem conuerti.

3. Sacerdotum, ac Leuitarum ministeria constituuntur, Regia Classis mittitur in Ophir.

Quàm varus filius, qui vltimã obeuntis parentis voluntatem exequatur.

Cuncta opera virtualiter residens in pecunia.

Quæ ad Regiæ substantiæ pertinẽt, præsente Rege expedienda sunt, absente enim illo, viget ministrorum auaritia.

stantes in populo, velis ad numerum adducere, ducentos quinquaginta inuenies. At 3. *Reg.* 9. 22. quingenti quinquaginta pronunciantur. Certè qui hîc annumerantur erant præcipui. Hebr. dicitur, *Et hi Principes Præfectorum qui Regi Salomoni* aderant immediati, *ducenti quinquaginta.* * Non ad vnum aulicum, aut paucos rerum arbitrium à sapientissimo Rege deferebatur, sed inter multos curam rerum distribuebat.] * Si autem hi aderant totius Regni gubernatores, cunctarum rerum arbitrio præpositi, cur exercitus Principes appellantur? Certè quia omnis populus debet esse addictus militiæ cum tulerit occasio, ad omnes enim attinet Regni defensatio.] * Recole particulam, *Principes, qui erudiebant populum.* Hebr. *Dominantes in populo.* Dominari quidem idem est, ac erudire subditos. Rex qui subditos erudire non curat, haud verè dicitur dominari.] Cæterùm vxorem suam Pharaonis filiam Rex è Ciuitate Dauid nouam ad id extructam transtulit in palatium, sanctus in corde suo: Non decet, vxorem meam apud domum Dauidis Regis Israël habitare, eo quod ex ingressu Arcæ sacerrimæ fuerit sanctificata. Hebraicè pro *Quia ingressa est in eam Arca*, dicitur, *Quia sanctitas sunt ipsa, ad quæ ingressa est Arca Dei.* Domus itaque Dauid sanctificata est, imo in sanctitatem conuertitur Arcæ ingressu. * Proh hominum duritiem, ad cuius præcordia quotidie sacratior Eucharistica Arca ingreditur, & cum deberet homo in sanctitatem mutari, exundans adhuc imperfectionibus exponitur.]

Vers. 12.13.14.15.16.17.18. *Tunc obtulit, &c.* Cæterùm *tunc*, id est, post translatam vxorem in nouum habitaculum, Salomon supra altare, quod extruxerat antè porticum Templi (vt per dies singulos, & in Sabbatis in Calendis, & ter in diebus festis per annum, nempe in solemnitate Azimorum, Hebdommadarum, ac Tabernaculorum iuxta præscriptum Mosis litaretur) Domino obtulit holocausta. Et iuxta Dauidis parentis dispositionem Sacerdotum, officia constituit: Leuitásque propriis addixit ministeriis, vt modularentur, & inseruirent coram Sacerdotibus iuxta præscriptum vniuscuiusque diei ritum; ianitoribus verò iuxta diuisiones suas portas cunctas custodiendas tradidit: sic enim *Dauid* Dei seruus *præceperat.* * Vt vnus filius post parentis exsurgeret obitum, qui vltimam eius voluntatem executioni traderet.] Porrò Sacerdotes & Leuitæ tam circa præfata ministeria obeunda, quàm circa thesaurorum custodiam, nullum Regis præteriére imperium. Salomon autem, vt operarij indesinenter Templi structioni darent operam, omnes impensas præparatas exposuit, ex die, qua fundamina iecit, vsque in diem, qua verticem perfecit. Pro *Omnes impensas præparatas habuit Salomon*, est in Hebræo, *Præparauit Salomon omne opus.* * Qui pecunias præparat, omne præparat opus, quia cuncta, quæ geri possunt virtualiter residen, in pecunia.] *Tunc* siue post hæc Salomon abiit in Asiongaber & in Ailath ad oram Maris Rubri, quæ in Terra Edon exponitur, vt immiteret classem in Ophir. * Cuncta enim, quæ ad opportunam circa substantiam Regiam expeditionem pertinere videatur, præsentia Regis perficienda sunt, absente enim Rege ministrorum, Regiæ substantiæ iactura, vigere assolet auaritia.] Asiongaber & Ailath erant noti Rubri pelagi Portus. At Asiongaber nunc *Suez* vocitari creditur, vel, vt alij asserunt, *Berenice.* Immisit autem Salomoni Hiram Rex Tyri seruorum suorum ministerio naues; & nauticæ artis viros admodum peritos, qui quidem cum seruis Salomonis in Ophir appulere indéque quadringenta quinquaginta talenta ad Salomonem detulerunt. 3. *Reg.* 9. 28. dicitur, quadringenta viginti detulisse. Sed ב. nota *viginti*, & נ. nota *quinquaginta* similimæ sunt, & in maiori numero minor comprehenditur, aut minor summa intelligi deductis nauigationis impensis. Enimverò Hiram naues ad Salomonem immisisse crediderim naues istic in ora maris Rubri fabricatas, vel coemptas. Nec enim è Tyri Portubus classem transtulit in Asiongaber: nam hæc ex mari Mediterraneo in mari Mediterraneo in mare Rubrum vel Erithræum per tanta locorum spatia transferri debuisset: sed è Tyro misit solos nautas suos, qui in classe Salomonis eius sumptibus in Idumæa ad littus maris Rubri seu constructa, seu coempta vna cum seruis Salomonis in Ophir nauigarent. Porrò Tyrij gnari erant maris, imò rei nauticæ inuentores extitere, canente Tibullo,

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus.

Quid Ophir? Quidam per Ophir putant designatam Hispaniam, quidam Zophalam, quidam Angolam in Æthyopia, plures Peruanum Regnum in India Occidentali. Crediderim; per Ophir designatam Auream Chersonesum, quæ complectitur Regnum Peguanum, Malacam, & Somatram, in India Orientali. Allicior, quia circa ea loca putetur habitasse *Heuila* frater *Ophir Gen.* 10. 29. Ibi enim fluuius Phison, seu Ganges, qui *circuit terram Hebilath Gen.* 2. 11. & quia Salomonis classis soluebat ex Asiongaber Portu maris Rubri viciniori Indiæ Orientali, ac Peguano Regno: cum Peru toto cœlo inde distet. Et quia neque Salomonis tempore, neque multis post sæculis à quoquam nostri orbis explorata fuit regio Peruana propter Zonam torridam interiectam, quæ suo ardore aditum ad vlteriora præcludere putabant.

CAPVT IX.

Reginæ Saba aduentus expenditur. Prouentus annui Salomonis, haſtæ, ſcuta, omniáque vaſa conuiuij aurea, ſolium eburneum auro intertextum deſcribuntur. Mors denique Regis poſt quadragenta imperij annos annotatur.

1. REGINA quoque Saba, cùm audiſſet famam Salomonis, venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Ieruſalem, cum magnis opibus, & camelis qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmáſque pretioſas. Cúmque veniſſet ad Salomonem, locuta eſt ei quæcumque erant in corde ſuo. 2. Et expoſuit ei Salomon omnia quæ propoſuerat: nec quidquam fuit, quod non perſpicuum ei fecerit. 3. Quæ poſtquam vidit, ſapientiam ſcilicet Salomonis, & domum quam ædificauerat, 4. necnon & cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas quas immolabat in domo Domini: non erat præ ſtupore vltra in ea ſpiritus. 5. Dixítque ad regem: Verus eſt ſermo, quem audieram in terra mea de virtutibus & ſapientia tua. 6. Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: viciſti famam virtutibus tuis. 7. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam. 8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Iſraël, & vult ſeruare eum in æternum, idcirco poſuit te ſuper eum regem, vt facias iudicia atque iuſtitiam. 9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſſimas: non fuerunt aromata talia vt hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 10. Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretioſiſſimas: 11. De quibus fecit rex, de lignis ſcilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regis, citharas quoque & pſalteria cantoribus: nunquam viſa ſunt in Terra Iuda ligna talia. 12. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ poſtulauit, & multò plura quàm attulerat ad eum: quæ reuerſa, abiit in terram ſuam cum ſeruis. 13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri: 14. excepta ea ſumma, quam legati diuerſarum gentium, & negotiatores afferre conſueuerant, omnéſque reges Arabiæ, & ſatrapæ, terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni. 15. Fecit igitur rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur: 16. trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta: poſuítque ea rex in armamentario, quod erat conſitum nemore. 17. Fecit quoque rex ſolium eburneum grande, & veſtiuit illud auro mundiſſimo. 18. Sex quoque gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureum, & brachiola duo altrinſecus, & duos leones ſtantes iuxta brachiola: ſed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper gradus ex vtraque parte: non fuit tale ſolium in vniuerſis regnis. 20. Omnia quoque vaſa cónuiuij regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. 21. Siquidem naues regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram, ſemel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur & ſimias, & pauos. 22. Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes reges terræ præ diuitiis & gloria. 23. Omnéſque reges terrarum deſiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiam, quam dederat Deus in corde eius: 24. & deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata, equos, & mulos, per ſingulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta milia equorum in ſtabulis, & curruum equitúmque duodecim millia, conſtituítque eos in vrbibus

quadri

quadrigarum, & vbi erat rex in Ieruſalem. 26. Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos reges, à flumine Euphrate vſque ad terram Philiſthinorum, & vſque ad terminos Ægypti. 27. Tantámque copiam præbuit argenti in Ieruſalem quaſi lapidum; & cedrorum tantam multitudinem velut ſycomororum, quæ gignuntur in campeſtribus. 28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctiſque regionibus. 29. Reliqua autem operum Salomonis priorum & nouiſſimorum, ſcripta ſunt in verbis Nathan prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in viſione quoque Addo Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. 30. Regnauit autem Salomon in Ieruſalem ſuper omnem Iſraël quadraginta annis. 31. Dormiuitque cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Ciuitate Dauid: regnauítque Roboam filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Reginæ Sabæ aduentus ad Salomonem.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Regina quoque &c.*] Sabæ etiam Regina, fama ſapientiæ, opulentiæque admirabilis Salomonis exaudita, profecta eſt Ieroſolymam magno cum comitatu magnis onuſta opibus, nam cameli aromata, auri ingentem vim, pretioſáſque gemmas deportabant. Cauſa aduentus Reginæ, *vt tentaret, eum in ænigmatibus*, id eſt, vt exploraret, reſponderétne famæ Regis ſapientia, & opes. * Aſſolet enim fama mendax deprehendi ex linguarum ſemper addentium conſuetudine.] * Sapientiæ Regis cum vis narratur, ex adulatione aſſolet mendax eſſe relatio ſubditorum.] Pro particula, *Cum magnis opibus* venit Regina in Hebræo eſt, *Cum exercitu graui*, ſcilicet comitatu. * Magnus exercitus non poteſt niſi cum magnis opibus colligari: vnde pulchrè magnus exercitus magnarum opum vocabulo exprimitur.] * Certè Regum opes ſunt magnus exercitus, hîc enim Regni opum eſt defenſatio. Cúmque ad Salomonem Regina aduentaſſet, ei locuta eſt cuncta, quæ ad periculum de illius ſapientia gerendum, excogitauerat. Sapientiſſimus verò Rex omnium difficultatum nodos ſoluit; nec vlla fuit difficilis propoſitio, quam non ei perſpicuam exponeret. * Num commendabilis Rex ſapientiſſimus, eo quod fœminæ quæſtis reſponderet? Certè commendabilior fœmina eo, quod proponeret quæſtiones, ex quarum ſolutione Rex ſapientiſſimus cómendabilis obiicitur.] * Non ſolis viris prudentia addicitur ac ſapientia, etiã fœminæ ſapientia donantur. Teſtor D. Thereſiam multos ſapientia præditos viros longo excedentem interuallo.] Poſtquam autem Regina teſtis facta eſt oculata & ſapientiæ Regis, & Templi auguſtiſſimi, & cibariorum menſæ eius, poſtquam aulicorum vidit habitacula, miniſtrorum conſiderauit officia, veſtimenta aſpectauit, pincernarum omniúmque menſæ miniſtrantium proſpexit ornatum: poſtquámque victimas, quas immolabat, (LXX. *Holocauſta, quæ offerebat*) intuita eſt: non erat in ea ſpiritus præ ſtupore. * Preme, quæſo, particulam, & *victimas, quas immolabat*, pro qua Hebr. *Et aſcenſum eius, quo aſcendebat in domum Domini*, Quod Hebræi explicant de viis occultis, quibus è domo ſua Rex ibat in Templum. Quid viis occultis illis cum holocauſtorum oblatione? Profectò Regis ſtudium circà occultos illos ad Templum aditus præparandos holocauſtorum offerendorum arguebat ſtudium. *Ad* quid enim Rex ſapientiſſimus Templum adiret, niſi ad holocauſta Domino litanda? Vacuus quidem tuus in Delubrum ingreſſus, ſi ſpiritus non das operam holocauſto.] Profatáque eſt Salomoni Regina: planè fama, quæ circa ſapientiam ac virtutes tuas ad meas apud regionem Sabæam aures peruenerat, verax eſt. Narrantibus haud adhibebam fidem, exiſtimans huiuſce famæ gloriam adulationes increuiſſe fallacia: iam oculata teſtis comperi veritatem, & probaui, vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: tuis namque virtutibus famam omnino ſuperaſti. * Pende verbum, *Non credebam narrantibus.* Quid narrabant illi? Virtutes Salomonis, eius Sapientiam, & gloriam. Quam agnatum hominibus proximorum rectè geſta non credere, vel ſaltem de cunctis, quæ glorioſa ſint, aliis dubitare.] * Si turpia facinora, ſi dedecora proximi euulgarentur, ſine teſtium aſſertione illicò credibilia apparerent: quæ autem pulchra & glorioſa aliorum ſunt, non creduntur niſi poſt oculorum experimentum, *Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei.*] * Preme & illud, *Viciſti famam virtutibus tuis.* Et quando non fama à virtutibus ſuperatur? Semper vulgaris lingua exagerat vitia, virtutes imminuit.] Beatos quidem dixerim ſubditos tuos, terque quaterque felices eos præcipuè qui coram te omni tempore aſſiſtunt, tuæque ſapientiæ reſeratorem ſermonem exaudiunt. Benedictus ſit Dominus Deus tuus, qui te dignatus eſt Regem Imperij ſui electi conſtituere. Quia Iſraëliticus populus eſt gratus admodum Numini, & decreuit eum æquari æternitati: idcirco te ad ſolium euexit, vt iuſtitiæ & æquitatis iura cuſtodias. * Quàm pulchrè, *Quia diligit Deus Iſraël, & vult ſeruare eum in æternum, idcircò poſuit te ſuper eum Regem, vt facias iudicia, atque iuſtitiam!* Regum quippe æquitas ac iuſtitia ſtabilit imperia, quæ ob iniquitatem & iniuſtitiam Regum aſſolent funditùs euerti, miſerè deperire.] Verùm Regina è Regio apportato theſauro Salomoni obtulit cẽtum viginti auri talenta, aromatum vim maximam, gemmáſque pretioſiſſimas. Porrò aromata adeò erant probata, vt reliquas aromatum ſpecies ex Sabæis arboribus effluentes facilè vincerent.

Fama mentiri aſſolet.

Subditorum adulatio ſolet ſapientiã Regis nimiùm commendare, immeritò quidem.

Magnus exercitus magnis opibus colligatur.

Regum opes ſunt magnus exercitus.

Commendabilior in fœmina, quàm in viris ſapientia.

D. Thereſia multos ſapientes ſuperauit.

Vacuus tuus ad Templum ingreſſus, ſi ſpiritus non das operam holocauſto.

Ægnãtum hominibus, reſtè geſta aliorũ non credere ſine oculorum experimento.

Turpia aliorum ſine teſtũ creduntur facinora.

Semper vulgaris lingua vitia exaggerat, virtutes imminuit.

Regum æquitas ſtabilit imperia, quã ob Regum iniquitatem aſſolent corrue re.

Verſ. 11.12. *Sed & ſerui Hiram &c.*] Cæterum præter diuitiarum copiam à Sabæ Regina adlatam famuli Regis Hiram, qui cum ſeruis Salomonis in Ophir nauigauerant, è regione illa ad eum detulere aurum, ligna *thyina*, Hebr. *algumin* ſiue *corallia*. LXX. *Ligna pinea*, alij *Breſilium*, alij *Ebenum*: ac gemmas pretioſiſſimas.

2. Magna vis auri à ſeruis Salomonis adducitur. Regina Sabæ diuitiis onuſta regredi tur.

Porrò

Porrò de lignis hiſce Salomon iuſſit gradus in Templo & in aula perfici: necnon citharas, ac pſalteria Cantoribus efformari, Nunquam Iudaicæ Terræ habitatores tam egregia ligna conſpexere. Pro particula, *Et pſalteria*, Hebraicè ponitur, *Pro nablis*, Hiſpani autem *Gaitas* dicerent. Profectò Rex Salomon Sabæ Reginæ quæcumque expetiuit, ac poſtulauit impertiit, & multo plura munera, quàm ad eũ ipſa detulerat, reddidit: & diuitiis onuſta, vberiori prædita ex Regis monitis ſapientia cum ſuo reuerſa eſt comitatu. * Pende illud: *Et multò plura, quàm attulerat ad eum*, recepit. Veri hinc Salomonis Ieſu munificentiam adnota, eleemoſynæque vbertimos fructus contemplare. Nihil Deo, nihil pauperi præſtabis, quod non mirum in modum multiplicatum recipias.] In Hebræo eſt, *Dedit Reginæ, quæcumque petiit, præter ea quæ attulit ad Regem*, id eſt, præter ea, quæ dedit pro illis inuicem quæ attulerat. Idem quod datur Deo in paupere, recipitur? Ita planè, nec enim quod pauperi impertiris, à tuo penu recedit.] Imò & adiicitur tibi quidquid expetis, quidquid à Deo tibi libeat poſtulare. Vt enim in oratione exores, optima eſt eleemoſyna præparatio.] Pende & illud, *Rex Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit, & poſtulauit.* Mirarer planè, ſi mulier (auarum quidem genus) daret, niſi vt reciperet amplius, niſi vt peteret potioribus ſeu vberioribus redonari muneribus.] * Quàm agnatum fœminis licet nobilibus, licet auguſtis petere: *Quæcumque poſtulauit.*] * Nunquam dant homines, vt dent, ſed vt recipiant præſtantiora munera.]

Quod datur pauperi, ſeu quod Deo impertitur, multiplicatum recipitur.

Quod datur egenis retinetur.

Eleemoſyna optima eſt ad orationẽ præparatio.

Dat mulier, vt recipiat; genus enim auarum.

Agnatum fœminis, petere.

Nunquam dãt homines, niſi vt amplius recipiant.

Verſ. 13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31. *Erat autem &c.*] Pondus itaque auri, quod Salomoni annis ſingulis deferebatur ſexcenta ſexaginta ſex æquabat talenta: excepta ea ſumma, quam diuerſarum Prouinciarum legati, ac negotiatores afferre conſueuerant: & quam omnes Arabiæ Reges, Prouinciarúmque ſatrapæ ex auro & argento tributarij litabant. * Illud adnota, *Excepta ſumma, quam legati diuerſarum gentium afferre conſueuerant.* Cur non hanc ſummam auri & argenti ad pondus reducit, ſicuti eam, quæ per annos ſingulos ex Regiis prouentibus deferebantur? Quia diuerſitas legatorum diuerſa exquirunt ex Prouinciis pondera diuitiarum. Timoratæ conſcientiæ miniſtri modicum deferunt auri pondus: qui verò timoratæ conſcientiæ non ſunt, grauius auri & argenti pondus adducunt, grauiſſimam propriæ conſcientiæ ſarcinam adiicientes:] * Quid ſi nihil contra ius à Prouinciis legari accipiant? Adhuc non poteſt certa ſumma ad Regem adducta reduci, quia vno, vel altero legato fideli, multi ſibi & tributorum, & donariorum maiorem vim iniquè retinent: vnde minor portio Regio adiiciatur procul dubio theſauris.] Rex igitur Salomon tot diuitiis abundans ducentas aureas haſtas perfici iuſſit, quatum in ſingulis aurea ſexcenta expendebantur: trecenta ſimul aurea ſcuta, quarum ſingula trecentorum aureorum laminis tegebantur. Certè 3. *Reg.* 10.16. pro *Ducentas haſtas aureas* legitur, *ducenta ſcuta*, & vox Hebræa *Zinath*, quam vtroque loco inuenio, ſcutum & haſtam ſignificat. Vnde LXX. *Ducenta ſcuta* tranſtulere. Pro *Aureas* autem Hebraïcè dicitur *Auri ductilis*, ſeu extenuati in bracteas. Igitur perfici iuſſit ducenta ſcuta vnius formæ, & alterius trecenta: eáque *in armamentario, quod erat conſitum nemore*, repoſuit. Quid hoc nemore armamentarium conſitum? Exiſtimo legendum, In armamentario, quod erat in conſito nemore, aut quod erat in nemore ſitum. LXX. *Dedit ea Rex in domo ſaltus Libani.* Loco verò illius particulæ, *ſcuta trecentorum aureorum* habetur 3. *Reg.* 10.17. *Tres minæ auri.* Mina continet drachmas centum: tres ergo minæ ſunt trecentæ drachmæ. Elaborari quoque Rex imperauit grande ſolium ex ebore, quod mundiſſimo auro veſtitur. * Niſi puritatis ebur charitatis aurea lamina veſtiatur, ac protegatur, obnoxia aderit infectioni.] Sex perficiuntur gradus, quibus ad ſolium patebat aſcenſus: aureum ſcabellum exponitur, duóque altrinſecus brachiola tenentia (ſic Hebr.) hinc inde gradus & ſcabellum coniuncta throno erant. Hieronymus *brachiola* vocitat, ego loricam, ſeu repagulum dixerim ne qui aſcenderet, excideret, & quod manu teneret. Duo leones iuxta brachiola ſtantes apponuntur, & alij duodecim leunculi ſuper ſex gradus ex vtraque parte conſpiciuntur: cunctis in Regnis tam pulchrum tam pretioſum, tam auguſtum fabricatum eſt ſolium. Loco illius particulæ, *Et brachiola duo altrinſecus*, eſt in Hebræo. *Duo brachiola tenentia, & manus hinc inde*; manus inquam aſcendentis hinc inde brachiola ſiue repagula apprehendebant, ne conſcendens gradus caſui eſſet obnoxius. * O quot fulcris indiget ſolium aſcenſurus; quàm periculoſa ad maieſtatem graduum aſcenſio! * Quid verò brachiolis cum leonibus? Poterúntne fragilia brachiola leones quatuordecim continere? haud videtur opportuna, ſeu conueniens brachiolorum ac leonum colligatio. At ſi brachiola ex ebore puriſſimo perfecta contemplére, iuſtitiæ fortitudinem aſpectabis. Vel fragilis eburnea manus, vel leuiſſimus fœmineus terror puritate vitæ obiecta, facilè poterit effrænatos fortiſſimorum peccatorum comprimere impetus.] Profectò omnia vaſa *conuiuij* ſeu *vaſa* (Hebr.) *potus*, id eſt, pocula ex auro puriſſimo fuére perfecta: argentum enim, præ auri vi maxima, illis diebus vulgaris erat æſtimationis. * O tempora infelicia, quàm præ auri ac argenti penuria æs viliſſimum æſtimatur!] Ideò autem argentum deſpicatui ducebatur, quia Salomonis claſſis cum nautis Hiram Regis Tyri ſemel in annis tribus pergebant in Tharſis, indéque aurum, argentum, ebur, ſimias, & pauos adducebant: támque onuſtæ auro naues redibant, vt argentum minoris haberetur. Quidnam *Tharſis*. Inter filios Iauan (*Gen.* 10.) vnus fuit *Tharſis* nomine, qui in diuiſione gentium eas putatur ſortitus Inſulas, quæ à cypro ad Orientalem & Aquilonarem plagam ſpectat: quibus Tarſis nomen ſuum indidit. Vnde tota Cilicia fuit dicta *Tharſis*, quaſi *Tharſis* Regnum, & primaria Ciliciæ Vrbs ſita maris in littore nomen illud retinuit *Tharſus* appellata. Certè ab Inſulis illis & iam vicinum mare vocatum eſt *Tharſis*. Quod mare, quia Hebræis ob frequentia commercia erant notiſſimum, aliorum verò remotiorum marium nomina neque nota, neque ipſis audita; hinc factum, vt quodcumque aliud mare etiam oceanum *Tharſis* appellarint: & ſimiliter ignotas ſibi Inſulas mari inſtat

Auri ductilis, ſeu extenuati in bracteas.

Caſtitas charitatis protectione tegenda.

Periculoſa ad Regnum aſcenſio, multis fulcris indiget.

Vel fragilis fœmina, obiecta vitæ puritate, effrænatos peccatorum fortiſſimorum impetus poterit cõprimere.

Infelicia tempora, cum æs vile æſtimatur.

3.

Salomonis annui prouentus, haſtæ, ſcuta, omnia vaſa, ſolium eburneum, potentia, ac opibus deſcribuntur.

Taxantur miniſtri, qui ex Prouincijs minimum auri pondus Regi deferunt.

Colligentium tributa ac donaria, rapina.

ſtat Ciliciæ adiacentes vocarint *Tharſis*; ſicut & Latini nomen *Ponti*, quod eſt proprium maris Pontici, cuiuis etiam alteri mari commune fecerint: & Indias vocitamus non eas ſolas Regiones, quas Indus fluuius perluit, ſed & quaſuis alias noſtro hemiſphærio oppoſitas ſimili modo factum, vt & Hebræi Regioni *Ophir* ſibi minus adhuc notæ notum ſibi *Tharſis* nomen inderent, *vt 2. Paral. 20. 36.* & omnes ſimiles Inſulas ſibi ignotas, omnia maria, quorum peculiaria ignorarent nomina, *Tharſis* appellarent. Hinc. *Pſal. 47. Iſa. 23.* & alibi vbi Noſter nunc *Naues Tharſis*, nunc *Naues maris* vertit, in Hebræo vbique eſt *Naues Tharſis*. Salomon igitur præ cunctis Regibus orbi *diuitijs & gloria* eſt magnificatus. * Hebr. *Magnificatus eſt diuitijs & ſapientia*, ſapientia vtique Regum eſt gloria. Quid enim Regi glorioſius, quàm ſapientia excellere?] * Præme adhuc particulas, *Diuitijs & ſapientia* magnificatus eſt. Certè ad diuitias conſeruandas & augendas non tam confert arbitriorum multitudo, quàm Regis ſapientia.] Verùm cuncti Terrarum Reges, fama ſapientiæ Salomonis exaudita, eius expetebant præſentiam inire, vt prudentiſſimis ab eo monitis inſtruerentur. Porrò hi ſingulis annis Regi munera deferebant, ſeu immittebant, nempe vaſa argentea & aurea, veſtes, arma, aromata, equos, & mulos. Superiùs *munerum* nomine tributa vocauit. * Nam quod Regibus muneris aut donarij, nomine datur, vereor ne potius tributi exactio, poſſit appellari.] Cæterum Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis nutriebat, curruum ac equitum duodecim millia annumerabat, eoſque & quadrigarum conſtituebat in Vrbibus, & quos in vſum habebat, Ieroſolymis collocabat. Loco *illius* verbi. Habuit *quadraginta millia equorum in ſtabulis*, in Hebræo habetur, Habuit *quatuor millia ſtabula equorum, in ſingulis ſtabulis decem equi*. Sic erant quadraginta millia equorum currilium qui *3. Reg. 4. 26.* apponuntur: etiam Salomon Reges cunctos ab Euphrate vſque ad Philiſthæorum Regionem, & vſque ad Ægypti terminos, ſubiectos habuit. En Abrahæ factam promiſſionem, *Semini tuo dabo Terram hanc*, hiſtoricè in Salomone impletã. Vis, Salomonis diuitias vnico verbo deſcribam? Tãtam Ieroſolymitanis ciuibus copiam præbuit argenti, vt lapidibus poſſet comparari: tantam cedrorum multitudinem expoſuit, quantam Sycomorum campeſtria vltrò germinabant. Frequens ea arbor *Sycomorus* eſt in Palæſtina. Ergo tanta erat cedrorum copia, quanta Sycomorum. * Adnota illud, *Tantamque copiam, præbuit argenti in Ieruſalem, quaſi lapidum.* Regum diuitiæ penſandæ ſunt ex argento quod præbet ciuibus, non quod cuſtodit.] Denique equi ex Ægypto fœcundiſſima huiuſmodi animantium matre, cunctiſque è regionibus ad Salomonem adducebantur. Profectò reliqua operum Salomonis priorum, ac nouiſſimorum Nathanus Propheta ſuis expreſſit ſcriptis, & Libri Ahiæ Silonitis recenſent, & prophetia. Addo videntis contra Ieroboam filium Nabat, memoriæ tradunt Hebræus dixit, *Prophetia ſcriptæ ſunt res Salomonis.* Imperauit autem Salomon in Ieroſolyma omni Iſraëli annis quadraginta, quibus expletis diem ſuum obiit, & apud Dauid Ciuitatem ſepulturam obtinuit: filiuſque eius Ieroboamus eius ſolium occupauit.

Nihil Regi glorioſius, quã excellere ſapientia.

Ad augendas diuitias Regis, non tam confert arbitriorum vis, quam ipſius ſapientia.

Quid Regibus donarij nomine detur, potiùs ſæpè poteſt appellari tributum.

Diuitiæ Regum penſandæ ex aggẽto, quod præbet ciuibus, non quod cuſtodit.

CAPVT X.

Roboamus Salomonis ſucceſſor ſeniorum ſpretis monitis, iuuenili faſtu contemnes populum, Regnum Iſraëliticum duas diſcidit in partes. Ipſe ſolùm duabus, reliquis decem Tribubus Ieroboamus imperauit.

1. PROFECTVS eſt autem Roboam in Sichem: illuc cunctus Iſraël conuenerat, vt conſtituerent eum regem. 2. Quòd cùm audiſſet Ieroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem) ſtatim reuerſus eſt 3. Vocauerúntque eum, & venit cum vniuerſo Iſraël, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus duriſſimo iugo nos preſſit, tu leuiora impera patre tuo, qui nobis impoſuit grauem ſeruitutem, & paululum de onere ſubleua, vt ſeruiamus tibi. 5. Qui ait: Poſt tres dies reuertimini ad me. Cúmque abiiſſet populus, 6. Iniit conſilium cum ſenibus, qui ſteterant coram patre eius Salomone dum adhuc viueret, dicens: Quid datis conſilij vt reſpondeam populo? 7. Qui dixerunt ei: Si placueris populo huic, & leniueris eos verbis clementibus, ſeruient tibi omni tempore. 8. At ille reliquit conſilium ſenum, & cum iuuenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius. 9. Dixítque ad eos: Quid vobis videtur? vel reſpondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi: Subleua iugum quod impoſuit nobis pater tuus? 10. At illi reſponderunt vt iuuenes, & nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo, qui dixit tibi: Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu ſubleua: & ſic reſpondebis ei: Minimus digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei. 11. Pater meus impoſuit vobis graue iugum, & ego maius pondus

apponam : pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam, & vniuersus populus, ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis. 13. Respondítque rex dura, derelicto consilio seniorum : 14. locutúsque est iuxta iuuenum voluntatem : Pater meus graue vobis imposuit iugum, quod ego grauius faciam: pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus. 15. Et non acquieuit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, vt compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboam filium Nabat. 16. Populus autem vniuersus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum : Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Reuerrere in tabernacula tua Israël, tu autem pasce domum tuam Dauid. Et abiit Israël in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israël, qui habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. 18. Misítque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidauerunt eum filij Israël, & mortuus est: porrò rex Roboam, currum festinauit ascendere, & fugit in Ierusalem. 19. Recessítque Israël à domo Dauid, vsque ad diem hanc.

COMMENTARII.

1. Roboamus à senioribus consilium postulat.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Profectus est &c.*] Roboamus nouus Rex Israëlitarum in Sichem perrexit, vbi Principes Regni aderant; confluxerant enim in eam Vrbem, vti eum in Regem confirmarent. Quod cum Ieroboam Nabat qui aderat in Ægypto profugus *Salomonis metu.* (sic Hebr.) statim reuersioni dat operam, propriísque potitur. A Principibus & cunctis qui apud Sichem aderant congregati, aduocatur, & Israëli vniuerso, qui aduentarat, Ieroboamo hærente, omnes vno ore Roboamo profantur : Pater tuus Salomon durissimo nos iugo pressit, tu sarcinam humeris appone leuiorem : nos quæsumus paululum de tributorum pondere subleua, vt tibi æternum lubens impendamus obsequium. Quare Israëlitæ non fuerant antè conquesti? An Quia minus graue fuerat vectigal. Aggrauauítne Roboamus. Minimè. * Quomodo ergo grauius erat post Salomonis obitum authore Tyrino? Certè quia res tributorum sensim, haud affectante Rege, crescunt.] Addo, conquestos ante non fuisse, quia ad Templi fabricam & Israëlitici Regni præsidium atque ornamentum, ad communésque & publicos accessorios vsus tributa impendebantur. * Quis non lubens tributa pendat vel pierati, vel Reipublicæ defensioni famulatura?] At cum sub extrema Salomonis tempora, suas potiùs spectaret delicias muliebriosus senex, & tot feminarum gregibus delicatè ac fastuosè alendis extortam à subditis pecuniam impenderet; id ferre vltrà populus nec voluit, nec valuit. * Molestissimè fert populus quidquid tributa ab eo ad Regias turpes delicias extorquetur.] Miror planè, illam argenti abundantiam (de qua proximo *Cap.9.27. Tantam copiam præbuit argenti in Ierusalem quasi lapidum*) iam penitùs euanuisse. * Vndenam Salomon coactus est grauissimum tributorum pondus subditorum humeris adiicere? Certè dum vigebat Regis in corde pietas, exundabat argentum: dum vitiis indulgebat, grauabatur inopiâ.] Populus itaque, qui Salomoni quotidie obmurmurabat, Roboamo palàm obsistere, ac nisi immanes illos & impudicos sumptus imminueret, ausi sunt obedientiam denegare. Respondit Roboamus : Ad me post tres dies reuertimini * Prudenter Rex haud repentè respondit; repentina enim præscriptio Principum haud assolet attingere scopum.] Recedente ergo populo Roboamus cum Senibus Salomonis consiliariis consilium iniuit, proposita populi deprecatione : Quonam, ait vobis placet, me vti consilio? quidnam populo respondebo? Dixere ei : si placidum te populo exposueris, eósque lenieris verbis amicis, & aliqua tributorum subleuatione, omni tibi tempore obsequentur. * Quàm pulchrum monitum, *Si placueris populo huic, & lenieris eos verbis clementibus, seruient tibi omni tempore.* Principum enim humanitas fidelem subditorum æternat obsequium.]

Tributa sensim sua ex natura sine Regis affectatione, crescunt.

Libenter pendimus tributa pietati, aut Reipublicæ vtilitati famulaturæ.

Molestè fert populus quidquid tributi ab eo ad Regias turpes delicias extorquetur.

Regum inopia ex peccatis prouenit.

Repentina Principũ præscriptio haud attingit scopum.

Principũ humanitas subditorum æternat obsequium.

2. Roboamus iuuenum hęresscens sententię populo respondet immitis.

Verſ. 8.9.10.11.12.13.14.15. *At ille reliquit &c.*] Imprudens iuuenis senum consilium dereliquit, & cum adolescentibus, qui cum eo nutriti fuerant, eíque comites tunc hæresscebant agere de populi querimonia cœpit, illíque dictitauit: Dictitate mihi quid de quæsito populari sentiatis, & quidnam debeo respondere locutis : Iugum, quo pater tuus Salomon nostra colla depressit, paululum alleua. At illi de iuuenili experimento ac feruore, necnon de more eorum, qui fuerant cum eo nutriti in deliciis responderunt : Populo, qui precatur dictitans : Pater tuus nostrum aggrauauit iugum tributorum nimia exactione, tu subleua : huiusce modi responsionem exhibe : *Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei*, id est, ego multò fortior patre meo sum : adolescens ego vigore præditus ad infligenda vulnera pater meus erat iam senij infirmitate confectus. Imposuit humeris vestris parens meus, sarcinam tributorum grauem, ego pondus grauius adhuc apponam : flagellis dorsum vestrum meus pater cecidit, ego scorpionibus percutiam. * Illam nota particulam, Illi *responderunt vt iuuenes, & vt nutriti cum eo in deliciis.* Qui senum monita spernens, iuuenes adit consiliarios ab scopo aberrabit stultus; prudens enim consilium ab experientia exoritur.]* Porrò qui nutriti sunt *in deliciis*, nec laborum vnquam fuere vulnerati duritie, haud possunt iustum de communi ærumna ferre iudicium. Hinc ab aulicis plerumque miseri agricolæ condemnantur.] Ideò imprudens Regi monitum præbuere, vt inexperti iuuenes & vt in deliciis enutriti. Ventirauit ergò Ieroboamus & vniuersus, qui aderat populus tertia assignata die ad Roboamum. Qui quidem

Iuuenum cõsilium imprudens.

Aulici in delicijs nutriti haud possunt de populari ærumna iustum ferre iudicium.

dem, contempto seniorum salutari monito, iuxta iuuenum noxium consilium eis sic profatur: Pater meus vobis graue iugum imposuit, quod ego grauius efficiam; *pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam scorpionibus.* Prouerbiali sermone stultus Roboamus significat, à se populum multò quàm à Salomone ditius affligendum, Nempe videri voluit ad minas subditorum impauidus, & potiùs minari ipsis, ac insultare, quàm obsequi, & delinire. Vnde comprobatur verissimum illud *Eccle.*47.27. *Dereliquit post se* Salomon *de semine suo; gentis stultitiam, & imminutum à prudentia Roboam, qui consilio suo gentem auertit.* Non solùm Roboamus qui querulo populo minitanti durè locutus est, vocatur stultus, sed ipsa gentilium, non fidelium *stultitia.* * Princeps prudens querulum iam iam rebellaturum pōpulum amicis verbis sedare procurat. O quot Vrbes, quot Prouinciæ ob Principum, aut Ministrorum Regalium immitem ac inurbanum sermonem sese rebellioni infausto dedere!] Propterea Roboamus 2.*Par.*13.7. dicitur *rudis*, & *corde mauido* fuisse: nam si generoso & forti animo fuisset, puerile cœtaneorum suorum consilium repulisset, & sanis seniorum acquieuisset monitis. * Puerilis animus Principis puerilibus iuuenum monitis acquiescit.] Quid *scorpiones?* Plantæ spinosæ, vel etiam lora, quæ aduncis aculeis, seu stimulis armantur; sicut scorpius, & ita corpus pulsant, vt lacerent simul, ac discerpant: & in hoc à flagellis distinguntur, qualia sunt nuda lora, vel taureæ vel virgæ ex lentis seu arborum seu fruticum ramis, quibus corpus solùm pulsatur, seu tunditur: non verò etiam discerpitur. Roboamus itaque populi precibus non acquieuit: *erat enim voluntas Dei, vt compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Ahiæ Salonitis ad Ieroboam filium Nabat,* id est, (vt in Hebræo legi) *erat causatum à Deo*, nempe Deo permittente, nec impediente cum posset vecordiam, & stultitiam Roboami. Volebat enim Deus vt Ahiæ vaticinium compleretur.

Querulus pōpulus Principis amico sermone conciliandus, ac sedandus.

Puerilis animi se Rex ostēdit esse, qui iuuenum monitis acquiescit.

3. Recedunt à Roboamo decem Tribus.

*Vers.*16.17.18.19. *Populus autem, &c.*] Profectò populus, durissimo Regis exaudito sermone, sic ad eum allocutus est: *Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Isai?* id est, quid nobis vtilitatis, vel quæ hæreditas expectatur à nobis eo quod Dauidis nepoti subiiciamur? Repetat vnusquisque domos suas, Roboamus autem res suas sibi habeat, domui, ac Tribui suæ Iudaicæ imperet: nos alium Regem super Israelem constituamus. *Pasce*, inquiunt, *domum tuam Dauid.* Hebr. *Nunc* (id est de cætero) *vide domum tuam*, id est, Rege illam, illi prouide ô Roboam. * Pascerene *videri subditos à Principibus, idem est, ac pasci.* idem est ac videre? Imò Regem videre subditos idem est, ac pascere. O quot subditi miselli fama pereunt in vicis, quia à suo Principe nunquam videntur!] *Abiit* ergo *Israël in tabernacula sua*, hoc est, decem Israëliticæ Tribus discissæ iugo excusso à Roboamo recessere. Roboamus verò *super filios Israël*, qui in Ciuitatibus Iudæ habitabant, solummodo deinceps regnauit. Filios Israël generico nomine vocat eos, qui erant è Tribu Iuda, aut loquitur de iis, qui ex aliis Tribubus Tribui Iudæ confusi manserunt. Recedentibus, inquam, decem Tribubus, Roboamus Tribui Iudæ cunctæ, & Israëlitis iis, qui admisti fuerant Iudæis coniugiorum (v.gr.) vinculo deinceps imperauit, Vt rebelles rursùm pacatos alliceret, Rex immisit Aduram, qui tributorum præerat exactioni, eumque filij Israël lapidibus obruerunt. * Quàm imprudens Rex, qui ad conciliandum sibi populum hominem ipsi populo exosum immittit!] Fateor, imprudentiorem illum, qui sciens se inuisum esse populo, illam à Rege legationem suscepisse. * Sed vndenam, ais, ille poterat agnoscere, odium erga se populārem? Certè ex munere, quod obibat, potuisset id apertè dignoscere: *Misit Rex Aduram, qui præerat tributis.* Et quonammodo qui tributorum rem gerit populo potuisset non ingratus existere!] Sciens autem Roboamus Adutam à populo rebellante fuisse interfectum currum festinanter ascendit, & ex Vrbe Sichem fugit in Ierosolymam. Pro verbo illo, *Currum festinauit ascendere, est* in Hebræo, *Roborauit se ad ascendendum currum.* Tam imbellis erat vel ad periculum vitandum, arrepta fuga, qui tam validum se ad loquendum superbè ostentarat. * Et quandò arrogans in sermone, ad quæcumque gerenda opera non se exhibuit ignauum? Hispanus dictitaret, *Si emplē hacen pocolos que hablan mucho.*] Israëliticæ itaque decem Tribus vsque in præsentem diem à Tribu Iudæ ac Benjamin recessere. Hebraicè pro *Recessit Israël*, dicitur, *Rebellarunt, defecerunt Israël*, id est, decem Israëlis Tribus. 1.xx. *Prænaricatus est Israël.* Id solet significare verbum פשע *pasali*, sed & rebellare aliquando significat.

Stultus Princeps, qui ad conciliandum populum, hominem ipsi exosum immittit.

Qui tributa administrat, necessariò populo ingratus existit.

Arrogans ad loquendum, semper se ad operandum, ostendit ignauum.

CAPVT

CAPVT XI.

Dum Roboamus curat Regnum paternum armis recuperare, à Deo per Prophetam Semeiam prohibetur. Interim Sacerdotes ac Leuitæ, plurimique alij ex decem Tribubus, deserto Ieroboamo Ierosolymam confluunt. Roboamus autem pluribus ex vxoribus plurimas proles suscipit.

1. VENIT autem Roboam in Ierusalem, & conuocauit vniuersam domum Iuda & Beniamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, vt dimicaret contra Israël, & conuerteret ad se regnum suum. 2. Factúsque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens: 3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad vniuersum Israël, qui est in Iuda & Beniamin: 4. Hæc dicit Dominus: Non ascenderis, neque pugnabitis contra fratres vestros: reuertatur vnusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cùm audissent sermonem Domini, reuersi sunt, nec perrexerunt contra Ieroboa. 5. Habitauit autem Roboam in Ierusalem, & ædificauit Ciuitates muratas in Iuda. 5. Extrúxítque Bethlehem, & Etam, & Thecue, 7. Bethsur quoque, & Socho, & Odollam, 8. Necnon & Geth, & Matesa, & Ziph, 9. Sed & Aduram, & Lachis, & Azeca, 10. Saraa quoque, & Aialon, & Hebron, quæ erant in Iuda & Beniamin, ciuitates munitissimas. 11. Cúmque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborúmque horrea, hoc est, olei, & vini. 12. Sed & in singulis vrbibus fecit armamentarium scutorum & hastarum, firmauítque eas summa diligentia, & imperauit super Iudam & Beniamin. 13. Sacerdotes autem & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israël, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, 14. relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam & Ierusalem: eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur. 15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorúmque quos fecerat. 16. Sed & de cunctis tribubus Israël, quicumque dederant cor suum vt quærerent Dominum Deum Israël, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. 17. Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in viis Dauid & Salomonis, annis tantum tribus. 18. Duxit autem Roboam vxorem Mahalath, filiam Ierimoth, filij Dauid: Abihail quoque filiam Eliab filij Isai, 19. Quæ peperit ei filios, Iehus, & Somoriam, & Zoom. 20. Post hanc quoque accepit Maacha filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith. 21. Amauit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes vxores suas & concubinas, nam vxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta, & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias. 22. Constituit verò in capite, Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, 23. quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius, & in cunctis finibus Iuda & Beniamin, & in vniuersis ciuitatibus muratis: præbuítque eis escas plurimas, & multas petiuit vxores.

COMMENTARII.

1. Roboamus à Propheta prohibetur Regnum paternum armis recuperare.

VERS. 1.2.3.4. *Venit autem &c.*] Roboamus itaque fugiens ex Sichem, Ierosolymam, venit, & Tribus Iudæ ac Benjaminiæ Proceres populúmque cunctũ aduocauit, ex eísque centum octoginta millia militum elegit, vt aduersus Israëlem decertaret, & paternum posset armis recuperare Regnum, quod monitis ex ore Aduram prolatis non potuerat. *Conuocauit centum octoginta millia electorum, atque bellantium, id est, selectorum bellatorum.* Certè Hebræum *bahur electos* significat & *iuuenes.* * En stulti Principis electio, siue selectio, iuuenes separat ad pugnam inexpertos, cum deberet viros certamini assuetos seligere.] Dum verò Rex parandæ belliçæ expeditioni curam impenderet, Dominus semeiæ seruo suo profatur: Roboamo Salomonis filio Regi Iuda, necnon Hebræis apud Iudam ac Beniamin commorantibus dicta: Aduersus fratres vestros Israëlitas minimè insurgite certaturi;

Haud iuuenes eligendi in milites, sed viri experti.

tatuſi: vnuſquiſque ſuam repetat domum, ac deponat arma: nam hæc Regni diuiſio *mea* geſta eſt *voluntate*. Hebr. *Quòniam ex me fuit verbum*, hoc eſt, res hæc me auctore euenit. Si aliquando Dei voluntate, ſeu auctore Deo alicuius Regni fit diuiſio, fruſtra Principes decertabunt.] Verùm Prophetæ Roboamo ac exercitus Principibus Dei præſcriptionem aperuit, illi autem audientes, ab expeditione recedentes contra Ieroboamum decem Tribuum Rectorem minimè decertarunt.

Si Dei voluntate fit alicuius Regni diuiſio, fruſtra Principes decertabunt.

2. Roboamus Iudę, ac Benjamin reficit Vrbes.

Verſ. 5.6.7.8.9.10.11.12. *Habitauit autem, &c.*] Videns igitur Roboamus, ex Dei præſcripto decem Tribus deperditas haud eſſe ſibi recuperandas, decreuit apud Ieroſolymam commorari: vt autem liber eſſet ab hoſtium incurſione in Iuda & Bejamin Ciuitates ad obſidionem tolerandam muniuit: tota enim ditione arces extruxit foſſa, mœnibus & propugnaculis firmas, ad tolerandámque obſidionem idoneas. * Si Rex decreuerat aduerſum rebelles minimè decertare, vndénam Vrbium munitioni dat operam? Quia rebelles iniuſtum aſſolent inferre bellum proprio Principi, ne ab ipſo eis iuſtum inferatur. Vnde nunquam minus ſecuræ Ciuitates, quàm poſt rebellionis inſtantiam.] Extruxit itaque ſeu roborauit Bethlehem, Ethan, Thecue, Bethſur, Secho, Odollam, Geth, Mareſa, Ziph, Aduram, Lachis, Azeca, Saraa, Aialon, & Hebron, Vrbes ſcilicet Iudæ ac Benjamin *munitiſſimas*, id eſt, quæ refectæ adhuc à Rege obſidionem valebant tolerare. * Vel munitiſſimæ Vrbes adhuc ſunt muniendæ.] * Vel ſpirituales viri nunquam non indigent refectione. Vnde quemadmodum Roboamus *extruxit* ſeu refecit *Ciuitates* munitiſſimas, munitiſſimi ſpiritus reficiendi adhuc ſunt, vt valeant hoſtium inuiſibilium obſidinem tolerare.] * Hinc commendabilis Ieſuitarum præſcriptio ſemel & iterum annis ſingulis ſpiritus imperans renouationem.] Cúmque *clauſiſſet eas muris*, ſeu roborâſſet (ſic Hebr.) munitiones poſuit in eis Principes, ſiue Duces præſidij, ciborúmque horrea, id eſt oleum, vinum frumentum hordeum. Nempe ne fame caperentur commeatum parauit, & annonam. * Vel remotæ ab obſidione Vrbes debent commeatibus reſici, ne repentè hoſtes irruentes imparatas inueniant.] Pro particula, *Poſuit in eis ciborum horrea*, eſt in Hebræo. Poſuit in eis *theſauros annonæ*. Regij enim debent eſſe theſauri commeatus ciuibus egeſtatis tempore impendêdi.] Prætereà in ſingulis Vrbibus armamentarium ſcutorum, & haſtarum conſtituit, eáſque *ſumma diligentia* obſirmauit. * Vndénam adoleſcenti, & inerti hæri Regi hodie tam prudens diligentia? Ex vexatione didicit. Nam vexatio inertem quemque edocet intelligentiam.] Decem itaque Iſraëlitis Tribubus abſtractis, Roboamus duabus ſolummodò Iudaïcæ ſcilicet, ac Benjaminiæ imperauit.

Rebellionis tempore Vrbes accuratiùs muniendæ.

Munitiſſimæ Vrbes, & arces adhuc ſũt quotidie muniendæ, ac reficiendæ.

Spirituales viri aſſiduæ indigent munitione.

Renouatio ſpiritus Ieſuitarum commendabilis.

Pacis tempore commeatibus Vrbes reficiendæ, ne impara ta ab hoſtibus inueniantur.

Theſauri Regum, ſubditis annonã præparare debẽt.

Vexatio diligentiam inmeret edocet.

3. Sacerdotes & Leuitæ ad Roboamum trãsfugiunt, Ieroboamo relicto.

Verſ. 13.14.15.16.17. *Sacerdotes autem &c.*] Porrò Sacerdotes & Leuitæ, qui in decem rebellibus Tribubus morabantur, è cunctis finibus ſuis ad Roboamum transfugerunt, relinquentes ſuburbana, poſſeſſionibúſque ſuis nuncium remittentes, vt ad Ieroſolymam Tribus Iudæ metropolim verè Religionis ſedem tranſmearent: eo quod impius Ieroboamus decem illarum Tribuum Princeps, ac poſteri eius eos abiecíſſet, ſeu ſpreuiſſet, prohibuiſſétque, ne Sacerdotio Domini fungerentur. Nam Ieroboamus excelſorum, dæmoniorum, ſeu vitulorum, quos adorandos expoſuerat, ſibi Sacerdotes ipſe conſtituit. Certè non ſolùm Sacerdotes & Leuitæ ad Iudam tranſierunt, ſed & de cunctis Tribubus Iſraël quicúmque erant Dei verè cultores, Ieroſolymam aduentarunt, vt in Templo ſacerrimo Domino Deo patrum ſuorum victimas immolarent. * Loco particulæ, *ſed & de cunctis Tribubus Iſraël*, eſt in Hebræo, *Et poſt ipſos*, id eſt, Sacerdotes & Leuitas, venerunt &c. Exemplo Sacerdotes ac Leuitæ præcedant, fideles ſequentur. Efficaciſſimum planè Sacerdotum, ac Præſulum exemplum ſubditos attrahit ad virtutem.] Hoc concurſu factum eſt, vt Regnum Roboami roboraretur adeò vt tribus annis conſiſteret, nullis fluctibus iactaretur. * Preme verba, *Et roborauerunt Regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam*. Nempe Sacerdotes ac iuſti Iſraëlitæ ad Tribum Iuda tranſeuntes Regnum Iudaicum cõſiſtere fecerunt. Iuſti enim ciues Regni ſunt ſtabilimentum.] Cauſa verò cur ſolummodò tribus annis Regnum conſtitit Roboami, fuit, quia Iudæi in viis Dauidis, ac Salomonis (dum iuſtitia viguit) annis tantùm tribus ambulauere. * Iuſtitiæ enim ciuium pedíſſequa eſt Vrbium Regnorúmque duratio.]

Præcedentibus Sacerdotibus ſeu Præſulibus, facilè ſæculares virtuturiam arripiunt.

Iuſti ciues Regni ſunt ſtabilimentum.

Iuſtitiæ ciuium pedíſſequa eſt Regnorum duratio.

4. Ex pluribus ductis vxoribus plures Roboamus filios ſuſcipit.

Verſ. 18.19.20.21.22.23. *Duxit autem &c.*] Profectò Roboamus vnam, & alteram duxit vxorem, Mahalath filiam Ierimoth filij Dauidis, & Abihail filiam Eliabi filij Iſai: ex hæcque hoſce filios ſuſcepit Iehus, Someriam, & Zoom. Poſt ſecundas has nuptias, tertias iniuit, ducens Maacham Abſalomi filiam, è qua Abia, Ethai, Ziza, ac Salomith fuere exorti. Roboamus verò plus omnibus vxoribus ac concubinis Maacham dilexit. Vnde ex decem & octo præcipuis vxoribus, ex ſexaginta concubiis, è quibus viginti ſupra octo filios, & ſexaginta filias ſuſceperat. Maacham Rex ſuauiori ac teneriori amore proſequebatur. * Mirarer, ſi Rex parum ſapiens non eſſet rei venereæ immodicè addictus.] Num viginti octo filij e viginti octo vxoribus procreati: & ſexaginta filiæ è ſexaginta concubinis progenitæ. * Ex vxore maſcula proles, ex concubina fructus aſſolet infirmus germinari.] Quia verò Regi Maacha gratior, ideò eius filium Abiam ſuper omnes fratres *Ducem* conſtituit *in capite*, id eſt, caput & primum, ſeu ſupremum omnium. Neque enim erat maior natu, ſed cùm ob matris dilectionem, tùm ob ſingularem eius prudentiam parens illum reliquis omnibus filiis ſuis prætulit. Ipſum enim Regem efficere cogitabat, *quia ſapientior fuit*. * Non abnego Abiam fuiſſe cunctis fratribus ſapientiorem, ſed licet ſapientior non exiſteret, parenti procul dubio ſapientiſſimus omnium appareret eo quòd matrem eius plus omnibus dilexiſſet vxoribus: nam quidquid ad id, quod diligitur pertinere videtur, pluris à diligentibus æſtimatur, licet dignum non ſit æſtimatione.] *Et potentior ſuper omnes filios eius*. Difficilis locus. Supple. Et vt eſſet Abias potentior ſuper omnes filios, id eſt vt commodè præualeret omnibus fratribus ſuis, cùm maior natu non eſſet, captiuos conſtituit (Hebr. *diuiſit*) Roboamus omnes filios ſuos ſeorſim in

Vir parum ſapiẽs rei venereæ immodicè eſt addictus.

Ex vxore maſcula proles, ex concubina fructus infirmus germinari ſolet

Quod ad id, quod diligitur, pertinet, magni à diligente æſtimatur, licet non ſit dignum æſtimatione.

in cunctis finibus Iuda & Beniamin, & in vniuersis Ciuitatibus muratis, quasi in honestis carceribus, nempè, ne possent capita conferre, & contra Abiam conspirare. At vt carcerem hunc, calamitatémque ex parte leniret, Regia munificentia abundantissimè prospexit omnibus de alimentis, cæterisque necessariis: adeò, que & de vxoribus quot & quales vellent. Hebraicè, *Petiuit ipsis turbam vxorum.* Nempe diligentia magna opus erat, forsan & ingenti dote, vt tot nobiles sponsæ, & Regio dignæ thalamo, reperirentur, quæ tali carcere conclusis iungi vellent. * Nihil enim fœminæ dirius recluſione.] * Vt hinc collaudes sanctimonialium ad cœlestem sponsum affectum.] * Attamen alio ex capite non tam difficilem reputo futuram hisce fœminis recluſionem, dum nuptui vel recludendæ dabantur. Ingens enim est fœminarum ad nuptialem statutum affectus.] * Certè si Regis filiis carceribus inclusis erat calamitatis sublevatio & annonæ abundantia, & vxorum deliciæ: sese Regno indignos prorsus ostentant. Nihil enim animo Regio magis absonum, quàm ad ingluuiem, ac delicias affectus.

Nihil dirius fœmina recluſione.

Sanctimonialium ex recluſione laus.

Magnus fœminarum ad nuptiale statum affectus.

Nihil Regis animo indignum magis, quàm ad ingluuiem, ac delicias affectus.

CAPVT XII.

Post tres Roboami annos Iudæi in idolatriam dilabuntur: & anno quinto Regni eius à Sesac Ægypti Rege spoliantur, eique tributarij efficiuntur. Filius autem Abia defuncto Roboamo succedit.

1. VMQVE roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo. 2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem (quia peccauerant Domino) 3. cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes. 4. Cepitque ciuitates munitissimas in Iuda, & venit vsque in Ierusalem. 5. Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. 6. Consternatíque principes Israël & rex dixerunt: Iustus est Dominus. 7. Cúmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, dabóque eis pauxilum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manus Sesac. 7. Veruntamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruituris regni terrarum. 9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Ierusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus regis. omniáque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, 10. Pro quibus fecit rex æneos, & tradit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatij. 11. Cúmque introiret rex domum Domini, veniebant scutarij, & tollebant eos, iterúmque referebant eos ad armamentarium suum. 12. Veruntamen quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem & in Iuda inuenta sunt opera bona. 13. Confortatus est ergo rex Roboam in Ierusalem, atque regnauit: quadraginta autem & vnius anni erat cum regnare cœpisset, & decem, & septem annis regnauit in Ierusalem, vrbe, quam elegit Dominus, vt confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israël: nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 14. Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum. 15. Opera verò Roboam prima & nouissima, scripta sunt in Libris Semeiæ prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter exposita; pugnauerúntque aduersum se Roboam & Ieroboam cunctis diebus. 16. Et dormiuit Roboam cum patribus suis sepultúsque est in Ciuitate Dauid. Et regnauit Abia filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Sesac Ægypti Rex idolatras irruit in Iudæos.

VESS. 1.2.3.4. *Cumque* &c.] Roboamus autem, qui dum Regnum nutaret ob rebellium insidias Deum toto ex corde coluerat trium annorum spatio, postquam vidit roboratum esse Imperium stabilita pace, Domini legem contempsit, cunctis Iudæis, ac Israëlitis commorantibus in Iuda & Benjamin idololatria cum eo defædatis.* O quot homines dum laboribus agitantur, Dei legi litant obsequium, qui prosperitate ebrietate, ingrati à cœlesti Numine recedunt!] * Illuc premes, Roboam *dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo.* Dum Rex se iustum præbet, subditi iustitiam sectantur: Rege impio, subditi se impios ostendunt.

Dum erumnis agimur, Deo litamus: prosperitatis tempore delinquimus.

Principum iustitia, aut iniustitia norma est subditorum.

ostendunt. Principum namque iustitia aut iniustitia norma est subditorum.] Post illum itaque annum pietatis tertium, anno quarto adolescit impietas, & anno quinto Regni Roboami flagellum incipit contorqueri. Nam quia Domino Iudæi deliquerant, Sesac Rex Ægypti ascendit Ierosolymam mille ducentis curribus, ac *sexaginta millibus* equitum stipatus, innumerabili peditum multitudine Ægyptiorum, Libyorum scilicet Troglodytarum, & Æthyopum insequente. Porrò *Sisac* vigesimæ primæ Dynastiæ Rex quintus ab auctoribus vocitatus nunc *Salochis*, nunc *Sebacus*, nunc *Asychis*, nunc *Susachis*, nunc *Osochor*. Hic, si quando nactus esset in bello aduersarium Regem imbellem, ac timidum (qualem Roboamum) eo deuicto, statuam erigi iubebat, in qua muliebre aliquid appareret: vt posteris palam faceret, se cum muliere potius, quàm cum viro certamen iniisse Reges etiam, quos certamine superat, ad currum suum triumphalem, solebat iungere, vt inusitata illa pompa se supra Reges esse, imò supra homines declararet. An tale quid Roboamus fuerit à Sesaco passus? Subticet Scriptura. Si tamen passus est, extremæ id illi fuit ignominiæ, tantæ agnatum ingratitudini flagellum. *Troglodytæ* alio nomine *Arabes* sunt in tentoriis, more Numidarum habitantes, nulla certa sede. Vnde Hebraicè *suchiim* dictos existimo à סוכ *such*, quæ vox *tabernaculum* significat. Æthyopes verò suum Gentilem Æthyopem scilicet Sesacum sequebantur. Sesac ergo Ciuitates munitissimas expugnauit, accepit in Iudæa, & vsque in Ierosolymam victor aduentauit.

2. A Sesac Iudæi spoliantur, & tributarij efficiuntur, sed ob humilitatem haud omnino Regnum deperiit.

Verſ. 5.6.7.8.9.10.11.12. Semeias autem &c.] Principes Iuda aufugientes Sesaci tyrannidem, ad Ierosolymam confluxerant. Ad hosce itaque & ad Roboamum ingressus Semeias Propheta Dei ex nomine profatur: Hæc dicit Dominus: Vos me reliquistis, & ego vos in Sesaci potestate puniendi dereliqui. * Qualem enim sese Deo peccator exhibet, talem sibi Deum experitur. Hisce verbis Rex, Iudæorúmque Principes *consternati*, clamitauére: Iustus est Dominus, id est, iustè à Domino ingrati flagellamur. Pro *consternati* est in Hebræo, *humiliati, ac verecundati sunt*. * Quid erga Deum non posset humilitas? Videns Dominus quia humiliati essent, semeiæ affatur: Quia humiliati sunt, non omninò disperdam eos, sed pauxillum auxilij exhibebo, respirare eos permittam, ne funditùs pereant, aut in captiuitatem abducantur, & non *stillabit*, seu effundetur furor meus omnino super Ierusalem Sesaci impugnatione. *Stillare* Dei furorem iuxta Pagninum est, Dei iram vsque ad extremam Vrbium Ciuiúmque calamitatem profundi. * An hæc diuinæ iræ stillatio? Quid pleniſſima iracundiæ profusio? Certè hìc quamtumuis à Domino puniamur, diuinæ iracundiæ stillatione leui perfundimur, post mortem furit iracundiæ tempestas. Veruntamen Sesaco tributarij deseruient, vt differentiam seruitutis meæ & seruitutis Regni sæcularis agnoscant. * Si mundialis seruitutis vim appendamus, Deique iugi suauitatem sana contemplemur mente, profitebimur, iugi fatigationem cœlestis calamum esse leuissimum, si cum mundialis plumbeæ sarcinæ pondere comparetur.] Abigente itaque Domino, à Ierosolyma Sesacus absceſſit, Templi tamen & Regij palatij thesauris ablatis, quos secum detulit, nec pepercit aureis clypeis, quos Salomon perfici iusserat, quorum loco Roboamus æneos fabricauit, eósque Scutariorum Principibus, qui palatij vestibulum custodiebant, tradidit. Cum autem Rex Templum iniret, Scutarij accedebant, æneos tollebant clypeos Roboamum comitaturi eoque in aulam redeunte, milites custodes scuta in armamentarium iterum referebant. * Infelicia planè tempora, cum à Regibus exteris aurum aufertur, & eius vices æs agere est necessarium: & Regnum æneum redditur, quod aureum aliquando vidimus & argenteum. Veruntamen quia Iudæi cor submissum affectúmque pœnitudine exhibuerunt, continuit Dominus iracundiam suam, ne penitùs Regnum deleretur: siquidem & in ingratissima Iudæa *inuenta sunt opera bona*, id est, pij ciues commorabantur, quorum iustitiam Deus aspectans, eorum merito parcebat ingratis. * Hinc ediſce, quantæ vtilitatis sit Vrbibus inter improbos probos commorari; tritici enim societate vel deterrima zizania protéguntur, sante supremo Agricola, *sinite vtraque crescere*.]

Tempora infelicia, cum Regnum æneum aspicimus, quod aureum & argenteum aliquādo vidimus.

Iustorum societate impij proteguntur, ne omninò de-pereant.

Verſ. 13.14.15.16. Confortatus est &c.] Roboamus igitur post recessionem Sesaci pacificè in Iososolyma regnauit; quadragesimum primum annum expleuerat, cum imperare cœpisset, ac decem & septem annis Iudææ claum tenuit apud Ierosolymam habitans, Vrbem scilicet, quam è cunctis Israëlis Tribubus Deus elegerat, vt confirmaret (Hebr. *ponere*) *nomen suum ibi*, id est, vt inibi æternùm coleretur. Nomen matris eius Naama, quæ ab Ammanitide seu Ammonitide regione processerat. Porrò Roboam idola coluit, nec *præparauit*, seu direxit cor suum, vt Dominum requireret. Gesta verò Roboami *prima* ad pietatem spectantia, & *nouissima*, plena quidem impietate scripta vbertim sunt in Semeiæ & Addo Prophetarum Voluminibus. Loco illius particulæ, *Et diligenter exposita* est in Hebræo, *Ad genealogizandum*, id est, vsque dum Genealogiam describat, tum maiores tum posteros; quod Hieronymus vno verbo explicuit, *Et diligenter exposita*. * Cuncta enim hominis gesta recenseri videntur, dum eius Genelogia describitur. Ex illustribus præcedens parentibus plerumque opera illustria exponit. At ex ignobili satus stirpe obscuras admodum exponit actiones. Vndè Roboamus è præclarissima Dauidis stirpe exortus *prima* præclara opera gessit, è germine Ammonitidis matris procreatus *nouissima* turpia exposuit.] Genealogizare itaque, historiam scribere est. Ideò LXX. pulchrè, *Vt Genealogiam describeret* Addo, *& actus eius*; Genealogia enim declarata, videntur simul actus esse recensitos.] Verùm Roboamus ac Ieroboamus cùctis diebus decertauerunt. Hebraicè, *& bella* Roboam & Ieroboam *quæ gesserunt cunctis diebus* à Semeia & Addo etiam scripta sunt. Num Roboamus æternùm periit? Existimo, verba illa, *Non præparauit cor suum* eius impœnitentiam innuere, non enim post tanta flagella manu Regis Ægypti immissa cor suum per idoneam pœnitentiam non præparauit, quod est extremæ impœnitentiæ non obscurum indicium. * Flagellaris ærumnis, nec te ad frugẽ recipis meliorem? probabile exponis æternæ damnationis documentum.]

3. Roboami regnâsis duratio, & obitus.

Plerumque è nobili stirpe genitus opera proba gerit: & è contra ignobilis genere, est ignobilis actionibus.

Qui actus à Deo arumnis, non corrigitur, non obscurè exhibet damnationis indicium.

Hic iræ diuinæ stillatione leuiter perfundimur, post mortem furit iracundiæ tempestas.

Quàm leue Dei iugum si cum mundiali comparetur.

Consternatum, ais, humiliatúmque fuisse. Crediderim, *id ex seruili incurrendarum pœnarum timore factum*: aut si serió tùm pœnituit, non vltra habitum Sesaci Regis sese extendisse pœnitentiam, vt in simili de Achabo *Multi, qui signa contritionis exhibent, sed non ex seruili timore damnantur, quia ex seruili id timore exerunt.* Rege Israël 3. *Reg.* 21. 24. vidisti. * Hinc vereor, non paucos mortis angustiis actos pœnitudinis exhibere signa & tamen addici damnationi, quia ex seruili timore imminentis obtutus consternantur.] Mortuus denique est Roboamus, ac in Dauidis Ciuitate sepultus. Abia autem filius eius, quem tot fratribus prætulerat, solium occupauit.

CAPVT XIII.

Nouus Rex Iuda Abia è Ieroboamo Rege Israël præclarissimam obtinet victoriam, quingentis millibus Israëlitarum cæsis, multisque captis Ciuitatibus. Ex quatuordecim vxoribus proles triginta & octo procreat.

1. ANNO octauodecimo regis Ieroboam, regnauit Abia super Iudam. 2. Tribus annis regnauit in Ierusalem, nomenque matris eius Michaia, filia Vriel de Gabaa: & erat bellum inter Abiam & Ieroboam. 3. Cúmque iniisset Abia certamen, & haberet bellicosissimos viros, & electorum quadringenta millia: Ieroboam instruxit contra aciem octingenta millia virorum, qui & ipsi electi erant & ad bella fortissimi. 4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, & ait: Audi Ieroboam, & omnis Israël. 5. Num ignoratis quòd Dominus Israël dederit regnum Dauid super Israël in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis? 6. Et surrexit Ieroboam filius Naba, seruus Salamonis filij Dauid: & rebellauit contra dominum suum. 7. Congregatíque sunt ad eum viri vanissimi, & filij Belial: & prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis: porrò Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit resistere eis. 8. Nunc ergo vos dicitis quòd resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios Dauid, haberísque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos. 9. Et eiecistis Sacerdores Domini, filios Aaron, atque Leuitas: & fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiauerit manum suam in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum qui non sunt dij. 10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotésque ministrant Domino de filiis Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo: 11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane & vespere, & thymiama iuxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. 12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & resonant contra vos: filij Israël nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit. 13. Hæc illo loquente, Ieroboam retrò moliebatur insidias. Cúmque ex aduerso hostium staret, ignorantem Iudam suo ambiebat exercitu. Respiciénsque Iudas vidit instare bellum ex aduerso & post tergum, & clamauit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt. 15. Omnésque viri Iuda vociferati sunt: ecce illis clamantibus, perterruit Deus Ieroboam, & omnem Israël qui stabat ex aduerso Abia & Iuda. 16. Fugerúntque filij Israël Iudam: & tradidit eos Deus in manu eorum. 17. Percussit ergo eos Abia & populus eius, plaga magna: & corruerunt vulnerati ex Israël quingenta millia virorum fortium. 18. Humiliatíque sunt filij Israël in tempore illo, & vehementissimè confortati filij Iuda, eò quòd speraſſent in Domino Deo patrum suorum. 19. Persecutus est autem Abia fugientem Ieroboam, & cepit ciuitates eius, Bethel & filias eius, & Iesana cum filiabus suis, Ephron quoque & filias eius: 20. nec valuit vltrà resistere Ieroboam in diebus Abia: quem percussit Dominus, & mortuus est. 21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit vxores quatuordecim: procreauítque viginti duos filios, & sedecim filias. 22. Reliqua autem sermonum Abia, viarúmque & operum eius, scripta sunt diligentissimè in Libro Addo Prophetæ.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Abia & Ieroboamus procedunt ad pugnam, Abia Ieroboamo viriliter Ieromo, ac eius exercitui proloquitur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. *Anno octauo, &c.*] Octauo decimo Regis Ieroboami anno Abia supra Iudam imperauit. Tribus annis in Ierosolyma Iudææ metropoli regnauit Vrbe. Nomen matris eius *Micha in Vriel filia de Gabaa.* LXX. *Maacha filia Abessalon*, & ita legitur 3. *Reg.* 15.2. Erat enim etiam Absalom binomius pro more gentis ac temporis illius. Porrò Iuda & Israël premebantur bello, Ieroboamo & Abia dimicantibus. Cum ergo Abia certamen inire pararet cum Ieroboamo, & bellicosissimis viris constaret exercitus. Siquidem electorum militum quadringenta millia numerabat: Ieroboamus ex aduerso aciem octingentorum millium instruxit, qui quidem & electi erant, & ad bella fortissimi. * *Electi*, inquit, *erant, & ad bella fortissimi.* Annon sufficeret adnotasse esse electos? Cur addidit esse fortissimos? Quia multi à Regibus eliguntur ad bella, qui ignaui penitùs ostentantur, & hostibus ideò sæpè cedit triumphus.] Abia ergo bellum inferens Ieroboamo, & in illius fines infestum inducens exercitum, *super montem Semeron* ad ditionem Ieroboami pertinentem (erat enim in Tribu Ephraim) *stetit*, vt ex edito loco melius vndique posset exaudiri eius oratio, qua sequacibus Ieroboami persuadere conabatur, vt, eo relicto, ad antiquam religionem, & obedientiam legitimi sui Regis rediret, rursúmque posterorum Dauidis subderentur imperio. Audi (inquit Abia) ô Ieroboam, & omnis Israël. An ignorátis, Dominum Deum Israël Dauidi ac eius posteris Regnum Israëliticum tradidisse interminabiliter gubernandum *in pactum salis*, id est, semper duraturũ pacto. Nam sale corpora in annos plurimos à tabe seruantur. Ergò Deus Dauidi Regnum in perpetuum dedit. Quid si fortasse pactum salis illud erat, quod firmatum fuerat religione sacrificiorum, in quibus sal adhibebatur? * Pactum quod obfirmatur sacrificio durat æternùm? Ergò si cum Deo pacisci curas circa delicti alicuius correctionem, Eucharistico sacrificio operam exhibe, vt pactum æternè sanctiatur: ad persistendum enim in gratia, prauo habitu ablato, Eucharistiæ receptio confert.] Attamen Ieroboamus filius Nabat *seruus* Salomonis filij Dauid ausus est assurgere, & contra Dominum suum rebellare. * Facinus quidem serui, seruilis namque est, & seruis agnata in dominos ingratitudo.] Colligati fuére cum eo viri *vanissimi* Pagn. *viri vacui*, in Hebræo בני־בליעל *regim, homines nihili, otiosi*, Hispanè dixeris *Vagabundos*, filij scilicet *Belial*, seu *filij iniquitatis*. Quàm aptè duæ particulæ concinunt *Homines otiosi iniquitatis filij!* otium enim iniquitatum omnium scaturigo.] Hi aduersum Roboamum filium Salomonis præualuére; erat enim Roboamus (patris veniâ dixerim) *rudis, & corde pauido*, nec potuit eis resistere. Hebr. *erat Roboam puer, & tener corde.* Non erat puer ætate, quippè quadragiata & vnum natus annos, cum imperare cœpit; sed prudentia. LXX. Erat iunior, & pauidus corde, & ita bello ineptus. * Ad belli Ducatum duo necessariò requiruntur, prudentia scilicet, & impauidus animus. Prudentia sine impauiditate est inermis: impauiditas sine prudentia est temeritas vocitanda.] Nunc vos falsa nitimini præsumptione, quod præualere possitis *Regno Domini*, seu Regno à Domino constituto, & cuius Dominus Rex est, quódque possidet, & administrat per filios Dauid, quasi per suos vicarios. * *Si Deus Rex est, num quid suos contemnet defensare subditos?* Quàm falsa spe nititur, qui Dei seruos audet impugnare!] An confidentia victoriæ copiarum nititur multitudine. * Non vincit copiosior, nec fortior, sed à Deo protectus exercitus.] Putatis, vos ex vitulorum aureorum, quod vobis Ieroboam perfecit in Deos, protectione iuuandos? * Imò vitulorũ cultus sacrilegus vos reddet imbecilles; ex crimine enim communi ac publico ciuium vires militum infirmantur. Dùm in Vrbibus litatur Veneri ac Baccho, deficiunt milites in loco certaminis.] Hoc quidem primum ac maximum est vestrum crimen, quod Dei gloriam in bestiam vita ac sensu destitutam transtulistis. Alterum addidistis crimen primo cõsentaneum, Sacerdotes Domini filios, Aaronis, ac Leuitas sacro è munere deturbastis: & ex arbitrio vestro, haud ex legè diuina, sicuti populi Gentilium gerere assolent Sacerdotes constituistis. Quicumque enim venierit, & initiauerit manum suam. Hebr. Omnis veniens ad implẽdã seu consecrandam manum suam in tauro de bobus (Hebr. *in vitulo filio bouis*) & in septẽ arietibus, fit Sacerdos eorum, qui dij minimè existunt. Ac si diceret: Non nisi falsi Sacerdotes apud vos sunt, sicut non sunt nisi falsi. Quid ergo vobis præsidij ab his sperandum? Nos verò Iudæi certissima auxilij cœlestis spe nitimur, siquidem noster Dominus Deus verus existit, quem non derelinquimus, cui ministrant ex Aaronis progenie Sacerdotes, & cui Leuitæ obsequuntur *in ordine suo*, id est, seruando suos ordines, ac suas ministrandi vices, iuxta classes, in quas fuére distributi. Diebus hi singulis mane ac vespere holocausta Domino offerunt iuxta iugis sacrificij legem *num.* 28. traditam: & thymiama incendunt iuxta legis præscriptã confectum. Panes purissima exponuntur *in mensa*, éstque apud nos aureum candelabrum, cuius lucernæ sub vesperam accenduntur; nos enim Domini Dei nostri, quem vos contempsistis, ac reliquistis, præceptis subiacemus. In exercitu ergò nostro Deus est Imperator, & Sacerdotes, qui clangunt tubis ac contra vos intonant, Ducum munus exerunt: nolite filij Israël aduersus Deum patrum vestrorum decertare, quia vobis non expedit. * Triumphus profectò fugit Apostatas, Dei cedit cultoribus.] * Si Reges expetunt, victoria potiri; dum exercitus militat, studeant sacerrimi cultus obseruationi, curantes Sacerdotes iniuncto muneri diligenter incumbere.] Vnius hîc mensæ ac candelabri fit mentio, cum tamen Salomon decem mensas ac totidem candelabra in sancto statuisset. Ex hoc loco, & quia deinceps nunquam nisi vnius mensæ, & vnius candelabri fit mentio, colligunt aliqui Sesacum Egypti Regem, cum Templi Thesauros expillaret, ex denis mensis & denis candelabris non reliquisse nisi vnã mensam, vnúmque candelabrum, eoque Iudæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam Templum

Non omnes ad bellum electi Duces aut milites, fortes sunt.

Ad persistendum in gratia, prauo habitu ablato Eucharistiæ vsus confert.

Seruile vitium, & seruis agnata in dominos ingratitudo.

Otium est omnium iniquitatum origo.

Ad belli Ducatum requiritur in imperatore prudentia & impauiditas.

Spe falsa nititur, qui Dei seruos audet impugnare.

Non vincit fortior exercitus, sed qui à Deo protegitur.

Dum in Vrbibus ciues litãt Veneri & Baccho deficit in loco certaminis exercitus.

Victoria à legis cultoribus reportatur in bello.

Dum exercitus bugnat, curet Rex, Sacerdotes sacrò muneri impiè incumbere.

plum à Salomone excitaretur. At non credidetim, impium Gentilem Regem nec vnicæ mensæ, vnicóque candelabro peperciſſe, ſi reliquas mensas reliquáque candelabra auferre ſtatuerit. Vnde arbitror, exantiqua loquendi conſuetudine numerum ſingularem pro plurali poſitum.

Euchariſtia vnicum eſt conuiuium, licèt multiplici exponatur in loco.

* Certè cum menſæ illæ panum propoſitionis vnam Euchariſticam menſam præſignabant, appoſitè vnica vocitatur, vnicum enim eſt conuiuium, licet multiplici exponatur in loco.]

2.

Illuſtriſſima Abiæ aduerſus Ieroboamum victoria.

Verſ. 13.14.15.16.17.18.19.20.21.22. *Hæc illo &c.*] Verùm dum Rex Abia hæc hoſtis exercitui dictitaret, Ieroboamus Iudæos omni ex parte ambire militum numero fretus, curabat, vt hoſte omni ex parte inuadente, perturbati Iſraëlitarum gladiis cæderentur. Molitus itaque eſt tertò inſidias ſtánſque ex aduerſo ignorantem Iudam ſuo ambiebat exercitu. At Iudas, apertis inſidiis, agnoſcénſque ex aduerſo poſt tergum certamen inſtare, *clamauit ad Dominum.*

Inſtante periculo, mox à Deo auxilium poſtulandum.

* Nihil prius, cognita periculi inſtantia, fidelis gerat, quàm clamãs à Deo auxilium poſtulare.] Potrò clamante ad Deum populo Iudæorum, ſimul tubis Sacerdotes intonare cœperunt. Soli Sacerdotes in bello tubis clangebant; erárque ſonus ille diuini auxilij imploratio; promiſerat enim Deus, ſe illis adfuturum, cum tubis illis

Cymbala inſonãtia dum ſæuit tempeſtas, quaſi clamãtis Eccleſiæ vices agunt.

cecinisſent. * Id quod Chriſticolæ æmulamur, cum ſæuiente tempeſtate Sacra pulſantur cymbala, quæ quidem clamantis Eccleſiæ veluti vices exerunt.] Cunctis ergo vociferantibus, vt diuinum implorarent auxilium, & ſibi mutuo edito clamore, vt animos adderent: perterruit (Lxx. *percuſſit*) Deus Ieroboamum exercitumque Iſraëlitarum, animi immittens conſternationem. Fugérúntque Iſraëlitæ qui ex aduerſo Abiæ ac Iudæ conſiſtebant, eoſque Dominus Iudæorum tradidit in manus. Abia igitur ac exercitus eius Iſraëlitas plaga ingenti percuſſit, & ex fortibus illorum exercitus quingenta millia diriter vulnerati corruerunt. Talem quidem ſtragem vno conflictu nullibi editam legi. Attamen Iſraëlitæ non reſiſtebant, & Iudæorum exercitus quadrigentorum millium erat, vt mirum non ſit, tam multos cædere potuiſſe, præſertim cum Dominus pugnarit à Iuda. * Nec enim fortiori, nec ingentiori exercitui: ſed ei, cui Deus opitulatur, victoria cedit; vt ediſcant Reges, quanti intereſt, pugnaturos cœleſte Numen habere propitium.] Filij igitur Iſraël eo tempore valdè fuere humiliati, vehementiſſiméque confortati Iudæi, eo quod in Domino Deo patrum ſuorum ſpem collocaſſent. * Pro particula, *Eo quod ſperaſſent in Domino Deo*, Hebraicè eſt, *eo quod innixi eſſent ſuper Dominum, ideò roborata eſt Tribus Iuda.* Non quia fortis, ipſa aut copioſa, roborata eſt; ſed quia ſuper Dominum erat innixa. Hæc roboris, victoriæque vnica ratio; haud ergò copiis fidas, ſi auerſo Numine ad certamina tendas.] Victor autem Abiæ exercitus fugientes reliquias Ieroboami exercitus eſt perſecutus, cepitque è Ciuitatibus eius Bethel idololatricæ ſuperſtitionis caput, in qua Ieroboamus vitulum aureum adorandum expoſuerat 3. *Reg.* 12. *& filias eius*, ſeu circumiectas Villas, & pagos Bethel metropoli ſubiectas. Scio Abulenſem *q.* 47. aſſeruiſſe, hanc Bethel eam non eſſe, in qua expoſitus vitulus fuerat aureus, alioqui illi Abias, Vrbe capta, non peperciſſet. Videtur autem vitulus à Ieroboamo excitatus vſque ad tempus Iehu ſtetiſſe 4. *Reg.* 10.29. * Haud eſt perfecta ab ſpiritualibus hoſtibus victoria, dùm iniquitatis origo non comminuitur.] * Profectò fidelis Regis eſſet indignum, tanto triumpho donari, & gratitudinis ergo vitulum verè cultus inimicum non omninò delere. Debet enim Catholicus Princeps diuini cultus promotioni ſtudere, dum Deus Regni eius incrementa felicitat.] Cepit præterea Abias Ieſana, & Ephron, villáſque earum circũiectas. Nec valuit, tot extinctis militibus, Abiæ vlrra reſiſtere Ieroboamus, quem demùm Dominus morte violenta, aut ſubita, dæmone, aut Angelo percuſſore immiſſo è viuis abſtraxit. * Potrò duobus tribuſve annis poſt infelix prælium Ieroboamus extinctus eſt, ſubito quidem caſu, quo plerumque abripiuntur, qui aliis delinquendi apponunt ſcandalum.] Scio, Seder-Olam Hebræum exponere, percuſſum Abiam, qui toto biennio ante Ieroboamum occubuit, nec niſi tribus annis vniuerſim regnauit, vt dicitur *verſ.* 2. * Forſan ingratior fuit erga Deum poſt nobiliſſimam obtentam victoriam, atque ita longiori vita ſe præbuit indignum: cum nihil æque Deo diſplicear atque animi poſt beneficia accepta ingratitudo.] Abias igitur, ſuo confortato Imperio quatuordecim duxit vxores, è quibus viginti duos filios ac ſedecim filias ſuſcepit. Reliqua verò, quæ ad mores & geſta Abiæ attinent, diligentiſſimè *in Libro Addo Prophetæ*, (qui non extat) exarata fuere. Lxx. *In Libro & requiſitione Addo.* Hebr. *In Midras Addo. Midras* idem eſt ac *requiſitio*, nam is Liber Addo Midras à quærendo vocabatur, quoniam ab auctore diligenter acta Regum inquiſita eſſent, & in eum Librum collata. Hoc Hieronymus per aduerbium *Diligentiſſimè* expoſuit.

Non cedit victoria maiori, aut fortiori exercitui; ſed ei, qui Deũ propitium habet.

Non copijs fidas, ſi auerſo Numine, ad certamina tẽdas.

Haud perfecta ſpiritualibus in bello victoria, dum peccati origo non cõminuitur.

Debet Catholicus Princeps diuini cultus promotione ſtudere, dũ Deus Regni eius incrementa felicitat.

Plerumque ſubita morte extinguitur, qui alijs delinquendi apponit ſcandalum.

Nihil æquè Deo diſplicet atque poſt beneficia accepta animi ingratitudo.

CAPVT

CAPVT XIV.

Defuncto Abiæ filius Asa succedit, qui, euerso idolorum cultu, à Deo corroboratur. Regem Ethyopum Zaram cum mille millibus armatorum ad internecionem concidit.

1. DORMIVIT autem Abia cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: regnauítque Asa filius eius pro eo, in cuius diebus quieuit terra annis decem. 2. Fecit autem Asa quòd bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, 3. & confregit statuas, lucósque succidit: 4. & præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem, & vniuersa mandata: 5. & abstulit de cunctis vrbibus Iuda aras, & fana, & regnauit in pace. 6. Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant, pace Domino largiente. 7. Dixit autem Iudæ: Ædificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris, donec à bellis quieta sunt omnia, eò quòd quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædificauerunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit. 8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta & hastas de Iuda trecenta millia, de Beniamin verò scutariorũ & sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi. 9. Egressus est autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, & curribus trecentis: & venit vsque Maresa. 10. Porrò Asa perrexit obuiam ei, & instruxit aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ est iuxta Maresa. 11. & inuocauit Dominum Deum, & ait: Domine non est apud te vlla distantia, vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo. 12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa & Iuda: fugerúntque Æthiopes. 13. Et persecutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat, vsque Gerara: & ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante, Tulerunt ergo spolia multa, 14. & percusserunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror inuaserat: & diripuerunt vrbes, & multam prædam asportauerunt. 15. Sed & caulas ouium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum: reuersíque sunt in Ierusalem.

COMMENTARII.

1. Asæ Regis Iuda fidelitas, ac felicitas.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Dormivit autem &c.*] Abias diem suum obiit, & apud Dauidis Ciuitatem iniecta fuit tectus humo, Asaque filius eius loco imperauit: terra autem Regni huius temporibus decem annis haud fuit bellis afflicta. Porrò Asa Numini diuino placuit, peregrini cultus altaria subuertit, excelsa abstulit, lucos succidit, Iudæísque præcepit, vt Dominum Deum patrum suorum recte agendo requireret, legémque, ac cuncta mandata obsequeretur: abstulit: itaque è cunctis Iudæ Vrbibus aras, & fana, ac *in pace* regnauit. Dum enim Rex diuini cultus promotioni studet, Deus eius pacando Imperio operam impendit. Loco particulæ illius, *Abstulit fana* ххх. *abstulit idola.* Hebraicum vertbum *hamanim* significat *simulachra.* Quæ illa essent, non significatur. Solis aliquis putat: Crediderim, quoniam vox *hamanim* à calore deducitur. Verba illa, *Rex Asa subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa &c.* difficultatem ingerunt; pugnant enim cum illis 3. *Reg.* 15.14. *Non abstulit excelsa.* Respondeo tamen, duplicis generis apud Iudæos fuisse *excelsa*, siue altaria & Templa in locis altioribus erecta: quædam profanis erant dicata idolis, *cum statuis, & lucis, & peregrino cultu*: hæc omnia euertit Asa; quædam verò Deo erant erecta, sed loco non debito: hæc Asa non euertit. Porrò hoc illi magno hîc vitio non vertitur, quia plurimi putabant id adhuc condito iam Templo licere, sicut plerísque ante conditum Templum licuerat. Quia tamen prudentiores sciebant, id licitum esse, neque hoc poterat Regem latere, hinc saltem pro næuo notatur tum in Asa, tum in aliis quibusdam, etiam piis Regibus, quòd seu popularis

Dum Rex diuino cultui promouendo studet Deus eius pacando Imperio dat operam.

offen

offensionis metu, seu accuratioris disciplinæ despectu ejusmodi excelsa tolerarit, quæ vero Deo seruiebant, *Ideò Eccli.49.5.* præter Dauidem, Ezechiam, & Iosiam, omnes alij Reges Iuda peccasse dicuntur, nempè excellorum vel

In Catholico Principe vel leuis circa cultum Dei desidia nauus est pulchritudinem inficies.

In Catholico vsu vel culpabili tolerantia.* In Catholico Principe quælibet circa cultum Sacrum desidia næuus est inficiens pulchritudinem.] Quonam verò sensu dicitur Asa, excelsa, quæ profanis diis erecta erant, subuertisse? Certè quia statuas & altaria sustulit, lucos excidit, peregrinum omnem cultum inhibuit: non verò quod ipsa quoque templa seu fana vbique à fundamentis excidisset; nam pepercisse plurimis, & cultui veri Numinis accommodari permisisse constat. Nominatim in monte Oliuarum dicitur Iosias illa excelsa, quæ ibi Salomon ædificauerat variis idolis ab Asa quidem iàm expurgata: sed ab aliis postmodum idolorum cultui restituta, rursum pollu isse. * Illam iniquitatem verè dicens abstulisse, quam ad pietatem reformasti. Fanum, aut altare Deo dicatum iam alterum est, haud est illud antiquum, quod subsseruerat impietati.] Ædificauit profectò Rex Asa in Iuda Vrbes munitas, quia quietus erat, nullâque *eius temporibus* bella surrexerant, *pacem Domino largiente.*

Illam iniquitatem abstulisti, quam ad pietat. in reformasti.

Pax proprium est Dei munus.

Pacis tempore belli apparatus sunt comparandi.

Dum spirituali pace frueris, præcordia ad tentamina munire cura.

Pax proprium * Pacis enim ineffabile munus Deum solum modo habet largitorem.] * Certè pacis tempore, dum quiete potitur Imperium, Vrbes sunt muniendæ, belli apparatus comparandi. Repentè enim assolet bellum ingruere.]* Id quod spirituali bello accommoda. Dum pace frueris, cordis stude munitioni, nam repentè tentamina insurgunt pacem conturbatura.] Indixit autem Asa Iudæis: Roboremus Ciuitates istas, muris circumiectis, turribus excitatis, portis ac seris appositis hoc tempore, quo quieta sunt omnia, largiente quidem Domino pacem per gyrum *eo quod* eum patrum certè nostrorum Deum rectè operando quæsierimus. * Loco verbi illius, *Donec à bellis quieta sunt omnia*, Hebr. est, *Dum terra est ante nos*, id est, dum hoc potimur Imperio. Quasi enim Imperio non potitur Princeps eo tempore, quo belis defatigatur.] * Preme particulam, *Dum terra est ante nos.* Imperio potiri, idem est, ac ditionem esse ante Regem, quasi enim essentiale est imperanti subditos præ oculis habere.] * Expende & illud, *Eo quod quæsierimus Dominum.* Quasi diceret, Non alia causa potimur Imperio, quàm quod Deum quæsiuimus. Vt Principes edoceantur, se haud posse diù Imperio potiri, si à Numinis requisitione abstrahantur.] Recole verba illa, *Nullâ temporibus eius bella surrexerant*, nempè ad id vsque tempus, quo de muniendis Vrbibus suis consultabat: nam post bellum ingruit horribile, cum anno Regni Asæ decimoquinto, vt *ex vers.*10. Capitis huius colligo. Munierunt itaque Vrbes, nullo structioni impedimento obstante. Cæterum prudens Asa eo quod pace potiretur colligendi exercitus studium non contempsit; in exercitu enim suo portantium scuta & hastas de Iuda trecenta millia annumerabat; de Beniamin verò Scutariorum & Sagittariorum ducenta octoginta millia exponebat, cunctos planè fortitudine egregios. * Non sunt cogendi tunc exercitus, cum ingruunt bella, sed pacis tempore copiæ ad certamina præparandæ.]

Quasi non regnat Princeps eo tempore, quo belis premitur.

Regnare idem est, ac subditos præoculis habere.

Non possunt Reges Imperio frui, si Deum quærere non studeant.

Exercitus præparādi ad certamina, pacis tempore.

2. *Vers.* 9.10.11.12.13.14.15. *Egressus est autem &c.*] Porrò egressus est contra Iudæos Zara Æthyops cū decies centenis millibus armatorum, ac curribus trecentis, & vsque ad Maresa irrupit. At Rex Asa obuiam ei perrexit, aciémq; adcertamen apud vallem Sephata, quæ adiacet iuxta Maresa, instruxit, & Dominum Deum inuocans profatur: *Domine &c.* Vndénam Æthyops ille perrexerit? Vult Tornellus non ex Africa, prodiisse, sed ex Asia, nempè ex Madianitide regione Iudæis vicina, vnde vxor Mosis traxit originem, quæ propterea Æthyopissa dicta est. Crediderim, ex propriè dicta Æthyopia in Africa Ægypto, ac Libia contermina prorupisse. Nam *cap.*16.8. (vbi certum est de his Æthyopibus agi) disertè disiunguntur Æthyopes Libis, quos nemo extra Africam collocarit. Quidnam mouit Æthyopem hunc ad bellum? Incertum mihi, forsan & ipsè totius Asiæ inhiabat Imperio vt nuper Sasacus. Forsan ex sterili & arente solo ad Terram lacte ac melle manantem aspirabat. * Et (quod verosimilius puto) Deus hanc barbaro Regi permisit mentem ad fidelis populi exercitamentum; laboribus enim pij animi aurum repurgatur.] Veritas itaque Asa, ne alioqui Zara vniuersum Regnum popularetur, sicut fecerat Sesacus, Roboamo non audente illi occurrere, & eius progressum impedire, ei obuiam processit commoranti in Maresa Tribus Iudæ Ciuitate, de qua Adricomius in Iuda n.187. *Domine* (inquit itaque) *non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, aut pluribus*, id est, tam facilè potes populo tuo auxilium impertiri aduersus innumerabiles pugnatores, quàm aduersus manum exiguam. Adiuua tuos Domine Deus noster, tuo enim nomine, tua protectione inuixi aduersus hanc innumerabilem multitudinem ausi sumus procedere. Tu Deus noster es; an decet hominem contra Deum vel specie visibili præualere? Loco ilius particulæ, *Non præualeat contra te homo* LXX. scripsere, *Ne præualeat tecum homo.* Hebraicè verò, *Ne regnet tecum homo.* Ac si diceret, Tu solus Deus noster es, ne permittas, vt cuiusquam hominis imperio subdamur. * Quàm efficax oratio!] *Exterruit Dominus Æthyopes*, id est, opitulante suis Deo, exercitu illius, seu populo Iudaico, vel etiam Angelico cœtu ad internecionem præliante, omnes cæsi fuere. Fugerunt illi quidem, sed persecutus est eos Asa ac exercitus eius vsque Gerara, & ruerunt Æthyopes interempti, quia *Domino* Angelorum ministerio *cadente*, & *exercitu* Iudæorum validè dimicante, fuére contriti. * Non cadat sine pondere illud: *Ruerunt Æthyopes vsque ad internecionem, quia Domino cadente contriti sunt, & exercitu illius*, id est Asæ, *præliante.* Dominus cædit, & exercitus hominum præliatur. Deus enim qui totam potest victoriam perficere ad suorum defensionem, eorum cooperationem requirit.] * Haud totum pugnæ pondus Catholici Principes Dei absolutæ potentiæ committant, miraculum expectantes, copias opportuna temporis instantia præparent, validè repugnaturi; nec enim semper cœlestis miraculi fulgurat spectaculum.] Tulerunt igitur Iudæi spolia multa, & Ciuitates cunctas per circuitum Geratæ percussere, quæ quidem Ciuitates erant Philisthæorum, qui Æthyopibus auxilium tulerant; alioqui causa non erat, cur eorum Vrbes hostilem in modum cædibus, ac direptionibus subiice

Asæ victoria contra Zaram Regem Æthyopum.

Tribulationum igne fidelis animi aurum repurgatur.

Orationis vis.

Deus pro suis pugnat, sed requirit eorū cooperationem.

Non tota victoria perfectio Dei absoluta potentia ex miraculo committēda; sed nostra semul pugna nitamur.

Periculosa plerumque est alienigenæ societas.

subiicerentur. * Quidnam autem vicinos pacatos Philisthæos mouit, vt hostibus ferrent auxilium? Certè alterius nationis socium poterit fortasse timor continere, ne in te assurgat: sed oblata occasione ostentabit: quàm imprudens cum eo inieris societatem.] Profectò Geraritica regio adiacet trans Daroma id est ad Australem plagam, à Maresa in finibus Iudeæ, vbi nunc Eleutropolis, distans viginti millibus. Erátque olim terminus Chananæorum ad Australem plagam, & Palestinæ metropolis. Scriptura ponit eam inter Cades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum vna *Sur* Ægypto iungitur: altera *Cades* vsque ad Saracenorum protenditur eremum. Colligo hinc, Iudæos non leui terrarum tractu, fortè continuis aliquot diebus fuisse Æthyopas insecutos, ac fugientes cecidisse. Cæterùm tantæ cladis causa fuit, qui cunctos cœlitùs immissus grandis terror inuaserat. Diripuerunt itaque Iudæi Vrbes, ingentémque prædam apportauerunt, spe enim superbi Æthyophis à Deo elusa cum centum myriadibus suis prostratus spoliis Æthyopum Iudæos ditauit, & iacturam, quam nuper à Sesaco acceperant, compensauit. Quæ fuit forsan Rabbinorum quorundam mens, quum dixerunt, Zaram Sesaci prædam Iudæis restituisse. Denique caulas ouium destruentes pecorum ac camelorum *infinitam* seu ingentem admodum multitudinem, quæ in solitudinibus, ac pascuis Gerare nutriebantur, detulerunt, Ierosolymámque fuere reuersi. Prò *Caulis ouium* Hebræus ponit *Caulas pecorum*. Loco autem particulæ *Tulerunt pecorum, &c.* Hebraicè est, *Captiuarunt ouem*, id est, oues seu pecudes multas, scilicet oues, agnos, caprasi id enim vox שה significat.

CAPVT XV.

Populum Israëliticum multo tempore veri Dei cultu, lege, ac Sacerdotio destituendum Azarias Propheta prædicit. Rex Asa cuiusdam Prophetæ monitis excitatus idololatriæ reliquias excindit, propriámque matrem idololatram priuat imperio.

1. AZARIAS autem filius Obed, facto in se spiritu Dei, 2. Egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Audite me Asa & omnis Iuda & Beniamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 3. Transibunt autem multi dies in Israël absque Deo vero, & absque Sacerdote Doctore, & absque lege. 4. Cúmque reuersi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israël, & quæsierint eum, reperient eum. 5. In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, sed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum: 6. Pugnabit enim gens contra gentem, & ciuitas contrà ciuitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. 7. Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. 8. Quod cùm audisset Asa, verba scilicet & prophetiam Azariæ filij Obed, prophetæ, confortatus est, & abstulit idola de omni terra Iuda, & de Benjamin, & ex vrbibus, quas ceperat, montis Ephraim, & dedicauit altare Domini quod erat ante porticum Domini. 9. Congregauítque vniuersum Iudam & Benjamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & de Manasse, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israël, videntes quòd Dominus Deus illius esset cum eo. 10. Cúmque veniissent in Ierusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa. 11. immolauerunt Domino in die illa, de manubiis & præda quam adduxerant, boues septingentos, & arietes septem millia. 12. Et intrauit ex more ad corroborandum fœdus, vt quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, & in tota anima sua. 13. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israël, moriatur, à minimo vsque ad maximum, à viro vsque ad mulierem. 14. Iurauerúntque Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ, & in sonitu buccinarum. 15. Omnes qui erant in Iuda cum execratione: in omni enim corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quæsierunt eum, & inuenerunt: præstitítque eis Dominus requiem per circuitum. 16. Sed & Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quòd feciſſet in luco simulacrum Priapi: quod omne contriuit, & in frusta comminuens combussit in Torrente cedron. 17. Excelsa autem derelicta sunt in Israël: attamen cor Asa erat perfectum cunctis diebus eius. 18. Eáque quæ vouerat pater suus, & ipse, intulit in domum Domini, argentum, & aurum, vasorúmque diuersam supellectilem. 19. Bellum verò non fuit vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa.

COMMENTARII.

1. Azarias prædicit, Israëlem multo tempore veri Dei cultu destituendum, magno populi incommodo.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Azarias autem, &c.*] Porrò Azarias non ille Pontifex, qui sub idem tempus summo Sacerdotio fungebatur, sed filius Obed, *facto in se spiritu Dei*, seu concepto prophetico spiritu, in Asæ Regis occursum egressus, illi profatur: Asa, omnisque Iudæa ac Beniaminia Tribus me, quæso, obaudite. Dominus vobis protector adstitit, quia ab ipso minimè recessistis. Si requisieritis eum, inuenietis: sin autem eum deliqueritis, ab ipso illicò dereliquemini. * Pondera clausulam, *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, inuenietis.* Si Deus iam cum Iudæis ac Beniaminiis aderat, quare eum ipsi adhuc requirerent? Quiæ numquam iustus de iustitia debet esse securus: sed sic Deum quærere, ac si ob crimina amisisset.] Multi autem (heu) dies præteribunt, quibus populus Israëliticus Deo vero relicto simulachris victimas offeret, sine Sacerdotio legitimo transiget, Doctore priuabitur, ac legis præscripta despiciet. Designat præsens tempus in Regno Ieroboami, & successorum illius: & etiam in Regno Iuda futura tempora sub impiis Regibus Ioramo, Ochozia, Athalia, Achaz, Manasse, & filiis Iosiæ Ioakimo, ac Sedecia: sed omnium maximè, quæ post occisum Messiam sæcula iam labuntur, quibus Iudæi sine cultu, & cura veri vnius, & trini Dei, suique Messiæ, sine vllo legitimo Sacerdote, & Sacrificio, sine lege ad salutem idonea degunt toto terrarum orbe dispersi. At cum pœnitudinis veræ affectu angustia pressi ad Dominum Deum Israël reuersi fuerint, eumque requisierint, procul dubio reperient. * Pœnitentia enim Deum facillimum inuenta fortitur.] Hæc ad mundi pertinere reor occasum, cum scilicet Israëlitæ, qui tum supererunt, tandem aliquando resipiscentes Salui fient. *Rom.* 11.26. Equidem tempestate illa haud *erit pax egredienti, & ingredienti*, id est, vel nullam habebunt pacem in actionibus & vitæ siue publicæ, siue priuatæ functionibus: vel non erit tutum eis, ex sua Vrbe exire, aut in illam redire, siue iter facere; interminabiliter enim terrarum habitatores cuncti diris terroribus afficientur: (quod iam Iudæi experiuntur) pugnauit namque gens contra gentem, & Ciuitas in Ciuitatem pugnax exsurget; quia ciues Dominus omni conturbabit angustia. Id Matthæus minitatur *cap.* 24.7. *Consurget gens in gentem, & Regnum in Regnum, &c.* Vel ad viciniora tempora hoc potest referri, scilicet ad bellum, quod fuit inter Regem Asa, Regem Iuda, & Baasa Regem Israël. vnius enim & eiusdem loci duplex potest esse literalis sensus, *vt tom. 1. tradidimus.* Vos igitur confortamini ad Deum quærendum, manusque vestræ minimè *dissoluantur*, aut lacescant, id est, nunc Domino rectis seruire operibus non intermittatis; operi enim vestro, siue pierati vestræ merces à Domino exponetur, quemadmodum iniquis filiorum seu posterorum vestrorum gestis respondebit comminatum supplicium.

Nunquam iustus securus de iustitia, aut gratia debet esse.

Pœnitentia Deum facilè inuenit.

2. Asa idolatriam priuat imperio.

Vers. 8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18. *Quod cũ audisset, &c.*] Cum igitur Rex Asa propheticum Azariæ filij Obed Prophetæ sermonem audiret, *confortatus est*, seu eius incensus est animus, [Hispanè dixeris. *Cobrò nuenos brios*) vt auferret de omni Terra Iudæa, ac Benjaminia idolorum reliquias, necnon ex Vrbibus montanorum Ephraim, quas ceperat simulachra à confinibus idololatris adorata comminuit. Montanæ Vrbes hæ ad Regnum pertinebant Baasæ Regis Israël, cum quo multiplex & diuturnum bellum gessit Asa. Post ablegatas idololatriæ reliquias, post simulacrorum abolitionem *dedicauit*, seu innouauit, instaurauit altare Domini, holocaustorum scilicet, quod erat in atrio ante Templi porticum, primam eiusdem Templi partem, illiúsque vestibulum, vel enim fuerat neglectum, vel perpetua ignis actione labefactatum, vel (vt probabiliùs reputo) otiosum, illud enim Salomon addiderat dedicationis Templi die propter multitudinem victimarum. * Si altaris hæc erat instauratio, seu innouatio, quomodo dedicatio dicitur? Quia quasi Domino de nouo dicatur, quod eius obsequio accuratiùs exponitur.] * Hinc colligo spiritus renouationem, quam ex præscripto D. Ignatij Iesuitæ semel & iterum singulis annis gerunt, nouam esse spiritus Numini dedicationem.] Mirarisne audiens verba illa, *Abstulit idola de omni terra Iuda, & de Beniamin*, apud fidelem populum simulachra idolorum reperiri? Huiusmodi noxia zizanniorum germina ex inimici hominis nequitia in Domini hæreditate proferuntur; vnde scandalo non compungaris, dum videris apud Religiosam communitatem quandoque iniqua aliqua gesta exponi, hoc inimicus gessit homo, prudensque Rector dat operam auulsioni.] Congreganit post hæc Asa cunctos Iudæos, & Benjaminios, necnon aduenas Ephraimitas, Manasseitas, ac Simeonitas: plures enim ad Asam ex Israël confugerant, videntes eum à Domino protegi; vti rerum euentus testabantur. Prome id, *Videntes; quod Dominus Deus illius esset cum eo.* Vndenam videbant? Certè ex victoria ab hostibus reportata, ex felicitate ac prosperitate subditorum, ex quiete, ex abundantia. Sit cum Rege Deus, omnimoda subditi felicitate potientur. O quam visibile est, Deum esse aut non esse cum Principe! *Videntes, quod Dominus Deus illius esset cum eo.*] Cúmque illi in Ierosolymam sub festum Pentecostes, quod cadebat in mensem tertium Siuam nostro Maio respondentem ventitassent, anno quidem Regni Asæ quinto decimo: Domino die illa *de manubiis & præda* (Hebr. de præda tantum; nam manubiæ pecunia est ex vendita præda tedacta) quam adduxerant septingentos boues, & septem millia arietes immolauerunt. * Placet Deo hostia ex victoriæ spoliis, vt ipsum munus ab ipso acceptum gratiarum subseruiat actioni.] * Hinc edisces, ipsum à Numine acceptum Eucharisticum Agnum appositè à te Deo pro gratiarum actione adhiberi, dùm vni communioni succedit & altera.] De manubiis itaque, id est, de pecunia, quam ex vendita præda collegerant pecora ac pecudes comparârunt, & die Pentecostes Domino in gratiarum actionem obtulerunt, re ipsa demonstrantes, se acceptam ferre Deo omnem victoriam de Æthyopibus pattam. * Certè Principes, qui sibi manubias ex præda retinent, reipsa demonstrant, minimè à Deo victoriam accepisse se credere.]

tũ reliquias exscindit, matrémque idololatriam priuat imperio.

Quasi Deo de nouo dicatur, quod eius obsequio accuratiùs exponitur.

Iesuitarum spiritus renouatio, noua est spiritus dedicatio Numini.

Non mirum, apud Religiosam communitatem reliquias idolorum, seu prauagesta quãdoque proferri.

Si Deus cum Rege sit, omnimoda subditi felicitate potientur.

Iesum à Deo acceptũ munus aptè actioni gratiarum subseruit.

Vna communio est actio gratiarũ pro altera.

Qui prædam sibi retinent Principes, reipsa demonstrant, se credere, minimè à Deo accepisse victoriã.

credere.] Mox intrauit *ex more* ad corroborandum fœdus, vt scilicet profiteretur totius populi ex nomine, se Dominum Deum patrum suorum toto ex corde, totóque ex animo, id est, syncerè, sine fictione, aut simulatione requisituros. Hæc erat solemnis fidei, veræque religionis professio. Cùm verò dicitur *ex more*, innuit consuetudinem renouandi fœderis, ac iuris iurandi, quod dubiis præsertim temporibus merò frequentabatur. * O quàm laudabiliter suitarum vota renouantur *ex more*, vt resumentes illi spiritum feruentiùs operentur!] Rex verò profatur: Si quis siue minimus ex infima pleb, siue maximus ex suprema, siue vir, siue mulier ausus fuerit legem Domini violare, moriatur iuxta legem Dei aduersus impios idolorum cultores *Deut.* 17. 7: constitutum. * Quàm aptè æquis pœna cunctis subditis maximis ac minimis, viris ac fœminis indicitur, vt sciant Iudices, circa fidei ac legis causam nulli statui, nulli sexui parcendum delinquenti.] Tacuit Rex, & omnes qui Iudaico in cœtu aderant, voce ingenti iubilationis, tuba clangente simul, ac buccinarum sonitu comitante cum *execratione Domino iurauerunt*, id est, iuramento execratorio emisso, imprecati sunt sibi ingentia mala, si fidem datam fallerent, fœdúsque violarent; in omni enim corde suo, & in syncera voluntate Dominum requirentes, inuenerunt: donauit enim Dominus cunctos Iudæ fines optata requie. * Preme verbum, *Quæsierunt eum, & inuenerunt: præstitítque eis Dominus requiem per circuitum.* signum quod Deum inueneris, quem per iniquitatem amisisti, tibi sit, si qui delinquens bello pressus fuisti, pœnitens pace à Domino doneris. Vereor, Christicola Regna adhuc in delicto persistere, dùm video, ea adhuc bellis horribilibus defatigari.] Verùm tanta pietate Rex Asa præfulsit, vt Maacham matrem suam, id est Abiam matrem Abiæ vxorem Roboami: aut potius vxorem Abiæ matrem suam (duæ enim fuerant eiusdem nominis, quarum vna Roboamo auo, altera nupsit Abiæ Asæ parenti) ex augusto deposuerit imperio, eo quod impia apud lucrum Priapi immundi idoli simulacrum exposuisset, cui Sacerdotissa ministrabat. Idolum autem omninò contriuit, & in frusta comminuens in Cedron torrente combussit. * Adnota illud, *Quod omne contriuit.* Nihil ex idolo adorato olim relinquendum incolume, nec puluiculus immundæ consuetudinis asseruandus, ex quo rursum velut ex grano iniquitas germinet.] Loco illius particulæ, *Maacham matrem suam ex augusto deposuit imperio*, Hebraicè est, *Remouit eam à domina*, quod duobus potest modis intelligi; aut remouit, ne Regina esset, ne se rebus immiscereret: aut remouit, ne præfecta esset sacris impiis, quod LXX. asseruere, *Transtulit, vt non esset Astartæ ministrans.* * Hieronymum sequor, Asámque laudo, qui ab impia, ab immunda matre cuiusuis imperij clauum amouit. Impia enim & immunda mens inepta regimini.] Porrò Hebræus pro simulacro *Priapi* posuit *Miphzeleth*, quod à terrore dictum, quoniam idola cultoribus incutiunt terrorem. * Quales quæso libidinis voluptates, quæ terroris imagine exponuntur?] * Certè cordatis luxuriei illectamenta terrorem quidem deberent incutere, non ad amorem prouocare.] Hebræi existimant, id Priapi simulacrum esse, quem custodem hortorum turpissima apponebant effigie. Huc LXX. respexerunt, cum asserunt, Maacham ministrare solitam Astartæ, quæ *ex Tullio 3. de Nat. Deor.* Venus est. Porrò licet excelsa derelicta fuerint in Israël: attamen cor Regis Asæ cunctis eius diebus coram Domino fuit *perfectum.* Sermo est de sola perfectione quoad externum vnius veri Dei cultum, & idololatriæ extirpationem; nam in quibusdam aliis peccasse certum est ex sequentibus. Ille dum graui podagra laboraret, reprehenditur, quod non tam Deo, quàm medicorum fisus fuerit industriæ. Ille contra Regem Baasa potius à Bendadad Rege Syriæ, quàm à Deo Rege cœli & terræ requisiuit auxilium. Ille Prophetam Hanani, qui hoc nomine illum arguebat, & Dei iussu, stomachabundus non audiuit, imò misit in neruum. Ille de populo suo indulgens furori multos occidit. Sed hæc peccata quamtumuis grauia non obstant, quominus cor Asæ in aliis, quæ cultum veri Numinis concernebant *perfectum* manssisse censeatur. * Sic Regis Catholici circa fidem pietas & integritas multitudinem piaculorum operit, vt perfectus esse proclametur.] Commendabilis denique Asa, quod ea, quæ vouerat pater eius Abias in magno illo rerum suarum discrimine cum pugnauit contra Roboamum, argentum scilicet, & aurum, vasorúmque diuersam supellectilem Templo Sacrauit. * Quàm rarus, tàm commendabilis filius, qui post parentum obitum eorum officia implere, legatis, votis, debitis satisfacere.] Non solùm verò patris vota impleri curauit, sed *& ipse* cumulatè persoluit, quæ Domino diuersa donaria vouerat. * Prudentior Asa Abia parente, qui vota implenda haud filio reliquit hæredi, sed *ipse* superstes adhuc impleri studuit.] * Difficile quidem vnus Asa, vnus reperitur hæres, qui parentis vota procuret explerí.] Porrò Iudaicus populus bello afflictus non fuit vsque ad trigesimum quintum *Regni* Asæ annum, id est Regni Iudaici, quod à Salomonis morte, vti ab Israëlitico reliquarum decem Tribuum solemni schismate seiunctum fuit, hîc potest dici rum cœpisse. Sic *initio sequent. vers. sit.* dicitur Baasa Rex Israël in Iudam anno trigesimo *Regni Asa*, id est, Regni Iudaici, quod tunc administrabat Asa, ascendisse.

Renouatio spiritus Iesuitarum ex more commendatur.

Cireæ causam fidei, ac leges nulli statui, nulli sexui delinquenti parcendum.

Signum, quod Deum inueneris, tibi sit, si pace à Domino doneris.

Immunda consuetudo omnino resecanda, nec puluiculus è luxuria asseruandus est.

Impium, & immundis regimini inceptum.

Luxuria id est quod terror.

Luxuriei illectamenta cordatis terrorem incutiunt, non alliciunt ad amorem.

In Rege pietas erga fidē, quasi multitudinem operit peccatorū

Laudabilis filius, qui post parentum obitum, eorū satisfacit votis, ac legatis.

Quàm prudens qui vota viuēs persoluit, nec hæredi implenda relinquit.

Rarus hæres vota parentis mortui implet.

CAPVT XVI.

Territus copijs Baasæ Regis Israël Rex Iudæorum Asa, Benadadum Regem Syriæ aduocat in auxilium. Quare ab Hanani Prophetæ reprehensus, eum truſit in carcerem. Demùm anno Regni quadrageſimo primo podagræ exinguitur acerbitate.

1. ANNO autem trigeſimo ſexto regni eius aſcendit Baſa rex Iſraël in Iudam, & muro circundabat Rama, vt nullus tutè poſſet egredi & ingredi de regno Aſa. 2. Protulit ergo Aſa argentum & aurum de theſauris domus Domini, & de theſauris regis: miſitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco, dicens: 3. Fœdus inter me & te eſt, pater quoque meus & pater tuus habuere concordiam: quamobrem miſi tibi argentum & aurum, vt rupto fœdere, quod habes cum Baaſa rege Iſraël, facias eum à me recedere. 4. Quo comperto, Benadad miſit principes exercituum ſuorum ad vrbes Iſraël: qui percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abelmain, & vniuerſas vrbes Nephthali muratas. 5. Quod cùm audiſſet Baaſa, deſiit ædificare Rama, & intermiſit opus ſuũ. 6. Porrò Aſa rex aſſumpſit vniuerſum Iudã, & tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparauerat Baaſa, ædificauitque ex eis Gabaa, & Maſpha. 7. In tẽpore illo venit Hanani propheta ad Aſa regem Iuda, & dixit ei: Quia habuiſti fiduciã in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcircò euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua. 8. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? 9. Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent. 10. Iratúſque Aſa aduerſus Videntem, iuſſit eum mitti in neruum: valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos. 11. Opera autem Aſa prima & nouiſſima, ſcripta ſunt in Libro regum Iuda & Iſraël. 12. Ægrotauit etiam Aſa anno trigeſimo nono regni ſui, dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. 13. Dormiuítque cum patribus ſuis: & mortuus eſt anno quadrageſimo primo regni ſui. 14. Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in Ciuitate Dauid: poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.

COMMENTARII.

1. Aſa copijs Baaſæ territus, à Benadado Rege Syriæ petit auxilium.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Anno autem, &c.*] Sexto trigeſimo Regni Aſæ anno Baaſa Rex Iſraël in Iudæam aſcendit, & obſedit adeò arctè Rama, vt nullus ex Aſitis egredi, aut ingredi tutè valeret. Vrbs Rama in Tribu Beniamin ſita erat, quàm Baaſa non ſolùm obſidione militum, ſed & vi extortam Iudæis muro circundedit, nempe in primo introitu ſitam muniuit nouis muris ac propugnaculis, vt ſic Iudæis aditum omnem & exitum illa ex parte obſtrueret. Porrò 3. *Reg.* 15. 33. Dicitur Baaſam cœpiſſe regnare anno Aſæ tertio, & viginti quatuor annos regnaſſe. Obiit ergo vigeſimo ſeptimo Aſæ anno: quonam modo igitur potuit poſt alios nouem annos bellum gerere. Locus difficilis, de quo multi multa. Æxiſtimarim annum triceſimum quintum Capitis decimiquinti, & hoc loco triceſimum ſextum non ſumi ex quo Aſa regnare cœpit, ſed à conſtitutione Regni Iudæ poſt Salomonis obitum, qui annus Regni Aſa fuit ſextuſdecimus proximè poſt bellum Æthyopum à Zara illatum. Aſa igitur territus de theſauris Templi & aulæ aurum protulit, & argentum ad Benadadúmque Syriæ Regem, qui in Damaſco Regni metropoli habitabat, immiſit, profatus: Inter me & te fœdus eſt initum, pater meus cum patre tuo fouit concordiam: ideò ad te argentum & aurum paruum munus emitto, vt violato fœdere, quod cum Baaſa Rege Iſraël iniiſti, eum à me vi recedere cogas. * Quid non valeat aurum, quid non poſſit argentum? Quot fœdera, quot neceſſitudines fecit violari?] *Quid non poſſit aurum, & argentum? Quo comperto*

comperto Benadadus exercituum suorum Principes ad Israël Vrbes immisit, qui quidem, vt diuerterent Baasam à Rama, Ahion, Dan, Abelmain, & cunctas Nephthali muratas Vrbes valido impetu percusserunt. Ars nota belli, hostem in proprijs percutere, vt relinquat aliena.] * Hac dimicandi aduersus peccatores Deus vtitur, eorum qui aliena rapuerunt, bona comminuit, vt eos cogat aliena restituere.] Vice illius particulæ, *Quo comperto*, Hebraïcè est, *Audiuit, & consensit* postulato difficili quidem, * Sed expositum munus cuncta facilia reddit. Vix xenium audiuit adduci, & Duces ad violandum fœdus immisit.] Dan est nomen Vrbis, aut Tribus; & videtur Benadadus vno tempore militares manus in partes varias emisisse. Pro particula, *Vrbes Nephthali muratas*, est in Hebr. *thesauros Vrbium* Nephthalim, id est, horrea, quæ non solent esse nisi in Vrbibus munitis.* Certè horrea sunt Vrbium thesauri, dum enim frumentum abundat, omnia videntur redundare.] Cum igitur irruptio Benadadi Baasæ peruenisset ad aures, desiit ædificare, seu munire Rama, opere scilicet intermisso. Rex verò Asa vniuersum Iudæ coëgit exercitum, tulitque de Rama lapides, & cuncta ligna, quæ Baasa muniendæ præparauerat Vrbi, ex eisque Vrbes Gabaa, & Malpha refecit. * Prudens industria belli, ex hostium apparatu propriam communire ditionem.] * sic in spirituali certamine ex hostium inuisibilium tentaminibus præsidium, refectióque animi præparanda.]

Æri belli, hostem in proprijs percutere, vt relinquat aliena.

Deus assoleis, bona tua auferre, vt cogat aliena restituere.

Munerum exhibitio cuncta redidit facilia.

Horrea sunt Vrbium thesauri.

Ex hostium apparatu propriam munire ditionē, prudēs industria belli.

Ex tentaminibus animo præsidium apparа.

2. Rex Asa à Prophera taxatur, eúmque Rex in carcerem detrudit.

Vers. 7.8.9.10. *In tempore illo &c.*) Illa autem instantia temporis Hanani Propheta à Deo immissus ad Asam Regem Iuda ventitauit, & dixit: Quia plus fidisti Syriæ Regis præsidio, quàm Domini Dei tui protectioni, idcirco Syriæ Regis exercitus de manu tua euasit incolumis. Nam si Deo tuo nixus fuisses, non solùm Baasam Regem Israël vicisses, sed & Benadadum Regem Syriæ ipsi confœderatum eiusdem Dei ope, qua antè vicisti, Æthyopes longè his numerosiores, ac potentiores superasses. * Herclè hostes non superat exercitus numerosus & potens, sed cœlestis Numinis auxilium.] * Si Asa ope cœlesti niteretur, & thesauros retineret, & Baasam ac Benadadum superaret. O quot thesauri inaniter insumuntur, quot triumphi ex fidei remissione infatuãtur!] Annon Æthyopes & Libyes multo plures descenderunt in campum? Annon quadrigis, equitibus, ac peditum innumerabili multitudine terram opplebant? Nónne hosce tua feruens fides comminuit? Ita planè, nam oculi cœlestis Numinis vniuersum terrarum orbem contemplantur, vt fortitudine ad superandos hostes illos vtique donet qui corde in eum perfecto feruntur, eiúsque fidunt protectioni. * Ergò non maior vincet exercitus, sed fides feruentior superabit.] stultè igitur te egisse compereris, *& propter hoc* deinceps dira aduersum te bella consurgent. * Vereor ne confidentiæ in Numen nostræ remissio bellorum influat diuturnitatem.] Porrò Rex Asa aduersus Prophetam itacundia succensus, (* Et quando Principes non irascuntur aduersus veritatis asserrores?)] iussit eum *in nervum* seu in carcerem mitti: nimia quippe fuerat indignatione affectus: & de populo tempore illo plurimos interfecit. *Tempore illo*, id est correptionis propheticæ occasione.

Dei auxilium, non exercitus hostes superat.

Thesauri inaniter insumuntur ob fidei remissionem.

Non maior vincit exercitus, sed feruentior superat fides pugnantium.

Nostra in Deum confidentia remissio bellorum influit diuturnitatem.

Principes insciuntur aduersus veritatis praecones.

Cur interfecit Asa ciues? Ægrè tulerat populus Prophetæ vincula, quod procul dubio seu verbis seu actionibus manifestauit. * Et quandò fidelis populus non sauciatur, cum videt Dei famulum diuexari.] * Propheta in carcerem iniustè coniicitur, & populus dirè vulneratur. Semper iniuria innocenti irrogata populi calamitas, & destructio est. Punit enim Deus totum Regnum ob vnius sancti viri oppressionem.] Porrò particula illa *; Misit in nervum* à LXX. effertur, *Misit in custodiam.* quæ quidem Hebr. vocatur *Domus subuersionis*, quoniam rationes subuertit eorum, qui sunt vincti. * Et quomodo rationem non subuertat irrogata innocenti iniuria.]

Populus fidelis sauciatur, cū videt Dei famulum diuexari.

Iniuria irrogata innocēti totius Regni calamitate punitur.

Rationem subuertit irrogata innocenti iniuria.

Vers. 11.12.13.14. *Opera autem &c.*] Regis igitur Asæ opera tam prima, quàm nouissima in Regum Iuda & Israëlis sunt exarata Volumine. Denique anno Regni sui nono trigesimo pedum dolore vehementissimo, podagra scilicet ægrotauit. *Vehementissimo*, inquam dolore pedum. * Nec enim sine superlatiui exaggeratione potest podagræ feritas explicari.] Verùm verbo illius *Ægrotauit dolore pedum vehementissimo*, in Hebræo & Græco additur, *Vsque ad suprà*, nempe ad caput. Cum enim podagricus humor caput impetit, & dolorem ciet vehementissimum, & mortem acceleratat. * Nisi dixeris, tam dirum esse podagræ dolorem, vt totum simul corpus sauciari videatur. Nam quẽadmodum cum caput dolet, reliqua condolent membra, dum pos podagra cruciatur vel ipsum caput condolens & compatiens illius membrum efficitur. O pes ex morbi vi conuersus in caput!] Hac ægritudine correptum fuisse Regem in supplicium, quòd Prophetam carceri addixisset, & tòt è populo viros trucidasset Doctores affirmant. * Qualis, quæso podagræ ærumna, quam ob tam grauia piacula Deus Regi inflixit?] Verùm Rex tanto afflictus dolore Deum subleuatorem non requisiuit precibus ac eleemosynis studium impendens: sed magis est medicorum in arte confisus. * Si quod ad huiusce modi ægritudines depellendas Medico ac pharmacopolæ largiris, profusis precibus pauperi erogares, fortassim facilius fuisses donatus valetudine.] Vi ergò doloris fuit Asa è viuis ereptus quadragesimo primo imperij sui anno, & sepulchro, quod sibi apud ciuitatem Dauidis præparauerat, fuit amandatus. Aliud hoc sepulchrum à Dauidis ac Salomonis sepulchro erat: vt solent Principes in eadem quidem cum proauis Basilica, sed singuli separatum sibi ab aliis monumentum ac mausolæum construere. Reposuére Regis ministri super funereum lectum Asæ cadauer, plenum quidem aromaticis *meretricijs* vnguẽtis, putà balsamo, myrtha, & aloë, quibus aduersus putrefactionem cadauera assolent infarciri. *Meretricia* quidem illa erant vnguenta, id est valde fragrantia, qualibus meretrices vti consuenere, partim vt fœdentem halitum suum, quem confectæ stupris non secus ac sanioſa cadauera exhalant, ex parte contegant; partim vt stultorum procorum naribus sese insinuent, & incautos captent. * O quàm verum illud! *Non bene olet, qui bene semper olet.*] Hæc vnguenta fragantissima erant pigmentariorum arte perfecta, quæ quidem ministri combusserunt *super eum*. scilicet super cadauer. Hebr. *Ei combusserunt*, supple aromata, quæ

3. Rex Asa podagræ dolore extinguitur.

Non potest podagræ feritas explicari sine superlatiui exaggeratione.

Cum pes podagra cruciatur, totum corpus discerpitur, sicut cum caput dolet.

Magna podagræ ærumna, quam Deus in supplicium grauium criminum infligit.

Facilius ab ægritudine fortassim liber esses, si quod impendis medicis, pauperi largireris.

Vitæ lucis vici fator.

quæ iuxta ac ſupra cadauer continuò exurebantur. Vnde adnoto, non tam ipſum cadauer apud Iudæos, quàm iuxta cadauer aromata comburi conſueuiſſe. Addit textus, combuſſerunt ſuper eum *ambitione magna*. Hebr. *Combuſtione magna valdè*. LXX. *Combuſtione magna vſque nimis*, quæ combuſtio aromatum copiam exaggerat. Quod autem Hieronymus hîc *vnguentis meretricijs* dixit, ex voce Hebræa *Zenim* occaſionem ſumpſit, nam *Zonah* meretricem ſignificat. Verum Zenim genera ſignificat ſeu ſpecies, & hîc iuxta ſubiectam materiam genera aromatum, aut odorum. * Vt à profanis odoribus, ô fœmina, fugias, ne meretricis referas proprietatem, genera enim, ſeu diuerſitas odorum eodem vocabulo ac meretrix aſſignatur.

Genera odorum eodē vocabulo ac meretrix aſſignatur.

CAPVT XVII.

Patri Aſæ pius Ioſaphat ſuccedit potens armis, & opibus. Legis Doctores per vniuerſam Iudæam immittit populum inſtructuros. Geſta illius egregia innuuntur, Principum ac militum numerus recenſetur.

1. REGNAVIT autem Ioſaphat filius eius pro eo, & inualuit contra Iſraël. 2. Conſtituítque militum numeros in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris. Præſidiáque diſpoſuit in terra Iuda, & in ciuitatibus Ephraim, quas ceperat Aſa pater eius. 3. Et fuit Dominus cum Ioſaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris ſui primis: & non ſperauit in Baalim, 4. ſed in Deo patris ſui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Iſraël. 5. Confirmauítque Dominus regnum in manu eius, & dedit omnis Iuda munera Ioſaphat: factæque ſunt ei infinitæ diuitiæ, & multa gloria. 6. Cúmque ſumpſiſſet cor eius audacias propter vias Domini, etiam excelſa & lucos de Iuda abſtulit. 7. Tertio autem anno regni ſui, miſit de principibus ſuis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda: 8. & cum eis Leuitas, Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Aſael quoque, & Semiramoth, & Ionathan, Adoníamque & Thobiam, & Thobadoniam, Leuitas, & cum eis Eliſama & Ioran Sacerdotes: 9. docébantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum. 10. Itaque factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Ioſaphat. 11. Sed & Philiſthæi Ioſaphat munera deferebant, & vectigal argenti: Arabes quoque adducebant pecora, arietum ſeptem millia ſeptingenta, & hircorum totidem. 12. Creuit ergo Ioſaphat, & magnificatus eſt vſque in ſublime: atque ædificauit in Iuda domos adinſtar turrium, vrbéſque muratas. 13. Et multa opera parauit in vrbibus Iuda: viri quoque bellatores, & robuſti erant in Ieruſalem, 14. quorum iſte numerus per domos atque familias ſingulorum: In Iuda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robuſtiſſimi viri trecenta millia. 15. Poſt hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia. 16. Poſt iſtum quoque Amaſias filius Zechri, conſecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc ſequebatur robuſtus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia. 18. Poſt iſtum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum Regis, exceptis aliis, quos poſuerat in vrbibus muratis, in vniuerſo Iuda.

COMMENTARIVS.

1. Rex Ioſaphat pietate egregius, armis & opibus potens.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Regnauit autem, &c.*] Vita functo Regi Aſæ Ioſaphat filius ſuccedit, qui aduerſus Iſraëlem præualens dimicauit. In primis prudentiſſimus Rex militum numeros conſtituit in cunctis Iuda Vrbibus, quæ muris erant circumuallatæ, diſpoſuitque præſidia in Iudæ ditione, & in Ciuitatibus Epraim & aliis aliarum quarundam Tribuum, quas pater eius ceperat Aſa; nam & de Manaſſe & de Simeon plures relicto Rege Iſraëlitico ad Regem Iuda confugerant, de quo *cap.* 15.9. Hinc non miraberis, Ioſaphatum ſub ſignis recenſere vndecies centena & ſexaginta millia bellatorum potuiſſe, vt in fine huius Capitis videbimus. Porrò illa particula, *Innaluit contra Iſraël* innuit, Ioſaphat nulla in re Iſraëlis Regno fuiſſe inferiorem, nec vt Aſa eius parens externa auxilia ſpectare,

Princeps ille solum præualens cõtra hostes ostenditur, qui externorum auxilio non indiget.

ctare, aut quærere opus habuisse. * Ille præualens contra hostes Rex ostentatur, qui externa non quærit auxilia, qui autem indiget ab externis auxilia quæritare nec præualens ostenditur, nec etiam cum vincit, victor exponitur.] Cur numeros militum apud Vrbes constituit? Quia Regem Israëlis, cum quo Asa diuturnum bellum gesserat, habebat suspectum. * Patris tui inimicum semper habe suspectum.] * Verùm ante belli instantiam Vrbes sunt muniendæ, nè repentè insurgente hostium impetu, non possit eis occurri.] * Haud aliter ad spirituale certamen ars cordis munienda, priusquam hostium inuisibium tentamina impetum gerant.] Profectò Iosaphat Dominum habuit propitium, quia in viis Dauid patris sui, *primis* scilicet antequàm peccaret, ambulauit, * Quomodo enim Deus à delinquente Principe stabit amicus, si gestis impiis ab eo quotidie agitur ad recessum.] Ideò itaque Iosaphado Dominus adstitit cuncta eius gesta prosperaturus, quia *in Baalim* siue idolis spem minimè collocauit. * Sed in Deo patris sui, eius custodiens præcepta, & ab idololatræ Israëlis recedens impietate. * Quis dubitet, sæpè Regum infatuari triumphos, obscurari gesta, quia magis in *Baalim*, præsidio scilicet temporario, quàm in Dominis sperant auxilio. Et quid sperent Principes; imò quid non timeant, si etiam dùm Numinis protectione plus indigent, legis præscripta violare non desinunt?] Confirmauit igitur Dominus, seu roborauit Regnum *in manu* Iosaphat id est, illum iuuit in cunctis, præsertim populorum animos ei conciliando. * Nec enim in manu tua gubernationem confirmatam esse crede, si subditorum animos non tibi conciliasti.] Porrò ostenderunt Iudæi suum erga Regem affectum ei munera præstando. * Amoris enim præstans est documentum munerum elargitio.] *Cúmque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini*, excelsa, ac lucos ex Iuda abstulit. Quasi diceret, animos ad præclara quæuis audenda pio Regi dabant, non militares copiæ, licet innumeras haberet: non thesauri, quantumuis essent immensi: sed sola mandatorum Dei obseruatio, qua & inuictus, & imperterritus reddebatur. * Omnia vel difficilia admodum audet irreprehensibilis Principis, seu Præsulis conscientia, dum vel facilia quæque reprehensibilis conscientia intendere veretur.] Audentior itaque factus est in vera religione promouenda, & euertendo idolorum cultu, comminuens fana idolis in collibus extructa, & lucos in eorumdem honorem consecratas euellens.

Patris tui inimicum semper habe suspectum.

Ante belli instantiam Vrbes muniendæ.

Ars cordis præsidio roboretur ante hostium impetum.

Pius Rex Deũ semper propitium habet.

Plures infatuantur victoria, quia Reges magis in præsidio temporario, quàm in Domino sperant.

Quid Reges à Domino sperent, si dum pugnat exercitus, ipsi eius præcepta violare non timent?

Quasi Rex, aut Præsul nõ est, qui subditorum animos sibi non conciliauit.

Documentum amoris munerum elargitio.

Difficilia quæque irreprehensibilis conscientia Præsulis audet.

2.

Vers. 7. 8. 9. Tertiò autem, &c.] Verùm vt pius Rex diuinæ legis obseruationem non in se modo, suáque in aula & Vrbe Regia promoueret; sed & per totum Regnum quàm latissimè propagaret: delectu habito eorum, qui & industria valerent, & zelo promouendæ salutis aliorum flagrarent, misit de Principibus suis politicis quaquàuersum in omnes Ciuitates Iudaicas Benhail, Obdiam, Zachariam, Nathanaël, & Michæam, vt populum erudirent, rudésque & legis præscripta edocerent, & eum ad eorum obseruationem hortarentur. * Cura huiscemodi bono Principi vel maximè cordi esse debet.] * Ad *Ciuitates* Iosaphatus Doctores immittebat, hinc planè commendabilis admodum. * Commendabilior profectò Societatis Iesu zelus, qui ad Viculos despectos omninò suos immittit Doctores pauperculos vt edoceant agricolas legis mysteria, eosque monitis ad legis obseruationem alliciant.] * Si Ciuitatum habitatores eruditione huiusmodi indigebant: quid vicani, quid rustici? Proh Principum ac Præsulum desidia, qui procurantes, Ciuitates concionatoribus abundare, villas adeò despiciunt, vt vix ad eorum aures nomina aduentarint.] Cum Principibus hisce politicis, qui non erant quidem Doctores, sed Sacerdotum, ac Leuitarum ductores, ex Leuitico Ordine immisit Rex Semeiam, Nathaniam, Zabadiam, Asaël, Semiramoth, Ionatham, Adoniam, Thobiam, & Thodoniam: ex Sacerdotali autem Elisamam, & Ioranum. Si Principes illi non erant Doctores ductores Sacerdotum ac Leuitarum, quare immissi dicuntur, *vt docerent?* Quia impedimenta tollentes, & aliis modis Sacerdotes & Leuitas Doctores iuuantes, boni illius operis erant participes. * Qui igitur Sacerdotes immissos ad rem Euangelij iuuant aut impedimenta, quæ excitante diabolo assolent aboriri, tollentes, aut necessarium victum eis impendentes, egregij huius operis se norint esse participes; adeò vt & ipsi docuisse verè dicantur.] Hi igitur *habentes librum legis Dómini* cunctas Iudæ circuiebant Vrbes, populúmque erudiebant. Hebr. *Erudiebant illum populum*, propter *He* emphaticum in *camets* inclusum positum sub *beth*. Ac si subtaxaretur Principum priorum desidia, qua ille populus fidelis, electus circa legem ignorantia laboraret. * Non vos pudet Catholicos Principes sacrosque Ecclesiæ Præsules apud Christicolam hunc populum innumerabile reperiri vulgus, ob vestram desidiam Sacrorum mysteriorum, ac dogmatum omninò expertem?] Quinam ille legis Domini Liber? Aut Deuteronomium, qui totus exortatorius est ad diuinæ legis custodiam; aut Pentatheucum, qui legis nomine in primis intelligitur. * Haud sunt rudibus conceptus arguti proferendi inanes omninò, sed legis præscripta syncerè explicanda.] * Vrbium habitatoribus Concionatores illi Librum legis solummodò deportabant, non simul humanæ eruditionis volumina, vt ostendatur, à suggestu vel Vrbium exulare debere quidquid à libro legis Domini videatur alienum.] Rex ergo piissimus post exturbata idola, populum eruditi curat. Nec enim satis erat simulacra disturbare, nisi etiam ex animis errores, & superstitiones, quæ inualuerant, eriperentur. * Ideò Rex Catholicus non solum dat operam, apud Indos idola comminui, sed singulis annis studet ex Leuitico ac Sacerdotali præcipuè Iesuitarum ordine ministros immitti, qui despectos eruditant inertes.

Legis Doctores per vniuersam Iudæam mittit Iosaphad, vt populum eruditent.

Curet maximè Princeps, immittere Doctores, vt populum legis præscripta doceant.

Commendabiles Iesuitæ ex missionibus ad vicanos, & rusticos.

Si ciuitatum habitatores doctrina indigent, quid Vicorum incolæ.

Qui Sacerdotes immissos ad docendos ignaros iuuant, & ipsi docuisse illos verè dicitantur.

Pudeat Catholicos Principes, ac Præsules, apud Christicolam populum plures reperiri sacrorũ dogmatum expertes.

Non sunt arguti coram rudibus proferendi.

A suggestu exulet quidquid à libro legis diuinæ alienum videatur.

Regis Catholici studium immittendi Iesuitas ad Indos commendatur.

3.

Vers. 10. 11. 12. Itaque pauor, &c.] Quiescente itaque Rege piissimo, factus est *pauor Domine*, siue pauor magnus (omnia quippe Dei magna sunt) & à Domino immissus super omnia Regna Gentilium Iudæ finitima, nec idololatræ Reges audebant contra Iosaphad dimicare. * Piis id assolet Deus præstare Principibus, terrore immisso, hostes continere ne pacem irrumpant.] * Terrorem autem illum dixerim esse opinionem quàm de Regis potentia nationisque fortitudine Reges exteri concipiunt. Qua quidem opinione

Alia Iosaphat opera egregia inuestigatur.

Ob piorum Regum protectionem solet Deus hostibus terrorem immittere.

Opinio, quam exteri Reges

de Nationis alicuius fortitudine concipiunt, eos continet, ne pacem interrumpant.

nione langueſcẽte, audent exteri arma capeſſere, ac pacem interrumpere.] Porrò non ſolùm continebantur, ne bellum ciere auderent, ſed & munera Regi deferebant, ſoluebántque vectigalia, non noua quapiam adacti victoria, ſed à ſuperioribus temporibus Dauidis, & Salomonis. Neque enim eos iugum ab eo tempore lego excuſſiſſe, neque hic tanquam ſubactis ſed tanquam ſubiectis referuntur. Scio tamen aliter viſum Abulenſi *q.* 21. Philiſthæi itaque Ioſaphato munera deferebant, & vectigal ſoluebant argenti. Arabes quoque, poſtquam ab eo deuicti fuerunt, ſubortа aliqua belli cauſa, (de qua nihil certum inueni) tributi nomine adducebant pecora: arietum enim ſeptem millia ſeptingenta, & hircorum totidem annis ſingulis præſentabant. Creuit ergo Ioſaphat, & ad cumulum auguſtiſſimum eius elenata eſt magnitudo opum ex abundantia, ad quas excipiendas, & cuſtodiendas in Iuda domos *adinſtar turrium* conſtruxit, Vrbéſque muratas expoſuit. Hebraicè dicitur, Palatia, & Vrbes theſaurorum, id eſt gazophylacia; nam cum ditiſſimus eſſet, ærariis habebat opus. * Non credat Rex ſe magnificatum eſſe *uſque in ſublime*, ſi theſauros ad occaſionem belli repoſitos nó habeat, quorum defectu omnis illa illicò corruet ſublimitas.]

Indiget Rex theſauris repoſitis, ad magnitudinem tuendam.

Verſ. 13.14.15.16.17.18.19. *Et multa, &c.*] Cæterùm Ioſaphat multa *opera*, ſeu ædificia in Iudæ conſtruxit Vrbibus & ad præſidium, & ad ornatum. * Felix Princeps, cuius tempore increſcunt Vrbium ædificia in creſcentis Imperij documentum! Nam cum ædificia corruunt, eiſque alia non ſuccedunt, occidentis Regni perſpicuum indicamentum exponitur.] Ad robur verò Imperij, hoſtiúmque terrorem fortiſſimi Principes, robuſtiſſimique milites Ieroſolymis commorabantur, quorum ſic numerus per *domos ac familias* ſiue per cognationes expenditur: Præcipuus inter omnes Duces Ioſaphati erat Ednas Princeps Iudaici exercitus, quare etiam plures, quàm cæteri, milites annumerabat, nam *cum eo* trecenta millia viri robuſtiſſimi colligabantur, ipſo quidem Ieroſolymis habitante, militibus verò variis Regni locis diuiſis, & contributis. Nomine autem militum non tantùm intelliguntur illi, qui hõc vnum militandi munus exercent; ſed quicumque per ætatem, & vires armis tractandis apti erant. *Poſt hunc* (Hebr. *ad manum eius*, id eſt, iuxta eum, aut illi proximus) aderat Princeps Iohanan, cui ducenta octoginta millia militum ſubdebantur. Tertium locum gerebat Amaſias filius Zechri *Domino conſecratus*, Hebr. *Voluntarius* Domino, qui ſe ſcilicet ſine ſtipendio, vt Deo placeret, militiæ deuouerat. LXX. *Promptus Domino.* * Hi enim, qui voluntariè ad bellum proficiſcuntur, prompto animo cum hoſte decertant. Quam promptitudinem ab eo ſperas, quam inuitum ad arma traxiſti?] * Porrò tot, tantaque ſunt pugnantium incommoda, vt qui voluntariè decertant, *conſecrati* eſſe Domino videantur.] * Hinc commendabiles Ieſuitæ, qui conſecrati Domino ad ſpiritualia bella procedunt, id eſt, ſine vlla mercedis temporariæ ſpe cunctis miniſteriis ſuis operam impendunt.] Cum hoc itaque voluntario Principe ducenta millia fortium virorum erant ad certamina præparati. Hunc ſequebatur, ſiue quartum obtinebat ordinem Eliada ad bella gerenda robuſtus, cui ducenta millia tenentium arcum ac clypeum ſubiacebant. In Hebræo ſic, *Et de Benjamin virtute potens Eliada.* Vnde colligo, non omnes hoſce Principes ad Iuda Tribum pertinuiſſe. *Poſt iſtum*, ſeu quinto ordini addicebatur Iozabad; qui centum octoginta millia expeditorum militum obtemperabant. Hi igitur omnes, quorum numerus vſque ad vndecies centena & ſexaginta hominum millia aſcendit, *ad manum* Regis aderant, ſeu præſtò erant ad Regis imperium: aliis exceptis, quos in muratis Vrbibus, & in vniuerſa Iudæa ad præſidium collocauerat. Preme particulam, *Hi omnes erant ad manum Regis*, nempe prompti, vt ad Regis imperium ad quamlibet Regni Vrbem pugnaturi immitterentur.* Quorum quidẽ promptitudo Ieſuitarum militum refert obedientiam. Cuncti enim ſed ſpeciali iure quatuor votorum profeſſi *ad manum* Pontificis, & ſuperiorum adſunt, ad quamuis mundi immittendi plagam vbi maius Dei obſequium, proximorumve vtilitas ſperabitur.]

4. Principum ac militum Ioſaphat numerus recenſetur.

Curent Reges, increſcere Vrbium ædificia.

Inepte promptitudinẽ ad bellandum ſperas ab eo, quem inuitũ ad arma traxiſti.

Quaſi conſecratus Domino videtur, qui voluntariè pugnat.

Ieſuitæ ſine temporaria mercedis ſpe ſua miniſteria gerunt.

Ieſuitæ prompti ſunt ad manum Pontificis, ſeu ſuperiorum immittendi ad quamuis mũdi plagam.

CAPVT XVIII.

Filiam impij Achabi Regis Iſraël pius Ioſaphat filio ſuo Ioramo ſumit vxorem. Cum eodem aduerſum Syros in bellum aſcendit, quadringentis pſeudoprophetis promittentibus victoriam, ſolo Michæa contrarium aſſerente. E cuius prædictione Achabus interimitur.

1. EVIT ergo Ioſaphat diues & inclytus multùm, & affinitate coniunctus eſt Achab. 2. Deſcendítque poſt annos ad eum in Samariam: ad cuius aduentum mactauit Achab arietes & boues plurimos, ipſi, & populo qui venerat cum eo: perſuaſitque illi vt aſcenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixítque Achab rex Iſraël ad Ioſaphat regem Iuda, Veni mecum in Ramóth Galaad. Cui ille reſpondit: Vt ego, & tu, ſicut populus tuus, ſic & populus meus: tecúmque erimus in bello. 4. Dixitque Ioſaphat ad regem Iſraël:

Iſraël : Conſule obſecro in præſentiarum ſermonem Domini. 5. Congregauit igitur rex Iſraël prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quieſcere? At illi, Aſcende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis. 6. Dixítque Ioſaphat ; Nunquid non eſt hic propheres Domini, vt ab illo etiam requiramus ? 7. Et ait Rex Iſraël ad Ioſaphat : Eſt vir vnus, à quo poſſumus quærere Domini voluntatem : ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum omni tempore : eſt autem Michæas filius Iemla. Dixítque Ioſaphat : Ne loquaris Rex hoc modo. 8. Vocauit ergo Rex Iſraël vnum de eunuchis, & dixit ei : Voca citò Michæam filium Iemla. 9. Porrò Rex Iſraël, & Ioſaphat Rex Iuda, vterque ſedebant in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio : ſedebant autem in area iuxta portam Samariæ, omnéſque propheræ vaticinabantur coram eis. 10. Sedecias verò filius Chanaana fecit ſibi cornua ferrea, & ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam donec conteras eam. 11. Omnéſque prophetæ ſimiliter prophetabant, atque dicebant : Aſcende in Ramoth Galaad, & proſperaberis, & tradet Dominus in manu Regis. 12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi : En verba omnium prophetarum vno ore bona regi annuntiant : quæſo ergo te vt & ſermo tuus ab eis non diſſentiat, loquaríſque proſpera. 13. Cui reſpondit Michæas : Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere. Cui ille reſpondit : Aſcëndite : cuncta enim proſpera euenient, & tradentur hoſtes in manus veſtras. 15. Dixítque Rex : Iterùm atque iterùm te adiuro, vt mihi non loquaris, niſi quod vērum eſt in nomine Domini. 16. At ille ait : Vidi vniuerſum Iſraël diſperſum in montibus, ſicut oues abſque paſtore : & dixit Dominus : Non habent iſti dominos : reuertatur vuuſquiſque in domum ſuam in pace. 17. Et ait rex Iſraël ad Ioſaphar : Nonne dixi tibi, quòd non propheraret iſte mihi quidquam boni, ſed ea quæ mala ſunt ; 18. At ille, Idcircò, ait, audite verbum Domini : Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. 19. Et dixit Dominus : Quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcendat & corruat in Ramoth Galaad ; Cúmque diceret vnus hoc modo, & alter alio ; 20. Proceſſit ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait : Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies? 21. At ille reſpondit : Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium propretarum eius. Dixítque Dominus : Decipies, & prænalebis : egredere, & fac ita. 22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus eſt de te mala. 23. Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michææ maxillam, & ait : Per quam viam tranſiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tibi : 24. Dixítque Michæas : Tu ipſe videbis in die illo, quando ingreſſus fueris cubiculum de cubiculo vt abſcondaris. 25. Præcepit autem rex Iſraël, dicens : Tollite Michæam, & ducite eum ad Amon principem ciuitatis, & ad Ioas filium Amelech. 26. Et diceris : Hæc dicit rex : Mittite hunc in carcerem, & date ei panis modicum, & aquæ paxillum, donec reuertar in pace. 27. Dixítque Michæas : Si reuerſus fueris in pace, non eſt locutus Dominus in me. Et ait : Audite omnes populi. 28. Igitur aſcenderunt rex Iſraël & Ioſaphat rex Iuda in Ramoth Galaad. 29. Dixítque rex Iſraël ad Ioſaphat : Mutabo habitum, & ſic ad pugnam vadam : tu autem induere veſtibus tuis. Mutatóque rex Iſraël habitu, venit ad bellum. 30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus ſui, dicens : Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum niſi contra ſolum Regem Iſraël. 31. Itaque cùm vidiſſent principes equitatus Ioſaphat, dixerunt : Rex Iſraël eſt iſte. Et circundederunt eum dimicantes : at ille clamauit ad Dominum, & auxiliatus eſt ei, atque auertit eos ab illo. 32. Cum enim vidiſſent duces equitatus, quòd non eſſet Rex Iſraël, reliquerunt eum. 33. Accidit autem vt vnus è populo ſagittam in incertum iaceret ; & percuteret Regem Iſraël inter ceruicem & ſcapulas. At ille aurigæ ſuo ait : Conuerte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus ſum. 34. Et finita eſt pugna in die illo : porrò Rex Iſraël ſtabat in curru ſuo contra Syros vſque ad veſperam, & mortuus eſt occidente ſole.

COMMENTARII.

1. Filia Achabi Ioramo nubit, Iosaphat ad bellū ab Acha inuitatur.

VERS. 1.2.3. *Fuit ergo, &c.*] Iosaphat igitur diuitiarum affluentia inclytus admodùm ostentatur. * Fuit, (ait Textus) *dines, & inclytus multum.* Herclè apud homines non pietas, non præclara facinora, sed opes virtum inclytum reddunt, ac præclarum.] Ideò Achabo Regi Israëlis fuit affinitate coniunctus, quia Ioram filius Iosaphati, ducta in vxorem filia Achabi Athalia, gener illius factus erat. In Hebræo loco particulæ *Et affinitate Iosaphatus coniunctus est Achab*, dicitur: *Et Iosaphat gener factus est Achab.* Non tamen ipse, sed filius eius gener fuit Achabi. Cur ergo socer Athaliæ gener Achabi patris eius vocitatur, siue (vt vulgariter expendam) *et consuegro sit Mama ieruo?* Certè vt socer sibi persuadeat mariti ipsius affectu ferri in nurum debere, eius commodis studendo, illam impensè amando.] Ideò Iosaphat post annos Achabum inuisurus in Samariam Regni Israëlitici metropolim ascendit. * *Post annos* inquit. Nunquam non enim in consocerum est segnis affectus.] Vt autem Achabus tantum lautè exciperet hospitem ipsi ac populo comitanti eum cibando pluri-mos arietes mactauit, ac boues. * O felicia tempora, quando Regi ditissimo ac potentissimo excipiēdo bos & aries occiditur! Iam hospiti vulgari conciui altilia præparantur. Quid excipiendo Regi? Hinc quidem Regum ac Principum inopia habet exortum.] Loco illius particulæ *Mactauit Achab arietes & boues*, habetur in Hebræo, *sacrificauit Achab arietes & boues.* Vndenam istud Sacrificium? An consocer vti Deus reuerendus? An aduentante consocero Deo sacrificia offerenda, ne è familia pax ablegetur agnatis generi nurus ac soceri simultatibus?] Porrò Syri Ciuitatem Ramoth Galaad iniuria occupauerant, (3. *Reg.* 22.3.) quæ erat in Tribu Gad. Achabus igitur, qui tunc ad recuperandam Vrbem suam, parabat expeditionem, curauit Iosaphato persuadere, vt secum illud bellum iniret. Inquit ergo Achabus Rex Israël Iosaphato Regi Iudæ: Dignare mecum aduersum Syros pro Ramoth Galaad recuperatione decertare. Cui Iosaphat respondit: *Vt ego, & tu, nos enim affinitas ita in vnum coegit, vt tuam causam meam esse non dubitem*: quocumque tuus perrexerit populus & meus sequetur, tecum igitur procedemus cum Syris certaturi. * Hinc ediscant affines, vnicam esse singulorum causam, alterúmque sic alterius debere negotia gerere, ac si propriis operam impertirer.]

Socer sit nurus sponsus illius commodis studendo.

Segnis est affectus in consocerum.

Regia mensa taxabilis redundantia.

Hinc Regum inopia oritur.

Consocer reuerendus? Agnata inter consoceros si-multates.

Affinium vnica debet esse causa.

2. Pseudo prophetarū falsa prædictio circa belli euentum. Michææ verum vaticinium.

Vers. 4. vsque ad 22. *Dixitque Iosaphat, &c.*] Pius verò Rex Iosaphat sciens omnes felices rerum euentus à cœlesti Numine ortum habere, Achabo Regi Israëlis dixit: Consule, quæso, *in præsentiarum* (LXX. *iam hodie*) *Sermonem Domini*, id est, ex sacro diuinæ voluntatis ac dispositionis Interprete seu propheta ediscamus expeditionis huius euentus, & in primis, num Domino placeat expeditio, è quo felicitas omnino procedit. * Nihil Principes, inconsultò Numine gerant.] Profectò expeditionis bellicæ prosperitas ex eo scias pendere, si ex Dei beneplacito bella gerantur.] * Vereor autē, ne Christicolæ in Cristicolas insurgentes læso Numine pugnent, vbde sine triumpho vterque decertet exercitus.] Aduocauit igitur Rex Israël quadringentos pseudoprophetas, eisque dictitauit: Placeátne superis, vt ad Ramoth Galaad, eam è Syrorum potestate resumpturi, procedamus, an vt à dimicandi proposito abscedamus? At illi vno ex ore, Procede, inquiunt, ad certamen, Deus enim Regis eam tradet in manus. Videns Iosaphatus à falsis id Vatibus quæritari, obiecit pius: An non adest aliquis in Israël Prophetes Domini, à quo etiam diuinum placitum requiramus? Respondit verò Rex Israël Iosaphato: Vnum noui virum adesse, à quo Dei possimus voluntatem requirere: sed inuisus est mihi, eo quod nunquam mihi prospera nunciat, sed prædicit semper infaustat: est autem hic Michæas Iemla filius. * En apud Vrbem Regiam quadringenti viri mendaciter Regi fausta prænunciant, *vir* autem *vnus* est, qui veritatis sit nudus assertor: Est vir vnus, à quo possimus quærere Domini voluntatem.] * Vndénam tot mendaces, verax *vnus*. Certè quia Regibus inuisi, qui veritatis nunquam non amaræ assertores existunt: *Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.*] * Principes quidem adeò sunt veritatis ossores, vt nec certos infaustos euentus velint sibi annunciari.] Subtaxans itaque Iosaphatus correptione vrbana stultum Regis Achabi sermonem, ait: *Ne loquaris* ô Rex *hoc modo*, dedecet enim Reges odio persequi veritatis enunciatores. Et quomodò posset Rex pius impia exaudire verba, & non illicò, in virtutis præsidium, delinquentem corripere?] * Rex à Rege corripitur ediscse saltem delinquentes reprehendere æquales.] Aduocans ergo Achabus vnum *de Eunuchis*, seu de ministris Regis, (hi enim licet castrati non essent, *Eunuchi* dicebantur) ei profatur: Aduoca citò Michæam filium Iemla, addúcq; eum. Hoc loco Michææ nomen Hebraica diminutum vna litera, *Iob* scilicet est, ad indicandum, sic per contemptum à Rege nominatum. * Hebræus sic, cui facile assentiar, cum videam augustiores ex dignitate viros, Sacerdotes videlicet tàm parui à Principibus æstimari.] Verùm Reges Israël & Iuda apud ateam, quæ iuxta portam Samariæ patescit, suo in solio cultu Regio induti sedebant, & coram eis omnes pseudoprophetæ vaticinabantur. LXX. pro *Arca* transtulere εὐρυχώρια, *loco spatioso*, nimirum in foro, quod ad Vrbis portam esse solebat. Fecerat Sedecias Chanaana filius falsus prophera ex dæmonis suggestione ad huiusmodi exprimendam mendacem euentus belli prædictionem ferrea cornua in ventilabri formam, & in Regum conspectu profatur: Hæc dicit Dominus: Hisce cornibus tuæ potentiæ imagine ventilabis seu feries Syriam, donec comminuas eam. Omnésque consentientes pseudoprophetæ simile vaticinium proferebant conclamantes, In Ramoth Galaad conscende, prospero euentu perges, potierísque triumpho. Porrò nuncius, qui ad aduocandum Michæam perrexerat, illi ait: En omnium prophetarum ex ore prospera cuncta Regi prænunciantur, quæso igitur te, vt sermo

Nihil Principes, inconsulto Domino, gerant.

Prosperitas belli ex eo pēdet, si ex Dei beneplacito geratur.

Bellum inter Christicolas infaustum vtrimque.

Innumeri apud Regiam Orbem mendaces euētuū assertores, vnicus penè veritatis inuenitur assertor.

Principes plerumque veritatis ossores.

Pius non est, qui impia exaudiens verba, prefferentem non taxat. Delinquentes æquales subtaxa.

Quàm parui Sacerdotes æstimentur à Principibus.

tuus

tuus haud ab eorum sermone dissentiat, sed prospera simul Regi prænuncies. * Quàm agnatum ministris aulicis procurare, ne veritatis vox Regias tendat ad aures!] Cui Michæas respondit: Viuit Dominus, quia Regi indicturus sum quidquid meo Dominus proferendum ore commiserit. Ad Regem igitur aduenauit, eique Rex dixit Achabus: Edissere velim ô Michæa, num ad decertandum pergere in Ramoth Galaad debeamus, an omnino quiescere? Cui Prophera respondit: Ascendite ô Reges, cuncta enim prospera euenient, hostésque in vestram excident potestatem. Quonammodo Michæas à mendacio excusetur? Ironicè locutus. Aptè quidem, sed aptius excusat Hebraica lectio, *Ascendite, & prosperemini*, in imperatiuo, quasi diceret: Vtinam ita fiat: *& tradentur hostes*, siuè tradantur vtinam, vt cum superiori verbo prosperemini consentiat. * Dedeceret planè sacrum ex prophetiæ spiritu virum posse argui mendacij.] Addubitans Rex Achabus, quonam sensu Michæas verba huiusmodi protulisset, quia non omnino visus est expeditionem indixisse, sed solummodo optandis expressisse affectum, si secundam expositionem sequamur; aut ironicè irrisisse, si hærescendum primæ) sic occurrit: *Iterum atque iterum* te adiuro, vt quidquid à Domino inspirante perceperis circa bellicam huiusmodi expeditionem mihi apertè declares. * En implicatorium Regis desiderium, vult veritatem exponi, non vult infautos sibi euentus præcantari. Quàm verè sapiens. *Vult, & non vult piger.*] Adiuratus Michæas sic bellicæ expeditionis prænunciat euentus: Vniuersum Israëliticum populum in montibus dispersum tanquam oues sine pastore vidi, & Dominus visioni hæc addidit verba: Hi non habent dominos, vnusquisque suam ad domum in pace reuertatur. Ac si diceret, satius vobis ô Reges milites ad propria remittere pacéque potiri, quàm pergere ad bellum, cuius in conflictu dispergendi sunt milites pastore Achabo è viuis sublato. Tunc Iosaphato Regi dixit Achab: Nónne dixi tibi, Michæam mihi numquam prospera, sed semper aduersa prænunciare? At ille: *Idcircò* (ait) id est, *porque lo digas de veras*, verbum Domini sine metaphoræ inuolueris exaudite. Suo cœlesti solio Dominum hærentem, omnémque cœli exercitum Angelos, vtique hinc indè adstantes adspectaui, Domino profante: Quisnam Achabum Israëlitarum Regem tam insigniter decipiet, vt persuadeat ei, in Ramoth Galaad proficisci, vt inibi miserè extritali vulnere corruat? Cúmque varié Angelorum proferrentur sententiæ, processit in medium spiritus quidam procul dubio malignus, seu Satan, (Rabini somniarunt hunc spiritum fuisse animum Nabothi tyrannicè nuper iussu Iezabelis lapidati) & stans coram Domino fatur: Ego Regem decipiam. * Vndenam, quæso, asserunt nonnulli Doctores spiritum malignum illum, & non potius bonum extitisse? Certè quia Cœlicolæ Angeli homines non decipiunt, quos expetunt veritatis dirigere ad Semitas.] * Cur vero asseris (inquies) somnium esse, quod de anima Nabothi Rabbini asseruerunt? Quia iustum dedecet spiritum vindictæ studium dare, qui nunquam non illatæ sibi parcit iniuriæ.] Deus vindicando Sanctorum iniurias dat operam, & aliquando ipsos Dinos, qui affecti iniuria fuere, inimicorum excitat ad supplicium: sed semper credidi, Sanctos pro inimicis enixè precari, sanguinémque Abelis piissimo hoc affectu proclamare.] Spiritui itaque Deus, In quo, inquit, Achabum decipies? At ille respondit: Egrediar, & ori cunctorum pseudoprophetarum eius mendacia suggeram. Dixítque Dominus: Decipies & prævalebis, egredere igitur, & exequere. Deus quidem mendacium non præcipit, sed est hypotyposis, non res gesta. * At hoc explicui exemplo primas esse calamitatis causas, cum Prophetæ, seu Theologi aut Politici Consiliarij falsa loquuntur, & annunciant Principi; quod totum à patre mendacij proficisci non dubites.] Nunc ergo ecce, Domino permittente, mendacij spiritus in ore omnium pseudoprophetarum tuorum versatur, & tibi prospera circa expeditionem in Ramoth Galaad præcantant, dum Dominus meo ex ore vera infausta prænunciat.

Agnatum aulicis procurare, ne veritatis vox ad Regis aures perueniat.

Dedecet sacrum virum, posse argui mendacij.

Vult & non vult peccator.

Nunquam non iustorum sanguis clamat, vt prophanorum impietet vindictam.

Tota Regni calamitas, cũ Theologi, aut Politici Consiliarij falsa Regi loquuntur.

Verſ. 23.24.25.26.27. *Accessit autem, &c.*] Audiens Sedecias filius Chanaana pseudoprophetis sociis ac sibi à Michæa iniuriam irrogari, accedens iratus viri Propheræ maxillam percussit, & ait: Dicit mihi, per quam viam verus Domini spiritus à me ad te recessit, vt tibi loqueretur? Michæas autem spiritus Christi prælator egregius patientia concundens iniuriatorem mansuetè respondit: Tu ipse videbis in illa diei instantia, quum è cubiculo in cubiculum ingrediaris, quæritans latibula, vt delitescas. Rex autem Achabus, qui debuerat Sedeciam corripere vulneratorem iniustum, addidit vexare vulneratum præcipiens: Tollite Michæam, eúmque ad Ammon Principem Ciuitatis, & ad *Ioas filium Amelech* adducite, LXX. vertunt, *Ad Ioas filium Regis.* Hic forsan erat è filiis Achabi vnus, cui cum aliquibus aliis Rex iturus ad bellum aduersus Syros custodiam Vrbis Samariæ, & partis Regni administrationem ad tempus demandarat. Cur autem in Hebræo filius Amelech dicitur? Quia *Amelech* idem est ac *Filium Regis*, sed quoniam non explicat Textus cuius Regis, Hieronymus nomen esse proprium credidit. Amoni igitur & Ioas dicetis: Hæc imperat Rex Michæã in carcerem conicite, éique nutriendo panem modicum, aquæque pauxillum exhibete, donec in pace triumphum agens ad propria reuertar. * Sic impij Reges Ciuium iustorum iniurias vindicant, tribulationem iniuriato addentes, & iniuriatorem indemnitate donantes.] Dixítque iam apertè Michæas, si reuersus fueris in pace ad Samariam, perspicuum erit documentum, meo ex ore Dominum non fuisse locutum. Et addidit: *Audite omnes populi*, quasi dicerent: Vtinam omnibus innotescant, quæ iam futura prædixi, & omnes memores sint, me figillatim omnia prædixisse.

3. Michæas alapa percutitur, addici carceri iubetur.

Impij Reges subdito iniuriato addunt molestiam, iniuriatorẽ indemnitate donant.

Verſ. 28.29.30.31.32.33.34. *Igitur ascenderunt, &c.*] Contemnens igitur Achabus Prophetæ vaticinium, ad Ramoth Galaad profectus est secum adtrahens Iosephatum, qui etsi Michææ credidisset, ne tamen ex formidine retardari videretur, si periculo, fretus quidem diuina protectione exposuit. * O quotiens politica ratio vel pios viros interitus discrimini addicit!] Cum autem prope Vrbem adessent, dixit Rex Israël ad Iosaphatum: Ego mutabo

4. Ascenderunt Reges, Iosaphat subit periculum, & liberatur à Domino. Achab occiditur.

Angeli boni homines non decipiunt, sed eos adveritatis semitas dirigere expetunt.

Dedecet iustorum spiritũ dare vindictæ operam.

Ratio politica vel virum pij interitus discrimini addicit.

veſtes, & ſic ingrediar ad prælium, ne cognoſcar. Tu autem induce veſtibus tuis, quibus quotidie & in communi vita vteris: vt ſcilicet cognitus à militibus aſſeruëris, & ego non cognitus poſſim Ioas eorum iacula ſecurius effugere; ſcio enim aduerſum me diriores ſurrecturos, cùm author ſim belli. * Vndenam Achabus, coniectarit, Ioſaphatum à militibus hoſtibus reuerentiæ excipiendũ: Quia vel Syris cognita erat Regis Iudææ pietas, cui plenè vel hoſtes reuerentur.] Mutato itaque habitu, Rex Iſraël ad certamen accurrit. Porrò Rex Syriæ ſui exercitus præceperat Ducibus. Nullum certamen contra Iſraëlitici exercitus milites ineatis, ſed ſolum modo Regem Achabum comminuere intendite. Cum ergo duces Syri Ioſaphatum viderent Regio incedentem amictu & apparatu, clamitauêre: En Iſraëlis planè Regem: & cum circundantes iaculis confodere procurabant. Aſt ille clamauit ad Dominum, à quo donatus eſt patrocinio; à Ioſaphato enim illos auertit, cogitatione immiſſa ab eo recedendi, quoniam ſolum Regem quærebant Achabum. Cum ergo cognouiſſent Syri exercitus Duces Achabum non eſſe, Ioſaphatum reliquerunt incolumen. Accidit verò, vt quidam è militibus Achabi (ſic Hebræus) ſagittam mitteret in incertum, id eſt, nullum ſpecialem iaceret in ſcopum. Hebraïcè, *Quidam tetendit arcum in ſimplicitate ſua*, Deus verò eam ad Regem Iſraëlis direxit, eum inter ceruicem & ſcapulas exitialiter vulnerans. Hebraïcè, *Inter iuncturas & loricam*, ſcilicet vbi galea loricæ iungitur. LXX. * *Inter pulmonem & thoracem.* At Achab, vulneratum ſe præſentiens ſuo dixit aurigæ: *Conuerte manum tuam*, ſeu currum in oppoſitum dirige, méque ex acie educere feſtina, quia diro vulnere afficior. Cæterum *finita eſt pugna in die illo.* Hebraicè, *Et aſcendit pugna*, id eſt incaluit viriliter Hebræis cum Syris decertantibus. Si finita eſt pugna, quomodo pugna aſcendit, ſeu incaluit? Quia tunc debent Reges aduerſus hoſtes valentiùs dimicare, cum pugna finienda eſt. Nam cum pacis res agitur, fortiores belli debent apparatus exponi.] Dum igitur exercitus cum Syris dimicabat, Rex Achabus non longè ſuo ſtabat in curru contra Syros vſque ad veſperam, ne ſui animis deficerent, ſi Regem vulneratum agnoſcerent, aut ſi penitùs diſcedentem viderent. Vt ediſcant Imperatores præſentiam ſuam pugnantium habitu milites reddere fortiores. Quod ſpiritualis certaminis imitentur pugnatores, quos Rectoribus ſimul gerentis miniſterium præſentia proculdubio roborat, ſicut abſentia langueſcere cogit. Mortuus denique eſt Rex Achabus ad ſolis occaſum, deficiente Iſraëli ſuo ſydere, cum ſol orbi defecit.

Virtus vel in hoſte venerabilis eſt.

Cum pacis res agitur, fortiores debent fortiores belli apparatus exponi.

CAPVT XIX.

Reuerſus Ioſaphatus ex infelici bello domum incolumis, ab præſtitum Achabo auxilium, à Iehu Propheta reprehenditur. De ſeruanda iuſtitia ipſe Iudices monet, necnon Sacerdotes ac Leuitas de promouendo Dei cultu, ac populo rectè inſtituendo.

1 REVERSVS eſt autem Ioſaphat rex Iuda in domum ſuam pacificè in Ieruſalem. 2. Cui occurrit Iehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris: 3. ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum vt requireret Dominum Deum patrum tuorum. 4. Habitauit ergo Ioſaphat in Ieruſalem: rurſumque egreſſus eſt ad populum de Berſabee vſque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. 5. Conſtituítque judices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca: 6. & præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. 7. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 8. In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Iſraël, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. 9. Præcepítque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. 10. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem & cognationem, vbicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus: oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros: ſic ergo agentes non peccabitis. 11. Amarias autem ſacerdos & pontifex veſter, in

his,

his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habebitisque magistros Leuitas coram vobis. Confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiscum in bonis.

COMMENTARII.

1. Iosaphat à Propheta corripitur, eo quod Achabo amicitia iungeretur.

VERS. 1.2.3.4. Reuersus, &c.] Post Achabi Regis Israël stragem, Iosaphat Rex Iudæ pacifice suam recurrit in aulam. Iehu verò filius Hanani Propheta ei occurrens profatur: Impio auxilium expedis, hisque, qui odio Dominum prosequuntur, amicitia iungeris, & affinitate: à quibus decebat te, quantum fieri posset, alienum esse. * Cum hostibus enim Dei nimis familiariter agere circa necessitatem, aut publicam vtilitatem, valdè displicet Deo.] Idcircò iram Domini merebaris, id est, dignus eras, quem Deus iratus grauiter puniret: sed bona opera inuenta sunt in te, quorum intuitu peccatum hoc omne, & pœnæ peccati omnes tibi à Domino condonantur. * O quotiens iratum ob nonum grauissimum crimen Deum ad misericordiam adducunt obiecta ei antiqua recta opera, quæ gessisti! non quod ipsa viuant, sed quod Deus gratis velit misereri; ad virtutis vim exaggerandam.] Olim inquam de terra Iudæ lucos succidisti simulactis sacratos, ac præcordia tua ad requirendum Deum patrum tuorum eius præscripta obseruans, præparasti. * Fidei præstantia in Catholico Principe mirum in modum ad placandum Dominum fortis exponitur.] Commoratus est igitur Iosaphatus aliquo tempore apud Ierosolymam, rursumque egressus est lustraturus ditionem suam ad populum de Bersabee, id est, ab vna Regni extremitate vsque ad alteram, nempe vsque ad montem Ephraim: cunctosque terræ illius habitatores ad Dominum, patrum suorum Deum, piis monitis reuocauit. * O quanta & spiritualis & temporaria subditorum vtilitas ex Principum accurata lustratione.] Porrò verbum illud, *Reuocauit eos ad Dominum*, indicat, Vrbes montanorum Ephraim, quas Iudæ Reges, ac nominatim Asa Iosaphati pater acquisierat, idololatria infectas esse, siquidem proscripta idololatria, à Rege piissimo ad fidem fuere reuocatæ. Vndenam autem idololatriæ venenum Tribus Ephraim incolæ plures hauserant. Credidetim ex vicino Israëlis idololatra Regno. * Mirum fuisset, si ex impiis sociis Iudæi non ebiberent impietatem.]

Cum impijs agendum non est, nisi necessitas, aut publica cogat vtilitas.

Sæpè Deus vult gratis homini grauiter nisi delinquenti misereri ob antiqua recta opera.

Fidei præstantia in Catholico Principe cõfert admodum ad Deũ placandum.

Spiritualis subditorũ vtilitas ex Principum Regni lustratione.

Ex impio socio ebibes impietatem.

2. Iosaphatus Iudices de seruanda iustitia admonet.

Verſ. 5.6.7. Constituitque &c.] Porrò in cunctis Ciuitatibus totius Regni Iudæ, quod etiam Beniamin, & Ciuitates illas in Tribu Ephraim complectebatur, Iudices de seruanda iustitia monebat. Videte (inquiens) quid faciatis, nec enim homines agitis, sed Dei ipsius in iudicando tenetis: *& quodcunque indicaueritis, in vos redundabit*, id est, quales vos exhibueritis, in iudicandis populis, talem erga vos Deum Iudicem experiemini. * Aptè Iudicibus hominibus Dei Iudicis tribunal obiicitur, nè ipsi vti Dij sine respectu ad Deum velint iudicare.] Sit timor Domini vobiscum. * Timendus enim Iudex ille, qui Dei timore non compungitur, hostem enim se geret, non Iudicem in belli campum tribunali conuerso.] Cum *diligentia* cuncta ad tribunal vestrum pertinentia gerere studete, ne ob desidiam vestram causæ pauperum non sine graui eorum incommodo producantur. * Pretiosæ particulas, *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Tam agnata assolet esse Iudicibus desidia circa sententiæ litium resolutionem, vt necessarium fuerit, eos timore Dei Iudicis obiecto, commonere.] Diligenter itaque vestrum munus obite sine iniqua sententiæ prolatione, sine acceptione personarum, sine munerum cupidine, cum Dei personam agitis; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec munerum cupido. * Quidquid in cœlesti tribunali Deum dedecet, hominem dedecet in terreno, quia homo terreno hærescens tribunali Deum cœlesti hærentem procul dubio refert.]

Timendus Iudex sine timore Dei.

Ne Iudices differãt definitiã litium sententiæ resolutionem, necessitas est, ad eorum memoriam Dei timorem reuocare.

Hominem in tribunali terreno hærentem dedecet, quidquid Deum cœlesti hærentem dedecere videatur.

3. Sacerdotes ac Leuitas monet de promouendo Dei cultu.

Verſ. 8.9.10.11. In Ierusalem &c.] Apud Ierosolymam quoque Iosaphatus *constituit* seu constituit Sacerdotes & Leuitas, Principesque familiarum Israël, vt tam rerum sacrarum, quàm ciuilium causas iudicarent, quæ Ierosolymis tanquam in suprema curia decidebantur. Hebræus ait, *Mishpath*, pro qua voce noster posuit *iudicium*, significare causas ciuiles, *Rib*, pro qua posuit *causam*, significare criminales causas. *Custodiuit*, inquit, *Sacerdotes, &c.* Quidnam, quæso, Iudices custodiri? * An munus iudicandi, tam agnatum est perditioni, vt necessum fuerit, Sacerdotes, Leuitas, & Principes iudicaturos speciali prouidentia custodiri?] * *Custodiuit Sacerdotes, Leuitas, & Principes familiarum, vt iudicium & causam Domini iudicarent.* Vt Iudices Dei iudicium proferant, siue vti diuinæ iustitiæ in exponendis sententiis imitatores existant, sunt custodiendi accuratissimè, ne hominum consuetudine corrumpantur.] * Nili dixeris, iudicium rectum gerere rem sacram ac pretiosam esse, quæ debeat venerabilis vtique, addici custodiæ.] * Apposite verò ad iudicandum ciuiles ac criminales causas Principes familiarum, nobiles scilicet viri eliguntur; plerumque enim qui ex præclaro sanguine ad tribunal eliguntur remotiores sunt & à personarum acceptione, & à munerum cupiditate, quæ quidem agnata assolet sanguini esse vulgari.] Præcepitque Rex Sacerdotibus, Leuitis, ac Principibus familiarum, dicens: Vt ex timore Domini, cordisque perfectione vos in iudicando geratis, hæc præstetis oportet: Omnem causam, quæ ad vos diiudicanda venerit *inter cognationem & cognationem*, id est, inter fratres Iudæos, qui in Iudæ Regni Ciuitatibus habitant, vbicumque quæstio fuerit de legibus, quas seruari præcepit Dominus, siue morales sint, siue ceremoniales, siue iudiciales: docete eos, quid diuina lex præscribat, vt illi in Deum non delinquant ex vincibili planè ignorantia, & ne Dei ira super vos, & super fratres vestros horribilis irruat. * Dirè enim puniuntur illi Iudices ac

Munus iudicandi tam agnatũ est perditioni, vt specialissima indigeat custodia.

Iudices custodiendi, vt rectum proferãt sententiã iudicis Dei imitatores.

Iudicium rectum gerere, res sacra, ac pretiosa est addicendæ custodiæ.

Eligendi ad iudiciarium tribunal viri nobiles: nobilitas enim remotior est ab acceptione personarum, & munerum cupiditate.

Dirè puniuntur

tur Iudices, ac Præsules, quorum ex desidia subditi existunt legis Domini violatores.] * Preme illud, *Ne veniat ira super vos, & super fratres vestros*, seu contribules. Non enim Deus solummodo in Iudices *Dei violant. Afflet Deus totam punire familiam, seu cognatione ob vnius iudicis crimen.*

Præsules, quorum ex desidia subditi existunt legis Domini violatores.] * Preme illud, *Ne veniat ira super vos, & super fratres vestros*, seu contribules. Non enim Deus solummodo in Iudices vindicat iniquos, sed totam eorum familiam vulnerat, eam reddens obscuritati, ac detestationi addictam.] *Sic ergò agentes*, id est, si studetis edocere subditos, seu Ciues accurrentes ad vestrum tribunal, legis Dei præscripta, ne ex ignorantia delinquant, non peccabitis. Cæterùm Amarias Sacerdos ac Pontifex vester, qui Princeps est in domo, seu Tribu Regia Iuda, Regium aget procuratorem in ciuilibus negotiis. Præterea magistros Leuitas vobiscum diuersantes, vbertim diuersantes, vbertim habetis, Confortamini, diligenterque ad eos accurrite informandi circa quæstiones Legis: & Dominus vobiscum aderit *in bonis*, id est, munificus vobis assidebit. * Specialissimum munus promittitur his, qui Magistros adeunt, vt præscripta Legis ediscant, vt hinc ad conciones audiendas fideles alliciantur.

Audientibus sacras concianes præmium a Deo promittitur.

CAPVT XX.

Dum Iosaphatus ieiunio & oratione aduersus Syros, Ammonitas, & Moabitas decertat, illi mutuis ruunt vulneribus, spoliáque Iudæis vberrima cedunt. At Rex ob fœdus cum Ochozia impio Israël Rege initum à Propheta corripitur, & à Deo afficitur supplicio.

1 POST hæc congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis, ad Iosaphat, vt pugnarent contra eum: 2. Venerúntque nuntij, & indicauerunt Iosaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans mare sunt, & de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi. 3. Iosaphat autem timore pertertitus, totum se contulit ad rogandum dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda. 4. Congregatúsque est Iuda ad deprecandum Dominum: sed & omnes de Vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. 5. Cúmque stetisset Iosaphat in medio cœtu Iuda, & Ierusalem, in domo Domini ante atrium nouum, 6. ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere. 7. Nónne tu Deus noster interfeciſti omnes habitatores terræ huius coram populo tuo Israël, & dediſti eam semini Abraham amici tui in sempiternum; 8. Habitauerúntque in ea, & exstruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes. 9. Si irruerent super nos mala, gladius iudicij, pestilentia, & fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua inuocatum est nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluósque facies. 10. Nunc igitur ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir, per quos non conceſſiſti Israël vt transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos: 11. è contrario agunt, & nituntur eiicere nos de possessione, quam tradidiſti nobis. 12. Deus noster, ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. 13. Omnis verò Iuda stabat coram Domino, cum paruulis, & vxoribus, & liberis suis. 14. Erat autem Iadaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ, 15. & ait: Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ierusalem, & tu rex Iosaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. 16. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Ieruel. 17. Non eritis vos qui dimicabitis, sed rantummodò confidenter stare, & videbitis auxilium Domini super vos, ò Iuda, & Ierusalem: nolite timere, nec paueatis: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum. 18. Iosaphat ergo, & Iuda, & omnes habitatores Ierusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorauerunt eum. 19. Portò Leuitæ de filiis Caath, & de filijs Core laudabant Dominum Deum Israël voce magna, in excelsum. 20. Cúmque manè surrexiſsent,

sent, egressi sunt per desertum Thecue: profectisque eis, stans Iosaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis eius, & cuncta euenient prospera. 21. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. 22. Cúmque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt. 23. Namque filij Ammon, & Moab, consurrexerunt aduersum habitatores montis Seir, vt interficerent & delerent eos: cúmque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. 24. Porrò Iuda cùm venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem latè regionem plenam cadaueribus, nec superesse quempiam, qui necem potuisset euadere. 25. Venit ergo Iosaphat, & omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inuenerúntque inter cadauera variam supellectilem, vestes quoque, & vasa pretiosissima, & diripuerunt, ita vt omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. 26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum, Vallis benedictionis vsque in præsentem diem. 27. Reuersúsque est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem, & Iosaphat ante eos, in Ierusalem cum lætitia magna, eò quòd dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. 28. Ingressíque sunt in Ierusalem cum psalteriis & cithatis, & tubis, in domum Domini. 29. Irruit autem pauor Domini super vniuersa regna terrarum, cùm audissent quòd pugnasset Dominus contra inimicos Israel. 30. Quieúitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum. 31. Regnauit igitur Iosaphat super Iudam, & erat triginta quinque annorum cùm regnare cœpisset: viginti autem & quinque annis regnauit in Ierusalem, & nomen matris eius Azuba filia Selahi. 32. Et ambulauit in via patris sui Asa, nec declinauit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. 33. Veruntamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. 34. Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani: quæ digessit in Libros regum Israël. 35. Post hæc iniit amicitias Iosaphat rex Iuda cum Ochozia rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima. 36. Et particeps fuit vt facerent naues, quæ irent in Tharsis: fecerúntque classem in Asiongaber. 37. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.

COMMENTARII.

1. Moabitæ Ammonitæ, & Seiritæ cõtra Iosaphatũ insurgunt, ille autem Orationis ac ieiunij ad præsidium accurrit.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. *Post hæc, &c.*] Post accuratam illam Regis Iosaphati Regni totius lustrationem, filij Moab, & Ammon, & cum eis *de Ammonitis*, qui separatim habitabant in montanis Seir, erantq; mixti ex Idumæis posteris Esau & Ammonitis, vnde nunc nominãtur Ammonitæ, nunc Idumæi, colligati sunt, ad Regnúmque Iuda venerunt, vt cum Iosaphato decertarent. Itaque cum iam Ammonitæ fuerint annumerati, cum dictum est, *& filij Ammon* additur, *& cum eis de Ammonitis.* Intelligo (quidquid alij dixerint) hoc loco Idumæos, vt etiam in Latinis plerisque Libris prius legebatur. At Hieronymus *in trad. Hebr.* vult hîc illos Ammonitas appellari, quod habitu proprio mutato Ammonitarum habitum assumpsissent, vt Regem Iuda, cuius erant subditi, latere possent. Aptiùs autem asserui, mixtos esse ex Idumæis & Ammonitis, & ideò vno & altero nomine vocitari. Accesserúntque nuncij, & Iosaphato dictitauerunt: Aduersum te ô Princeps, multitudo magna confluxit de iis locis, quæ trans mare Mortuum (qui etiam lacus Asphaltites dicitur) adiacent, *& de Syria*, non quidem de Syria Damasci, sed de Moabitarum ac Ammonitarum regionibus, quæ etiam Syria latè sumpto vocabulo dicuntur. Ex verò consistunt in *Asasonthamar*, illa scilicet Vrbe, in qua Amorrhæi quondam Abrahami temporibus habitauerant, quos Chodorlahomor iuxtà Cades eremum interfecerat. Dicta est *Asasonthamar*, id est, Ciuitas palmarum, eo quod ager eius palmis abundaret, postea verò dicta est Ængabdi Ait Iosephus *lib. 9. c. 1.* Vrbem hanc trecentis stadiis Ierosolymis distare. Hoc nuncio Iosaphatus pauore affectus totum se conuertit ad preces, & ieiunium cunctis Iudæ habitatoribus indixit. * Adnota verba, *Totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium.* Etenim oratio vires colligit è ieiunio.] Loco verbi illius, *Iosaphat se contulit ad rogandum Dominum*, in Hebræo habetur verbum, quod significat *orare & consulere.* * Vt edocean- tur Reges adeundi Concilialios anxij, vtilius consilium ex profusis à se precibus capiendum;

Oratio vires colligit ex ieiunio.

Reges vtilius consilium ex precibus, quã

ex Regijs consiliarijs ad quæq; prosperè gerenda assipiunt.

dum; orantes enim Deum ipsum Consiliarium, qui falli non potest, sortiuntur. Non ideò eos a Consiliarijs inundis auerto, sed horror, vt prius à meliori Consiliario cœlesti sententiam quæritet enixè precando.] Verùm Iudæi congregati sunt ad deprecandum Dominum non quidem propriis in habitaculis manendo, sed de propriis Vrbibus ad obsecrandum Numen Ierosolymam inierunt. * Etenim & oratio in communitate profusa fortior est: & illa præcipuè efficax ostenditur, quæ in conspectu Domini, siue in Templo, loco scilicet, seu domo orationis offertur.] Pro verbo autem illo, *Adobsecrandum eum* Hebraicè dicitur: *Vt quærent à Domino*, scilicet veniam, & pacem, & ærumna, qua premebantur, auxilium. * Tribulationis actus, primum veniam, si deliquisti, pete; mox liberationem ab ærumnis exquire; si enim adhuc in crimine existens peris, quonammodo hostis præsumis à Deo auerso pacem, & auxilium accipere?] Profectò cum Iosaphat cœtu Iudæorum, qui ex Vrbibus aduentarant, & Ierosolymæ Ciuium, cinctus in Templo ante atrium nouum consisteret, profatur: *Domine Deus &c.* Quodnam quæso *atrium* illud *nouum*? Fuisse crediderim atrium fœminarum, *nouum* dictum, non quod aliud esset ab atrio Israëlis, sed quod noua separatio adiecta esset ad viros à mulieribus segregandos. An nouum atrium ex huiusmodi separatione? Ita quidem: quasi veruſtatem & attritionem locus Sacer ex coniunctione virorum & fœminarum acquisisset, & hac separatione circam reuerentiam ipsi debitam traxerit nouitatem.] Domine (inquit Rex) Deus patrum nostrorum, tu in cœlis imperas Cœlicolis, & in terris cunctis Regnis dominaris: in manu tua potestas nulli subdita potestati, nullus enim tibi potest obsistere. Annè tu Deus noster omnes habitatores Terræ huius, scilicet Chananæos, vt locum dares aduentanti ex Ægypto Israëli, comminuisti: hâncque optimam regionem Abrahami amici tui posteris nunquam non incolendam exhibuisti? Nonne Hebræi tui in Chananitide habitauerunt, in in eaque nomini tuo colendo Sanctuarium exædificarunt, dicitantes: Si super nos irruerint incommoda, si *gladius iudicij* seu gladius hostilis diuino iudicio immissus ad peccata vindicanda, si pestilentia ac fames constiparo exercitu irruerint ad hanc facerrimam Domum, in qua tuum totiens inuocatum est, nomen, accurremus, ad téque acti tribulatione clamabimus deprecantes auxilium: tu verò propitius exaudies nos salutéque donabis. * Pondera verbum illud, *Gladius iudicij.* Cum videris hostum gladio Regnum validè opprimi, crede id, gladium esse iudicij, Deo Iudice nostra crimina diuerberante.] * Vox illa, *Clamabimus ad te in tribulationibus nostris*, innuit, feruentiorem esse orationem illorum, qui ærumna aliqua pergrauantur.] * Vnde Deus misericors nos tribulationibus diuexat, vt cogat ad preces feruentius aufugere.] * Vt verò nos ad precum protectionem accurrere alliciat, addit felicem faciémque orationis effectum; *Audies, saluósque facies.* Oratio à te profertur, & mox, à Deo exaudita, accurrit laborantem liberare.] *Nunc ergo*, id est, ad propositum accedendo, en Ammonitæ, Moabitæ, & Idumæi montis Seir incolæ, por quorum ditionem non concessisti, tuos transire Hebræos, quando de Ægypto procedebant; sed, te ita imperante, ab eis declinauerunt, & non omninò interfecerunt, ac extinxerunt. Illi è contrario agunt, & nos è Terra à te nobis donata, possidenda vtique, exturbare nituntur. Cur quæso Rex memorat Hebræorum à Regnis illis ex præcepto Domini diuersionem? *Per quos*, inquit, *non concessisti Israël vt transirent, sed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos.* Ac si diceret: Vt Hebræi tuum præceptum implerent, non trasmearunt per ditionem illorum, nec eos omninò comminuerunt, ne hostis impugnaturus aliquando ipsos, superstes vel in posteris remaneret. Ergo qui ob præcepti tui obseruationem hostes non deleuerunt, & nunc eorum exercitibus opprimuntur, debent à te opportuno auxilio donari. * Nullus Numini cœlesti titulus fortior ad impetrandum obiicitur, quàm ob præcepti obseruationem, periculum subire.] Additur & titulus alius, Hostes verò *è contrario agunt, & nituntur eiicere nos de possessione, quam tradidisti nobis.* Nos ab eorum ditione abstinuimus, nè è possessione deturbaremus: illi autem ingrati nos curant nostra è possessione deturbare. Ingratos ergo ô Domine exitialiter vulnera, si quidem inuisum tibi vitium ingratitudinis.] Ideò additur: *Deus noster, ergò non iudicabis eos*, cohibendo nimirum, & puniendo? * Particula *Ergo* quasi vim exprimit consequentiæ huius: Nobis benefactoribus illi ingrati extiterunt: ergò à te iudicandi, siue puniendi. Quasi ex vi consequentiæ infallibilis debet Deus ingratos punire.] Scio ô Domine, nos non esse tanta præditos fortitudine vt multitudini tantæ valeamus obsistere supra nos obruenti. Sed cum ignoremus, quid debeamus agere, hoc certò scimus, nos habere residui, vt oculos nostros siue mentem nostram ad tuum munimen dirigamus. * Tunc enim diuini præsidij iubar eluceſcit, cum penitùs subsidium defecit humanum.]

Oratio in communitate profusa fortior est.

Oratio profusa in Delubro efficacior.

Cum peccator ærumnis agitur, prius à Deo postulet veniam, mox securius petet auxilium.

Coniunctione virorum & fœminarum quasi auteritur Templum, eorúmque separatione innouatur.

Bella quibus opprimimur gladius est Dei Iudicis nostra ferientis crimina.

Feruentior oratio illius, qui agitur tribulatione.

Deus nos agit ærumnis, vt cogat feruentius exorare.

Quàm citò oratio à Deo auxilium impetrat.

Nullus titulus efficacior ad impetrandum à Deo munus obijcitur, quàm propter præcepti eius obseruationem in periculum, aut laborem incidisse.

Inuisum Deo admodum vitium ingratitudinis.

Quasi vi cõsequẽtiæ Deus tenetur, ingratos punire.

Diuinum subsidium in promptu est, cum omninò deficit humanum.

Verſ. 13.14.15.16.17.18.19. *Omnis verò, &c.*] Dum Rex Iosaphatus præfatis Dominum precibus placare contenderet, omnes Iudæi cum vxoribus paruulis ac liberis grandioribus suis in conspectu Domini consistebant. Vt populi oratio simul profusa efficaciorem Regis redderet orationem. * Non sufficiat tibi pro te Præsulem sanctum exorare simul procura, tuas simul preces in superos conscendere ad certiorem effectus euentum.] Aderat in medio turbæ Iahaziel filius Zachariæ, filij Banaiæ, filij Iehiel, filij Mathaniæ, Leuites de posteris Asaph, super quem factus est propheticus spiritus Domini, & proclamauit: Attendite Iudæi cunctis ex Vrbibus huc confluentes, & Regiæ incolæ Ierosolymæ, nec non & tu Rex Iosaphat mihi aures præbete: Hæc Dominus vobis indicit: Nolite cotripi timore, nec pauore concutiamini, dum hanc aspicitis militum multitudinem; non enim est vestra, sed cœlestis Numinis decertatio. Crastina die aduersum eos descendetis, dum ipsi per cliuum nomine Sis ascendent, & illos in summitate torrentis, qui est iuxtà solitudinem Ieruel, inuenietis. Vox *Sis* Hebræis significat *eminentiam*. LXX. *Asſis* vociant, In Hebræo est צִיץ *Ziz*, quam vocem *florem, germen, cincinnum*, aut *aspectum* Arias interpretatur, adiicitque Syriace idem esse quod *alam*

2. Iahaziel spiritu propheticò promittit Iosaphato victoriam.

Non sufficiat tibi, pro te sãctum quemque exorare, simul tuas procura comittes auolare preces.

alam vel *pennam*. Porrò solitudo illa *Ieruel* nomen accepit à timore diuinitùs Moabitis, & Ammonitis hoc tempore immissis, significat namque *Domini timorem*. Expende accuratiùs illud, *Omnis Iuda stabat coram Domino cum parvulis, & vxoribus, & grandioribus liberis suis.* Solemne erat tàm Hebræis, quàm Gentilibus, cum grauis immineret ærumna ad preces publicas etiam infantum adhibere vagitus, quo facilius Numen placeret offensum. Ità Iudith 4. 9. *Infantes prostrauerunt contrà faciem Templi.* Ioel 2. 16. Coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes *vbera*. Sic fecere Niniuitæ, & alij teste Ambrosio. Apposita admodum ad placandum Deum vel exposita muta eius oculis innocentia.] O Iudææ habitatores sanctæque Vrbis Ierosolymæ Ciues, vobis hæc nõ indicitur decertatio, sed vestrum erit solummodò in Domino confidere, & Dei auxilium super vos fulgurare videbitis incredibili quidem hostium stragè: haud igitur ex multitudinis terreamini obiectu: cras aduersum hostes progrediemini, & Dominus vobis aderit auxiliator. Igitur Rex Iosaphat, ciues Ierusalem & omnis Iudææ habitatores reliqui proni ceciderunt in humum, Deúmque adorauére *coram Domino*, scilicet in Templo. * Idem enim est in Templo diuersari ac coram Domino, siue in conspectu Domini existere: vt pudeat eos, qui in Templo haud pudicè diuersantur, tantum scelus in Iudicis conspectú perpetrare.] Interea Leuitæ posteri Caath & Core Dominum Deum Israël voce magna *in excelsum* collaudabant. Pro voce *In excelsum* Hebraicè habetur למעלה *lemagela Ascensio* vel *gradus*. Sensus est, ceciniisse cantores, vocem partim eleuando (quod Vulgatus dixit, *In excelsum*) partim deprimendo, iuxta musicæ disciplinæ præscriptum. * Dum in choro sacri ministri cõcinunt, opportunum tempus obiicitur, sacer enim concentus spiritum eleuant ad sublimia.]

Deum placat iratum vel muta eius exposita oculis innocentia.

Idem est, in Templo esse, ac in conspectu Dei diuersari, vt Templi pudeat violatores.

Dum in choro sacri ministri cõcinunt, opportunum tempus fidelibus obiicitur ad Deum adorandum.

Vers. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. *Cúmque mane &c.*] Mane igitur Iudæi surrexerunt, egressique sunt per desertum Thecue, quod Oppido Thecue adiacet, & duobus milliaribus distat à Bethelehem Orientem versus, quod est rectum iter ad Ieruel solutudinem, vbi hostes commorabantur. Porrò Iosaphatus profectis Iudæis in medio eorum stans profatur: Mihi exhibete aures ô viri, qui ex Iudæ Vrbibus ac Oppidis aduentastis, & vos qui ciues Ierosolymæ estis: Domino Deo vestro confidite, & securitate potiemini: Prophetis eius credite, & cuncta cedent prospera. Cum ergo consilium huiusmodi populo dedisset, siue superioribus verbis eum hortatus esset, simùl cantores statuit, vt Deum laudarent, & præcedentes exercitum voce consona modularentur: *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. Ex Psalmo* 135. hoc assumitur carmen, qui fuit celeberrimus, quando in plerisque solemnitatibus canebatur. Pius Rex non tubis & tympanis, pugnam accendit, sed cantu ac laude Dei: sic Lacedemones tibiis, & fistulis. * Hinc Catholici Reges commendantur, qui cum bella ingruunt, dúmque pugnat exercitus, religiosos cœtus spiritualem excitant ad conflictum, vt Deum auersum possint piè profusis precibus debellare.] Profectò mox ac Leuitæ cœperunt Dei laudes concinere, Dominus hostium Ammonitarum scilicet, Moabitarum, ac Seiritarum in semetipsos vertit insidias, & se inuicem percussere. Id quonam modo factum sit, Scriptura non explicat. Credidérim Moabitas, aduentantibus Iudæis collocasse insidias, iuxta quas turmæ aliquæ hostilis exercitus transierint, quæ cum pro hostibus habitæ, & latentium armis fuissent, petitæ, aliis subinde ex vtraque parte supetuenientibus, initium pugnæ factum est, quo se mutuis vulneribus confecerunt. Namque Moabitæ & Ammonitæ aduersum Seiritas surrexere, vt eos comminuerent, ac hostes habitos omninò delerent: *Cúmque hoc opere perpetrassent*, id est, post cæsos montis Seir habitatores Domino eos ditiore cœcitate afficiente, etiam in semetipsos versi mutuis vulneribus concidere. LXX. *surrexerunt ad inuicem, & apprehendit vir proximum suum, in corruptionem.* Hebraicè, *Auxiliati sunt vir in socium suum ad auxilium mutuum.* Quomodo auxiliati, si socios interfecerunt? * Hoc assolet esse iniustè dimicantium auxilium se inuicem comminuere.] Porrò Iudæi cum ascendissent *speculam*, seu locum editum, ex quo subiectam planitiem contemplari licebat, omnem procul regionem latè plenam cadaueribus conspexere, nec superesse quemquam, qui gladij aciem subterfugere potuissent, tanta orationi cedente victoria; nam cum Sacri ministri * *cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.* * Vt edisscant Reges simul instandum orationi, cum exercitus ad bellum expediuntur.] Descenderunt igitur Iosaphat ac Iudæi omnes ad spolia cæsorum detrahenda, & inter cadauera variam supellectilem inuenere: vestes & vasa pretiosissima tot diripienda apparuere, vt omnia comportare non possent, imò trium dierum spatio non valuerunt innumerabilia spolia colligere. Die autem quarto (post tres dies in capienda supellectili transactos) congregati sunt apud Vallem *Benedictionis*: etenim quoniam ibi Domino ob datum triumphum benedixerant, locum illum *Vallis benedictionis* vocitauerunt, quo nomine Vallis illa vsque in præsens tempus insignitur. * Regis pij gratitudo commendabilis admodum exponitur. Per tres dies spolia colligit, hostibus potentia Domini debellatis, & quarta die illicò gratiarũ studet actioni, *Ibi benedixerant Domino*. Cæterùm Ierosolymæ Ciues, cunctorúmque Oppidorum Iudææ habitatores, Iosaphato præcedente, Sacram recurrerunt ad Vrbem magna affecti lætitia eo quod illos Dominus faustissimo de hostibus triumpho patro donasset. Ingressique sunt in Ierusalem, & psalteriis seu nablis, citharis, ac tubis insonantibus, Templum Domini inierunt. * Quàm pulchra post victoriam, aliúdque beneficium acceptum præpropera ad Templum expeditio! Non priùs Ciues Ierosolymæ ad propria diuertunt lassi ex itinere habitacula, quàm ad Templum accurrant.] Igitur post beneficium aliquod à Deo acceptum illicò ad Templum perge gratias acturus:] Irruit autem panor Domini super *vniuersa Regna terrarum* id est, super circumiecta Regna Iudæ finitima, cum incolæ audissent, Dominum, tanto excitato miro, pro suis Iudæis aduersum hostes decertasse. Quietéque potitum est Regnum

3. Hostes Iosaphati mutuis ruunt vulneribus, vbertima Iudæis cedunt spolia.

Catholici Reges piè religiorum orationibus curant pugnam accendere, & prosperare.

Dum iniustè pugnant, qui auxilium præstant, potiùs se inuicem interficiunt.

Fit orationis hostium visibilium debellant exercitus.

Mox post beneficiũ à Deo acceptum, ei gratias litandas.

Post beneficium à Deo acceptum, illicò accurre in Delubrii gratias acturus.

Ioſaphati donatum pace à Domino *per circuitum*, id eſt, nullo finitimorum Principum audente vlteriùs arma contra Iudam arripere. * Preme illud, *Quieuit Regnum Ioſaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.* Regnum per circuitum pacem habere, rebellibus ſuperatis; proprium eſt ſolius Dei munus, vnde ab ipſo precibus probiſque operibus impetrandum.]

Regnum pacem habere per circuitum rebellibus ſuperatis, eſt proprium Dei donum, rectis operibus impetrãdum, & precibus.

4. *Verſ.* 31.32.33.34.35.36.37. *Regnauit igitur, &c.*] Igitur Ioſaphatus triginta ſuprà quinque annos ætatis annumerans, Iudæ imperare cœpit, viginti verò ac quinque annis in Ieroſolyma moderatus eſt Regnum, mater eius Azuba vocabatur, filia quidem Selachi. Mores patris ſui pij admodum Aſæ æmulatus, haud recta declinauit è via ſtudens Domino placere. Veruntamen *excelſa non abſtulit*; licet enim pius Rex idololatriam abſtuliſſet, & excelſa curaſſet auferre, ne extra Templum Domino contra legis præſcripta litaretur, ex parte quidem fecit, bene tamen cœpta, eo quod multi repugnabant, & res ad ſeditionem vergebat, perficere non potuit. Hoc mihi de ſancto ac Catholico liceat Principe coniectari. Quia ergo excelſa penitus non comminuit, adhuc populus perfectè non direxerat cor ſuum ad Dominum Deum patrum ſuorum. Nam diuelli non poterat ab excelſis, quominus ibi quoque ſacrificaret Deo, licet præceptum eſſet *Leu.* 17. 3. vt in ſolo Templo Ieroſolymitano (quia is locus erat, quem Deus ad id delegerat) ſacrificia offerrentur. * Hoc populi piaculum, & tamen abſolutè dicitur. *Adhuc populus non direxerat cor ſuum ad Dominum.* Nam in vno deliquens quaſi omnium reus effici ac exponi videtur.] Reliqua autem Ioſaphati geſta priora ac nouiſſima Iehu filius Hanani Regum Iſraëlitarum digeſſit in *Libros.* Hebraicè, *In Librum.* Colligo hinc Iehu Prophetam auctorem eſſe ſaltem partis alicuius Libri illius toties citati faſtorum Regum Iſraël, & hunc Librum eſſe prorſus alium à Libris hiſce Paralypomenon, cum ab his ad illum remittamur. Ne autem in tanta Regiæ pietatis pulchritudine næuus deficeret, qui humanam aſſereret fœditatem, poſt hæc Ioſaphatus Rex Iudæ iniit *amiticiam* ſeu ſocietatem cum Ochozia Rege Iſraël, cuius opera impiiſſima extitére. Particeps enim fuit, vt communi ſumptu naues perficerentur, quæ immitterentur in Tharſis aurum reportaturæ. Confecta itaque fuit claſſis in Aſiongaber Portu maris Rubri. Ex his conſtat Tharſis, cuius hîc mentio, non eſſe aliquam ex Vrbibus aut Portibus maris Mediterranei, ſed oceani; quia Aſiongaber Portus eſt maris Rubri. * Non mireris, in Rege pio reperire quæ taxes, ſed contemplare naturæ fragilitatem, vt mirere magis, quotidie piacula non vberrimè replicari.] * Certè pium ſocietatem inire cum impio, reprehenſibile eſt admodum; facilè enim dulcis maſſa ad ſocij fermenti tranſit amaritudinem.] Porrò Eliezer filius Dodaude Mareſa Ioſaphato prophetans indixit: Quia fœdus cum Ochozia percuſſiſti, tua Deus percuſſit opera; contrita enim eſt claſſis, ne in Tharſis appellerent. * Quod ad diuitiarum incrementum læſo Numine geſſeris, feliciter diſſipabitur.]

Pietas adhuc Ioſaphatide ſcribitur, ſed tamen ſubtaxatur, & punitur, quod cum Ochozia impio iniiſſet amicitias.

Qui in vno deliquit, quaſi omnium reus videtur exponi.

Non mireris ſanctum aliquo fœdari piaculo. Taxabile pio, cũ impio inire ſocietatem periculoſam vnique.

Quod ad augmentum diuitiarum læſo Numine geritur, deſtruitur.

CAPVT XXI.

Impius Ioramus pio patri ſuccedens, ſuos fratres occidit, & quoſdam Iuda Principes interimit. At Idumeæ, & Vrbis Lobnæ rebellione contunditur, & Propheta Elias, è paradiſo miſſis Regi literis, peſſimum ei morbum, mortem ac Regni cladem minitatur, infallibili quidem euentu.

1. DORMIVIT autem Ioſaphat cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in Ciuitate Dauid: regnauitque Ioram filius eius pro eo. 2. Qui habuit fratres, filios Ioſaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michaël, & Saphatiam, omnes hi, filij Ioſaphat regis Iuda. 3. Dedítque eis pater ſuus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eò quòd eſſet primogenitus. 4. Surrexit ergo Ioram ſuper regnum patris ſui: cúmque ſe confirmaſſet, occidit omnes fratres ſuos gladio, & quoſdam de principibus Iſraël. 5. Triginta duorum annorum erat Ioram cum regnare cœpiſſet: & octo annis regnauit in Ieruſalem. 6. Ambulauítque in viis regum Iſraël, ſicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat vxor eius, & fecit malum in conſpectu Domini. 7. Noluit autem Dominus diſperdere domum Dauid, propter pactum quod inierat cum eo: & quia promiſerat vt daret ei lucernam, & filiis eius omni tempore. 8. In diebus illis rebellauit Edom, ne eſſet ſubditus Iudæ, & conſtituit ſibi regem. 9. Cúmque tranſiſſet Ioram cum principibus ſuis, & cuncto equitatu qui erat ſecum, ſurrexit nocte, & percuſſit Edom qui ſe circundederat, & omnes duces equitatus eius. 10. Attamen rebellauit Edom, nè eſſet ſub ditione Iuda, vſque ad hanc diem: eo tempore & Lobna receſſit ne eſſet ſub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum ſuorum. 11. Inſuper & excelſa fabricatus eſt in vrbibus

Iuda,

Iuda, & fornicari fecit habitatores Ieruſalem, & præuaricari Iudam. 12. Allatæ ſunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus ſcriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam non ambulaſti in viis Ioſaphat patris tui, & in viis Aſa regis Iuda. 13. Sed inceſſiſti per iter regum Iſraël, & fornicari feciſti Iudam, & habitatores Ieruſalem, imitatus fornicationem domus Achab, inſuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidiſti: 14. Ecce Dominus percutiet te plaga magna; cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis, vniuerſaque ſubſtantia tua. 15. Tu autem ægrotabis peſſimo languore viſceri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies. 16. Suſcitauit ergo Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſthinorum, & Arabum, qui confines ſunt Æthiopibus. 17. Et aſcenderunt in Terram Iuda, & vaſtauerunt eam, diripuerúntque cunctam ſubſtantiam, quæ inuenta eſt in domo regis, inſuper & filios eius, & vxores, nec remanſit ei filius, niſi Ioachaz, qui minimus natu erat. 18. Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alui languore inſanabili. 19. Cúmque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia voluerentur, duorum annorum expletus eſt circulus: & ſic longa conſumptus tabe, ita vt egereret etiam viſcera ſua, languore pariter & vita caruit. Mortuúſque eſt in infirmitate peſſima, & non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis, exequias, ſicut fecerat maioribus eius. 20. Triginta duorum annorum fuit, cùm regnare cœpiſſet, & octo annis regnauit in Ieruſalem. Ambulauítque non rectè, & ſepelierunt eum in Ciuitate Dauid: veruntamen non in ſepulchro regum.

COMMENTARII.

1. Impius Ioramus pio Ioſaphato ſuccedens, ſuos fratres aliquoſq; Principes occidit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Dormiuit autem, &c.*] Obiit igitur Ioſaphatus diem ſuum, & conditus eſt ſepulchro patrum apud Dauidis Ciuitatem, eíque filius Ioram ſucceſſit. Qui quidem ſex habebat fratres Ioſaphati filios, Azariam, Iahielem, Zachariam, Azariam, Michaëlem, & Sapharíam. Duo itaque extitere *Azariæ* Ioſaphati filij, quorum nomina aliquantulum differunt in Hebræo. Nam primus ſcribitur עזריה *Hazaria*, ſecundus verò addito in fine vau Hazaiau. Donaũ hi fuerant à parente ingenti auri ſumma & argenti, penſitationibus, ac Ciuitatibus in Iuda munitiſſimis, in quibus degerent, & vectigalia earum perciperent, non tamen pleno iure regnarent. Quid *penſitationes?* Vatablus vertit *Dona rerum pretioſarum.* Crediderim aliquos annuos redditus quibus vbertim alerentur independenter à Rege fratre. * Nihil enim moleſtius homini, quàm alieno viuere beneficio.] Scio LXX. vertiſſe, *Dedit eis arma.* * Vel quia diuitiæ hominis Principis eſt armorum præſidium. Vel quia arma diuitiis comparantur & conſeruantur. Vel quia diuitiæ omne ſunt robur Principatus.] Regnum autem Ioſaphatis Ioramo tradidit, eo quod primogenitus eius filius exiſteret. * Si primogenituræ iure Regnum Ioramo erat agnatum, cur dicitur id datum eſſe Ioramo: *Regnum tradidit Ioram, eo quod eſſet primogenitus?* Quia filio pater eam dat hæreditatem, quam ipſe conſeruauit indemnem. Filius velut datam à patre hæreditatem æſtimet, quam accipit integram, cum videt, ab innumeris parentibus filiis maioratus attritos imminutóſque relinqui.] Ioram ergo patris ſui aſcendit ad ſolium, cumque *ſe confirmaſſet*, ſiue cùm ſe videret à ſubditis receptum, & eis acceptum, deuinctis ſibi, aut muneribus aut promiſſionibus, iis, qui poterant negotium facéſſere, gladio fratres ſuos omnes, & aliquos ex Principibus interemit, à quibus ſibi timebat, nè noui aliquid molirentur, putánſque ſe tàm immani ſcelere Regnum ſuum ſtabilius redditurum. * Sed nunquam intentio ex ſcelere excitata proficit.] Forſan & fratres, & Principes illi opponebant ſe Ioramo, nè à paterna & auita religione ad Achabi ſoceri ſui deflecteret idololatriam. Erat quidem Ioramus triginta duorum annorum, cum imperare cœpit, & octo annis in Ieroſolyma regnauit, ſectatúſque eſt impiorum Regum Iſraël veſtigia, ſicut egerat domus Achabi: filiam quippè Achabi duxerat vxorem, à qua didicit impietatem. * Hinc ediſcant parentes potiùs pias, quàm pulchras, quàm præditiores ſuis filiis procurare coniuges: facilè enim vnitas coniugij morum ingenerat vnitatem.] Noluit autem licet iratum Numen domum Dauidicam omninò debere, illámque nobiliſſimam familiam extinguere memor pacti, quod cum Dauide ſanctiſſimo inierat promittens, ſe ei, ac poſteris eius *lucernam*, id eſt, Regiam æternùm daturum dignitatem. * Regia dignitas lucernæ appoſitè vocabulo exprimitur; nam Regem eſſe idem eſt, ac ſubditis & doctrinæ & exempli præbere ducatum, aptè in lucerna expreſſum.]

Moleſtiſſimũ homini eſt, alieno beneficio victitare.

Diuitiæ armorum præſidium. Eis arma conſeruãtur. Omne ſũt Principatus robur.

Pater verè dat filio hæreditatem, quæ maioratus ei iure aliàs debetur, quàm conſeruauit integram.

Intentio ex ſcelere excitata non proficit.

Coniugij vnitas morũ ingenerat vnitatem.

Verſ. 8. 9. 10. 11. *In diebus illis, &c.*] Vt autem tam horribile facinus flagellaretur, en mox vindicem Dei manum, & horribiles plagas. In primis enim rebellauit Edom, ſeu Idumæa, ne amplius eſſet ſub Iuda Regibus; cúmque ad id vſque tempus Viceregibus à Iudæa ſubmiſſis paruiſſet, iam facta rebellis, proprium ſibi, neque amplius Iudææ ſubiectum Regem conſtituit; pudebat enim Idumæos tam fœdo monſtro, & in ſuos tam crudeli ſubeſſe. * Et quandonam rebellionis origo crudelitas non fuit, aut impietas.] Verum licet mox Seira, id eſt terra Seir ſeu Idumæa, mouente aduerſus ipſam Ioramo, ſuccubuerit in prælio, vt dicitur 4. *Reg.* 8. 21. coactíque ſinguli refugerint in propria tabernacula! Ioramus tamen vel conſcientia ſcelerum animos adimente, non eſt auſus

2. Contunditur Ioramus Idumææ, ac Vtbis Lobnæ rebellione.

Rebellionis ſubditorũ aſſolet eſſe Regũ impietas, aut crudelitas origo.

vti victoria, & fugitiuos ad tributa rursus solueuenda cogeret.* Fortes nempe alias veri imbelles admodum ex criminum conscientia reddunturnec hoste fugiente, arbitrantur posse se vltrò se dante victoria potiri.] vel nouis Philisthinorum, Arabum, & Æthyopum bellis impetitus, non potuit persequi fugientes Idumæos, vnde Idumæa suam continuauit rebellionem *vsque ad hanc diem*, id est, perpetuò exinceps, vsque dum hæc à sacro Scriptore literis mandarentur. Tunc impletam reor Patriarchæ Isaaci prophetiam *Gen.*27.40. de iugo Iudaico ab humeris Idumæorum excutiendo, Sequitur Secunda plaga, eodem enim tempore & Lobna recessit. Ciuitas erat ex Regiis Chananitidis vna *Ios.*12. 15. quæ in funiculo Tribus Iuda fuit Leuitis assignata: non ergo soli vectigales à Ioramo defecerunt, sed & ex domesticis, & contribulibus non pauci.* Vt apertiùs ostenderetur, non tam tributa, quàm Regum flagitia subditos efficiunt rebellare.] Vnde postquam asserit sacer Scriptor Lobnam rebellasse, adiicit, *Dereliquerat enim* Ioramus *Dominum Deum patrum suorum*, insuper & excelsa simulachris colendis Iudæ constituit in Vrbibus, quorum cultu fecit Ierusalem peruerti, Iudæamque totam præuaricari.

Ex criminum conscientia viri fortes redduntur imbelles.

Non tam tributa, quàm flagitia Regum subditos rebellare efficiunt.

3. Ioramus epistolas.

Vers. 12.13.14.15. *Allatæ sunt &c.*] Tertia plaga continetur literis Eliæ Prophetæ iam à nouennio ab hominibus curru igneo abrepti. Allatæ itaque sunt literæ Ioramo ab Elia Propheta. Quandonam scripserit Vates? Fuerène scriptæ literæ antequam Elias tolleretur, sed multò post ad Regem adlatæ? Potuit planè spiritu prophetico præuidisse, quæ facturus erat Ioramus, & quæ passurus; sicque hanc epistolam scripsisse, quæ ipsi opera Elisæi hoc tempore redderetur. Aptiùs crediderim, literas in paradiso ab Elia conscriptas, & Angelorum ministerio fuisse delatas. Tenor autem literarum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam fidem & gesta patris tui Iosaphati, & Asæ Regis Iuda aui tui imitatus non es; sed potiùs per deuium Regum Israël idololatrum incessisti, Iudæ habitatores, ac Ierosolymæ ciues ad eandem trahens iniquitatem: & ad hæc fratres tuos, patris tui familiam, te quidem *meliores* crudelissimus occidisti; en Dominus vindex plaga horribili percutiet te, populum tuum, filios, vxores, cunctáque quæ ad te pertinere videantur, omninò disperdet.* Rex etenim impius nunquam solus deperit, innumeros ad eandem trahit calamitatem.] Tu verò pessimo vteri tui dolore laborabis, donec per singulos dies *vitalia tua* paulatim egrediantur. Quarta itaque plaga Regis iisdem Eliæ literis continetur, nempe mors probrosissima per lentam viscerum egestionem post duorum quidem annorum tabem.

Rex impius nunquam solus perit.

4. Eorum, quæ minitatus est Elias, effectus.

Vers. 16.17.18.19.20. *Suscitauit ergo, &c.*] Dominus igitur, quæ minitatus fuerat Eliæ literis, impleturus, aduersus Ioramum Philisthiorum & Arabum, Æthyopum confinibus excitauit spiritum, siue eos ad percutiendos Iudæos vt flagellum contorsit. Ascenderunt illi in Iudæ ditionem eam deuastauerunt, diripuere diuitias, quæ inuentæ sunt in aula, filiósque & vxores ceperunt, vnico filio remanente Ioramo Achaz nomine, qui minimus natu erat. Monuerim, duplicem esse Æthyopiam, alteram in Africa vltra Ægyptum, Meridiem versus sitam; alteram in Asia iuxta Madianitas & Arabes, vnde vxor Mosis traxit originem, & propterea Æthyopissa est dictitata. Et super hæc omnia percussit Dominus Ioramum insanabili aluilangore, diarrhœa videlicet, seu aluifluuio, de quo Valesius *in Sacra Philosc.*40. hunc explicans locum, scribit. Euenit nonnunquam nihil manere integrum (loquitur de succis qui sunt in corpore) sed ipsum etiam partium rorem malignè putrescere, & cum aliis egeri succis, & fieri deiectiones colliquatiuas, ipsasque partes primum destitutas ab alimento tabescere, deinde & computrescere cum ipsis succis, & in saniem solutas egeri, eas præcipuè quæ velut ex concreto sanguine substantiam habent, vt lienem & hepar. Sic ille. Cúmque diebus succederent dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum langoris Regij expletus est circulus: vnde Rex miser longa absumptus tabe sua etiam cum humore egerens viscera, langore pariter & vita priuatur. Obiitque pessima, seu grauissima, molestissima, ac fœdissima actus infirmitate.* Cur speciali stylo sacer Scriptor duorum illorum exaggerauit annorum durationem? *Cúmque diei*, ait, *succederet dies, & temporum spatia voluerentur duorum annorum expletus est circulus.* An duobus annis tot temporum voluuntur spatia? Certè vel dies vnicus, quo dolore æger affligitur interminabilem patienti temporis durationem indicit.]* Quæ sterilem, cur ad corripiendum Ioramum è mundo altero (sic paradisum vocitari liceat) conscribuntur epistolæ? Quia ad supprimenda Principum (qui se diuos immortales existimare assolent) supercilia solummodò vim habet mundi alterius obiectio.] Quinta denique Regi inflicta plaga memoratur. Denegatus illi honor Regalis sepulturæ fuit; nec enim populus eius exequias secundùm combustionis morem celebrauit. Non quòd moris esset apud Hebræos ipsa cadauera comburere, sed in mortuorum exequiis varia comburebant aromata.* O quot Principum cadauera sine aromatum combustione sepulturæ traduntur! Pessimus odor diuitum auolat è sepulchro, quia eleemosynarum aromatibus (sic Bernardus eleemosynam vocitat) cõditi neglexerunt!] Triginta duorum annorum eius ætas expleuerat numerum, cum regnare cœpit, octóque annis in Ierosolyma imperauit.* Idem *vers.*5. iam expresserat, *Triginta duorum annorum erat Ioram cum regnare cœpisset, & octo annis regnauit in Ierusalem.* Cur Regni annos sacer inculcauit Scriptor? vt subditorum crudelis Principis exponat affectum. Nihil sic præ oculis habent quàm durationis imperij tempus eis quidem molestissimum.] Ambulauit itaque iniquè Ioramus, & sepultus est in Ciuitate Dauidis, non tamen in Regum monumento.* Loco particulæ, *Ambulauit non rectè*, Lxx. *transtulerunt, & mortuus est in non laude.* Idem enim est improbè viuere, ac sine laude mori. Turpitudini enim vitæ mortis probra respondent.]* In Hebræo dicitur, *Mortuus est absque desiderio*, scilicet aliorum. *Ninguno le echò ménos.* Hæc impij Regis infelicitas à nullo cum obit, desideratur.]

Quàm longum sit patienti tempus, quo affligitur dolore.

Ad supprimenda Principum supercilia solum vim habet vitæ alterius obiectio, aut recordatio.

Diuitum sepultura fœtorem exhalat, quia illi eleemosynæ aromatibus condiri neglexerunt.

Quàm molesti, quàm multi subditis crudelis Principis anni sunt.

Idem est improbè aliquè viuere, ac sine laude mori.

Impius Rex, cum moritur, à nullo desideratur.

CAPVT XXII.

Ochoziam Regem Iudæ impium impij Ioramí filium, ac simul Ioramum Israël Regem Iehu occidit. Impia Athalia omnes Ochoziæ filios interimit, vnico Ioas natu minimo Iosabeth amitæ suæ industri è nece subtracto.

1. CONSTITVERVNT autem habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius minimum, regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerunt in castra, regnauítque Ochozias filius Ioram regis Iuda. 2. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem, & nomen, matris eius Athalia filia Amri. 3. Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim eius impulit eum vt impiè ageret. 4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius. 5. Aubulauítque in consiliis eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab rege Israël, in bellum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraueruntque Syri Ioram. 6. Qui reuersus est vt curaretur in Iezraël: multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Ioram rex Iudæ, descendit vt inuiseret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotantem. 7. Voluntatis quippe fuit Dei aduersus Ochoziam, vt veniret ad Ioram, & cùm venisset, vt egrederetur cum eo aduersum Iehu filium Nam si, quem vnxit Dominus vt deleret domum Achab. 8. Cùm ergo euerteret Iehu domum Achab, inuenit principes Iudæ, & filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, & interfecit illos. 9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductúmque ad se, occidit, & sepelierunt eum: eò quòd esset filius Iosaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo, nec erat vltrà spes aliqua, vt de stirpe quis regnaret Ochoziæ. 10. Siquidem Athalia mater eius, videns quod mortuus esset filius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. 11. Porrò Iosabeth filia regis tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum: Iosabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Ioram, vxor Ioiadæ pontificis, soror Ochoziæ, & idcircò Athalia non interfecit eum. 12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnauit Athalia super terram.

COMMENTARII.

1. Ochoziæ Regis Iudæ impietas, & in Ramoth Galaad expeditio.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Constituerunt &c.*] Mortuo itaque Ioramo, Ierosolymæ ciues Ochoziam natu minimum filiorum Ioramí Regem pro patre constituerunt: omnes enim seniores filios Regis a latronibus seu militibus Arabum, qui in castra irruerant, fuerant de medio sublati. Ideò natu minimus Ochozias (qui quidem *Vers. 17. Ioachaz* appellatur) regnauit in Iudæa. Arabes profectò ac Philisthæi, qui Iudam deuastarant, & regiam Ioramí diripuerant, (de quo *cap. precedenti Vers.* 16.) non solùm filios Regis captiuarunt, sed etiam occiderunt. Quadragesimum secundum annum agebat Ochozias, cum Regni clauum tenuit, & vnico Ierosolymis anno imperauit: & nomen matris eius *Athalia filia Amri.* In fine Capitis præcedentis dicitur, patrem Ochoziæ, dum moreretur, esse quadraginta annorum: quonammodo ergo filius eius Ochozias esse quadraginta duorum annorum cum regnare cœpisset asseritur? Respondeo, mendosè hic legi *Quadraginta duorum annorum*: legendum *Viginti duorum annorum*, vt legitur 4. *Reg.* 8. 26. Mendum id inde duxit originem, quia pro כ-ב *Caph Beth*, id est, viginti duo, positum fuit מ-ב *Mem Beth*, id est, quadraginta duo, quæ notæ absimiles non sunt. Certè mater Ochoziæ Athalia hic filia *Amri* vocitatur phrasi Hebræa, id est neptis. Nam erat filia Achabi filij Amri. Verùm Ochoziæ mores impiam domum Achabi sapiebant, impiissima enim mater eius Athalia *impulit eum, vt impiè ageret.* An vt filium impulerit? Haud credo, sed assiduo impietatis exemplo. Parentum enim pietas aut impietas ad pietatem aut impietatem quasi filios impellit. Familiæ ergo Achabi

Exemplum pietatis aut impietatis parentum quasi filios ad pietatē, aut impietatem sectandam impellit.

Achabi impius æmulator coluit idola. Tota infelicis huius Regis ruina inde habuit ortum. Quia post obitum patris eius, eisdem vsus est Consiliariis animi scilicet *in interitum.* * Vita siquidem ac mors animi, imò externa Regum prosperitas, aut infelicitas in Consiliariorum Regalium lingua progignitur.] Domesticorum itaque impiorum Achabi Ochozias in consiliis ambulans aberrauit. Porrò non solùm spiritualis ruinæ praua consilia dedere causam, sed & temporariæ. A suis enim Consiliariis monitus cum Ioramo filio Achabi Rege Israël pugnaturus contra Hazaël Regem Syriæ in Ramoth Galaad non sine vitæ discrimine perrexit. Quo in certamine Ioramus dirè vulneratus euasit à Syris.

Regum vita ac mors spiritualis in Consiliariorũ Regalili lingua progignitur.

2. Ochozias à Iehu interimitur.

Vers. 6.7.8.9.10. *Qui reuersus est. &c.*] Ochozias ergo multis affectus ex certamine diro vulneribus, reuersus est, vt in Iezrahel daret operam curationi, Ochozia ad Ierosolymam redeunte. Porrò vrbanitatis excitatus stimulo sciens suum vulneratum commilitonem apud Iezrahel commorari, Ochozias filius Iorami Rex Iuda descendit, vt Ioramum filium Achabi inuiseret. Disposuit nempe Deus Ochoziam puniturus, vt ad Ioramum aduentasset. Nàm post eius accessum de ægritudine Ioramus conualuit, & suasit Ochoziæ, vt secum progrederetur aduersus Iehu filium Namsi, quem Dominus Prophetis inunxerat ministerio, vt domum seu progeniem Regis Israël Achabi omninò comminueret. Redeo ad particulam, *Voluntatis quippe fuit Dei aduersus Ochoziam, vt veniret ad Ioram.* Hebraicè habetur, *A Deo fuit thebusath,* id est, *Conculcatio, Contemptus, Vilitas, Ochoziæ.* Ac si diceret, Quod se ipsum abiecit, vt Ioramum inuiseret Ochozias, à Deo factum est, vt per hanc occasionem eum dirè puniret. Vndenam illa Ochoziæ vilitas, aut sui cõtemptus? Regem inuisere, Regem inuisentis est vilitas? Ita planè; dedecet enim Dauidis sancti filium filium impij Achabi salutare. * Hinc edisce, quàm indecorum sit, Religiosum, aut Sacerdotem virum profanas inuisere fœminas.] Cum ergo Iehu domui Achabi euertendæ, seu comminuendæ daret operam; Principes Iuda & filios fratrum Regis Ochoziæ, qui ministrabant ei, illosque interfecit. Perquirens verò ipsum Ochoziam militum ministerio, qui quidem priùs latitauit in Samaria, deinde in Mageddo fugit: adductumque ad se interemit: & cadauer eius fuit sepulturæ addictum, eo quod esset filius seu nepos Iosaphati, qui Dominum toto ex corde quæsierat. * Nunquam non magna viri seu fœminæ sanctitas vel in posteris reuerenda obiicitur.] Porrò nulla relicta erat spes, vt quis de stirpe Ochoziæ, Regni scandere solium; si quidem Athalia mater eius videns, quod filius mortuus esset, callidè insidias collocãs virorum crudelium ministerio omnem domus Iorami Regiam succidit stirpem, nempe filios omnes Ochoziæ, quos ex variis vxoribus, & concubinis (vt ferebat illius temporis consuetudo) plures susceperat, interfecit. Quamnam, quæso, illos occidendi causam habuit? Vt, sublatis cunctis nepotibus, ad quos hæreditario iure Regnum pertinebat, auia sola regnaret, & suo omnia administrare arbitratu valeret. * O dominandi ambitio parens crudelitatis!]

Magna viri aut fœminæ sanctitas vel in posteris reuerenda obijcitur.

Ambitio crudelitatis mater.

3. Ioas puer à cæde eripitur à Iosaba.

Vers. 11.12. *Porrò Iosabeth &c.*] Non potuit auiæ iniquitas domus Dauidicæ omninò lucernam extinguere. Nam Iosabeth, seu Iosaba filia Regis Iorami soror Ochoziæ (sed ex alia matre, quàm ex Athalia) vxor Ioiadæ summi Pontificis tollens Ioas filium Ochoziæ vnius anni puerum, quem inter cæsorum cadauera fratrum (accepit ex Iosepho *lib. 9. Antiq. c. 7.*) opinione omnium mortuum nutricis opera deprehendit, ablatum furtim suæ abdidit domi, & solo marito conscio sex annis abscondit in Templo *in cubiculo lectorum,* id est, in vno triclinio seu pastophorio, qualia plurima erant circa ædem sacram, in quibus degebant, qui excubiarum, vel custodiæ, vel alterius ministerij causa Templo adesse debebant. * Sola Templi immunitas potuit innocentia ab irata protegere, à crudelis fœminæ insidiis eripere.] * Annotaui, Iosabam Ochoæ esse sororem ex alia matre quàm ex Athalia, vt obiectioni occurrerem, quomodo ex matre crudeli pia ac misericors filia prodiisset: siquidem filij assolent parentum probos aut prauos referre mores.]

Templi vis ad protectionem innocentiæ impendendam.

Filij parentum mores referunt.

Sacerdoti aut Religioso viro indecorũ est, profanas inuisere fœminas.

CAPVT XXIII.

Septennem Ioas Ioiada Pontifex Iudæ inungit in Regem, Athalia interfecta. Cultum diuinum restituit, aras, & simulachra Baal exterminat.

1. ANNO autem septimo confortatus Ioiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Ieroham, & Ismahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, & Maasiam filium Adaiæ, & Elisaphath filium Zechri: & iniit cum eis fœdus. 2. Qui circumeuntes Iudam, congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & principes familiarum Israël, venerúntque in Ierusalem. 3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixítque ad eos Ioiada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios Dauid. 4. Iste est ergo sermo quem facietis:

tis: 5. Tertia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum Sacerdotum, & Leuitarum, & ianitorum, erit in portis: tertia verò pars ad domum regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne verò reliquum vulgus sit in atriis domus Dñi. 6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Leuitis: ipsi tantummodò ingrediantur, quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus obseruet custodias Domini. 7. Leuitæ autem circundent regem, habentes singuli arma sua: (& si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege & intrante & egrediente. 8. Fecerunt ergo Leuitæ, & vniuersus Iuda, iuxta omnia quæ præceperat Ioiada pontifex: & assumpserunt singuli viros qui sub se erant, & veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleuerant sabbatum, & egressuri erant. siquidem Ioiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueuerant. 9. Dedítque Ioiada Sacerdos centurionibus lanceas, clypeósque & peltas regis Dauid, quas consecrauerat in domo Domini. 10. Constituítque omnem populum tenentium pugiones, à parte templi dextra, vsque ad partem templi sinistram, coram altari, & templo, per circuitum regis. 11. Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederúntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum regem: vnxit quoque illum Ioiada pontifex, & filij eius: imprecatíque sunt ei, atque dixerunt: Viuat rex. 12. Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini. 13. Cúmque vidisset regem stantem super gradum in introitu, & principes, turmásque circa eum, omnémque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, & diuersi generis organis concinentem, vocémque laudantium: scidit vestimenta sua, & ait: Insidiæ, insidiæ. 14. Egressus autem Ioiada pontifex ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio. Præcepítque Sacerdos ne occideretur in domo Domini. 15. Et imposuerunt ceruicibus eius manus: cúmque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi. 16. Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, vniuersúmque populum, & regem, vt esset populus Domini. 17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam: & altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal, interfecerunt ante aras. 18. Constituit autem Ioiada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum & Leuitarum, quos distribuit Dauid in domo Domini: vt offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio & canticis, iuxta dispositionem Dauid. 19. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re. 20. Assumpsítque centuriones, & fortissimos viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt descendere regem de domo Domini, & introire per medium portæ superioris in domum regis, & collocauerunt eum in solio regali. 21. Lætatúsque est omnis populus terræ, & vrbs quieuit: porrò Athalia interfecta est gladio.

COMMENTARII.

1. Vt Ioiada Pontifex Ioas septenem in Regem inungeret, Leuitas ac Principes pugnaturos colligat in Templo.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. *Anno autem, &c.*] Anno septimo Iehu regnare cœpit Ioas ætatis octauo ineunte. Anniculus enim erat, cum est neci subtractus, sex annis latuit in domo Dei. Expletis ergo septem annis, octauus ætatis cum primo Regni inchoatus est, qui & Athaliæ morte, & noui Regis inauguratione fuit celeberrimus, accedente idololatriæ ruina in Regno Iuda Ioiadæ Pontificis pietate, & industria, qui pertæsus impietatis & sacrilegiorum Athaliæ, & accensus zelo pro domo Domini & Dauidis familia, quam pridem animo versabat curam in rem deducere magno animo statuit; & re, vt par est credere, per multas preces & sacrificia commendata, assumpsit de Tribu sua quinque Centuriones, Leuitas, Azariam filium Ierohami, Ismahelem filium Iohanani, alium Azariam filium Obedi, Maasiam filium Adaiæ, & Elisaphatum filium Zechri, a quibus secretum iureiurando firmatum exegit. Hi quinque Principes circuierunt Iudæam, & è cunctis Vrbibus congreganere Leuitas Principes familiarum *Israël*. Regni scilicet Iuda, qui verè dicuntur familiarum Israël Principes, quia Iudæi etiam Israëlis genus erant. Neque enim credibile, ad Regnum Israël rem fuisse delatam. * Nisi dixeris, etiam ad Israëlitas Athaliæ subditos secure rem etiam fuisse delatam, Reginæ enim tyrannis illos in hostes procul dubio conuerterat. Numquam enim hi, quos Hispani vocitamus *Malcontentos* Regis non agunt hostes.] Porrò Ioiadam tempus Paschale congregandis Leuitis elegisse crediderim, ne frequens illorum concursus in Ierusalem suspicionem faceret Athaliæ. Leuitæ ergo à quinque Principibus aduocati Ierosolymam inierunt, cum Rege*que* omnis illa multitudo apud Templum pactum

Tyrannis Regis subditos efficit inimicos.

pactum percussit, Ioiada pro puerulo Rege profante: *Regi, quem à tyrannide Athaliæ fidelis custodiui, fidem sanctè spopondistis, scitis enim à Domino promissum, super filios Dauidis, Dauidis filium esse regnaturum.* Rem igitur ita gerendam censeo non sine Numinis, vt credo, consilio: Tertia pars vestrum, nempe Sacerdotum, Leuitarum, ac Ianitorum, qui die Sabbati ad propria munia veniunt in Templum, in portis aderit: tertia pars domum seu cubiculum, vbi Rex custoditur, vallabit: tertia ad portam, quæ appellatur *Fundamenti*, siue *Scutariorum*, siuè *Superior*, accurret: reliquum verò vulgus qui non erunt Leuitæ cuncta Templi occupet atria. Certè porta illa dicitur *Fundamenti* quia cum Templum respectu regiæ editius esset, necessariò hæc porta in ipsis Templi fundamentis fuit aperienda. Dicitur Scutariorum 4. *Reg.* 11. 6. quia iuxtà illam Leuitæ, Scutarij, custodes Templi suum habebant habitaculum. Appellatur autem *hoc cap. vers.* 21. *Superior*, quoniam à Regio palatio inferiori situ constituto per hanc portam in Templum ascendebatur. Curandum diligentissimè, nè quispiam alius Templum ingrediatur nisi Sacerdotes & de Leuitis ij, ad quos ministrandi munus spectat, ipsi, inquam, tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt, seu ad sacrum ministerium deputati: & omne reliquum vulgus *custodias Domini obseruet*, id est, fungatur quisque officio suo, cuncta vt aliis diebus procedant, nil insolens aut nouum geratur. * Facinora enim illustriora sunt illa, quæ ex communi gerendi more præstantur.] * Nec crediderim (cum Leuitis, cum Religiosis loquor) facinus esse egregium, quod insoleter, siuè extra communis Regulæ aut Communitatis agitur consuetudinem.] Explico particulam illam, *Ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt.* Leuitis solummodo ob sanctificationem in atrium Sacerdotum siuè Leuiticum ingressus permittebatur. Leuitæ (adiicit Ioiada) autem Regem puerum circundent singuli sua arma gerentes, Regique & egredienti & ingredienti adsint; & si quis alius Templum inierit, interimatur. Pontificis ergò, Ioiadæ Leuitæ, cunctique, qui aderant Iudæi omnia præscripta dantes executioni, assumpsere singuli viros sibi subiacentes. Leuitæ, qui perfuncti erant vice sua, retinentur, iunguntur que iis, qui recens veniebant ad ministrandum, quos certis locis cum armis ad vim omnem propulsandam, Ioiadæ apposuerat monitum. Cingitur etiam armis totum Leuitarum atrium à dextris & sinistris altaris & ædis per circuitum Regis; Rex enim fuit constituendus in Leuitarum atrio infra altare holocaustorum, ne eo Regis conspectus impediretur, excitato suggestu, qui columnis nitebatur, & ad quem gradibus ascendebatur, vt puerulus vndique totis fieret atriis conspicuus. Produxit ergo Regem Ioiada imposito super caput eius diademate, siue corona Regia, & dato in manu eius *Testimonio* id est Deuteronomio legis, accessit purpura, sceptrum, & reliqua Regum ornamenta. * Purpura quidem & sceptrum Regem ornant, sed testimonium, quo constat eum Regem existere, est Deuteronomium, seu legis obseruatio.] Adhibita autem fuit in primis vnctio, quæ Regem vel maximè constituit & confecrat; vnde coniunctim dicitur *Fecerunt que Regem & vnxerunt*, id est vngendo fecerunt Regem oleo videlicet sacro, quod in Templo asseruabatur. Vnxit itaque illum Ioiada Pontifex & filij eius, imprecatique sunt ei, atque dixerunt, *Viuat Rex*, quod certatim à toto populo & à cantoribus conclamatum.

Facinora illustriora sunt illa, quæ ex communi gerendi more præstantur.

Non puto Religiosi esse facinus illustre illud, quod extra communitatis gerit consuetudinem.

Testimonium, quo constat, aliquem esse Regem, est legis obseruatio.

Verſ. 12.13.14.15.16.17.18. *Quod cum audisset &c.*] Cum plausus ille Athaliæ peruenaret ad aures ingressa est ad populum in Templum Domini, diuina prouidentia illlam ducente ad victimam, Sperabat enim se præsentia sua seditiosos conatus dissipaturam, partúmque sibi Regnum conseruaturam, & se in manus quærentium animam eius coniecit imprudens. Quæ si regia se continuisset, & rem per nuncios didicisset, difficillimam Pontifici, cæterisque inimicis suis victoriam dedisset, vt quæ magistratus & militiam, & magnam populi partem in potestate haberet. Nunc vltrò se coniecit in laqueum; nec dissimulare potuit, sed scidit vestimenta sua, & clamauit, *Insidiæ insidiæ.* Cui obtonabat populus, Viuat Rex, viuat Rex Ioas, Athalia moriatur. Muliere autem frustrà vociferante, egressus Ioiada Pontifex ex atrio Leuitarum, vbi Regem confecrarat, adiit Centuriones, & Principes exercitus, & dixit eis: Adducite illam extra Templi septa, & foris gladio interimatur. * Ne Templi pietas vel impiissimæ fœminæ cæde violari videatur. Tam misericors apud Templum hominibus Deus, vt in eo scelestum puniri non permittat!] * Edocemur, è Templo quidquid vindictæ suboleat affectum omnino ablegare.] Septa intelligo totius Templi loricam siuè peribolum omnia Templi atria circumquaque ambientem: occisa enim Athalia fuit ante palatium regium, transgressa pontem voraginis Mello. Præcipiente itaque Pontifice, ne in Templo occideretur, cum illa intrasset tracta à Leuitis portam equorum domus Regis, (vbi scilicet equorum stabula) cruciebus miseræ gladius addicitur, & impium hallauit spiritum. Hoc tempore Ioiada fœdus inter Dominum & Regem cum populo suo pepigit, exigens vnius Dei colendi promissionem, omni superstitione exterminata. Vnde illicò iniit populus delubrum Baal, & aras eius destruxit, & simulachra manu valida contriuerunt. Id fœdus maximè necessarium fuit hoc tempore, quo per profanam Athaliam luxata erant omnia. Fœderis autem inter Regem & populum mediator fuit Pontifex, exigens à populo fidem, honorem, omniaque legitima obsequia eius erga Regem suum; & vice versa à Rege erga populum suum protectionem, paternamque beneuolentiam. * Subditorum enim fidelitas erga Principem beneficiis Principis obfirmatur.] Vt autem, stabilita pietate, primo quoque tempore scandalum & offensio religiosi populi tolleretur, itum est in Templum Baal, siue id in Vrbe ipsa, seu potiùs in suburbiis fuerit, & hoc primo populi feruore simulacra deturbata ac formata fuere; postmodum autem ædes ipsa à summo dituta culmine, & Mathan Sacerdos Baalis coram altari interfectus. * Si primo pœnitentis feruore idola adorata non commiuuntur, si à fœmina impudica non recedis, difficillimè postmodum iniquitati nuncium remittes.] 2. Athaliæ nex.

Pietas Dei vel erga impiissimos ineffabilis.

E Templo ablegandum, quidquid subboleat affectum crudelitatis, aut vindictæ.

Subditorum fidelitas erga Principem eius beneficijs obfirmatur.

Primo pœnitentiæ feruore idolis nunciũ cura remittere, quod postillum feruorẽ difficilius geres.

Verſ. 18.19.20.21. *Constituit autem, &c.*] Pontifex in Templum regressus constituit Præpositos 3. Præpositi ac

Ianitores nouos constituit Ioiada.

Ad relaxatæ cõmunitatis reformationẽ, in primis noui Rectores feruentiores constituendi.

Curandum Pontificibus, ne indignis pateat ad Ordines aditus.

sitos in domo Domini, vt legitima Domino facrificia offerrent. * Post religionis relaxationem, si superior summus velit roborari pietatem vimque regulari restitui disciplinæ, in primis antiquos de fide Præpositos seu Rectores à munere ableget, nouósque constituat legis, aut regulæ obseruantiores.] Constituit quoque Ianitores in portis domus domini, vt qualibet immunditia pollutos ab ingressu eius arcerent. * Proh Ianitorum in Templo seu Ecclesia Dei necessitas! Nil magis curandum Pontificibus, seu Episcopis, quàm Ianitores seu examinatores doctos ac pios constituere, qui indignos Ecclesiastico munere insigniri arceant, & valida manu à sacrorũ ingressu remoueãt, semel enim in Templum introductos difficilè exturbabis.] Omnia deinde, quæ Ioramo imperante, Ochozia, & Athalia regnante fuerant neglecta, iussu Pontificis renouata fuere. Sed prius Rex è Templo educitur cum insigni legionum apparatu, quæ se statim legitimo Principi dediderunt: & venerunt per viam portæ scutariorum, quæ erat ad meridiem Templi, qua ad aulam pergebatur, & sedit supra thronum Regum. Lætitia affectus est populus terræ, & conquieuit Ciuitas. *Porrò Athalia interfecta est gladio.* Quare Athaliæ mortem facer Scriptor inculcat? Certè in subditorum iniuriis ac vexationum actorum à Principe tyranno solatium, ac si vulgariter diceret: *Alfin acabo la Reyna tyranna!* * Haud horribile aut intolerabile id malum æstimes, quod non cruciat æternùm.]

Mala quæ æternùm non cruciãt, haud intolerabilia omnino.

CAPVT XXIV.

Quandiù Ioiada Pontifex vixit, bonum ac pium se se Ioas Rex exhibet: eo vita functo, pietate contempta, Zachariam Ioiadæ filium apud Templi atrium lapidibus imperat obrui, eo quod ab eo taxaretur. Anno mox insequenti tota Iudæa Syris deditur in spolium, & Rex Ioas à seruis interimitur.

1. SEPTEM annorum erat Ioas cùm regnare cœpisset: & quadraginta annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Sebia de Berlabee. 2. Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis. 3. Accepit autem ei Ioiada vxores duas, è quibus genuit filios & filias. 4. Post quæ placuit Ioas vt instauraret domum Domini. 5. Congregauítque Sacerdotes, & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerso Israël pecuniam ad sarta tecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatóque hoc facite. Potrò Leuitæ egere negligentiùs. 6. Vocauítque rex Ioiadam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, vt cogeres Leuitas inferre de Iuda & de Ierusalem pecuniam, quæ constituta est à Moyse seruo Domini, vt inferret eam omnis multitudo Israël in tabernaculum testimonij. 7. Athalia enim impiissima, & filij eius, destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim. 8. Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam: posuerúntque eam iuxta portam domus Domini foris. 9. Et prædicatum est in Iuda & Ierusalem, vt deferrent singuli pretium Domino, quod constituit Moyses seruus Dei super omnem Israël in deserto. 10. Lætatíque sunt cuncti principes, & omnis populus: & ingressi contulerunt in arcam Domini, atque miserunt ita vt impleretur. 11. Cúmque tempus esset vt deferret arcam coram rege per manus Leuitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur Scriba regis, & quem primus sacerdos constituerat: effundebántque pecuniam quæ erat in arca: porrò arcam reportabant ad locum suum: sícque faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia. 12. Quam dederunt rex & Ioiada his, qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæsores lapidum, & artifices operum singulorum, vt instaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris, vt quod cadere cœperat, fulciretur. 13. Egerúntque hi qui operabantur, industriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitauerunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt. 12. Cúmque complessent omnia opera detulerunt coram rege & Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, & ad holocausta, phialæ quoque, & cetera vasa aurea & argentea: & offerebantur holocausta in domo Domini iugiter cunctis diebus Ioiadæ. 15. Senuit autem Ioiada plenus dierum,

& mortuus est cùm esset centum triginta annorum. 16. Sepelierúntque eum in Ciuitate Dauid cum regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israël, & cum domo eius. 17. Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem; qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis. 18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruierúntque lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem propter hoc peccatum. 19. Mittebátque eis prophetas vt reuerterentur ad Dominum: quos protestantes, illi audire nolebant. 20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum vt derelinqueret vos? 21. Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini. 22. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quàm fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius. Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat. 23. Cúmque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venítque in Iudam & Ierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt regi in Damascum. 24. Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia. 25. Et abeuntes dimiserunt eum in laguoribus magnis: surrexerunt autem contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est: sepelierúntque eum in Ciuitate Dauid, sed non in sepulchris regum. 26. Insidiati verò sunt ei, Zabad filius Semmaath Ammanitidis, & Iozabad filius Semarith Moabitidis. 27. Porrò filij eius, ac summpa ecuniæ quæ adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei, scripta sunt diligentiùs in Libro regum: regnauit autem Amasias filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Pietas Regis Ioas, dum Ioiada superstes, regiáq; connubia.

VERS. 1.2.3. *Septem annorum, &c.*] Septimum Ioas expleuerat iam annum, octauúmque inchoauerat, cùm cœpisset imperare, & annis quadraginta regnauit Ierosolymis. Nomen matris eius Sebia è Bersabee exorta. Vero Numini cultum piè admodum exhibuit quamdiu Ioiada Pontifex fuit superstes. Magno quippè amore ac reuerentiâ eum prosequebatur. Quidni autem faceret puer? virum pietate sanctissimum, ætate venerabilem, affinitate coniunctissimum, dignitate Pontificem, amore & meritis parentem. Accedebat Iosabeth vxor Pontificis amita Regis, cui vitam debebat, vt Pontifici Regnum. Dum igitur sanctus vixit pedagogus sanctè Ioas se gessit, suúmque nobile Rex ostentauit ingenium ei gratam reuerentiam ostendens, à quo & æducationem & Regnum acceperat. * Nec enim assolent Reges eorum recordari officiorum, quibus à subditis affecti sunt, cum primam ágerent ætatem.] * Nihil autem sic deberet Regem afficere, vt subditum & reuereatur, & diligeret, quàm ab eo edoctum esse è cunabulis pietate.] Accepit autem Ioaso Ioiada vnam & alteram vxorem, è quibus sexus vtriusque prolem suscepit. Non Rex ipse accepit, oculis quæ placuisset, sed Ioiada colligandas Regi, tanto dignas thalamo elegit. * Nihil minus agendum est ad oculorum placitum, quàm vxoris electio, vndè seniorum electioni relinque, ipsi enim plus doctibus internis, quàm visibili afficientur specie. Expertus igitur tibi accipiat vxorem, nec oculorum tuorum plerumque fallibili relationi credas.]

Officia à subditis accepta dum pueri erant, assolent Reges obliuisci.

Reuereantur Reges, & amment eos, à quibus è cunabulis edocti fuêre pietatem.

Expertus tibi accipiat vxorem, nec oculorum tuorum relationi credas, plerumque fallibili.

Porrò anno ætatis decimo septimo datam à Pontifice Regi vxorem crediderim. Nam cùm valdè sollicitus esset de semine Regio propagando, quod in vnius adolescentis capite versabatur, non videtur vltra hoc tempus distulisse: sed neque anteuertisse de adolescentuli incolumitate curam sollicitam gerentem. * Præpropera enim ad nuptias affectio primam ætatem imbellem efformat.] Quam ob causam etiam non censeo, duas ei simul vxores copulasse sed alteram alteri seu viuæ seu mortuæ successisse. * Nimius enim veneris vsus cordi assolet ignauiam ingerere.] Harum verò altera vxor appellata est Ioade de Ierusalem, vt habes *cap. sequenti vers.* 1. ex qua natus Amasias Regni successor.

Præpropera ad nuptias affectio primam ætatem imbellem efformat.

Nimius venereus vsus cordi ignauiæ ingerit.

Vers. 4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14. *Post quæ &c.*] Post initum coniugium vtrumque, & fortè post filios susceptos placui Regi, Templo instaurando, seu rèficiendo studium exhibere. Hoc affectu, Sacerdotes & Leuitas congregans, eis profatur: Ad Ciuitates Iuda proficiscimini, & de cunctis Iudæis ad refectionem Templi *Dei vestri*, quem scilicet immediatori cultis ministerio colligite; & per singulos annos colligendam disponite: nec segni gressu procedatis, sed *festinato* id gerere studete. * Nihil sic Regis pietatem obfirmat, quàm circa Templi refectionem & ornatum affectuosum studium.] Preme illud: *Colligite de vniuerso Israël pecuniam ad sarta tecta Templi Dei vestri.* * Cur non dixit, *Dei nostri?* Quia speciali iure Sacerdotalis dignitas te cogit, vt sic Deo colendo specialiter addicaris, vt specialiter Deus tuus esse videatur.] *Festinato* verò id gerere monentur, exactio enim pecuniæ quantò segnius fit, tantò difficiliùs exeritur. Auaritia enim hominum temporis interstitio plures excogitat ad tributum abnegandum

2. Ioas studet Templi reædificationi, seu refectioni.

Regis ostendit pietatem, eius circa Templi ornatum studium.

Sacerdotalis dignitas te cogit sic Deo cultum procurare, vt Sacerdotis Deus specialis esse videatur.

Pecunia tributi festinatò exquirenda.

Dei opus diligenter perfi-ciendum.

dum euasiones.] Nisi dixeris, festinationem à Rege pio indictam, quia non segniter, sed diligenter Dei opus est perficiendum.]Profectò Leuitæ gessere negligenter, * Dum Regis exactores ad sæculares vsus tàm festinanter assolent tributa colligere,pudeat Sacerdotes tàm segniter ad vsus Templi,Deique obsequium necessaria colligere.] Quod cum Rex aduertisset,Ioiadam Sacerdotum *Principem* aduocauit,eique dixit: Curtibi non fuit curæ,vt cogeres Leuitas tibi subditos de Iudææ Vrbibus,ac de Ierosolyma colligere pecuniam,quæ ex Moysi serui Dei præscriptione ab omni Hebræorum multitudine debet in Tabernaculum testimonij inferri?Athalia enim impiissima, *& filij eius*, Sacerdotes scilicet Baal,Templum Domini destruxerunt, & auferentes omnem ornatum eius ad Baalis transtulére fanum. * Appositè quidem de sidia Sacerdotum ac Leuitarum *Principi* Ioiadæ subsingillatur, quasi Principi tribuendum, quod à subditis non rectè præstatur.] * *Quare*, inquit, *tibi non fuit curæ, vt cogeres Leuitas?* Certè Leuiticus seu Sacerdotalis ordo non cogendus à Rege, sed ab Ecclesiæ Principe.] *Inferre de Iuda & de Ierusalem pecuniam.* Hebraicè pro pecunia *Onus* scribitur. * Quid pecuniæ cum onere?Multum quidem,imò omne est. Nihil enim pecunia acquirenda, ac conseruanda potest esse pondero sius, ac molestius.] Expende,quæso,particulam, *Inferre de Iuda & de Ierusalem pecuniam, seu tributum.* * Annon Ierusalem Vrbs est Iudææ ? Cur ergò postquam dicitur, *Inferre de Iuda* pecuniam, additur *& de Ierusalem?* Certè quia vt intelligatur Ciuitas Regia esse tributo obnoxia,necessum est,specialiter nominari.Hinc liceat Vrbem Regiam Ciuitatem Deificam Mariam Dominam commendare.Indicitur cunctis Vrbibus , omnibus hominibus peccati tributum, *Omnes in Adam peccauerunt, Ergo omnes mortui sunt.* An Ciuitas Altissimi, quam ipse fundauit, tributo exponatur obnoxia?Minimè;Ciuitas enim Regia haud tributaria obiicitur, nisi apertè generali regulæ, communi edicto eius nomen adiiciatur. *Omnes & Maria in Adam peccauerunt.* Nomen Virginis,Ciuitatis Dei subticetur,cum omnibus Vrbibus,seu hominibus,tributum indicitur?Ergò ab originalis tributi est immunis æruinna.] Athaliæ *filios* dixi esse Baal Sacerdotes; quod à D.Hieronymo in trad.Hebr. accepi. *Sacerdotes idolorum filij Athaliæ vocantur.* * Quàm aptè,vt innuatur eum Principes debere Sacerdotibus ostendere affectum, quo parentes assolent erga filios affici: & quemadmodum filiorum commoda parentes procurant,sic Sacerdotum commodis Principes studeant prouidere.] Ex præcepto igitur Regis arca,qua reciperentur pecuniæ perficitur, ac iuxta portam Templi *forinsecus* collocatur: & indictum est in Vrbibus Iudæ,ac in Ierosolyma; vt singuli Iudæi Deo sacrum vectigal afferrent, quod *Exodi* 30.12. à Mose fuerat constitutum. * Hoc tributum apte *pretium* vocitatur, (*Vt deferrent singuli pretium Domino*) quia huiusmodi donariis Templo oblatis ineffabilia à Deo munera comparas.] Quomodo id *prædicatum est in Iuda & Ierusalem.* Hebraicè *Et dederunt vocem.* Exponit Mariana, *Denunciauerunt voce præconis,aut concionatoris.* Tam difficilis erogatio tributi vel ad Templi Domini obsequium, vt indigeret Concio-

Pudeat Sacerdotes, segnes offèdi ad Dei obsequiũ, dum seculares Regis ad seruitium tã diligentes ostentantur.

Desidia aut vitium Sacerdotum Principi Ecclesiastico tribuitur.

Sacerdotalis ordo non cogendus à Rege, sed ab Ecclesiastico Præsule.

Nihil molestius ac ponderosius pecunia.

Non intelligitur Maria sub peccati originalis cõmunibus legibus contineri, nisi specialis de ipsa (nominatim scilicet) mentio fiat.

Sacerdotes sint quasi filij Principum, qui vti parentes filijs, Sacerdotum commodis det operam.

Munus Templo oblatum pretium est, quo à Deo ineffabilia munera comparas.

Tam difficilis tributi solutio, vt indigeat Concio-

natorum voce, qua auditores persuaderet ad censum persoluendum, sicut assolent ad crimina abiuranda,gerendámque pœnitudinem persuaderi?] Crediderim, id per edictum Regium fuisse Iudæis indictum; qui quidem affecti sunt lætitia tam Principes quàm reliquus populus, & ingressi qui aderant tantam vim pecuniarum in arcam Domini intulerunt , vt omnino impleretur. *Lætati*, inquit, *sunt cuncti Principes & omnis populus , & ingressi contulerunt in arcam Domini , ita vt impleretur.* * Cum lætus offert populus,impletur gazophylatium.O quàm vacuum , cum à mœstis subditis seu inuitis exigitur?] * Preme particulam, *Ingressi contulerunt in arcam,ita vt impleretur.* Si non ipsi ingressi fuissent ad pecuniam reponendam,haud oppleretur arca, Nam cum è manu ministrorum tributa colliguntur , eorum procul dubio manus opplentur, sed quo arca possit impleri non relinquitur.] Cur *Arca Domini* appellatur?scio, vocem *Domini* Hebraicè non esse , neque in Lxx. translatione. * Attamen eam aptè addit Interpes,vt innuat arcæ, qua eleemosynæ ad Templi cultum collectæ,immunitatem: Existima gazophylatium factum arcam esse Domini , quam omnimoda reuerentia decet,ne audeas vel obolum detrahere.] Cum ergo tempus esset, vt deferretur arca (quod iam pecuniis referta esset) ad Regem, ingrediebatur Regius Scriba,& Vicarius Pontificis ab ipso designatus : effundebántque pecuniam, quæ erat in arca , & arcam vacuam rursum opplendam suo in loco collocabant : Sicque faciebant per dies singulos;crescente enim pietate Principum ac ciuium , impleta quotidie & euacuata arca pene immensum thesaurum exposuit. Tam ingentem pecuniæ vim Rex & Ioiada Pontifex iis, qui præerant Templi operibus tradidere, qui conducebant lapidum cæsores , fingularúmque operarum artifices, vt domum Domini reficerent, ac instaurarent: fabros quoque ferri & æris , *vt quod deficere cœperat, fulciretur.* Vel ferrum , æsque fortissimum temporis labefactatinjuria,refectionéque indiget? Quid humanæ fragilitatis defectus exaggeras?] * Certè si ferrum si æs, si quod robustum est diligenti indiget refectione, quid quod suapte natura fragile,ac debile obiicitur?] * Ideo D. Ignatij præscripto semel & iterum annis singulis Iesuitæ spiritus refectioni seu renouationi studium expediunt.] Cæterùm qui operabantur egerunt *industriè*, & parietum cicatrices , seu rimas obduxerunt , ac Templum Domini statui restituere pristino, & *firmiter stare fecerunt* .* Non cadat sine pondere verbum , *Suscitauerunt domum Domini.* Mortúumne Templum,quod suscitatione indigere innuatur ? Profectò ex ruina quasi emortuum Templum noua ab operariis quasi vita donatur. *Vos* ô fideles, *Templa Dei estis*, hoc inscitatur, vobis agit spiritus renouatio quod in Delubro lapidum ac lignorum refectio ; scilicet velut emortuos suscitare.] Denique cum cunctæ necessariæ operæ circa Templi refectionem completæ fuissent,detulere Præpositi ad Regem ac Pontificem pecuniam reliquam : è qua perfecta fuere vasa ad ministerium Templi, & holocausta;phyalæ quoque,ac vasa reliqua aurea, & argentea;cunctis namque diebus Ioiadæ sanctissimi Pontificis in Templo Domini *iugiter* holocausta offerebantur.

natorum voce, qua reddituris persuadeat.

Cum lætus sine volens offert populus, replet gazophylatium : haud sic quãdo inuitus redditur.

Ne audeas è gazophylacio, seu cippo sacro vel obolum auferre.

Ineptè quis humanæ fragilitatis defectus exaggerat.

Natura humana semper deficiens assidua spiritualis indiget refectione.

Iesuitarum frequens renouatio, spiritus commendabilis.

Spiritus renouatione homo Dei Templum velut emortuum antè fu-

3. *Perueſſio Regis Ioas poſt Ioiadæ obitum. Zachariæ nex.*

Verſ. 15.16.17.18.19.20.21.22. *Senuit autem &c.*] Ioiada verò ſenio exactus, cum centum ſuprà triginta annumeraſſet annos, vitam cum morte commutauit; ſepultúsque eſt apud Ciuitatem Dauid cum Regibus, id eſt in Regum mauſolæo. Id quidem datum Ioiadæ honoris cauſa, *eo quod feciſſet bonum cum Iſraël, & cum domo eius*, id eſt, eo quod cuſtodiendo Regem, eumque piis monitis informando de cuncto Iudaico populo, ac de auguſtiſſima Dauidis familia benè meritus fuerat. * Certè ille, qui Reges edocet pietatem *bonum* cum Regno facit, ſiue ei maximè vtilis exiſtit.] * Nullus honor vel Regius non debitus pietatis promotoribus. Ideò Regum in morem Ioiada in arce Sion fuit ſepulchro mandatus. Poſt Ioiadæ autem obitum ingreſſi ſunt ſemel & iterum Principes Iſraël ſtudioſi Baalis affectata adoratione ſeu ſubmiſſione facultatem poſtulantes, vt illius cultum reuocare liceret. At Rex eorum delinitus obſequiis, eis acquieuit, ingratus quidem Numini, ac Ioiadæ memoriæ. Quid non Regis iuuenis præcordia euertant adulatorum linguæ? Hæ plane, illa obſequia, quibus Rex delinitus obiicitur: *Qui delinitus obſequiis eorum.* Quænam obſequia illa? Præmiſerat textus: *Et adorauerunt Regem.* En Principum obſequia, Regem adorare eúmque vti Numen dignum adoratione externo corporis habitu (fictè equidem) proclamare.] Iudæi ergò Rege ac Principibus præcedentibus impietatis prolapſi ſunt ad barathrum, patrum ſuorum Templum ſiue Dei cultum relinquentes, vt apud lucos ſculptilia venerarentur. Loco illius verbi, *ſeruierunt* lucis & ſculptilibus, in Hebræo habetur, *ſeruierunt uiuerunt doloribus.* * Etenim voluptatum idola colere, à Deóque auerti, quid niſi dolor? Teſtor illos vitij ſectatores proclamantes, Ambulauimus vias difficiles.] LXX. *ſeruierunt Aſtartæ & idolis.* Aſtartem poſuerunt pro *Aſerim*, quæ vox *lucos* potius ſignificat, vt Hieronymus poſuit. Porrò Deus ob hoc piaculum contra Iudam, ac Ieroſolymam ſe ſe oſtendit iratum. Vt verò imminentem reis ſupplicium minaretur Prophetas immiſit proclamantes, vt ad Dominum pœnitudinis affectu reuerterentur; quas tamen *proteſtantes* ſeu teſtificantes (ſic Hebr.) Numinis profundendam iram, illi audire noluerunt, eorúmque monitis deterreri. Poſt Prophetas conclamantes in aniter, ſeu poſt irrita verba Vatum, ſpiritus Domini ſpeciatim *induit* Zachariam Sacerdotem Ioiadæ Pontificis filium, id eſt, Deus Zachariam ſpiritu prophetico impleuit: qui in conſpectu populi ſtans, inclamauit: Hæc dicit Dominus Deus: Quare præceptum Domini tranſgredimini, quod *vobis non proderit*, multa enim flagella peccatoris: & Dominum dereliquiſtis, vt eum vos derelinquere cogatis. Vox illa, *Quod vobis non proderit*, eſt minoſis, minus enim dicitur, quàm ſignificatur. Sententia eſt: Quod vobis maximè nocebit. Hæc ſumma erat concionis propheticæ, eum quidem plura magno animi ardore dixiſſe non dubito, cum eum Domini ſpiritus impleſſet. Sed non minus veroſimile dixerim, pauca illum fuiſſe locutum; nec enim ſpiritus Dei ad plura ſed ad ardentia ac efficacia verba defertur. * Vt edoceantur concionatores, haud eſſe è Dei ſpiritu ſemper multa loqui, ſed breui ſermone fulminis inſtar, peccatoribus intonare, eóſque à voluptatibus deterrere.] Idololatræ verò Iudæi aduerſus Propheram congregati, eum apud atrium Templi, id eſt inter Templum & altare holocauſtorum, diris lapidibus ex Regis obruerunt imperio. D. Hieronymus exiſtimat, hunc Zachariam illum eſſe, de quo Chriſtus *Mat.* 23. dicit, occiſum fuiſſe à Iudæis *inter Templum & altare.* Conſentiunt D. Thom. Albert. Mag. Abul. Salmer. Maldonat. & alij. Sed non minus probabile credo, Chriſtum alluſiſſe ad alterum Zachariam, qui in minorum Prophetarum catalogo vndecimus annumeratur. O Regis ingratitudinem! Non eſt recordatus Ioas miſericordiæ, quam fecerat Ioiada pater Zachariæ ſecum, ſed eius filium interfecit, à quo fuit ipſe ab interitu præſeruatus. Non eſt, inquam, recordatus Ioas beneficiorum acceptorum, cum ſcilicet furente Athalia, aſſeruatus eſt, & poſt ſex æducationis annos ad Regnum admotus. * Ingratiſſimum adiudica Regem, qui accepta à parente beneficia in filio poſtero non rependit.] Porrò Zacharias iam iam ſpiritum efflaturus, ſubclamat: *Videat Dominus, & requirat*, pro *videbit* Dominus, & requiret, ſeu de ſacrilegio diram ſumet vindictam, cunctis populi Principibus gladio Syrorum exitialiter vulneratis.

Lingua adulatorum Regum præcordia euertunt.

Voluptatum idola colere, idem eſt, ac doloribus affici.

Non eſt ſemper è Dei ſpiritu, Concionatores lon-

gum proferre ſermonem, ſed verbo vnico peccatoribus intonare.

Ingratus Rex, qui accepta à patre aliquo beneficia non rependit in filio.

4. *Ioaſo Regi inflictũ cœlitùs ſupplicium.*

Verſ. 23.24.25.26.27. *Cumque euoluſſet, &c.*] Viſum eſt Dei pigritaſſe flagellum, ſi fortè Rex ſeſe meliorem reciperet ad mentem, ſed tamen impœnitente Rege, ac Iudæis, poſt euolutum annum aduerſùs Iudam Syrorum aſcendit exercitus, Iudæam circuit, in Ieroſolymam aduentauit, & interfectis cunctis populi Iudaici Principibus, qui quidem cor Regis peruerterant, ad Regem Syriæ in Damaſcum remiſerunt ſpolia. Et certè cum perexiguus Syrorum numerus contra Iudam veniſſet dimicaturus, eorum in manus Deus *infinitam*, ſeu ingentem Iudæorum tradidit multitudinem, imbellibus videlicet illis redditis ex eo, quod Dominum Deum patrum ſuorum dereliquiſſent. * Vndenam ô læſor Numinis ad certamina vires expectas?] Nec Ioas Rex ab illa fuit exemptus ærumna: Syri enim in eum *ignominioſa exercuere iudicia*, id eſt, ignominioſè illum tractauére corpus illius dirè diuexantes. Vnde abeuntes dimiſerunt eum *in langoribus magnis*, nimirum ex illa vexatione relictis. Intendens itaque ſacer Scriptor oſtendere, dira admodum Regem Ioaſum à Syris paſſum fuiſſe illa phraſi expreſſit: *In Ioas quoque ignominioſa exercuére iudicia.* Iudicare enim ignominioſè hominem, ſeu contra illum iudicium ignominioſum, temerè ſcilicet aliquem iudicare, idem eſt prorſùs, ac eum diris vulneribus dilaniare.] Denique ſerui Regis (quid infelicius?) coniuratione inita Dominum occiderunt ægrotantem in lecto, ſepultúſque eſt apud Arcem quidem Sion, ſed non in Regum ſepulchro, quia nouiſſima eum opera Regem eſſe negabant. Verùm nomina ſeruorum, qui Regi collocarant inſidias, hæc ſunt. Zabab filius Semmaath Ammonitidis, & Ioſabad filius Semarith Moabitidis. Adnota quæſo diuinæ vindictæ contra ingratum Regem proceſſum. Vix annus ab occiſo Zacharia Pontifice lapſus erat, cum adeſt Hazaël Rex Syriæ, qui exiguis copiis infinitam penè Iudæorum multitudinem concidit, & proſternit, omnínoque theſauros tum

Læſor Numinis vndenam vires ad certandum expectas?

Iudicare temerè aliquẽ, idem eſt, ac eum diris dilaniare vulneribus.

Tem

Templi, tum aulæ in Syriam abripit, & in Ioasum ignominiosa exercet iudicia, vt post in Sedeciam. Nabuchodonosor 4. *Reg.* 25. nempe acriter & probrosè increpando de ingratitudine, de perfidia, de animi vilitate. Neque ibi stat malum: Rex acerbissimo mox corporis dolore cruciatur, lecto affigitur, in Regem insurgunt, & coniurant serui, decumbentem in lecto trucidant in domo Mello, palatio vicina à Salomone pro filia Pharaonis constructa, & iam forte Regio palatio adiuncta. * Certè tot pœnis vix ingratitudinis vitium pro merito flagellatur.] Crediderim, coniuratos hosce amicos fuisse Zachariæ, quia in eius sanguinis insurrexere vltionem. Porrò de filiis Regis Ioas, de summa pecuniæ ingenti, quæ eius temporibus collecta fuit, de instauratione Templi Regum Liber vberiorem continet tractationem. Alius est Liber hic ab iis, quos habemus. Amasias verò filius Ioasi eius solio successit.

Nullum non supplicii debetur ingrato.

CAPVT XXV.

De occisoribus parentis sui Rex nouus Amasias gerit vltionem. De Idumæis victoriam refert. At in idololatriam delapsus à Ioas Rege Israël bello superatur, & capitur, direpta Ierosolyma. Tandémque apud Lachis à suis interimitur.

1. VIGINTIQVINQVE annorum erat Amasias cùm regnare cœpisset, & vigintinouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Ioadan de Ierusalem. 2. Fecitque bonum in conspectu Domini: verumtamen non in corde perfecto. 3. Cúmque roboratum sibi videret imperium, iugulauit seruos, qui occiderant regem patrem suum, 4. sed filios eorum non interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, vbi præcepit Dominus, dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filij pro patribus suis, sed vnusquisque in suo peccato morietur. 5. Congregauit igitur Amasias Iudam, & constituit eos per familias, tribunósque & centuriones in vniuerso Iuda & Benjamin: & recensuit à viginti annis suprà, inuenítque trecenta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent hastam & clypeum. 6. Mercede quoque conduxit de Israël centum millia robustorum, centum talentis argenti. 7. Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israël: non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filiis Ephraim: 8. Quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superati te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere. 9. Dixítque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israël? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus vnde tibi dare possit multò his plura. 10. Separauit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum suum: at illi contra Iudam vehementer irati, reuersi sunt in regionem suam. 11. Porrò Amasias confidenter eduxit populum suum, & abiit in vallem salinarum, percussítque filios Seir decem millia. 12. Et alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitauerúntque eos de summo in præceps, qui vniuersi crepuerunt. 13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum iret ad prælium, diffusus est in ciuitatibus Iuda, à Samaria vsque ad Bethoron, & interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. 14. Amasias verò post cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum. 15. Quam ob rem irarus Dominus contra Amasiam, misit ad illum propheram, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua. 16. Cúmque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce ne interficiam te. Discedénsque propheta, Scio, inquit, quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo. 17. Igitur Amasias rex Iuda, inito pessimo consilio, misit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu, regem Israël, dicens: Veni, videamus nos mutuò. 18. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem: & ecce bestiæ, quæ erant in silua Libani, transierunt, & conculcauerunt car-

duum. 19. Dixisti: percussi Edom, & idcircò erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua; cur malum aduersum te prouocas, vt cadas & tu: & Iuda tecùm? 20. Noluit audire Amasias, eò quòd Domini esset voluntas vt traderetur in manus hostium propter deos Edom. 21. Ascendit igitur Ioas Rex Israël, & mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem Rex Iuda erat in Bethsames Iudæ: 22. Corruitque Iuda coram Israël, & fugit in tabernacula sua. 23. Porrò Amasiam Regem Iuda, filium Ioas filij Ioachaz, cœpit Ioas Rex Israël in Bethsames, & adduxit in Ierusalem: destruxitque murum eius à porta Ephraim vsque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 24. Omne quoque aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud Obededoni, in thesauris etiam domus regiæ, necnon & filios obsidum, reduxit in Samariam. 25. Vixit autem Amasias filius Ioas Rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz Rex Israël, quindecim annis. 26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum & nouissimorum, scripta sunt in Libro regum Iuda & Israël. 27. Qui postquam recessit à Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalem. Cúmque fugisset in Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi. 28. Reportantésque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in Ciuitate Dauid.

COMMENTARII.

1. Cæsores parentis sui Amasias interimit, coram populum, roborat militibus Imperium.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Vigintiquinque, &c.*] Nouus Rex Amasias filius Ioasi annos viginti suprà quinque annumerabat ætatis cum ad solium ascendit, & viginti nouem annis in Ierosolyma regnauit: mater eius Ioadan è patria Ierosolyma fuit. Externo cultu, non corde perfecto Domino Deo Israël adhæsit. * Ingratus Deo fidelis corporis habitus cum internus non respondet affectus. Fidelem dixi? potiùs fictum fidei habitum vocitarim.] Cum autem videretur sibi, suum imperium esse roboratum, ac confirmatum ex pacifica ciuium obedientia, seruos illos Zabadum & Iozabadum sui parentis cæsores iugulauit: filios tamen eorum reliquit incolumes, nè violare videretur legem Moysi præscribentem, Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus: sed vnusquisque *in suo peccato*, id est, propter suum peccatum morietur. Post hæc Amasias congregauit Iudæos, eosque per familias constituit, id est, omnes, qui ex vna familia erant, eidem Centurioni & Tribuno adscripsit. Maior sic beneuolentia inter milites erat. * Si diuersarum familiarum viri non facilè in pace continentur, quid diuersatum nationum colligati ciues? Vndè vel in collegio religioso cauendum, ne diuersarum nationum congregentur alumni difficilè pace colligandi.] Id gessit Amasias in vniuersa Iudaica ac Benjaminia Tribu, recensénsque populum à viginti annis supra trecenta millia inuenit iuuenes seu viros robustos, qui possent ad certamina egredi clypeo obtecti, & hasta pugnatori. Vox *Bahur*, seu *Iuuenes*, electum etiam militem significat. * Iuueniline ætate flore debet miles electus? Minimè, iuuentus enim indocta plerumque Virilitas aptior certamini, sed quæ iuuenili robore decoratur.] Iuuenes ergo & viri ingentem illum numerum implebant, nimium pro modo Regni, sed certè omnes à viginti annis in rationem veniebant. * Si omnes aptos bello bellica ratio complecteretur, haud pugna ex militum raritate lacesceret.] De Israëlitis quoque conduxit Amasias centum millia robustos milites centum talentorum argenteorum mercede. Exiguam sanè pecuniam in tot milites dispertiendam adiudicabis; nam singulis mille militibus vnum tantùm obueniebat talentum, hoc est, duodecim mille regales Hispanici, & vnicuique militi duodecim regales. Aliquis suspicatur, de talentis auri hunc locum intelligendum, sed vocari talenta argenti, quia non auro, sed argenteis numismatibus soluerentur. Quod si verum esset, singulis militibus duodecim nummi aurei dari fuissent. Alij existimant, talenta fuisse argenti, sed hoc integrum stipendium non fuisse, sed ad breue tantùm tempus, post quod aliam reliquam partem essent accepturi. Crediderim, mercede conductos centum militum millia, centum autem illa argenti talenta non fuisse militibus pro mercede assignata, sed soluta Regi Israëlitico, vt permitteret sua è ditione tot milites mercede conduci, qui quidem adductu ad Iudæam solita essent stipendio donandi.

Ingratus Deo fidelis externus corporis habitus cum internus non respondet affectus.

Vel in religioso collegio difficilè diuersarum nationum viri in pace continentur.

Vir aptior ad bellum, quàm iuuenis.

Si omnes bello apti censerentur, non lacesceret pugna ex militum raritate.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13. *Venit autem, &c.*] Prophetes à Deo immissus venit ad Amasiam, eique profatur: O Rex, ne permittas tecum ad certamina egredi Israëlis exercitum Israëlitæ enim & Ephraimitæ inuisi ob idololatriam sunt Domino. * Hinc ediscant Reges, quàm pernitiosè fideles ad infidelium tutamina accurrunt. Quid inuisus Numini proficiet exercitus? si *Dominus non est cum* Hæreticis, quonammodo Catholicis hi salutares existent?] Quod si existimas, robore exercitus felices belli euentus obniti, vt à mente huiusmodi excidas, Deus te faciet ab hostibus superari. Dei quippe est roborare paucos, & in fugam conuertere multos. * Sententia hæc deberet Regibus nunquam non insonare Catholicis: *Dei est adiuuare, & in fugam conuertere.* Non comparat militum multitudo triumphos, sed diuina protectio Catholici Principis exercitui semper assistens.] Quisnam fuerit hic Prophetes, Textu non habetur ex sacro. Hebræi putant, fuisse Amos patrem Isaiæ. Cùm audis, *Non est Dominus cum Israël, & cunctis filiis Ephraim*, nomine *Ephraim*, totum Israëlem intellige vt passim apud Prophetas. *Ose.* 6.4. *Quid faciam tibi, Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* Quibus verbis duo

2. Viri Dei monito Amasias milites ex Israële conductos separat à Iudæis, & ad propria remittit. *Subtaxantur Reges, qui pressi bello ab infidelibus auxilium postulant.*

Victorias comparat non militum multitudo, sed Dei protectio.

duo Regna, Israëlis & Iudæ designantur. Erat enim Tribus Ephraim præcipua in domo Israël, & in ea Samaria totius Regni caput. Dixit autem Amasias Prophetæ: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi *militibus*, seu pro militibus Israël? Inutilitérne tanta vis argenti insumenda? Respondit Dei nuncius: Habet Dominus, vnde possit tibi multò his plura talenta largiri: * Nunquam te temporaria iactura à perficienda Dei voluntate submoueat: *Habet Dominus vnde tibi dare possit multò his plura.*] Prophetæ monito Amasias acquiescens, remouit exercitum, qui ad eum ex Ephraim seu Israële ventitauerat, vt propria ad habitacula recurreret. At milites Israëlitæ contra Iudæos vehementer irati, suam rursùs iniuére regionem. Huius iræ mox non leuia Israëlitæ dedére signa, vt ex hoc eodem capite patescit. Porrò Amasias prophetica promissione suffultus, confidenter suum eduxit exercitum, in Vallémque Salinarum pergens, Seiritarum decem millia percussit, & totidem viuos cepit, quos Iudei adductos ad cuiusdam *petræ* seu scopuli prærupta è summo præcipites dedidére, cuncti verò *crepuérunt*, id est, *rupti sunt* (Sic Hebr.) de rupe scilicet præcipitati. Porrò ille exercitus, quem Amasias ad propria remiserat, ne secum contra Dei placitum pergeret ad certamen recuerens in Iudæam à Samaria vsque in Berhoron in Ciuitatibus Iudæ diffunditur, & tribus millibus interfectis Iudæis magnam diripit prædam. En iracundiæ effectus.

Temporaria iactura non te à Dei voluntate perficiēda auertat. Plura Deus tibi largietur.

3. *Vers.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Amasias verò, &c.*] Verùm Amasiæ victoria in ruinam cessit. Nam post cædem Idumæorum, post allata ad Iudam idola Seiritarum sibi illa statuit in Deos, ea adorauit, eísque litauit incensum. * Nec prædæ nomine ad tuam adducas ditionem, quæ alius idola coluit, ne tibi idololatrandi ansam exhibeant. Ex. gr. Faciem alicuius decoræ puellæ penicillo expressam cartæ vel lino, stulto amico olim idolum ab illo ad meliorem adducto mentem abiicitur: haud tu tuæ addicas possessioni, ne similis dementiæ morbo corripiaris.] Quamobrem Dominus iratus contra idololatram Amasiam, Prophetam ad illum immisit, qui ei diceret: Cur Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua, imprudens adorasti? si vidisses, Idumæos suorum præsidio deorum aduersum Iudæos reportasse victoriam non tam stultè eorum simulachra coluisses; sed quonam, quæso, titulo haud protegentibus suos idolis thura litasti? Preme adhuc particulam; *Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua.* * Proh hominum stultitia! Deus protegit, & despicitur: Diabolus percutit, & adoratur.] Porrò Rex Prophetæ liberè corripienti respondit: An tu consiliarij Regij munere fungeris? Abstine à monitis, ne me cogas, te interficere. Ergo si Regis ille consiliarius esset, liberè potuisset vel non rogatus Regi aperire veritatem. * Cum consiliarij Regij vident, Regno exitium imminere, non expectent interrogari, quid sentiant mox aperiant. Nec enim Amasias queritur, quòd Prophèta non interrogatus locutus fuisset; sed quod cum consiliarius Regis non esset, liberè loqueretur.] Discedénsque Propheta scio (inquit) quòd Dominus te decreuit interfecere, quia idolis litasti, & quia insuper meo consilio nolueris acquiescere. * Sic Deus punit Reges, qui Concionatorum contemnunt monita, nec eorum salutari consilio acquiescunt.] Scio, (ac si diceret ille) Deum in sceleris tui pœnam permissurum, vt insidijs interceptus violenta morte tollaris è medio. Vt igitur Prophetæ minæ executioni darentur, permittente Domino, Amasias Rex Iudæ pessimum iniit consilium, hanc legationem ad Ioasum filium Ioachaz, filij Iehu Regem Israël immittendo: Veni, nos mutuò videamus. At Rex Israël nuncios remisit, fatus: Carduus, qui est in Libano ad cedrum Libani nuncios immisit, qui ei eius nomine dictitarent: Dà filiam tuam, vt filio meo colligetur in coniugium, & en bestiæ, quæ in silua Libani commorabantur transeuntes de more, carduum conculcauére. Dixisti in corde tuo: Percussi Idumæos, & idcircò cor tuum in superbiam effertur: stultè quidem ad domum tuam incommoda attrahis, vt & tu & Iuda ad idem exitium afferamini. Verba illa, *Veni, videamus nos mutuò*, pronocatio sunt ad bellum, quo disceptetur de dominio Regni Israëlitici decem Tribuum, quas volebat Amasias rursum sceptro Iudaïco coniungi, vti tempore Dauidis, & Salomonis fuerant colligatæ. Cardui Rex Israël prouerbio diserte respondit. Carduus, ait, Libani quia prætereuntis incautè viatoris pedem fortassè læserat, atque vnam alterámve sanguinis guttam extorserat, quasi re maxima gesta insolescens, & aliis longè præcelsioribus patrem se, imò fortiorem ratus, legatione missa, ad primam & celsissimam omnium arborum cedrum expetiit, non rogando, sed imperando, filiam illius filio suo vxorem: & quidem primum in ea affinitate locum sibi exposcit, sicut maritus in nuptiali fœdere superior est vxore. Verùm impudentia ista cardui offensæ bestiæ, quæ ad vmbram cedri stabulari consueuerant, à carduo verò nihil vnquam vtilitatis acceperant, vel sperabant: vt cedro factam iniuriam vindicarent, spinosam & vilem plantam pedibus ita protriuerunt, vt deinceps neque virére, neque sursum se posset attollere. Porrò prouerbium hoc Amasias magno suo damno & probro verissimum esse, & sensit, & toti orbi testatum reliquit. * Nos simul submonens spirituali bello operam exhibentes, ex prima non extolli victoria, vt confidentius vltrò nos periculosis tentaminibus ingeramus.] Noluit Amasias Ioasi prudentibus monitis aquiescere, eo quod Dominus in idololatriæ supplicium decreuerat, eum in hostium direptionem tradi. * O quotiens Deus permittit, Reges prudentibus non acquiescere consiliarijs, vel consiliarios, prudentes aliàs omnino aberrare, *eò quod* Rex thura idolis accendit, id est, venereas colit voluptates!] Ascendit igitur Ioas Rex Israël, ac simul Amasias Rex Iudæ bellicam gessit expeditionem, & ad tractationem de iure Regni, mutuos sibi præbuére conspectus. Cum autem Ioas Rex Israël accessit, Amasias Rex Iudæ in Bethsames Iudaica Ciuitate pugnax expectabat. Tractatui inutili bellum succedit, & commisso certamine, cotruit Iudæ exercitus coram Israël copijs, & Iudæi sua in tabernacula infami se fuga receperunt. Porrò Amasiam Regem Iudæ filium Ioasi, filij Ioachaz Ioas Rex Israël in

Lapsus in idololatriam Amasias à Rege Israëlis Ioaso vincitur, & à suis demum occiditur.

Quæ alius idola coluit, v. gr. imaginem puellæ lino expressam, aut cartæ, haud tuæ ditioni addicas; ne ei etiam idololatra liceat.

Deus protegit, & despicitur: diabolus percutit, & adoratur.

Regij Consiliarij etiam non interrogati debent Regi aperire veritatem.

Punitur à Deo Rex, qui Concionatorū monitis non acquieſcit.

Ex prima victoria non extollaris, vt te vltrò periculosis tentaminibus ingeras.

Permittit Deus, Regem consilijs salutaribus non acquiescere, aut consiliarios aberrare, eo quod Rex voluptatum colit idola.

in Bethſames, vbi aderant tabernacula, cepit & captiuum adduxit in Ieroſolymam : inſolens enim ex triumpho ratus ſe iam Ieroſolymæ dominum, murum ſanctæ Vrbis deſtruxit à porta Ephraim vſque ad portam anguli cubitis quadringentis. Expende verbum, *Aſcendit igitur Ioas.* Optimum in bello, hoſtium præuenire conatus, & in eorum finibus bellum gerere. Vnde vulgare illud, *Quien acomete vence.*] Quinam ille Ioachaz, cuius filius dicitur Ioas? Porrò Ochozias vocatus eſt etiam Azarias & Ioachaz *cap.* 22.6. cuius Amaſias fuit nepos ex filio Ioas. Omnem auri & argenti vim, & vniuerſa pretioſa ſupellectilia, quæ Rex Iſraël in Templo, & apud domum Obededom, vel in aulæ theſauris reperérat, nec nos & filios obſidum in Samariam reduxit. *Apud Obededom* inquit, id eſt, apud vnum de Obededomi nepotibus. Vel apud poſteros Obededom, qui de nomine parentis ſui dicuntur *Obededom*, quemadmodum cum dicimus *Iſraël*, poſteros Iſraëlis ſignificamus. * Profectò pater aut probus, aut improbus ſemper in filiis nominatur, quia bona opera eorum plerumque probi parentis, mala autem parentis improbi mores ſapiunt.] *Filios obſidum* ſacer Scriptor ipſos vocitat obſides, vt cum dicimus *filios iniquitatis* pro iniquis. Hebraïcè, *Filios pignorum*, ſeu arrhabonum. Hebræus filios Principum intelligit, quos Reges inter ſe dabant, vt eſſent fœderis pignora; ij obſides ſunt, qui erant apud Amaſiam, quos Ioas *reduxit* in Samariam. Notanter enim verbo *Reduxit* vſus eſt textus, vt innueret filios illos Principum olim in obſides adductos à Samaria in Ieruſalem, fuiſſe è Ieruſalem reductos in Samariam.

Filiorum bona aut mala opera plerumque parentum mores ſapiunt.

Verſ. 25.26.27. *Vixit autem, &c.*] Verùm poſtquam obiit Ioas filius Iaachaz Rex Iſraël ſuum diem obiit, Amaſias filius Ioas Rex Iuda quindecim vixit annis. Eius autem geſta priora & nouiſſima in Volumine Regum Iuda & Iſraël vbertim annotantur. Demùm poſtquàm ingratus receſſit à Domino, non ſemel inimiciues ei in Ieroſolyma inſidias tetenderunt. * Principis enim à Deo recedentis cuncti greſſus inſidiis ſunt obnoxij.] Cúmque nouiſſimæ ei inſidiæ collocarentur, & fugiſſet in Lachis, vt inimicorum manus euaderet, immiſſi ab inſidiarum auctoribus milites Regem ibi trucidauerunt cadauer Regium equorum miniſterio, id eſt, curru ad Ieroſolymam reportarunt famuli & apud arcem Sion in patrum ſepulchro condiderunt. Curru deportatum cadauer aſſerui expendens illam particulam, *Reportantéſque ſuper equos*, non ſuper equum. Quomodo enim vnius & alterius equi humeris reportandum cadauer addiceretur. Ergo à pluribus equis fuit curru deportatum. 4. A ſuis Amaſias occiditur.

Greſſus cuncti Principis improbi inſidijs ſunt obnoxij.

CAPVT XXVI.

Oziás, ſeu Azarias pius ac religioſus patri occiſo ſuccedit iniquo. De Philiſthæis, Arabibus, & Ammonitis triumphum agit. At animo elatiori, dum in Templo incenſum adolere præſumit, leprâ percutitur, & filio Ioathamo Regni cedit adminiſtratio.

1. OMNIS autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum ſedecim, conſtituit regem pro Amaſia patre ſuo. 2. Ipſe ædificauit Ailath, & reſtituit eam ditioni Iuda, poſtquam dormiuit rex cum patribus ſuis. 3. Sedecim annorum erat Ozias cùm regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem. 4. Fecítque quod erat rectum in oculis Domini, iuxta omnia, quæ fecerat Amaſias pater eius. 5. Et exquiſiuit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cúmque requireret Dñm, direxit eum in omnibus. 6. Deniq; egreſſus eſt, & pugnauit contra Philiſthiim, & deſtruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murúmque Azoti: ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſthiim. 7. Et adiuuit eum Deus contra Philiſthiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas. 8. Appendebántque Ammonitæ munera Oziæ: & diuulgatum eſt nomen eius vſque ad introitũ Ægypti propter crebras victorias. 9. Ædificauitque Ozias turres in Ieruſalem ſuper portam anguli, & ſuper portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauítque eas. 10. Extruxit etiam turres in ſolitudine, & effudit ciſternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora, tam in campeſtribus, quàm in eremi vaſtitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. 11. Fuit autem exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia, ſub manu Iehiel Scribæ, Maaſiæque doctoris, & ſub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis. 12. Omníſque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium ſexcentorum. 13. Et ſub eis vniuerſus exercitus, treçentorum & ſeptem millium quingentorum:

qui

qui erant apti ad bella, & pro rege contra aduersarios dimicabant. 14. Præparauit quoque eis Ozias, id est, cuncto exercitui, clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcúsque & fundas ad iaciendos lapides. 15. Et fecit in Ierusalem diuersi generis machinas: quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas, & saxa grandia: egressúmque est nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum. 16. Sed cùm roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. 17. Statímque ingressis post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, 18. restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. 19. Iratúsque Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statímque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. 20. Cúmque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. 21. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porro Ioatham filius eius rexit domum regis, & iudicabat populum terræ. 22. Reliqua autem sermonum Oziæ priorum & nouissimorum scripsit Isaias filius Amos, propheta. 23. Dormiuítque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus: regnauítque Ioatham filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Oziæ pietas, & victoriæ contra Philisthæos.

VERS. 1.2.3.4.5.6. Omnis autem, &c. Ergo pro Amasia parente cæso omnis Iudæorum populus constituit Oziam sibi Regem, cum sedecim esset annorum. Simul ac Amasias cæsus est, & Ozias se vidit hæredem Imperij, reædificauit Vrbem Ailath sitam ad Rubrum, vnde dictus sinus, Elaniticus; cámque Iudæ ditioni restituit. Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis in Ierosolyma imperauit. Dignus tam diuturno dominatu, qui tam iuuenis egregiè operari cœpit. * Et plerumque Deus diuturna vita donat Reges, qui iuuentutem virtuti, Regníque commodis dedunt, quam alij assolent voluptatibus impendere.] Nomen matris eius Iechelia ex Vrbe Ierosolyma. Dominum coluit ex corde, sicuti Amasias pater eius ex perfecto non corde, externo tamen habitu gesserat. Profectò Rex Dominum requisiuit, eius submissus placito, dum fuit superstes Zacharias intelligens, ac videns Deum, id est, expertus ac peritus in propheticis visionibus. Hunc Prophetam existimant aliqui fuisse alterius filium Zachariæ, quem impius Rex Ioas lapidibus obrui iussit in Templo. Hic ergo dum vixit, Regique Oziæ fuit familiaris, illum in officio continuit: vbi vita excessit, etiam Ozias deflexit à recto. * Tanti momenti est, pios & constantes Regi iuueni pedagogos addici.] Cum igitur Ozias Dominum requireret, eius præscripta obseruans, Deus eum *direxit*. Hebr. *Fecit eum prosperari*. * Regi enim legis custodi omnia prospera obueniunt.] Denique se se ad bellicam expeditionem accinxit, & decertando aduersum Philisthæos, destruxit murum Gerh, murum Iabniæ euertit, murúmque Azoti comminuit. Geth & Azotus primariæ Vrbes Philisthinorum fuere, & duæ de quinque Satrapiis eorum: reliquæ tres erant Ascalon, Gaza, & Acharon. Iabnia, seu Iamnia Ciuitas erat maritima portu celebris & munita, vix trium horarum itinere distans à Geth. Hisce vero Vrbibus superatis apud agrum Azoti, & alios Philisthinorum campos Oppida ædificauit, quæ Iudæis contra reliquos Philisthæos præsidio essent, & ad eos in officio continendos valerent.

Diuturna vita donatur Rex, qui iuuëtutem virtuti, aut Regni commodis impendit.

Magni momenti est, Regi iuueni pii & constantem addici pedagogum. Cuncta obueniunt prosperè Regi iusto.

2. Ozias de Arabibus & Ammonitis triumphum agit, machinas suscitat, roborat imperium.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15. Et adiuuit eum &c.] Pium itaque Regem Oziam Deus adiuuit, vt triumphum non semel ageret contra Philisthæos; & vt Arabes, qui in Gurbaal habitabant, vinceret; & vt Ammonitas debellaret. Profectò quia multiplex est Arabia, eos Arabes Oziam superasse facer notat Scriptor, qui habitabant in Gurbaal; siue in Gerara, in qua peregrinatus est Abraham. LXX. in Bibliis Regiis habent, *Habitantes in Petra*, Arabiam, quæ *Petrea* dicta est, intelligentes. Certè in Hebræo pro *Ammonitas* dicitur *Mehunitas*, quo nomine LXX. intellexére populos, quos ipsi Mineos vocitant, Arabes scilicet mari Rubro adiacentes, apud quos thus nascitur, quod Minæum propterea Plinius appellat. Verùm Ammonitæ, siue Minæi munera Oziæ tributarij appendebant. *Appendebant* (inquit textus) *Ammonitæ munera Oziæ*, seu tributa soluebant. * Si tributum necessarium erat, quomodo munus dicitur, quod vltroneè debet exhiberi? Quia multa Reges assolent munera seu donaria petere, quæ tanquam tributa necessaria à subditis exigunt.] Sanè propter crebras victorias Oziæ Regis fama vsque ad Ægypti introitum peruulgata est. * Nomen Regis victoris

Donaria Regi veluti tributa necessaria exigunt à subditis.

Nomen victo-

rij Regis vbique terrarum auditur.

ctoris vbique terrarum auditur, Imbellis Principis nomen intra ditionis fines tacitum contineatur.] *Addit ille* Regno robur, extruens turres in Ierusalem Imperij metropoli super portam *anguli*, quæ quidem terminabat latus Occidentale Ierosolymitani muri, & Aquilonare inchoabat: & super portam *Vallis*, quæ ducebat ad Caluariæ montem, & dicta est porta *Vallis* à valle cadauerum. Erat autem vallis cadauerum iacens inter montem Caluariæ & murum Ierusalem, sic dicta, quod inibi cadauera, ossa, ac cineres eorum, qui in Golgotha monte puniti erant, aut combusti, proiiciebantur. Reliquas verò turres extruxit in eodem muri latere, quod Occidentem spectabat: eásque *firmauit*, seu additis militibus communiuit. * Nec enim sufficit muros esse fortissimos, si militum robur ad illorum protectionem desideretur.]

Vel muri fortissimi militibus ad defensionem indigent.

* Ne nimiùm votorum muris fidas (*murum* pauperatis votum D. meus vocauit Ignatius) si virtutes, quas sapientia pugnatatas immisit ad *arcem & ad mœnia*, murum fortissimum non defendant.] Ædificauit etiam Rex turres in solitudine, vt ab hostilibus latrunculorum incursionibus pastores essent in pascuis solitudinis tuti.

Votorum murus indiget virtutibus, quæ eum defendat.

* Egregius Princeps, qui tutandis pastoribus studium impendit.] Ex turrium extructione sibi Rex simul arabat, quia multa pecora nutriebat, tàm in campestribus, quàm in eremi latitudine, ideò non solùm turres ad defensionem pastorum, sed etiam cisternas plurimas ad pecorum vsum effodit. Vineas quoque & vinitores in montanis Iudææ, & in Carmelo; erat enim homo *agriculturæ deditus*. * Vtinam Principes culturæ agri darent operam, cuius diuitiæ certiores, immediatè enim agrorum prosperitas à Numine cœlesti promanat.] Pro particula *Agriculturæ deditus* erat, in Hebræo habetur: *Diligebat terram*. * Vt quis in quoliber ministerio, quo diuitiæ acquiruntur, proficiat, & augeatur, necessarium & huiusmodi diligere ministerium. Labori parcet, qui amando laborat.] Profectò ex gregibus armentis, ac torculari Rex diuitias acquirebat, queis posset numerosum admodum exercitum alere. Is quidem bellatorum exercitus ad prælia procedebat sub Ducibus Iehiel *Scriba*, & Maasia *Doctore*, sub Hananiáque, qui inter præcipuos Regis Duces numerabatur. An Duces Scriba ille, & Doctor? Scio à LXX. vocitari *Iudices* Iehielem, & Maasiam, in textúque Hebræo appellari *Præfectos*, Crediderim, Scribam, & Doctorem censendis tantum militibus Regis nomine præfuisse. Ananiam verò militum extitisse Principem. Vel dici potest, illos duos adstitisse Hananiæ, sicut olim Dauide regnante, Abisai & Ethai Ioabo aderant. 2. *Reg.* 18. 2. Pro verbo autem illo, *Qui erat de Ducibus Regis* LXX. transferunt, *sub manu Hananiæ vicarij Regis*, siue Proregis. Quid si teneas, tàm Scribam quàm Doctorem Duces etiam exercitus extitisse? * Laudandum profectò Regem ex huiusmodi electione asseruero. Nam si sapientia & fortitudo agunt ducatum, non video, vndenam possit triumphus euanescere. Necessaria exercitui prouidentia, quam sapientia offert: necessaria virtus, quam fortitudo Ducis exponit.] * Cæterùm illum Imperatorem omnibus nominibus commendabilem dixerim, quem viderim sapientia ac fortitudine simul condecorari.] Certè numerus *Principum* seu inferiorum Ducum per familias virorum fortium duorum millium trecentorum erat: & sub his vniuersus incedebat exercitus trecentorum & septem millium quingentorum, qui apti erant ad certamina, &, data occasione, pro Rege contra aduersarios dimicabant. Vt autem armorum defectu non lacesceret pugna, cunctis militibus Ozias clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundásque ad iaciendos lapides vbertim *præparauit*. Et in Ierusalem elaborari fecit diuersi generis machinas militares, quas collocauit in turribus, & in murorum angulis, vt sagittas, grandiáque saxa immitterentur. Vnde fama Regis vltrà Regna finitima peruolauit.

Ptinam Principes agriculturæ esset addicti.

Si ministeriũ laboriosum amas, labori parcet.

Sapientia & fortitudo triũphos comparat.

Omnibus nominibus commendabilis Dux ille, qui viget sapientia & fortitudine.

* Non est prudentis Imperatoris, postquam bellum indicitur, bellica munimenta militibus accommodare, sed ante certaminis instantiam totam pugnandi, supellectilia prouidere. Ideò dicitur; *Præparauit cuncto exercitui Ozias clypeos, hastas &c.*] Profectò Regis nomen ideò celebre vbique insonuit, quia auxiliante, & corroborante Domino, illustria facinora exposuit. * Preme verbum, *Egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus & corroborasset illum*. Ad nominis celebritatem gesta non sufficiunt illustria, si Deus non ferat auxilium. Ideò multos videris egregiè operantes obliuionis tenebris offundi, quia ob piacula à Deo non corroborantur.]

Non sunt accommodanda militibus arma postquam bellũ ingruit, sed maturè præparanda.

Ad nominis celebritatem, seu acquirendam famam, necessariũ est Dei speciale auxilium.

Versi 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Sed cum roboratus esset.*] Cæterum tanta nominis celebritate cor est elatum Oziæ, planè in *interitum*, Deúmque suum ausus est negligere sacrilego dans operam ausui. * Certè licet omnia peccata Dei contemptum innuunt, speciatim qui sacrilegio maculari non veretur, *negligit Deum suum*. Annon te negligere ostendis Deum, quem audes pectore immundo excipere?] Dicitur. Ozias, *in interitum* eleuatum fuisse. Quomodo in interitum, si diù lepra maculatus vixit? Certè lepra instar mortis erat, quæ ab hominum consuetudine tanquam mortuos separat infectos, & eam Scriptura morti æquat, *Isa.* 6. 3. *In anno, quo mortuus est Ozias*. Aliqui explicant de anno, quo fuit leprâ percussus. * Crediderim tamen de morte spirituali intelligendum illud, *In interitum*, delenquere enim quidnam est nisi dirè interimi. Vnde si lex eum quisque temerè Sacris immiscebat, pœnam indicebat capitalem *num.* 3. 10. Regi pœna capitalis infligitur, dum delinquit.] * Addiderim tamen, fœdam corporis ægritudinem pro morte appositè reputari, imò granius morte esse in commodum; homo enim fœda ægritudine laborans non in instanti vt reliqui, sed per singula momenta cogitur interire.] Ingressus itaque Ozias Templum Domini super altare thymiamatis adolere voluit incensum, quod illi non licebat, cum munus id esset Sacerdotale. At statim summus Præsul Azarias octoginta Sacerdotibus viris *fortissimis* & animi constantia, & corporis robore stipatus post eum ingressus, Regi obstitit profatus: Haud est muneris Regij Ozia, Domino incensum adolere, sed Sacerdotale officium est, videlicet ad filios Aaron pertinet, qui ad huiusmodi ministerium fuere consecrati. * Fortissimos aptè Sacerdotes hosce facer vocat Scriptor: se enim fortissimum ostentat quicumque Sacerdos, qui audet Regis iniustas subtaxare actiones.] E Santuario egredere, *ne contempseris*.

3. Superbia Oziæ litantis incensum leprâ flagellatur.

Delinquere idem est ac dirè interimi.

Fœda corporis ægritudo morte est dirior.

Sacrilegus, Deum negligere ostentat.

Fortissimum se ostendit Sacerdos, seu Cõcionator, qui iniustas Regum cæpit actiones.

tempſeris. Hebr. *Quoniam prænaricatus es*. Haud perficias quam exercere intendis actionem, quæ tibi in gloriam à Domino minimè reputabitur. Si autem coram Deo non eſt actio glorioſa, quid tibi proderit, apud homines Leuitico è penu gloriari? Verùm Ozias ita ſuccenſus fumātem tenens manu thuribulum Sacerdotibus minitabatur. Statimque lepra eius orta eſt in fronte iuxta altare thymiamatis; & quia frons leprâ percuſſa eſt, non potuit Sacerdotibus abſcondi. * Dum temerè intendit thus adolere Ozias Deus parcit: dum Sacerdotibus minatur, leprâ percutitur. An Deus plus ex Sacerdotum iniuria, quàm ex propria afficitur?] Regem leprâ infectum Azarias, reliquíque Sacerdotes dum conſpiciunt, eum feſtinatò expellunt è Templo. Sed & ipſe perterritus ſubita plaga, egredi feſtinauit. * Preme, quæſo, verbum illud: *Egreſſa eſt leprâ in fronte eius ſuper altare thymiamatis*. In Hæbræo habetur, *Orta eſt leprâ de ſuper altare*. Indicat, ab ipſo altari percuſſum leprâ Oziam, & ab altari plagam exortam. Si fœda laboras ægritudine, ſi ærumna infami cruciaris; tuam recole conſcientiam: & cum conſcius fueris, te ſacrilego auſu ad Euchariſtiam acceſſiſſe, crede, ex altari plagam exortam.] Fuit igitur Ozias leprâ infectus dum vixit, & de more in domo ſeparata habitauit non iam in fronte ſolùm percuſſus, ſed plenus leprâ, ob quam è domo Domini fuerat exturbatus. Loco particulæ, Habitauit Rex *in domo ſeparata*, eſt in Hebræo, *In domo libera*, id eſt ſuburbana. Hebræus quidam Domum liberam ait ſepulturam vocari, quæ periculis ac curis liberat, iuxta illud *Pſal.* 87.6. *Inter mortuos liber*. * Vt non nimium doleas, cum videris propinquum, aut amicum ſuum obire diem, quem ad domum liberam periculis, curis, & ærumnis cùm gaudio deberes comitari.] Porrò Ioathamus Oziæ filius palatium rexit, iuſque Regno dixit, quod parens leprâ infectus gerere non poterat. * Si leprâ criminis Præſul percutitur, nec medicamini det illicò operam, à regimine abſtineat; ineptè enim poterit leproſus leproſos ſubdictos coercere, ſacrilegóſque Sacerdotes è domo Domini deturbare.] Verùm reliqua priora ac nouiſſima Regis Oziæ geſta Propheta Iſaias filius Amos ſcripſit. Horum tamen nihil iam in Iſaiæ prophetia extare video. Bis tantùm illius obiter Vates meminit, ſemel *capit. 6. 1. In anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. Vbi Patres annotāt, ideò vſq; ad mortem Oziæ diſtuliſſe Deum per Prophetas cum populo Iudaico agere, quod hic conſortio & præſentia Regis leproſi contaminaretur: debuiſſent enim illum non in Vrbe licet ſeparata domo detinere, ſed extra mœnia exturbare, vt lege cautum fuerat. * O quotiens ſubditi ob improbi Regis crimina ſpecialibus Dei beneficiis priuantur!] * Supplicium verò horribile Regni eſt ob Regis impietatem, cum veri Prophetæ ſeu Apoſtolici Concionatores non loquuntur, ſed Comœdi ſuggeſtum nænias prolaturi conſcendunt.] Iterùm Oziæ meminit Iſaias, *cap.* 14. 28. cum Philiſthæos ab Ozia ſæpius attritos, & iam comperta morte illius vehementer exultantes ſic minabundus alloquitur: Næ lætetis Philiſthæa omnis tu, quòniam comminuta eſt virga *percuſſoris tui* Oziæ: de radice enim colubri egredietur regulus, nempe Ezechias pronepos Oziæ, qui tantò grauiùs vos affliget, quantò grauior eſt reguli, quàm colubri morſus. Scribit Ioſephus *lib. 9. Antiq. c. 11.* Ozia tentante thus Domino offerre, contigiſſe magnum illum terræ motum, cuius meminit Amos *cap. 1. 1.* cogentem ciues ex Vrbe Ieroſolymitana profugere, & Regem è templò ab impio deſiſtere facinore. * Si terra concutitur ſacrilegi Regis contra legis præſcriptum litare tentantis ad conſpectum, quid faceret, ſi permitteretur conceptum exprimere ex aſpectu Sacerdotis indignè altari miniſtrantis horrorem?] Diem denique ſuum obiit Ozias & ſepultus eſt in agro vbi Regia ſepulchra erant extructa, id eſt, non intra ſpecum, vbi Regum cadauera condebantur, ſed in agro adiacente, quia leprâ morbo inficiebatur. ** Inficitne leprâ mortuorum oſſa? Certè peccati figuratur infectio vel poſt peccatoris obitum ſociis exitialis.] Mortuo igitur Ozia Ioathamus filius eius ſucceſſit.

Plus Deus affici videtur ex iniuria illata Sacerdotibus, quàm ex propria iniuria.

Si fœda ægritudine cruciaris, aut infamia afficeris, poſtquàm indignè Euchariſtiā ſuſcepiſti: crede, plagam ex altari exortam.

Mors expetenda, quia ad ſepulchrū ducit, domum ſcilicet periculis ac curis liberam.

Leprā criminis infectus Præſul à regimine abſtineat.

Subditi ob Regis crimina ſpecialibus Dei beneficijs priuantur.

Ob Regis improbitatem, permittit Deus, Cōcionatores in hiſtriones cōuerti.

Quam horribile facinus, Sacerdotem altari ſacrilegum miniſtrare!

Vel poſt mortem exitialis eſt ſocijs peccati leprā.

CAPVT XXVII.

Pius ac zeloſus Ioathamus illuſtrem de Ammonitis victoriam refert, quibus multam annuam imponit. Impius verò Achaz pio patri ſuccedit.

1. IGINTIQVINQVE annorum erat Ioatham cùm regnare, cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Ieruſa filia Sadoc. 2. Fecítque quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater ſuus, excepto quòd non eſt ingreſſus templum Domini, & adhuc populus delinquebat. 3. Ipſe ædificauit portam domus Domini excelſam, & in muro Ophel multa conſtruxit. 4. Vrbes quoque ædificauit in montibus Iuda, & in ſaltibus caſtella & turres. 5. Ipſe pugnauit contra regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederúntque ei filij Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem

tidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filij Ammon, in anno secundo & tertio. 6. Corroboratúsque est Ioatham, eò quòd direxisset vias suas coram Domino Deo suo. 7. Reliqua autem sermonum Ioatham, & omnes pugnæ eius opera, scripta sunt in Libro regum Israël & Iuda. 8. Vigintiquinque annorum erat cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem. 9. Dormiuítque Ioatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Dauid: & regnauit Achaz filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Ioathami Regis Iuda pietas, & ædificationes Vrbium.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Vigintiquinque &c.*] Ioathamus Oziæ filius vigesimum quintum agebat annum, cum clauum Iudaici Regni tenuit & sedecim annis in Ierosolyma imperauit. Mater eius filia erat Sadoc & Ieruſa vocitabatur, Rectè vixit parentis Oziæ referens actiones, excepto quod non est ingressus Templum Domini sacrilego ausu ad thus Deo more Sacerdotali adolendum. Noluit enim filius, qui curabat assimilari pio aliàs parenti, in hoc eius temeritatem imitari. * Laudabilis filius, qui probitatis parentis æmulator exiſtit, sed laudabilior admodum, qui quod reprehensibile fuit in parente, suis curat ab actionibus ablegari.] Porrò *adhuc populus delinquebat*, delicto tum temporis vulgato, nempè sacrificando in excelsis. Neque ausus fuit Rex Ioathamus pupulum ab huiusmodi immolatione diuertere. Vnde gratis de illo scripsit Iosephus *lib. 9. Antiq. c. 11. Nulla ei virtus defuit, erga Deum pio, iusto erga homines, & Reipublicæ studioso.* * Nec enim se Reipublicæ studiosum ostendit Rex, qui non curat vel proprio incommodo, populum ad præscriptorum legis obseruationem adducere.] * Nullum namque potest grauius Reipublicæ excogitari incommodum, quàm eam permittere communi flagitio maculari, quod Princeps studiosus Reipublicæ debet vitare malum.] Ipse ædificauit, seu instauravit, & splendidiorem construxit portam domus Domini *excelsam*, id est, Orientalem, qua ingressus à fronte in Templum patebat; erátque hæc omnium præcipua, maximéque excelsa. Hanc illam reor *portam* esse *nouam*, cuius Ieremias *cap. 26. 10. & cap. 36. 10.* meminit. * An noua appellanda antiqua porta, cui nouus addictus fuit splendor? Ità planè. Vt ediscas, innouationem spiritus hominem attritum & inueteratum nouum omninò reddere.] Ipse in muro *Ophel multa construxit.* LXX. *Multum ædificauit.* Quidam murum *Ophel* vertunt, *murum cliui*, & ad Occasum Templi collocant, quibus fauere videtur Scriptura infrà *cap. 33. 14.* Existimo, Ophel locum illum totum esse, qui à parte Orientali Templi, & muro Ciuitatis intercipitur; ex quo ea pars muri, dicebatur murus Ophel; in quo loco Ioathamus ad quatuor stadiorum spatium multum ædificauit; Vrbes quoque in montanis Iudæ refecit: & in saltibus castella & turres extruxit, vt viatoribus & pastoribus præsidio essent, & externam vim irrupentium hostium arcerent.

Filij probi rectas parentum actiones æmulantur, non iniquas.

Rex, qui studiosè se Reipublicæ gerit, debet eam ad obseruationem legis adducere.

Nullum grauius Reipublicæ incommodum, quàm eam permittere communi flagitio aliquo maculari.

Spiritus renouatio hominem attritum & inueteratum nouit omninò reddit.

Verſ. 5. 6. 7. 8. 9. Ipse pugnauit &c.] Contra Regem Ammonitarum iugum fortasse Iudæorum conantem excutere (Oziæ enim illos bello vicerat, & tributum imperauerat) Ioathamus validè dimicauit. Debellati igitur Ammonitæ *tempore* illo siue anno primo illo, Regi Iudææ victori centum talenta argenti, decem millia coros tritici totidémque hordei exposuerunt. Iam sæpè tradidi, corum tritici triginta modios continere Romanos. Hæc postmodum Ammonitæ anno secundo & tertio exhibuere. Quasi diceret, id tributum non vltra tertium annum stetit, idque fœdus non amplius cum Ammonitis ictum. *Corroboratúsque* est Ioathamus, siue potentia, opulentia, ac victoriis donatus fuit à Deo, eo quod direxisset gressus ad Dominum eius præcepta custodiendo. * Regni enim prosperitas ex morum Regis compositione ducit originem.] Reliqua demum Ioathami gesta, pugnæ, victoriæ, in Libro annalium Regum Israël & Iuda exarata inueniuntur. Vigesimum (vt dixi) quintum agebat ille annum, cum Regnum accepit, & sedecim annis in Ierosolyma imperauit. Obiit diem suum, & apud arcem Sion fuit Sepulturæ amandatus. Porrò Achaz impius pio patri successit.

2. Ioathamus de Ammonitis illustrem victoriã refert, & eo mortuo succedit Achaz.

Prosperitas Regni ex prouibus Regis moribus originem trahit.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Primò Syris, ſecundò Iſraëlitis, tertiò Idumæis, quartò Philiſthæis propter ſcelera Achaz in prædam Iudæa datur. Pius Ezechias impio Achazio ſuccedit.

1. VIGINTI annorũ erat Achaz cùm regnare cœpiſſet: & ſexdecim annis regnauit in Ieruſalem: non fecit rectum in conſpectu Domini, ſicut Dauid pater eius: 2. Sed ambulauit in viis regum Iſraël, inſuper & ſtatuas fudit Baalim. 3. Ipſe eſt, qui adoleuit incenſum in Valle Ben-ennon, & luſtrauit filios ſuos in igne, iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Iſraël. 4. Sacrificabat quoque, & thymiama ſuccendebat in excelſis, & in collibus; & ſub omni ligno frondoſo. 5. Tradidítque eum Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percuſſit eum, magnámque prædam cepit de eius imperio, & adduxit in Damaſcum: manibus quoque regis Iſraël traditus eſt, & percuſſus plaga grandi. 6. Occidítque Phacee filius Romeliæ, de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores: eò quòd reliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum. 7. Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex Ephraïm, Maaſiam filium regis, & Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoque ſecundum à rege. 8. Ceperúntque filij Iſraël de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertúlerúntque eam in Samariam. 9. Ea tempeſtate erat ibi propheta Domini, nomine Oded, qui egreſſus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum veſtrorum contra Iudam tradidit eos in manibus veſtris, & occidiſtis eos atrociter, ira vt ad cœlum pertingeret veſtra crudelitas. 10. Inſuper filios Iuda & Ieruſalem vultis vobis ſubiicere in ſeruos & ancillas, quod nequaquam facto opus eſt: peccaſtis enim ſuper hoc Domino Deo veſtro. 11. Sed audite conſilium meum, & reducite captiuos, quos adduxiſtis de fratribus veſtris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraïm, Azarias filius Iohanam, Barachias filius Moſollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amaſa filius Hadali, contra eos qui veniebant de prælio. 13. Et dixerunt eis: Non introducetis huc captiuos: ne peccemus Domino. Quare vultis adiicere ſuper peccata noſtra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum eſt, & ira furoris Domini imminet ſuper Iſraël. 14. Dimiſerúntque viri bellatores prædam, & vniuerſa quæ ceperant coram principibus, & omni multitudine. 15. Steterúntque viri, quos ſuprà memorauimus, & apprehendentes captiuos, omnéſque qui nudi erant, veſtierunt de ſpoliis: cúmque veſtiſſent eos, & calceaſſent, & refeciſſent cibo ac potu, vnxiſſéntque propter laborem, & adhibuiſſent eis curam, quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, impoſuerunt eos iumentis, & adduxerunt eos Iericho Ciuitatem palmarum ad fratres eorum, ipſíque reuerſi ſunt in Samariam. 16. Tempore illo miſit Rex Achaz ad regem Aſſyriorum poſtulans auxilium. 17. Venerúntque Idumæi, & percuſſerunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam. 18. Philiſthiim quoque diffuſi ſunt per vrbes campeſtres, & ad Meridiem Iudæ: ceperúntque Bethſames, & Aialon & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnam, & Gamzo, cum viculis ſuis, & habitauerunt in eis. 19. Humiliauerat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eò quòd nudaſſet eum auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum. 20. Adduxítque contra eum Telgath Phalmaſar regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtauit. 21. Igitur Achaz, ſpoliata domo Domini, & domo regum ac principum, dedit regi Aſſyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 22. Inſuper & tempore anguſtiæ ſuæ auxit contemptum in Dominum, ipſe per ſe rex Achaz. 23. Immolauit diis Damaſci victimas percuſſoribus ſuis, & dixit: Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtiis, & aderunt mihi: cùm econtrariò ipſi fuerint ruinæ ei, & vniuer-

so Israël. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis Domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem. 25. In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum eius, omnium operum suorum priorum, & nouissimorum, scripta sunt in Libro Regum Iuda & Israël. 27. Dormiuitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in Ciuitate Ierusalem: neque enim receperunt eum in sepulchra regum Israël. Regnauitque Ezechias filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Regis Achaz impietas.

VERS. 1. 2. 3. 4. Viginti, &c.] Cum regnare cœpit Achaz vigesimum gerebat annũ, & annis sexdecim in Iuda regnauit. Non coluit Dominum Dauidis parentis eius seu proaui imitator, sed viarum Regum Israël iniquarum sectator fuit: imò & se illis iniquiorem exposuit, *insuper* enim idolorum extruxit simulacra.* Nihil iniquius, quàm inuentor esse iniquitatis?] Ipse immundum adoleuit incensum in Valle Ben-Ennon, & *lustrauit filios suos in igne*, nimirum eos per ignem traducens. Hoc ritu illæ gentes finitimæ Melchon id est Saturno sacrificabãt: & inter eos receptum, vt in magnis periculis Principes Deum vltorem placarent suorum sanguine filiorum. Id gerebat Achaz iuxta ritum, seu *abominationes* (sic Hebraïcè) gentilium, quos interfecit Dominus in aduentu filiorum Israël. Pro particula, *Iuxta ritum gentium, quos interfecit Dominus*, in Hebræo habetur, *Quas expulit Dominus.* * Expelli enim hominem à patria terra & in exilium mitti, simile quid interfectioni est.] Nec solùm fana idolorum inibat, fumabat altaria, sed & scandebat excelsa, inibique thymiamatha succendebat, & in collibus, & sub omni frondosa arbore litabat incensum. *Frondosa* inquam, id est, sub quauis arbore præcelsiore, & frondibus magnis insigni solebant gentiles erigere altaria noua, ibique sacrificare: quod crederent, singularem aliquam vim Numinis in talibus latere plantis, quæ illas in eam altitudinem, & egregiam extulisset in formam. * Edisce ab impiis, ô piger fidelis, in florum pulchra varietate, in proceritate ac fœcunditate arborum, vim diuinam contemplari fouentem.]

Nihil iniquius, quàm inuentor esse iniquitatis.

Mitti hominem in exilium, simile quid interfectioni est.

In pulchritudine florum, arborumque proceritate vim contemplare Numinis fouentis.

2. Datur Achaz impius in prædam Syris, & Israëlitis.

Vers. 5. 6. 7. 8. Tradidit que, &c.] Vindex igitur Dominus impiissimum Regem Achaz primò tradidit Regis Syriæ Rasin potestati, qui eius dirè percussit exercitum, de eiusq; ditione magnam prædam eripuit, & eum tulit in Damascum Metropolim. Haud est hoc bellum, quod Syrus simul cum Rege Israëlitico gessisse narratur 4. *Reg.* 16. 5. sed aliud, quod solus intulit Rex Syriæ, & captiuum Achaz attulit in Damascum. Nam cum Rex Syriæ & Rex Israël simul Achaz oppugnarunt, non *valuit* Syrus *superare eum*, vti loco indicato Libri Regum habemus. Profectò Achaz secundò traditus fuit Regi Israëlis soli aduersus Achaz bellum gerenti & cladem illi ingentem intulit. Nam Phacee filius Romeliæ vna die centum viginti millia Iudæos interemit, milites quidem fortes, ortum habente plaga huiusmodi ex Regis impietate Deum patrum suorum contemnentis, ac relinquentis. * Et quænam communis Aegni ex Regis iniquitate non procedit ærumna?] Sub idem tempus Zechri vir Ephraïmita potens Maasiam filium Regis, Ezricam *ducem*, seu Præfectum regiæ, & Elcanam secundum à Rege seu Vicarium Regis occidit. Ceperúntque Israëlitæ de Iudæis *fratribus suis* ducenta millia mulierum, puerorum ac puellarum, ingentémque admodum prædam, pertulerúntque in Samariam.* O quàm deploranda ærumna, fratres cum fratribus dimicare. Qui se inuicem contra communem hostem iuuare deberent.]

Qualibet

Regni communis ærumna ex Regis iniquitate procedit?

Deploranda ærumna fratres cum fratribus dimicare.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Ea tempestate &c.] Aderat eo tempore *ibi*. id est, in ditione Israël, Propheta Domini nomine *Oded*, non Obed, (& plerique habent vitiosè codices) qui procedens obuiam victori exercitui pergenti in Samariam, proclamauit: En Dominus Deus patrum vestrorum iracundia accensus ob Iudæorum scelera, eos vestris flagellandos manibus addixit. * Fratres enim in fratres, si odium accenditur, dirius quidem, quàm extranei hostes insurgunt.] Eos tàm atrociter occidistis, vt vestra *ad cælos*, siue ad summum crudelitas ascenderet. Porrò vestræ iracundiæ flamma haud tot fratrum extincta cruore, innumeros Iudæ filios, ac Ierosolymæ ciues viros, paruulos, fœminas vultis vobis in seruos ac ancillas submittere, quod *nequaquam* facto opus est, siue; quod omnino non licet, id enim *Leu.* 25. 44. expressè prohibetur. Ergo circà hoc præceptum violastis, & grauissimè in Dominum deliquistis. Sed in exitialis huiusce spiritualis ægritudinis medicamen, meo, quæso, consilio acquiescite. Captiuos, quos de fratribus vestris Iudæis adduxistis, ad Iudam reducite, alioqui scitote, magnum furorem vindicis Domini vobis imminere. Prophetico mox audito monito comminatione exterriti, vi affecti veritatis, quatuor illustres viri è Principibus Ephraïm, nempè Azarias filius Iohanam, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amasa filius Adali constitêre *contra* eos, id est, à fronte eorum qui è prælio veniebant, eisque dictitarunt: Iudæos captiuos mittite hûc, id est Israëliticam ditionem introducetis, ne grauissimè delinquamus. Cur crimina noua perpetrando, antiqua vultis cumulare delicta? grauissimum enim crimen est fratres Iudæos pro mancipiis habere, quod horribili Dei supplicio vindicabitur. Preme verbum, *Quare vultis adiicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta grãde quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israël.** Certè cum crimen criminì adiicis veteri, illicò Deus assolet in iras erumpere.] Quatuor prudentium virorum monito acquiescentes milites Israëlitæ prædam omnem, quam ceperant coram Principibus, & omni multitudine *dimiserunt*. * Tam fortis est, vel ad auaram multitudinem comprimendam prudens

3. Monito Prophetæ Israëlitæ capriuos & prædam Iudæis restituunt.

Fratres in fratres, si odium accenditur, dirius, quàm hostes extranei insurgũt.

Cùm crimen nouum veteri adiicitur, assolet Deus illicò in iras erumpere.

Sacri verbi à Constanti Concionatore prolati vis.

prudens paucorum monitum. Quid non diuini, constantis Concionatoris geret auctoritas?] Acceſſere viri quatuor conſtantes illi, & apprehendentes captiuos, & de veſtimentis, quæ ſpolio ceſſerant, induerunt illos, qui nuditate fœda laborabant, cúmque induiſſent eos & calceaſſent, cibóque ac potu refeciſſent, vnxiſſentque de more laſſitudine affectos, illos, qui ob ſexum, ſeu ob corporis imbecillitatem pedites haud poterant incedere, iumentorum humeris addixerunt, cunctóſque captiuos ad Iericho Ciuitatem palmarum adduxere, vt contribulibus traderent; quibus perfectis ipſi reuerſi fuerunt in Samariam. De laſſorum iniunctione requires. Olim frequens apud Hebræos vnctionum ac lotionum vſus laſſo corpori ſalutarium. Porrò *Iericho* Ciuitas ſic appellata fuit, quod palmetis abundaret.

4. Achaz petit auxilium ab Aſſyriis; ab Idumæis & Philiſthæis dirè percutitur.

*Verſ.*16.17.18.19.20.21. *Tempore illo, &c.*] Debellatus ab Iſraëlitis Rex Achaz, vt rurſum meliori ſpe cùm eis decertaret, auxilium ab Aſſyriis ſub id tempus expetiit, nuntios immittens. Sed prius quàm Aſſyrij ad auxilium præbendum aduentarent, contra Iudam Idumæi irruerunt, multos occidêre Iudæos, ingentémque reportauere prædam. Philiſthæi quoque per Vrbes campeſtres ad Meridiem Iudæ ſitas fuêre diffuſi, ceperúntque *Bethſames* celebrem Vrbem Philiſthæis conterminam, in quam diuina olim plaga deſæuiit ob curioſè Arcam Dei inſpectatam, *Aialon* Sacerdotalem etiam Vrbem, *Gaderoth* Vrbem Tribus Iudæ, vel ex aliorum mente Tribus Dan, *Socho*, quæ & Sochor dicitur Vrbem in Tribu Iudæ, *Thamnan* quæ etiam dicitur Thamnata, vicinam Philiſthæis, Gethæis, & Accaronitis, celebrem planè ob leonem ab inermi Samſone laceratum, & *Gamzo*; Vrbem, cuius nuſquam alibi Scriptura meminit, quàmque ex hoc loco haud temerè aſſeruerim, ad Meridiem Iudæ ſitam fuiſſe in Tribu Simeonis. Cepit ſimul Philiſthæorum exercitus harum viculos Vrbium, & tam in Vrbibus quàm in vinculis habitauerunt. *Humiliauerat* namque *Dominus* Iudam, id eſt, vilem & contemptibilem reddiderat ob Achaz Regis illius impietatem: eo quod *nudaſſet eum auxilio, & contemptui Dominum habuiſſet*, id eſt, eo quod Achaz nudaſſet populum. Nihil amplius eſt in Hebræo, Chaldæo, & Græco: ſed Hieronymus explicationis cauſa addidit, *auxilio*, ſcilicet diuino. Videtur alludi ad veſtium denudationem, quibus ſpoliabantur qui idolorum cultui vacabant, v. g. in Bacchanalibus, vt eo ritu demonſtrarent, ſe omni humano, naturalíque præſidio deſtitutos, ſpem omnem in ope ſolius idoli habere repoſitam, ſimili phraſi, *Exod.*32.25. Moſes dicitur populum vitulo ſacrificantem inueniſſe *nudatum*, Achaz igitur, qui nudatus oſtenditur coram idolis, ab eis indui ſperans, Dei auxilio omnino nudatus, populo adoranda obiiciens idola, eum verè omni nudauit ope cœleſti. * Dum extra Deum auxilio indui ſperas, cœleſti auxilio nudatus obiiceris, nec foueris humano.]* Idem prorſus eſt voluptatum idolis litare, eis hærêre, ac omninò cunctis ſpiritualibus ac temporariis bonis denudari.] Inerat itaque Achaz in Damaſcum, vt auxilium à Rege Aſſyriorum obtineret, quem etiam ſuo malo Rex Iudaicus adduxit Ieroſolymam, dum enim ab Achaz in auxiliatorem aduocatur, à Deo in hoſtem dirum, qui eum affligeret vehementer adducitur. Humiliauerat enim Dominus Iudam, inquit Scriptura, propter Achaz Regem Iuda eò quod nudaſſet eum auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum. Adduxítque contra eum Thelgath Pſalmaſar Regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum & nullo reſiſtente vaſtauit. Igitur Achaz ſpoliata domo Domini, & domo Regum ac Principum dedit Regi Aſſyriorum munera & tamen nihil ei profuit. Ex eo verò minus taxabilis Rex Achazius obiicitur, quod non domos pauperum, aut mediocrium ciuium, ſed domos *Principum* ſpoliaſſet, aut enim Textus: *ſpoliata domo Domini & domo Regum ac Principum, dedit Regi Aſſyriorum munera.* * A Principibus aurum & argentum ad belli auxilium, cum vrget occaſio, accipiendum, non pauperum exigendi teruncij.] Tempora, quando, indemnibus diuitum domibus, ſola pauperum tuguria ſpoliantur, non Regum præſcripto, ſed miniſtrantium exactorum iniquitate!] Preme verbum: *ſpoliata domo Regum ac Principum.* Quænam illa non Regis, ſed *Regum* domus? Aulam Achaz eſſe non dubium, vbi Reges Iuda ſucceſſiuè habitabant. * At etiam diuitum plebis domo Regum aptè vocitarim, vbi Regius apparatus exponitur: vnde tot Regibus ſubmittitur, quot diuites Reſpublica oſtentat.] Loco verbi illius. *Adduxitque contra eum Regem Aſſyriorum*, alij legunt. *Adduxit ad ei ferendam opem Regem Aſſyriorum.* Etiam cum ad opem ferendam electo populo Rex barbarus aduentat, contra eum adduci non dubita. Quid enim à Barbaris, & perfidis ſperandum eſt, qui hoſtes agunt, dum ſe fingunt amicos,

Dum extra Deum auxilio indui ſperas, cœleſti auxilio nudatus obiiceris, nec foueris humano. Voluptatibus hæreſcere idē eſt, ac cunctis bonis denudari.

Nihil præſcit Regi, quod à ſubditis exigit.

A Principibus ſeu diuitibus exigēda belli ſubſidia, non à pauperibus.

Tot quaſi Regibus ſubmittitur, quot diuites Reſpublica oſtentat.

Verſ. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Inſuper, &c.*] Quid iniquius Regi Achaz, qui *tempore angustiæ* ſuæ auxit Dei contemptum, ipſe enim *per ſe*, id eſt, Deorum ſuorum agens Sacerdotem: idolis Damaſci *percuſſoribus ſuis*, victimas immolauit. * Impium ſe admodum oſtentat, qui anguſtiæ tempore flagitiis dat operam, cum anguſtiæ aliàs aſſolent peccatores ad mentem meliorem adducere.] Certè & vberiorem exprimit impietatem, qui idolis litat victimas percuſſoribus. * Vt ediſcas, qua mente diabolum, te vulnerantem dirè colis: Deum te fouentem tibique auxiliantem contemnis.] Fatur impius Achaz: Dij Regum ſeu Regis Syriæ eis aduerſum me auxiliantur: eos igitur hoſtiis oblatis placare ſtudebo, & fortaſſe mihi auxiliatores aderunt. E contrario quidem Dij Aſſyriorum fuêre *ruina ei, & vniuerſo Iſraëli*, id eſt, eo ipſo, quod Achaz victimas obtulit idolis Damaſci: huiuſmodi adoratio & oblatio tam Achazio, quàm cunctis Iudæis Iſraëliticis (nomen enim Iſraël cunctis Hebræis eſt commune) peperit ruinam. Rex itaque Achaz ab Aſſyriis percuſſus iram ſacerrimum conuertit in Templum, & direptis omnibus eius vaſis, ſeu ſupellectilibus, atque confractis, ianuas clauſit, ne Iudæi ſacrificatum ingredi poſſent, & in cunctis Ieroſolymæ angulis altaria extruxit, vbi ſimulacris immolaretur. Vſque eo vrgebat Achaz cultum idolorum, vt nollet vero Deo ſupplicari; quod nullus antè eum

5. Mirum in modum Achaz increuit impietas.

Impium eſt, tempore anguſtiæ delinquere.

Anguſtia peccatores ad meliorem mentem adducere ſolēt.

Diabolum te vulnerantem colis: Deum tibi auxiliantem contemnis.

Cum orare homines prohibentur, extrema adest calamitas.

cum rex Iudæ vetarat. * Extrema Vrbis & Regni calamitas præsentatur, cum ad Templum clauditur aditus, nè possint afflicti homines exorare. Oratio enim afflictorum asylum omnis est incommodi expultrix.] Nec solùm in Vrbe metropoli, sed etiam in cunctis Iudæ ac Beniamin Vrbibus aras Simulachris extrui curauit ad impiam immolationem, quo Dominum Deum patrum suorum ad vberiorem prouocauit iracundiam. Reliqua Achaz Regis gesta priora & nouissima annalium Regum Iudæ & Israëlis Volumen exponit, Mortuus est demum Achaz, & sepultus in Ciuitate Ierosolyma, neque cines impiissimum Regem voluerunt tot piorum Regum amandari sepulchro. Porrò 4. *Reg.* 16. 20. dicitur Achaz dormiisse cum patribus suis, & sepultus fuisse cum eis, quod intelligo in eadem Ciuitate Dauid, sed non in eodem sepulchro Regio. Cum eo enim commorari videris, à quo non procul abis. * Vt edisces domus immundæ vicinitatem fugere, ne vulgarium opinione talis domus incola habearis.] Verùm piissimus Ezechias impiissimi parentis solium occupauit.

Oratio omnis incommodi expultrix.

Qui domus meretriciæ vicinitati haresceit, quasi talis domus incola reputatur.

CAPVT XXIX.

Abolitum Dei cultum suscitat Ezechias. Templum Domini reserat, restituit Sacerdotes, Leuitas, & Cantores, & plurimis sacrificijs Deum placare contendit.

1. IGITVR Ezechias regnare cœpit, cùm vigintiquinque esset annorum, vigintinouem annis regnauit in Ierusalem nomen matris eius Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. 3. Ipse anno & mense primo regni sui, aperuit valuas domus Domini, & instaurauit eas. 4. adduxítque Sacerdotes atque Leuitas, & congregauit eos in plateam Orientalem. 5. Dixítque ad eos: Audite me Leuitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccauerunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, delinquentes eum: auerterunt facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum. 7. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensúmque non adoleuerunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israël. 8. Concitatus est itaque furor Domini super Iudam & Ierusalem, tradidítque eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En corruerunt patres nostri gladijs; filij nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt, propter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi vt ineamus fœdus cum Domino Deo Israël, & auertet à nobis furorem iræ suæ. 11. Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus vt stetis coram eos & ministretis illi, colatisque eum, & cremetis ei incensum, 12. Surrexerunt ergo Leuitæ: Mahar filius Amasai, & Ioël filius Azariæ, de filiis Caath: Porrò de filiis Metari, Cis filius Abdi, & Azarias filius Ialaleël. De filiis autem Gersom, Ioah filius Zemna, & Eden filius Ioah. 13. At verò de filiis Elisapham, Samri, & Iahiël. De filiis quoque Asaph, Zacharias, & Mathanias: 14. Necnon de filiis Heman, Iahiël, & Sæmei: sed & de filiis Idithum, Semeias, & Oziel. 15. Congregauerúntque fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt iuxta mandatum regis & imperium Domini, vt expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini, vt sanctificarent illud, extulerent omnem immunditiam, quam intrò repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Leuitæ, & asportauerunt ad Torrentem Cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, & in die octauo eiusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiauerúntque templum diebus octo, & in die sextadecima mensis eiusdem, quod cœperant impleuerunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificauimus omnem domum Domini, & altare holocausti, vasáque eius, necnon & mensam propositionis cum omnibus vasis suis. 19. Cunctámque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo postquam prævaricatus est: & ecce exposita sunt omnia coram altari Domini. 20. Consurgénsque diluculo Ezechías rex adunauit omnes principes ciuitatis, & ascendit in domum Domini: 21. obtulerúntque simul tauros

septem

septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Iuda, dixítque sacerdótibus filiis Aaron vt offerrent super altare Domini. 22. Mactauerunt igitur tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactauerunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolauerúntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege & vniuersa multitudine, imposuerúntque manus suas super eos: 24. Et immolauerunt illos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo vniuersi Israëlis: pro omni quippe Israël præceperat rex vt holocaustum fieret, & pro peccato. 25. Constituit quoque Leuitas in domo Domini, cum cymbalis, & psalteriis, & citharis, secundùm dispositionem Dauid regis, & Gad Videntis, & Nathan prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum eius. 26. Steterúntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & Sacerdotes tubas. 27. Et iussit Ezechias vt offerrent holocausta super altare: cúmque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuersis organis, quæ Dauid rex Israël præparauerat, concrepare. 28. Omni autem turba adorantes, cantores, & ij qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cúmque finita esset oblatio, incuruatus est rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt. 30. Præcepítque Ezechias & principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph Videntis: qui laudauerunt eum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis manus vestras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo vniuersa multitudo hostias, & laudes, & holocausta, mente deuota. 32. Porrò numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sanctificauerúntque Domino boues sexcentos, & oues tria millia. 34. Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant sufficere vt pelles holocaustorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur antistites: Leuitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quàm Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocaustorum: & completus est cultus domus Domini. 36. Lætatúsque est Ezechias, & omnis populus, eò quòd ministerium Domini esset expletum. Derepentè quippe hoc fieri placuerat.

COMMENTARII.

1. Ezechias prudèri moxito Sacerdotes & Leuitas ad instaurationē diuini cultus excitat.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Igitur Ezechias, &c.*] Ezechias igitur amari arboris fructus dulcis vigesimumquintum annum agens regnare cœpit, & viginti supra nouem annis in Ierosolyma imperauit: mater eius Zachariæ filia Abia appellabatur. Deo verò litauit fidei proaui Dauidis perfectè æmulator. Verùm hic Zacharias pater Abiæ erat Pontifex summus & Propheta, qui *cap.* 24. 21. è Rege Ioas fuit interfectus. * Quid pareret Martyris filia nisi constantiam Regis?] Ipse primi anni Regni sui *mense* primò valuas Templi Domini reserauit, eásque refecit: aduocauítque Sacerdotes & Leuitas, cœpítque eos ad *portam Orientalem*, siue ad atrium ante Templi portam præcipuam, quæ ad Orientem erat obuersa, adiacentem, & eis profatur: Aures ô Leuitæ meo gratas exhibete sermoni. *Sanctificamini*, seu mundate vos à legalibus immunditiis, si quas contraxistis: & à peccatis, si idololatriæ labes aliquibus adhæserit. * Iustè quidem poterat Rex suspicari Sacerdotes & Leuitas maculas non solùm legales, sed & ex crimine contraxisse; Sacerdotes enim, qui videntes Dei cultum contemni Regi idololatræ vel vitæ discrimine non obsistunt, impietatis nota inuri, quis non credat?] Mundate Templum Domini Dei patrum vestrorum, & quidquid ad idololatriam pertinet, de sanctuario auferte. Sic explico particulam, *Et auferte omnem immunditiam de sanctuario.* si Achaz Templum obtrauit, nè Iudæi ingrederentur, vndenam poterat pertinens ad idololatriam quidquam in Templo reperiri? Est qui asserat Regem impium, priusquam occluderet Templum, in id idola introduxisse. Proh Regis impietatem; * Vereor, nè Christicolæ impietatis arguantur, qui idolum Veneris totiens ad Templum Sacratius adducunt.] Deliquere *Patres nostri*, id est Achaz & Principes Iudæ, idololatriâ se se contaminauerunt, dereliquentes Dominum; facies suas à Tabernaculo auertentes, ei dorsum exhibuere: quid impius? Ostia, quæ erant in porticu clauserunt, sacras extinxere lucernas, incensum adolere, & holocausta offerre in Dei Israël sanctuario neglexerunt. Ideò concitatus est furor Domini in Iudæos Vrbium totius Tribus habitatores, & in Ierosolymæ habitatores, eósque in commotionem, in interitum, & in sibilum tradidit. Quid tradi *in commotionem?* In Hebræo habetur vox זעוה *Zeuaha*, quam Hieronymus *Isa.* 18. 19. *vexationem* interpretatus est. * De illa autem vexatione loquitur Doctor, quæ peccatores excitat, à peccati somno, & commouet, vt, quod facto opus est, intelligant, & effectum dare studeant. Intellectus enim vexatione acuitur.] Aptiùs autem *commotionem* hoc loci exci-

A Martyris germine Regis constantia paritur.

Quis non credat impietatis nota inuri Sacerdotes, qui videntes Deum contēni. Fidei & Religionis causam non defendunt.

Taxantur, qui apud Templum se impudicè gerunt.

Vexatio dat peccatoribus intellectum.

ctionem interpretor; fuerant enim Iudæi Vrbibus expulsi à Syris, Idumæis, & Palestinis. Quid tradi *in interitum?* Alij transtulere, *In desolationem*, seu stuporem, vox enim *Samah* hæc omnia significat. Quid tradi *in sibilum?* Dari in contemptum, nam qui contemnuntur, & rident, sibilo excipiuntur. Annon vestro intuitu electi populi probra patescunt? En patres nostri diris vulneribus corruerunt, filij nostri, ac filiæ, necnon coniuges in mancipia vilissima fuére deductæ propter commune scelus. *Nunc* ergo, id est, ideò, mihi subit in mentem, siue decreui, vt fœdus cum Domino Deo Israël ineamus iureiurando nos ad eius cultum, & legis Mosaicæ obseruationem obstringentes: & procul dubio à pœnitentibus iracundiæ suæ *auertet* effectus. * Nulla enim fidelis populus aduersitate diu exaturat ad noxumentum, si nulla ei dominatur iniquitas.] *Filij mei* nolite negligere: ad vos enim hæc specialissimè pertinet cura, quos Dominus elegit, vt eius conspectui addicamini, illi ministretis, & litantes incensum cultum exhibeatis. Loco particulæ, *Nolite negligere*, in Hebræo habetur, *Nè erretis.* * Negligentia quippe Sacerdotum circa diuinum cultum seruire assolet in errorem. O quotiens ob piaculum veniale admissum, nec diligenter ex animo expulsum homo graui scelere defædatur.] * Pondera particulam, *Filij mei.* Filios Rex vocitat Sacerdotes, quod aptius patres appellaret. Cur quæso? Vt ostendat Regiæ esse curæ Sacerdotibus necessaria prouidere, sicut pater assolet filiorum gerere clientelam.]

Nulla fideli populo nocet aduersitas, ni nulla ei dominatur iniquitas.

Ex venialibus piaculis negligens homo in lethalia delabitur.

Reges succurrant Sacerdotibus, vti parentes assolent filijs necessaria prouidere.

2. Templum à Sacerdotibus ex Ezechiæ præscripto mundatur.

Vers. 12.13.14.15.16.17.18.19. *Surrexerunt ergo, &c.*] Pij Regis monito affecti hi Leuitarum Principes illicò constantes exsurgunt: E filiis Caath Mathath filius Amasai, & Ioel filius Azariæ: de posteris Merari, Cis filius Abdi, & Azarias filius Ialaleel: De posteris Gersom, Ioah filius Zemma, & Eden filius Ioah: de filiis verò Elisaphan, Samri, & Iahiel: De filiis Asaph, Zacharias & Mathanias: de filiis Heman, Iahiel, & Semei: demum & de filiis Idithun, Semeias & Oziel. Fratres hi suos Leuitas congregauerunt, sanctificationi dedere operam ad omnis legalis immunditiæ, aut conscientiæ maculæ abolitionem, & *iuxta mandatum Regis, & imperium Domini*, Templum Domini ingressi fuere, vt illud sanctificarent. * Priùs ad mandatum Regis quàm ad imperium Domini Sacerdotes iniuisse Templum sacer notat Scriptor. Assolent enim vel ij Sacerdotes ô pudor!) qui se constantia pollere existimant, priùs ad opera pia ex placito hominum, quàm ex Dei properare præscriptione.) Nec solùm ex Leuitico ordine viri Templi studuére purificatione; Sacerdotes enim Domini sacras iniuere simul ædes, vt sanctificarent eas: & omnem immunditiam, *quam intus repererant in vestibulo domus Domini*, Leuitæ foras tulerunt, & apportauerunt ad torrentem Cedron: id est, Sacerdotes ingressi sunt in interiora domus Dei (sic Hebr.) scilicet in sanctuarium, quo penetrare Leuitis non licebat: & in vestibulum domus Dei sordes extulerunt, quas Leuitæ acceperunt, & portauére ad Cedronis torrentem. * Haud dedecet Sacerdotes Templi panimentum scopis repurgare.] Extulere itaque Leuitæ *foris*, id est, extraxere à vestibulo Templi sordes, eósque apportauerunt in vallem Topheth immundam, per quam decurrit torrens Cedron, & in ipsum torrentem. Simile factum Iosiæ habes 4. *Reg.* 23. 12. Cœperunt autem mundare Delubrum prima die mensis primi Nisam, qui Martio nostro respondet, quo etiam mense Ezechiam regnare cœpisse non dubitarim. * Vt commendetur admodum Regis pietas, qui noluit regnare, non conregnante Domino, nec imperare subditis, qui imperij diuini iugum non apportarent. * Prima Regis ascendentis ad solium sic cura Dei promouere cultum. Ezechias non priùs curauit reficere Vrbes ab hostibus attritas, quàm cultus diuini studeret instaurationi, ratus, ad Deum Vrbium refectionem pertinere, cum Rex dabat operam Templi restaurationi.] Porrò die octaua mensis eiusdem atriorum altaris holocaustorum, maris ænei, luterum &c. expurgationem perfecerunt Leuitæ, & ingressi sunt *porticum* seu vestibulum domus Domini, & dedere operam totidem diebus Templo ipsi mundando: vnde die sexta decima eiusdem mensis, quod cœperant, perfecerunt. * Nec enim facilè vel sacerrima domus post tam longam repurgatur incuriam. Quomodo ergo conscientia peccatoris post tot dierum additas sordes tam exiguo temporis articulo repurgabitur, si viris perfectis difficile est vel die vnius sordes colligere post scoparum diligens ministerium?] Cæterum Sacerdotes & Leuitæ post Templi repurgationem ingressi sunt ad Regem Ezechiam eique dixerunt: Omnem domum Domini repurgauimus, atria, altare holocausti, vasaque eius, mensam propositionis cum omnibus vasis suis, cunctamque Templi supellectilem, quàm Rex Achaz dum regnauit, præuaricatione polluerat, Templum claudens, sancta supellectilia pulueri, aranearúmque telis defædanda exponens: & en cuncta expolita ac præparata sunt coram altare Domini.

Prima Regis ascendentis ad solium sit cura Dei promouere cultum.

Deus reficit Vrbes, dum Rex reficiendo Templo nauat operam.

Non dedecet Sacerdotes scopis Templa repurgare.

Non facilis præparatio cõscientiæ seu examen viris perfectis.

O quàm difficilis peccatoribus, qui semel in anno confitetur, cõscientiæ discussio!

3. Solemne Ezechiæ sacrificium.

Vers. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Consurgénsque, &c.*] Hoc Sacerdotum ac Leuitarum monito alacer Ezechias Rex die proxima diluculo è lecto surrexit, cunctos Ierosolymæ Principes collegit, Dominique, eis comitantibus, ascendit in Templum: vbi obtulére simul tam Rex quàm Principes Sacerdotum ministerio septem tauros, septem arietes, septem agnos, totidem hircos pro peccato, pro Regno, pro Sanctuario, pro Iudæa, id est, ad expiandum peccatum, Regnum, Templum, ac totam Iudæ Tribum. Contrà morem factum fuit, vt septem hirci pro peccato immolarentur, cum vnus tantum esset in præcepto. Sed quia multa erant populi peccata, qui in idololatriam defluxerat, septem oblati sunt: septenarius enim numerus quantumlibet multitudinem repræsentat. * Multiplicantur crimina? pœnitudinis crescant effectus, lacrymæ preces, eleemosynæ, reliquáque, pia opera exuberent.] Oblatis itaque sacrandis Domino animantibus, Rex Sacerdotes rogauit, vt ea super altare offerrent. Sacerdotes igitur mactauére tauros, sanguinem exceperunt, & iuxta ritum *Leuit.* 1.5. Præscriptum, profuderunt super altare. Occiderunt quoque arietes, eorúmque super altare effudére cruorem, cæsérunt agnos, quorum sanguine altare illiniri curarunt. Quid plura? Porrò iuxta ritum *Leuitici cap.* 4. (vbi agitur de victima peccantis Pontificis, & de sacrificio pro pecca-

Si crimina multiplicata sint, crescant pœnitudinis affectus, lacryma, eleemosynæ &c.

tò totius populi, & Principis, & plebis delinquentis per ignorantiam) applicuerunt hircos pro peccato coram Rege, & vniuersa multitudine, impoſueréque manus aliqui Sacerdotes omnium nomine (non quidem ſinguli) ſuper eos: immolauerúntque, ac ſuper altare ſanguinem pro omnis Iſraëlis piaculo profuderunt; nam pro incolumitate, ac peccatis omnis Iſraëlitici ſeu Iudaici populi Rex iuſſerat holocauſtum offerri. Conſtituit præterea Rex in Templo Leuitas, vt cymbolorum, pſalteriorum cithararum concentu Dominum collaudarent, ſecundùm Dauidis, Gad, & Nathan Prophetarum diſpoſitionem. Non enim erat lege Moſis præceptum, vt ad ſacrificia cantus adhiberetur; ſed Dauid Propheta ex diuina inſpiratione, & Gad ac Nathan Prophetarum conſilio, vt ita fieret, mandauit. * Plura ad cultus diuini ornatum attinentia Dominus non præſcripſit, vt vltronea hominum deuotio, ac pietas oſtenderetur pererogatoria opera proferendo, quæ quidem Numini admodùm grata exiſtunt, ideóque non imperauit, vt accipiat vltronea.] Igitur huiuſmodi muſicorum vſus inſtrumentorum non fuit à Moſe præceptum, ſed Prophetarum mouitis indictum. * Profectò ideo credidérim Conceptione Virginis immaculatæ veritatem non eſſe à Domino præceptam, ſed ſolummodò *per manus Prophetarum*, id eſt Diuorum ac Doctorum indictam, vt voluntarium hoc Domino in Deiparæ honorem ſacrificium commendabiliter admodùm litaremus.] Stetére itaque Leuitæ tenentes *organa Dauid*, ſcilicet qualia Dauid perfici iuſſerat, & Sacerdotes ſacras de more tubas. Iuſſit tunc Ezechias, holocauſta ſuper altare offerri: dúmque holocauſta litarentur, cœpére cantores laudibus Dominum efferre, clangere tubis, atque diuerſis muſicis inſtrumentis, quæ Dauid Rex Iſraël ad id miniſterium præparauerat, concrepare. Omni verò ciuium cœtu adorante, cantores, & ij qui tenebant tubas, ſuo in officio perſiſtebant, donec holocauſtum perficeretur. Cúmque exacta eſſet oblatio, procidit Rex, & omnes Principes qui cum eo aderant, Dominúmque adorauerunt.

Opera pererogatoria Domino placent.

Vt vltronei Deiparæ Conceptionis pietatẽ profiterentur, Deus hanc veritatem lege non ſcripſit.

4. Ex Ezechiæ præcepto omnis populus victimas obtulit.

Verſ. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Præcepítque, &c.*] Tunc Rex Ezechias præcepit, & Principes monuére Leuitas, vt Dominum laudarent non ſolùm inſtrumentorum muſicorum concentu, ſed & *ſermonibus* ſeu pſalmis Dauid Regis, & Aſaph Prophetæ. Vnde colligo, Pſalmos, quos habemus, non omnes eſſe vnius Dauidis, ſed quoſdam ab aliis fuiſſe compoſitos: ac nominatim duodecim illos qui *Aſaph* inſcribuntur, ipſi acceptos ferri debere. * Nec nouum, quod ab aliis accipis, tibi adſcribere, tuúmque eſſe profiteri. Alioqui ſi aliquorum Libri ſuos exprimerent auctores, ſententiis ad propria aufugientibus, alba papyrus relinqueretur.] Leuitæ igitur magnâ Deum laudauére lætitiâ, & incuruato genu adorauerunt. Ezechias autem etiam hæc addidit: *Impleſtis* ſeu conſecraſtis manus veſtras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in Templo, id eſt, ſiquidem in Sacerdotes conſecrari eſtis (nam implere manum eſt in Sacerdotem conſecrari, vt dixi *ad 3. Reg.* 13. 33.) deinceps veſtrum in Templo Domini implete miniſterium. Verùm poſt Regis ac Principum oblationem vniuerſa multitudo hoſtias, laudes, & holocauſta mente deuotâ obtulit. Numerus autem holocauſtorum, quæ Iudæorum multitudo litauit, hic fuit: Tauros ſeptuaginta, centum arietes, agnos ducentos Sacerdotis manu immolauerunt. Prætereà *ſanctificauerunt* Domino boues ſexcentos, & oues tria millia, id eſt, donauerunt, & appropriarunt vſibus Templi, non præcisè ad holocauſta: (vt factum verſu proximo) ſed ad quæuis alia ſacrificia pacifica, pro peccato, &c. illum boum agnorúmque numerum. Porrò Sacerdotes propter ſacrorum ex impietate Achaz intermiſſionem pauci erant, nec ſufficere poterant, vt pelles detraherent hoſtiarum iuxta legis præſcriptum, vnde neceſſum fuit à Leuitis fratribus adiuuari, *donec impleretur opus*, id eſt, ſacrorum vſus ſuam antiquam reſumeret formam, & ſanctificarentur *Antiſtites*, ſeu Sacerdotes conſecrarentur. Per Antiſtites intelliguntur Sacerdotes, qui Leuitis præerant velut antiſtites. * Sacerdotem quemlibet oportet à Rege, à Principibus, à cunctis velut Antiſtitem ſibi reputare; Sacerdotalis enim dignitas cunctas ſæculares ſuperat dignitates.] Leuitæ igitur adiuuerunt eos, licet enim illud munus Sacerdotum eſſet, tamen ab eo in neceſſitate non arcebantur Leuitæ. Ideò verò in præſenti promptius fuit plures Leuitas habere quàm Sacerdotes, quia Leuitæ faciliori ritu ſanctificantur. Holocauſta itaque ſacrata, pacificorum adipes ſuccenſi, holocauſtorum libamina expoſita fuére plurima: *& completus eſt cultus Domini.* LXX. *Et directum eſt opus in domo Domini*, id eſt, ritè omnia peracta ſunt in purificatione Templi, & ſacrificiis oblatis. Lætitia affectus eſt Ezechias, & omnis populus exultauit, *eo quod miniſterium Domini eſſet expletum*, Hebr. *eo quod præparaſſet Deus populum*, ſcilicet vt cultum Sacrum ritè peragerent. * Nec hominis eſt ſine ſpeciali Dei præparatione Sacrificium ritè ac deuotè Numini offerre. Si Sacrum peragis præferens deuotionem: ſi preces ex contrito animo profundis, Dei planè *præparatio eſt.*] Profectò inde cognouere Rex ac Iudæi cuncti, à Domino populum fuiſſe præparatum, *nam derepente hoc fieri placuerat*, Hebr. *Quoniam ſubito fuit verbum*, id eſt, res. Quæ repentè fiunt, non conſilio humano tribuuntur, ſed altiori inſtinctu fieri videntur. Mirum planè, repentè populum ad Sacra inſueta confluxiſſe. * Omnem repentinam ad Deum conuerſionem mirabilem eſſe crediderim.] Non tamen ideò dubitarim, Regis exemplum piiſſimi ciues admodùm affeciſſe ad deuota libamina. * Rectorum enim exempla ad pietatem aut impietatem ſubditos potenter aſſolent arripere.]

Sacerdos ſemper eſt Antiſtes, vel Regibus præferendus eſt.

Sine ſpeciali Dei præparatione non poterit deuotè Deo Sacrificiũ Miſſe offerre, aut litare preces.

Repentina ad Deum cõuerſio mirabilis eſt.

Rectorum exempla ſubditos potenter arripiunt.

Liber tuus eſt, cuius ſententias ab aliis auctoribus collegiſti.

CAPVT XXX.

Missis quaquauersum nunciis non modò per Iudæam, sed per reliquas Israëlis Tribus, Rex Ezechias ad Phase celebrandum apud Ierosolymam omnes inuitat. Quod solemnitate maxima totis quatuordecim diebus perfectum fuit.

1. MIsit quoque Ezechias ad omnem Israël & Iudam: scripsitque epistolas ad Ephraim & Manassen, vt venirent ad domum Domini in Ierusalem, & facerent Phase Domino Deo Israël. 2. Inito ergo consilio regis & principum, & vniuersi cœtus Ierusalem, decreuerunt vt facerent Phase mense secundo. 3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. 4. Placuitque sermo regi, & omni multitudini. 5. Et decreuerunt vt mitterent nuntios in vniuersum Israël, de Bersabee vsque Dan, vt venirent, & facerent Phase Domino Deo Israël in Ierusalem: multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. 6. Perrexerúntque cursores cum epistolis ex regis imperio, & principum eius, in vniuersum Israël & Iudam, iuxta id, quod rex iusserat, prædicantes: Filij Israël reuertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israël: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum regis Assyriorum. 7. Nolite fieri sicut patres vestri & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, vt ipsi cernitis. 8. Nolite indurare ceruices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum: seruite Domino Deo patrum vestrorum, & auertetur à vobis ira furoris eius. 9. Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum: fratres vestri, & filij habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non auertet faciem suam à vobis, si reuersi fueritis ad eum. 10. Igitur cursores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem, per terram Ephraim & Manasse vsque ad Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos. 11. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem. 12. In Iuda verò facta est manus Domini vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis, & principum, verbum Domini. 13 Congregatique sunt in Ierusalem populi multi, vt facerent solemnitatem Azymorum, in mense secundo: 14. Et surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Ierusalem, atque vniuersa, in quibus idolis adolebatur incensum, subuertentes proiecerunt in Torrentem cedron. 15. Immolauerunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini. 16. Steterúntque in ordine suo iuxta dispositionem & legem Moysi hominis Dei, Sacerdotes verò suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Leuitarum. 17. eò quòd multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Leuitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino. 18. Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non iuxta quod scriptum est: & orauit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur. 19. Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis quòd minus sanctificati sunt. 20. Quem exaudiuit Dominus, & placatus est populo. 21. Fecerúntque filij Israël, qui inuenti sunt in Ierusalem, solemnitatem Azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Leuitæ quoque & Sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant. 22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Leuitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino: & comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum suorum. 23. Placuitque vniuersæ multitudini

vt

vt celebrarent etiam alios dies ſeptem : quod & fecerunt cum ingenti gaudio. 24. Ezechias enim rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & ſeptem millia ouium : principes verò dederant populo tauros mille, & oues decem millia : ſanctificata eſt ergo Sacerdotum plurima multitudo. 25. Et hilaritate perfuſa omnis turba Iuda, tam Sacerdotum & Leuitarum, quàm vniuerſæ frequentiæ, quæ venerat ex Iſraël : proſelytorum quoque de Terra Iſraël, & habitantium in Iuda. 26. Factáque eſt celebritas in Ieruſalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Iſraël in ea vrbe non fuerat. 27. Surrexerunt autem Sacerdotes atque Leuitæ benedicentes populo : & exaudita eſt vox eorum, peruenítque oratio in habitaculum ſanctum cœli.

COMMENTARII.

1. Decernit Ezechias, nũcios non ſolùm ad Iudam, ſed & ad Iſraël immitti, inuitaturos ad Phaſe celebrandum omnes fideles.

VERS. 1.2.3.4.5. *Miſit quoque, &c.* Piiſſimus Rex Ezechias videns Templum iam omninò mundatum eſſe, & ſacra de more celebrari, expetiit Domini gloriam promoueri: ideóque mente ſtatuit nuncios immittere *ad omnem Iſraël, & Iudam*, epiſtoláſque ſcribere ad Ephraimitas, & Manaſſeitas, cunctos inuitans, vt ad Ieroſolymitanum Templum conſcenderent, & Phaſe de legis præſcripto celebrarent. Mirum videri poſſet, etiam Iſraëlitas ad hoc Phaſe celebrandum fuiſſe inuitatos. Sed præter ardentem Ezechiæ zelum, illud etiam affero, quod Oſeas Rex Iſraël, qui fuit quidem idolorum cultor, cum cerneret abductos eſſe ab Aſyrijs vitulos aureos, qui erant in Dan, & Bethel, ſuſtulit præſidia, quæ poſuerat Ieroboamus filius Nabat in Regni ſui limitibus, nè quis Ieroſolymam aſcenderet ad adorandum ter in anno : quod à Chronico Hebræorum acceptum probabile exiſtimo. Cum ergo iam illud ablatum eſſet adeundi Ieroſolymam impedimentum, pietas Ezechiæ voluit certiores facere Iſraëlis habitatores, iam Templum reſeratum eſſe & legis inſtaurata ſolemnia. Curat itaque Ezechias nuncios mittere ad omnes Iſraël Tribus, & ſpeciatim ad Tribus Ephraim & Manaſſe habitatores ſcribere epiſtolas qui Iudæ ditioni erant proximiores, * Certè Rex Catholicus ſtudere debet fidei dilatationi.] * Vnde commendabilis admodùm Hiſpaniarum Rex cuius zelo Regio quidem ſumptu tot, ſingulis annis, ad Indos Orientalis Occidentaliſque plagæ incolas Euangelicos nuncios immittit.] Piam illam excogitationem cœlitùs planè immiſſam pius Rex Principibus aperuit, *initóque conſilio* Regis, Principum & vniuerſi cœtus Ieroſolymæ decernitur, vt Phaſe celebraretur *menſe ſecundo*. Licet enim deberẽt celebrare Phaſe menſe primo, quicumque hoc menſe fuerant impediti, vel immundi, tenebantur iuxta legem *num.* 9. 10. Phaſe menſe ſecundo gerere. Portrò hic impediti fuerant Iudæi, vt facerent Phaſe tempore à lege conſtituto, quia Sacerdotes, qui poſſent ſufficere ad ſacerrimam illam actionem, conſecrati non fuerant. Neque enim vt Deo poſſent ſactificare, & muniis fungi Sacerdotalibus, ſat erat, quod de genere Sacerdotali eſſent: ſed ſinguli debebant initiari, & conſecrari iuxta ritus *Leuit.* 8. præſcriptos. Additur, *& populus nondum congregatus fuerat in Ieruſalem*, ad gerendas ſacras publicè ſolemnitates, vndè cogeretur Rex ac Pontifex ad exercenda munia plures Sacerdotes conſecrare. Placuit *ſermo*, ſeu conſilium de Phaſe celebrando Regi & omni multitudini : & decreuerunt, vt nuncij in vniuerſum Iſraël de Berſabee vſque Dan qui ſunt termini Regni Iſraëlis ſecundùm longitudinem, immitterentur monituri ciues, vt confluerent, & Phaſe apud Ieroſolymam Domino Deo Iſraël celebrarent : multi enim non ei legis præcepto fecerant ſatis. Conuocari populum oportebat, quia legitimæ ſolemnitates Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum Achaz Regis iniquitate & temporis malitia in deſuetudinem abierant. * Etiam ad ea quæ lege cuſtodire tenentur, oportet ſæpe aduocari fideles; vocantis enim admonitio aſſolet animum, ad inertiam ablegandam, excitare.] O quotiens peccator annuæ confeſſionis aut communionis præceptum violaſſet, ſi indicti iubilæi præconio, ſi Concionatoris voce non excitaretur, pigritiam excutere.]

Rex Catholicus debet fidei dilatationi ſtudere. Hinc Philippus Rex Hiſpaniarũ admodùm commendabilis.

Sæpè fideles monẽdi ſunt ea, quæ lege tenentur, obſeruare, quia inertiam ablegat admonitio.

2. Perguntnuncij & Phaſe ſolemnitatẽ prædicant.

Verſ. 6.7.8.9.10.11.12. *Perrexerúntque, &c.*] Perrexere curſores è Regis imperio, & Principum conſenſu epiſtolas apportantes in vniuerſum Iſraël ac Iudam ex præſcriptione ac decreto Regio proclamantes : Filij Iſraël, ad Dominum Deum patrum veſtrorum Abrahami Iſaaci, & Iacobi reuertimini : & Dominus reuertetur ad *reliquias*, quæ effugerũt è manu Regis Aſſyriorum, nempe ad quinque Tribus Iſraëliticas, quas, abductis in Aſſyriam aliis quinque Tribubus quarto anno Regis Achaz reliquerat Teglatphalaſar in ſedibus ſuis; è quibus tamen anno Ezechiæ ſexto etiam ipſe à Salmanaſar eodem abductæ ſunt, vt viuimus 4. *Reg.* 15. 17. Deus itaque reconciliabitur, & propitius erit iis, qui poſt cladem ab Aſyriis illatam adhuc ſunt reliqui. * Illa ſæpe recole verba. *Reuertimini, & reuertetur.* O quàm facilis ſalus peccatori indicitur! ſi ad Deum reuerſus fuerit peccator, Deus ad peccatorem reuerteturi] Nolite patres veſtros ac *fratres*, ſeu contribules æmulari, qui receſſere ingrati à Domino Deo patrum ſuorum, quapropter vltor ipſe illos tradidit in interitum, vti ipſi conſpicitis. * Additur à præconibus aptè illa particula. *Vt ipſi cernitis*, quia diuinæ vltionis documenta relata terrorem incutiunt; at oculis obiecta, mirum in modum præcordia fauciant, ad pœnitudinemque vi immiſſa validiori peccatores adducunt.] Nolite veſtras indurare cerũices ſicuti patres veſtri : *tradite manus Domino*, id eſt, Domino obedite. LXX. *Date gloriam Domino* : Domino enim obedire idem eſt, ac Dominum glorificare. * Vt ediſcat ſubditus religioſus, totiens ſe Deo gloriam impertire, quotiens Rectori præcipienti præſtat obſequium.] Venite ad ſanctuarium eius, quod *in æternum ſanctificauit*, ſeu æter-

Facilis peccatori ſalus indicitur.

Supplicia illata peccatoribus audita terrent, viſa quaſi vim inferunt ad cõuerſionem.

Rectori obedire, idem eſt, ac Deum glorificare.

nè sanctum esse constituit. Domino Deo patrum vestrorum seruire studete, & à vobis eius ira recedet. Nam si reuersi ad Dominum pœnitudinis affectu & effectu fueritis: fratres vestri & filij dominos, qui eos duxére captiuos sic ad misericordiam allicient, Domino emolliente eorum præcordia, vt in terram hanc reuerti eos permittant; pius namque & clemens est Dominus Deus vester: nec faciem à vobis adhuc iracundus auertet, si vos pœnitentes ad eum reuertamini: sic cursores à Rege immissi *prædicantes*, velociter è Ciuitate in Ciuitatem percurrebant, lustrantes Ephraim ac Manasse ditionem vsque ad Zabulon, incolis eos irridentibus, monitáque *subsannantibus*. * En prædicatorum gloria, cum per Oppidatim peccatores student allicere, ab hominibus despici, ac pro nomine Iesu affici contumeliâ.] Attamen non sine fructu prædicatores illi remearunt; quidam enim viri ex Aser, Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio Ierosolymam inierunt. * Rarò videris illum sine fructu concionatorem ad propria reuerti, qui à Ciuibus contumelioſè tractatur; patientia enim opus habet perfectum.] * Vndè cùm missus ad Oppida instruenda, incolas audio subsannatores, haud mihi experto licet dubitare de fructu; contradictio enim illa germinis est maturitas, præcocisque fructus instantia.] In Iuda autem *facta est manus Domini*, id est, gratia & fauor Dei adeò diffluens effusa est, vt daret Iudæis cor vnum, seu vnanimi consensu faceret eos Regis præscripto, Principúmque monitis subiacere. * Preme verba: *Facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum.* Specialissimè debet Dei manus admoueri vti varia communitatis corda in vnum colligentur. Quot sunt communitatis capita, tot sententiæ, tot vororum varietas. Sola igitur Dei potentissima manus poterit ea ad eundem sensum adunare.

Prædicatorũ gloria, contumelijs affici.

Nunquam sine fructu reuertitur Concionator, qui in Oppidis cõtumelijs afficitur.

In missionibus contradictio, fructus præcocis est maturitas.

Vt varij communitatis sẽsus coaleant in vnum, specialis Dei gratia est necessaria.

Verſ. 13.14.15.16.17.18.19.20. *Congregatique, &c.*] Verùm populi multi congregati sunt in Ierusalem vt in mense Secundo Azimorum perficerent solemnitatem. At priusquàm sacro ritui operam darent, irruentes fidei zelo, destruxerunt altaria, quæ Achaz in vniuersis Ierosolymæ angulis extruxerat (de quo *cap.* 28.24.) in quibus simulachris immundum libabatur incensum, quorum reliquias in Cedron torrentem proiecerunt. Phasè autem quarta decima mensis secundi die immolauerunt. *Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati*, in Templo obtulere holocausta. Lxx. *Sacerdotes autem illi & Leuita pudore suffusi sanctificauerunt se.* Pudebat enim illos negligentiæ suæ, cum viderent populi alacritatem. Et certè sæcularium feruor circà sacra Sacerdotum debet esse confusio. Expende particulam *Sacerdotes tandem sanctificati.* Aduerbium *tandem* Sacerdotum ac Leuitarum circa sanctificationem pigritiam exponit. * Si Sacerdos, aut Religiosus miserum tepiditatis subit statum, difficiliùs recurrit ad feruorem, quàm sæcularis quisque ad compunctionem pergit inchoandam.] steterunt itaque purificati Sacerdotes & Leuitæ *in ordine suo*, id est, in statione sua iuxta Mosis serui Dei præscriptionem. Sacerdotes verò sanguinem victimarum profundendum de Leuitarum manibus excipiebant. Licet enim *Exo.* 12. vbi agni Paschalis occidendi ritus præscribitur, non præcipiatur, vt immolatio fiat per Leuitas aut Sacerdotes. sed cùm fieret in priuatis domibus paterfamilias erat huius Sacræ ceremoniæ minister: Verùm quia plerique ex iis, qui conuenerant, non erant purificati, & immolatio fieri à mundis deberet, ideò Leuitarum & Sacerdotum perfecta est ministerio, immolantibus Leuitis, ac Sacerdotibus sanguinem excipientibus. Siue, vt alij exponunt, populus non purificatus agnos immolandos Leuitis dabat, Leuitæ ad Sacerdotes afferebant, qui sacram illam ceremoniam immolationis gererent. Vnde excipiebant hi de manu Leuitarum sanguinem effundendum, id est victimas, è quibus cruor effundendus fuisset. Igitur populares illi, *qui non occurrerant sanctificari Domino*, id est, qui non curauerant se sanctificare, Sacerdotum ac Leuitarum ministerio immolationi operam exhibebant. Cæterùm populares multi è Tribubus Ephraim, Manasse, Issachar, & Zabulon, qui sanctificati, aut purificati à legalibus immunditiis non fuerant, Phasè comedit, *non iuxta quod scriptum* est, sed contra legis præscriptionem. Phasè enim solùm à mundis comedi poterat, sed ex dispensatione illis concessum est, vt comedere ex illo possent, licet purificati non essent, quia hoc faciliùs poterat indulgeri, quàm vt immundi agnum mactarent. * Hinc Phasè Eucharistici ineffabilem adnota puritatem, ad cuius immolationem & sumptionem nulla circa voluntariam animi grauem immunditiam indulgentia impenditur.] Porrò Ezechias pro huiusmodi immundis, qui non præmissa purificatione legali Phasè absumpserant, Dominum exorauit, dicens. Misericors Dominus cunctis his, qui Dominum Deum patrum suorum toto ex corde requirunt, licet externè haud purificati Phasè comederint, propitiabitur, nec pius ausus eis vitio tribuetur. Exaudiuit Ezechiam Dominus, *& placatus est* populo. Lxx. transferunt, *Et sanauit populum*, illi scilicet ignoscendo. Scio, D. Hieronymum ex Hebræorum sententia (in Tradit.) adnotasse, occisos esse inuisibili gladio eos, qui immundi comederunt; sed Regis precibus cladem cessasse, eámque præfatam fuisse sanitatem. * Noluit Deus vel ad Eucharistici Agni typum absumendum vllum immundum impunè accessisse: vt requisita puritas ad verum Phasè celebrandum innuatur.]

Eucharistici Phasè ineffabilis puritas, nunquã enim permittitur ab immundis assumi.

Nec ad typicum Agnũ sumendũ immundi accedebant impunè, vt ad Eucharistiã sumendam puritas innuatur.

Verſ. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. *Fecerúntque, &c.*] Filij itaque Israël, qui inuenti fuére in Ierosolyma septem diebus Azimorum magna affecti lætitia coluere solemnitatem, Deum diebus singulis & voce & munere collaudantes. Sacerdotes quoque & Leuitæ organa pulsantes munus suum impleuerunt. Lxx. *In organis fortitudinis* Domini celebrabant Pascha. Quænam, quæso, illa erant fortitudinis organa? Hebræus assentit, tubas fuisse, quia fortiter ac vehementer sonant. Pagninus *In instrumentis sonoris.* interpretatur. Quidam sic: *In instrumentis canebant fortitudinem Domini.* Annon potius deberent Dei misericordiam & pietatem, qua ignouit immundis celebrare concentu? * Profectò Deus tam fortem se ostentat, dum se se cohibet, & vincit (sic fari liceat) nè eos puniat, qui audent vel ad typum Eucharistiæ Phasè accedere immundi, vt triumphum agat tunc Dei omnipotentia.] Verùm Rex Ezechias teneritudine affectus, dum videt Leuitas tàm peritè Ecclesiasticis

4 Vnam & alteram Azimorum hebdomadã Ezechias celebrari fecit.

Tepidus Sacerdos aut Religiosus difficilius resumit fernorẽ, quàm sæcularis cõpunctionem inchoat.

Dei omnipotentia, dum se cohibet, ne indignè ad Eucharistiæ typum accedãtes puniat, manifestatur.

ſtaſticis cantibus operam dare ad Dei laudes proferendas *locutus eſt cor* eorum, verba ſcilicet lenia & plena conſolatione protulit eorum eſferens pietatem, eorum commendans intelligentiam & peritiam. * Igitur loqui ad alicuius cor, eſt, eum laudare, & verba lenia ac conſolatoria proferre. Nullus enim eſt quem laudatoria verba lætitiâ non afficiant.] Comederunt ſeptem diebus ſolemnitatis (tot enim dies feſtum Paſchale tenebat iuxta præſcriptum legis *Exo.*12.15.) immolantes pacificorum victimas, & Dominum Deum patrum ſuorum collaudantes. Pacificorum victimæ in gratiatum actionem, & pro ſalute, ac proſperitate offerentium litabantur. Ritum hoſtiæ pacificæ habes *Leu.*3. Placuit autem vniuerſæ multitudini (poſt initum planè conſilium) vt etiam alij dies ſeptem feſtiuè colerentur, ad quos legis præſcripto non tenebantur: quod quidem cum ingenti gaudio geſſerunt. * Aſſerui initum fuiſſe conſilium, quia Præſul introducere non debet ſine prudenti Conſultorum conſenſu nouum aliquid quod poſſit ſubditos pergrauare. Ad ea quæ Regulæ præſcriptione tenentur, cogendi ſubditi: ad ea autem, quæ lege non tenentur, ſuauiter ſunt alliciendi.] * Illud autem præſcriptum nouum alacriùs ſubditi ac faciliùs accipiunt obſeruandum, quod vident non ſibi ſola Rectoris adinuentione indici, ſed ex ſeniorum conſultatione & conſenſu proponi.] Porrò vt ſeptem aliis diebus populi poſſent hoſtias offerre, eis Rex exhibuerat mille tauros, & ſeptẽ millia ouium: Principes verò tauros mille & ouium decem millia præbuerant. * Illam admodum commendabilem Principum munificentiam aſſero, quæ ad egentium deuotionis ac pietatis allicit & iuuat incrementum. Dant egenis victimas, vt illi Domino litent holocauſta.] * Vidi in Salmanticenſi noſtræ Societatis Collegio equitum Congregationem aut Sodalitium eo effectu eſſe initum, vt menſibus ſingulis pauperes cogant in vnum, qui quidem accepto temporario ſubſidio, ſpiritualem vertunt in oblationem, ſiquidem purgatâ Confeſſione conſcientiâ, ſacerrimum ineunt conuiuium. Quid illâ eleemoſynâ auguſtius, quæ pauperes allicit ad Euchariſticum holocauſtum offerendum?] Sanctificata ſeu conſecrata eſt Sacerdotum plurima multitudo, vt tàm multis hoſtiis immolandis ſufficere poſſent. Verùm ſpirituali hilaritate perfuſi fuere Sacerdotes, Leuitæ, Iudæi, Iſraëlitæ, imò & proſelyti ex ditione Iudaica & Iſraëlitica, qui ex alienis ſe Hebræis adiunxerant, & illorum ſacra ſuſceperant. * Illud feſtum ſolummodo celebre dixerim, cuius lætitiæ cuncti fideles tam diuites quàm pauperes participes exponuntur.] Vnde adiicitur, factaque eſt grandis celebritas in Ieruſalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid Regis Iſraël in ea Vrbe nõ fuerat. Poterat ſanè hæc ſolemnitas æquari feſtò ac celebritati illi, quâ Salomon Templum Domino dedicauit. Denique Sacerdotes & Leuitæ ſurrexere, vt populum benedicerent, ſeu benè precarentur: & exaudita eſt eorum vox, oratióq; in auguſtiſſimum cœleſte habitaculum auolauit. Formulam, quâ populo benedicendum erat, habes *num.*6.24. & eſt huiſmodi: *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te; oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Non video ex loco præfato, ius fuiſſe Leuitis, vt populo benedicerent. Cur ergo dicuntur benedixiſſe? Planè vel quia ſimul cum Sacerdotibus populo benedicentibus orarunt: * Qui pro populo exorat, illi veraciter benedicit.) Vel quia muſico cantu, vt ſolet chorus, aliquid cecinerunt, quo & ipſi populo benè fuere precati.

Nullus eſt, qui non lætetur, dum verba laudatoria audit.

Præſules nihil nouum præſcribant grate ſubditis ſine ſeniorum conſultatione.

Subditi facilius ſuſcipiunt nouum Rectoris præſcriptũ, quod vident, ex conſultatione ſeniorum indici.

Illa admodum commẽdabilis Principum, ſeu ditium munificentia, quæ pauperes allicit ad opera pietatis.

Salmantinæ Equites dant ſubſidiũ pauperibus, vt alliciant ad ſacerrimum Euchariſtiæ epulum.

Illud feſtum ſolũmodo dixerim celebre, cuius lætitiæ tam diuites, quàm pauperes efficiuntur.

CAPVT XXXI.

Idola, lucos & aras tota in Iudæa, & in Iſraële reliquo populus demolitur. Ezechias Templi munia: ordinéſque inſtaurari curat.

1. QVMQVE hæc fuiſſent ritè celebrata, egreſſus eſt omnis Iſraël, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulacra, ſuccidérúntque lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt, non ſolùm de vniuerſo Iuda, & Beniamin, ſed & de Ephraim quoque & Manaſſe, donec penitus euerterent: reuerſíque ſunt omnes filij Iſraël in poſſeſſiones & ciuitates ſuas. 2. Ezechias autem conſtituit turmas Sacerdotales & Leuiticas per diuiſiones ſuas, vnumquemque in officio proprio, tàm Sacerdotum videlicet, quàm Leuitarum, ad holocauſta & pacifica, vt miniſtrarent & confiterentur, canerénteque in portis caſtrorum Domini. 3. Pars autem regis erat, vt de propria eius ſubſtantia offerretur holocauſtum, manè ſemper & veſperè: Sabbatis quoque & Calendis, & ſolemnitatibus cæteris, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi. 4. Præcepit etiam populo habitantium Ieruſalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt poſſent vacare legi Domini. 5. Quod cùm percrebuiſſet in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Iſraël frumenti, vini, & olei, mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus decimas obtulerunt. 6. Sed & filij Iſ-

raël

raël & Iuda, qui habitabant in vrbibus Iuda, obtulerunt decimas boum & ouium, decimáſque ſanctorum, quæ vouerant Domino Deo ſuo: atque vniuerſa portantes, fecerunt aceruos plurimos. 7. Menſe tertio cœperunt aceruorum iacere fundamenta, & menſe ſeptimo compleuerunt eos. 8. Cúmque ingreſſi fuiſſent Ezechias & principes eius, viderunt aceruos, & benedixerunt Domino ac populo Iſraël. 9. Interrogauítque Ezechias Sacerdotes & Leuitas, cur ita iacerent acerui. 10. Reſpondit illi Azarias Sacerdos primus de ſtirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperũt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eò quòd benedixerit Dominus populo ſuo: reliquiarum autem copia eſt iſta, quam cernis. 11. Præcepit igitur Ezechias vt præpararent horrea in domo Domini. Quod cùm feciſſent, 12. Intulerunt, tam primitias, quàm decimas, & quæcumque vouerant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Leuita, & Samei frater eius, ſecundus, 13. Poſt quem Iahiel, & Azarias, & Nahath, & Aſaël, & Ierimoth, Iozabad quoque, & Eliel, & Ieſmachias, & Mahath, & Banaias, præpoſiti ſub manibus Choneniæ, & Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ regis & Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. 14. Core verò filius Iemna Leuites & ianitor orientalis portæ, præpoſitus erat iis quæ ſponte offerebantur Domino, primitiíſque & conſecratis in Sancta ſanctorum. 15. Et ſub cura eius Eden, & Beniamin, Ieſue, & Semeias, Amarias quoque & Sechenias, in ciuitatibus Sacerdotum, vt fideliter diſtribuerent fratribus ſuis partes, minoribus atque maioribus: 16. Exceptis maribus ab agnis tribus & ſuprà, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per ſingulos dies conducebat in miniſterio, atque obſeruationibus iuxta diuiſiones ſuas, 17. Sacerdotibus per familias, & Leuitis à vigeſimo anno & ſuprà, per ordines & turmas ſuas; 18. Vniuerſæque multitudini, tam vxoribus, quàm liberis eorum vtriuſque ſexus, fideliter cibi, de his quæ ſanctificata fuerant, præbebantur. 19. Sed & filiorum Aaron per agros, & ſuburbana vrbium ſingularum, depoſiti erant viri, qui partes diſtribuerent vniuerſo ſexui maſculino de Sacerdotibus & Leuitis. 20. Fecit ergo Ezechias vniuerſa quæ diximus in omni Iuda: operatúſque eſt bonum & rectum & verum, coram Domino Deo ſuo, 21. in vniuerſa cultura miniſterij domus Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deum ſuum in toto corde ſuo: feciſque & proſperatus eſt.

COMMENTARII.

5. *Simulachra à Iudæis cõfringuntur. Ezechias Sacerdotalia, ac Leuitica inſtaurat officia. Sacris dat impenſas, facit Sacerdotibus ac Leuitis decumas exhiberi.*

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Cúmque &c.*] Poſtquàm vna & altera hebdomada Azimorum ſolemnitas fuit ritè peracta, nouo reſumpto feruore, qui tam longo temporis interſtitio languerat, egreſſi fuere omnes Iſraëlitæ, qui aderant apud Iudææ Vrbes, & commiſerunt ſimulacra, ſuccíderunt lucos, demoliti ſunt excelſa, deſtruxerúntque altaria non ſolùm de Iudæ ac Beniamin, verùm & Ephraim ac Manaſſe ditione, donec penitus abolerent: reuerſíque ſunt omnes filij Iſraël in poſſeſſiones, ac Ciuitates ſuas. * Tam fortes ex Azimorum mensâ ad facinora præclara proſiliunt, innuentes poſt Euchariſticam refectionem debere comminuendis idolis operam dare. Euchariſticus enim ille panis te donat fortitudine ad voluptatum vim ſuperandam.] Rex verò Ezechias conſtituit turmas Sacerdotales & Leuiticas *per diuiſiones ſuas*, id eſt, iuxtà diuiſiones ac claſſes à Dauide olim conſtitutas (de quibus 1. *Paral.* 24.) tam Sacerdotes quàm Leuitas ſuis ſpecialibus muniis addixit; videlicet vt pacifica holocauſta offerrent, vt miniſtrarent Sacris, vt *confiterentur*, ſiue laudarent Dominum concinentes in portis *caſtrorum* Domini, id eſt, Templi, quo ſolebant quaſi milites conuenire. LXX. habent,

Ex Euchariſtica menſa fortior exſurgis ad voluptatum idola comminuenda.

Canentes in atris domus Domini. * Sacerdotum cœtus apud Templum militare debent exercere officium, & aſſidendo vigilanter, & Præſulis ſicut Ducis præſcriptis obtemperando, & ſacras ædes à profanatoribus defendendo.] *Pars autem Regis erat*, id eſt, pro parte ſua id curabat, vt mane ac veſpere ſemper ex Regiis ſumptibus holocauſtum Domino offerretur: necnon vt ſingulis ſabbatis, Calendis, ac ſolemnitatibus reliquis Domino è penu Regio litaretur iuxtà Moſis præſcripta. * Quàm commendabiliter & quàm vtiliter Regis ſumptibus feſta celebrantur: nam & ſimul fama Regis euehitur, & Regno commoda à munificentiſſimo redditore innumera obueniunt.] Sententia igitur eſt, Ezechiam contribuiſſe ad Sacrificiorum expenſas, vt ſcilicet mane & veſpere, & in Sabbathis & in Calendis, & in reliquis ſolemnitatibus Regiis expenſis holocauſta offerrentur. Idem ferè fecerat Salomon, vt legimus 2. *Paral.* 8. 12. & 13. A quo procul dubio didicit Ezechias. * Tanti momenti eſt pia te exercere opera, quæ poſteri imitentur. Præcepit etiam Rex Ieroſolymæ ciuibus, *vt darent partes* Sacerdotibus & Leuitis, id eſt, vt primitias ac decimas exhiberent, quæ Sacerdotibus & Leuitis debebantur, vt ſine temporarij victus ſolicitudine poſſent Sacris muniis in lege præſcriptis operam dare. * Impium eſt, à decimis Sacerdotali ſtatui debitis quidquam detrahere.] At iniuſtum eſt, & iniquum Sacerdotes temporaria ſubſidia accipere à ciuibus, & Sacro non incumbere miniſterio.]

Sacerdotes in Templo militare gerant officium.

Commendabiliter, & vtiliter feſta Regis ſumptibus celebrantur.

Magni momenti eſt, pia te exercere opera, quæ poſteri imitentur.

Impium eſt, ſacularem Sacerdotibus nõ dare decimas.

Iniquum eſt, Sacerdotẽ decimas accipientem ſacro non incumbere miniſterio.

sterio.] Quod Regis imperium cum ad ciuium peruentasset aures, Iudæi plurimas obtulere primitias, & ex frumento, vino, oleo, melle, & omnibus, quæ gignit humus, decimas rependerunt. Sed & Israëlitæ & Iudæi qui in Iuda ac Beniamin Vrbibus habitabant ciuium Ierosolymitanorum exemplum secuti, decimas boum & ouium, & *decimas Sanctorum* obtulerunt. *Sanctorum* decimæ sunt, (si Hebræis credendum) quas Leuitæ dabant Sacerdotibus ex decimis, quas ipsi à populo acceperant. * Existimo, hanc Leuitarum circa soluendas decimas obligationem exemplum dedisse Christicolis Præsulibus à nostris Sacerdotibus decimas exigendi. Annon Clericalis seu sacerdotalis Ordo Leuitico augustior? Sacerdoti tunc Leuita decimas soluebat, melior nunc iam soluit Sacerdos.] Facilius expono, & *decimas sanctorum, quæ vouerant Domino Deo suo*, id est, & decimas sanctas) sic Hebr.) quæ erant sanctificatæ, id est, dedicatæ Deo. Quia decimæ rerum omnium ex lege Deo consecratæ, addictæque erant. Vniuersa itaque apportantes plurimos aceruos constituerunt ex fructuum multitudine. Hebr. *Dederunt in aceruos & aceruos.* Verùm mense tertio cœperunt aceruorum *fundamenta* iacere, id est, inchoare aceruos: eósque mense septimo compleuerunt; ac si diceret, inchoauere mense Maij, mense Nouembris perfecerunt. Cúmque Ezechias & Principes Ierosolymæ, siue aulici ingressi fuissent ad locum vbi fuerant colligati fructus, aspectauere aceruos, & Domino ac populo benedixit: Domino, quia dederat ciuibus profluenter: populo, quia reddiderat Domino abundanter. Interrogauitque Ezechias Sacerdotes & Leuitas, cur ita quasi despecti iacerent acerui, nec annona illa seponeretur, & daretur custodiæ.

An deceat, Sacerdotes de decimas soluere?

2. Decreti fuére, qui fructuum Sacerdotibus oblatorum horrea seruarent.

Vers. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20. *Respondit illi, &c.*] Interroganti igitur Ezechiæ Ezechiæ Azarias *Sacerdos primus* seu summus Pontifex de Sadoc stirpe respondit. Ex quo cœperunt offerri primitiæ ac decimæ in domo Domini, comedimus vsque ad Satietatem, remanseruntque plurima fructuum spolia: eo quod benedixerit Dominus populo suo eius agros fœcundas, fideléque excitans vt debitas primitias ac decimas largitori persoluerent. * Tam difficilis primitiarum, ac decumarum est solutio, vt speciali Dei benedictione & auxilio indigeant reddituri, ad manus exerendas?] Réliquiarum ergo ô Rex (adiicit Azarias) copia est ista, quam cernis. Præcepit igitur Ezechias, vt apud Templi adyta horrea præpararentur, non quidẽ vt de nouo constituerentur, erant enim iam pridem à Salomone ædificata: sed vt mundarentur, & instaurarentur iis in locis, in quibus labem esse passa. Quod cum gessissent, primitiarum ac decimarum, & quorumcumque fructuum, quæ Iudæi vouerant, fideliter horreis accubiculis intulere reliquias. Vt autem sicut *fideliter* inducti erant fructus, fideliter asseruari possent, constituitur horreorum Præfectus seu primarius custos Chonenias Leuita, & semei frater eius *secundus*, seu vicarius. His alij inferiores custodes submittebantur, nempe Iahiel, Azarias, Nahath, Asaël, Ierimoth, Iozabad, Eliel, Ismachias, Mahath, & Banaias. Cuncti ergo hi Præpositi horreorum fuere assignati ex Regis Ezechiæ & Azariæ Pontificis imperio, *ad quas omnia pertinebant.* Hæc proxima verba non sunt in textu Hebræo, nec in Græco LXX. vitorum: sensus esse videtur: Quorum partim iussu, partim ministerio omnia percipiebantur. Quod si primæ hæreas expositioni textui accommodatiori, *Ex imperio Ezechiæ Regis & Azariæ Pontificis, ad quos omnia pertinebant*, pietatem, ac prudentiam Regis contemplari licebit, qui consortio Pontificis cuncta administrabat. * Imperabat quidem Pontifex, quæ ad sacrarum cæremoniarum executionem pertinerent, Rex verò seculare, si opus esset, ferebat auxilium, nec vnquam Ecclesiæ ius minimum violabat. Hanc Reges Catholici Ezechiæ pietatem circa immunitatem Ecclesiæ imitari debent.] Porrò Core filius Iemna Leuites & Ianitor Orientalis portæ Præpositus constitutus fuit iis, quæ sponte Domino offerebantur, primitiisque & consecratis *in sancta sanctorum*, id est, ad sacros vsus; Sacrificia, &c. In Hebræo habetur, *Core Præpositus erat iis, quæ sponte Domino offerebantur, ad dandum primitias Domini, & sancta sanctorum.* Itaque is Ianitor non obseruandum dona erat Præpositus, sed ad dandum pauperibus, aut aliis Sacerdotibus dona sancti sanctorum, siue Deo dicata. Et sub *cura* siue potestate eius adiutor erat viri nomine Eden, Beniamin, Iesue, Semeias, Amarias, & Sechenias in Ciuitatibus sacerdotum commorantes, vt fideliter fratribus suis sacerdotibus ac Leuitis distribuerent portiones, cunctisque *minoribus* ac *maioribus: exceptis maribus ab annis tribus & supra*, id est, præter pueros triennes, quibus etiam vt & aliis omnibus vsque ad annum vigesimum subministrabantur necessaria omnia. Quasi diceret, Non solis Sacerdotibus & Leuitis iam vigesimum annum egressis, & in grauioribus Templi ministeriis occupatis dabantur à Præfectis Templi omnia necessaria: sed etiamsi quis eorum iam liberos haberet, iisdem quoque de alimentis prospiciebatur: neque maribus tantùm, qui mox ab anno ætatis tertio inscripti catalogo ministrantium puellorum, intrabant cum parentibus Templum, deseruituri & ipsi in rebus leuioribus, (quo titulo pars aliqua stipendij deberi ipsi videbatur:) sed & fœmellis, adeóque & puerulis in cunis sua quotidie portio tribuebatur de communi: nec solum liberi, sexus vtriusque, verùm & matres subsidio huiusmodi potiebantur. Tanta erat rerum Templo oblatarum copia. Et Rex nolebat quemquam ministrorum Templi cura rerum necessariarum sibi suisue conquirendarum distineri. Quod vtinam omnes Principes Christiani imitentur. * Si enim temporiorum acquirendorum cura Ecclesiastici non detinerentur, accuratius solummodò spirituali ciuium vtilitati, diuinóque cultui impensius studerent.] * Qui Ecclesiæ autem bona distribuunt, qui eleemosynarum subsidia impertiunt, meminerint *minoribus & maioribus* subuenire: communis sit sublenatio inopiæ, non laturetur vnus, altero fame laborante.] * *Minoribus* dixit, & *maioribus*, non è conuerso, *Maioribus & minoribus*, vt inbuatur, prius subueniendum *minoribus*, seu abiectioribus, qui plus in hominum obliuione obuersantur.] * Dixi, puellulas, leuioribus Templi muniis, deseruire. Oportet planè eos, qui ad sacerdotale tendunt statum, à cunabulis Ecclesiæ deseruire.] Imò & laudabiliter fœminæ ab infantia Monasterij ineunt

Difficilis primitiarum ac decumarum solutio.

Catholici Regis pietas circa iuris Ecclesiastici immunitatem.

Prouidendum Ecclesiasticis de temporalibus, vt ipsi studeant spiritualibus muniis.

Eleemosynæ sine personarum acceptione distribuendæ.

Prius abiectiores inopes succurrendi.

Futuri Sacerdotes à cunabulis Templo deseruiant.

Monasteria futura puellulæ ineant ab infra.

ineunt recluſionem, vt libentiùs retineant, quod à cunabulis didicerunt.] Verùm *filiorum Aaron* viri, id eſt Sacerdotes per agros & ſuburbana Ciuitatum diſpoſiti erant, vt portiones cunctis maſculis ſacerdotalium ac Leuiticarum domorum ſeu familiarum diſtribuerent. Geſſit ergo Ezechias vniuerſa, quæ expoſuimus in Iudæ ditione: operatúſque eſt iuxta placitum Domini circa omnem cultum Templi, id eſt, iuxta leges, & ceremonias Sacri miniſterij iuta indicentes: curans vtique toto ex corde Dei exequi obſequium: *fecitque, & proſperatus eſt.* * Illi enim Principi cuncta ſæcularia proſperè obueniunt, qui Dei cultum ſtudet promouere.]

Ei Regi cuncta ſæcularia obueniunt, qui Dei cultum promouere ſtudet.

CAPVT XXXII.

Sennacherib Rege Aſſyriorum inuadente Iudæam, & Deum blaſphemante, Ezechiáque & Iſaia hortantibus populum in Deo fidere, & Deum precibus ſolicitantibus, ex Aſſyriorum exercitu centum octoginta millia cæſi coniacuére, Angelo percuſſore. Sennacherib fugiens fuit à filiis occiſus. Ab Ezechia nimia elato felicitate Deus offenſus. Illi obeunti ſucceſſor impius filius Manaſſes extitit.

1. POST quæ & huiuſcemodi veritatem, venit Sennacherib rex Aſſyriorum, & ingreſſus Iudam, obſedit ciuitates munitas, volens eas capere. 2. Quod cùm vidiſſet Ezechias, veniſſe ſcilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ieruſalem. 3. Inito cum principibus conſilio viríſque fortiſſimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente ſententia. 4. Congregauit pluriman multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Aſſyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. 5. Ædificauit quoque agens induſtriè, omnem murum, qui fuerat diſſipatus, & extruxit turres deſuper, & forinſecùs alterum murum: inſtauratúſque Mello in Ciuitate Dauid, & fecit vniuerſi generis armaturam & clypeos. 6. Conſtituítque principes bellatorum in exercitu: & conuocauit vniuerſos in platea portæ ciuitatis, ac locutus eſt ad cor eorum, dicens: 7. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ eſt cum eo: multò enim plures nobiſcum ſunt, quàm cum illo. 8. Cum illo enim eſt brachium carneum: nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnátque pro nobis. Confortatúſque eſt populus huiuſcemodi verbis Ezechiæ regis Iuda. 9. Quæ poſtquam geſta ſunt, miſit Sennacherib rex Aſſyriorum ſeruos ſuos in Ieruſalem (ipſe enim cum vniuerſo exercitu obſidebat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda, & ad omnem populum qui erat in vrbe, dicens: 10. Hæc dicit Sennacherib rex Aſſyriorum: In quo habentes fiduciam ſedetis obſeſſi in Ieruſalem? 11. Num Ezechias decipit vos, vt tradat morti in fame & ſiti, affirmans quòd Dominus Deus veſter liberet vos de manu regis Aſſyriorum? 12. Numquid non eſt iſte Ezechias, qui deſtruxit excelſa illius, & altaria, & præcepit Iuda & Ieruſalem, dicens: Coram altari vno adorabitis, & in ipſo comburetis incenſum? 13. An ignoratis quæ ego fecerim, & patres mei, cunctis terrarum populis? nunquid præualuerunt dij gentium, omniúmque terratum, liberare regionem ſuam de manu mea? 14. Quis eſt de vniuerſis diis gentium quas vaſtauerunt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea, vt poſſit etiam Deus veſter eruere vos de hac manu? 15. Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana perſuaſione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum ſuum de manu mea, & de manu patrum meorum, conſequenter nec Deus veſter poterit eruere vos de manu mea. 16. Sed & alia multa locuti ſunt ſerui eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam ſeruum eius. 17. Epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſraël, & locutus eſt aduerſus eum: Sicut dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu ſua, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta. 18. Inſuper & clamore magno, lingua Iudaica, contra populum qui ſedebat in muris Ieruſalem,

perſo

perſonabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatem. 19. Locutúſque eſt contra Deum Ieruſalem, ſicut aduerſum deos populorum terræ, opera manuum hominum. 20. Orauerunt igitur, Ezechias rex, & Iſaias filius Amos prophetes, aduerſum hanc blaſphemiam, ac vociferati ſunt vſque in cælum. 21. Et miſit Dominus angelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum, & bellatorem, & principem exercitus regis Aſſyriorum: reuerſúſque eſt cum ignominia in terram ſuam. Cúmque ingreſſus eſſet domum dei ſui, filij qui egreſſi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. 22. Saluauítque Dominus Ezechiam & habitatores Ieruſalem de manu Sennacherib regis Aſſyriorum, & de manu omnium, & præſtitit eis quietem per circuitum. 23. Multi etiam deferebant hoſtias & ſacrificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ regi Iuda: qui exaltatus eſt poſt hæc coram cunctis gentibus. 24. In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuítque eum, & dedit ei ſignum. 25. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum eſt cor eius: & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam & Ieruſalem. 26. Humiliatúſque eſt poſteà, eò quòd exaltatum fuiſſet cor eius, tam ipſe, quàm habitatores Ieruſalem: & idcircò non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 27. Fuit autem Ezechias diues, & inclytus valdè, & theſauros ſibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum vniuerſi generis, & vaſorum magni pretij. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium iumentorum, caulásque pecorum, 29. Et vrbes ædificauit ſibi: habebat quippe greges ouium & armentorum innumerabiles, eò quòd dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis. 30. Ipſe eſt Ezechias, qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem Vrbis Dauid: in omnibus operibus ſuis fecit proſperè quæ voluit. 31. Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. 32. Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & miſericordiarum eius, ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ filij Amos propheræ, & in Libro regum Iuda & Iſraël. 33. Dormiuítque Ezechias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid: & celebrauit eius exequias vniuerſus Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem: regnauítque Manaſſes filius eius pro eo.

COMMENTARII.

1. Contra irruentem Regem Aſſyriorum ſe Ezechias viriliter præparat.

ERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Poſt quæ, &c.*] Poſt hæc igitur & *veritatem eorum*) ſic LXX.) quæ narrata ſunt, Sennacherib Rex Aſſyriorum minax Iudam ingreſſus, munitas obſedit Ciuitates eas capere intendens. Belli cauſam exiſtimo fuiſſe, quia Ezechias Aſſyrijs tributum pendere recuſauit. Cum autem reſciuiſſet Ezechias Sennacheribum ventitaſſe, & totum belli impetum in Ieroſolymam conuerti, inito cum *Principibus, viriſque fortiſſimis* conſilio quæſtioni tradiderunt, num ad hoſtium repreſſionem Vrbiſque defenſionem conferret fontium capita obturare ea ſcilicet operiendo, & aquas per occultos canales huc illuc deriuando? Preme verbum, *Inito cum Principibus conſilio, viriſque fortiſſimis.*

Regis prudentis eſt, nihil agere niſi præcedente conſilio. Principes decet ſapientia.

* Regis prudentis eſt, nihil agere niſi conſilio præducente, præcipuè cum cauſa communis geritur.] * Annon aptiùs ſapientes conſilium peturus adiret, quàm Principes? Exiſtimo Conſiliarios hîc appellari Principes, quia apud Hebræos dedecebat, quem Principatu potiri, & inſcitiâ laborare.] * Profectò ad quæſtionem bellicam diſcutiendam non ſolùm Conſiliarios ſeu ſapientes, aut Principes aduocauit, ſed *à viris fortiſſimis* ſeu militibus exquiſiuit votum. Ineptè enim de rebus ad Martem attinentibus iudicabit, qui Mineruæ verſatur in aulis.] Omnium ſententiis decernitur aquarum ſcaturigines obturari, quæ extra Vrbem ebulliebant: ad quod miniſterium Ezechiæ imperio multitudo ingens operariorum colligatur, qui quidem cunctos obcœcauere fontes, & *riuum qui fluebat in medio* Regni illius, hoc eſt, torrentem Cedron, qui ab oriente fuit inter Ciuitatem & Olueti montem, diſtraxerunt. Dicebant autem, qui obturandis fontibus, & diſtrahendo riuo operam dabant: Nè huc aduenter Aſſyorum Rex, eiúſque exercitus, & aquarum abundantia eorum retardet reditum, quem aquæ penuria maturabit. Seque Rex Ezechias *induſtrium* oſtentans, reædificauit omnem Vrbis murum, quem diſſipatum aduertit, extruxit turres deſuper, & forinſecùs murum alterum appoſuit. Hoc eſt quo aſſolet Scriptura alicubi vocitare *Murum & & ante murale. Iſa.* 26.1. *Thre.* 2.3. Præterea in Vrbe Dauidica ſiue in arce Sion inſtauravit *Mello*: Nomine *Mello* intelligitur murus, qui montem Sion ex parte Ciuitatis Aquilonari cingebat, quia is murus erat in Valle ſeu voragine illa, quæ Mello appellatur. Fecit perfici clypeos & vniuerſi generis armamenta, conſtituit in exercitu Principes militum, conuocauit eos ad Ciuitatis portam, eiſque, ſic profatus eſt ad cor quidem eorum, id eſt, concionem habuit, qua illos conſolaretur, & ad fortiter agendum animos adderet. * Illam vtilem & efficacem concionem dixerim, quæ ad cor dirigitur: ina-

Ad res belli dirigẽdas adnocentur fortes milites Cõſiliarij, non ſolùm ſapientes.

Ad cor auditorum non ad aures Concionator loquatur.

nia prorſus concionatoris verba quæ ad demulcendum aures ſolummodò proferuntur.] viriliter agite (inquit Rex) & roboramini, timori minimè præcordia ſubintrent, correpti formidine dum Regis Aſſyriorum copias aſpectatis: multò enim plures milites pro electo populo pugnaturi procedet ad campum, quàm pro illo; ille enim brachij carnei nititur robore, nos autem Dei pro nobis pugnaturi nitimur protectione. *Confortatus* eſt exercitus Regis Ezechiæ huiuſcemodi verbis. * Et quando non confortantur, nouoſque animos capiunt milites cum non Ducum, ſed Regis ipſius amicam vocem exaudiunt?] * Ratò Rex ad bellum proceſſit ſine triumpho, eius enim aſpectus ſolus aſſolet brachia militum ad certamina roborare.]

Roborantur milites, dum Regis ipſius vocem amicè audiunt. Ratò Rex ad bellum proceſſit ſine triumpho.

2.

Verſ. 9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19. *Quæ poſtquàm &c.*] Poſtquam igitur hæc geſta fuere, Sennacheribus Aſſyriorum Rex, dum ipſe cum vniuerſo exercitu Ciuitatem Lachis obſidebat, in Ieroſolymam nuncios immiſit, qui Ezechiæ Regi Iuda, & cunctis in Vrbe commorantibus eius nomine dicerent: Hæc dicit Sennacherib Aſſyriorum Rex: In quo valido protectore fiduciam habetis qui obſeſſi Ieroſolymâ, carcere quidem vobis, commoramini ad victimam? Vos Ezechias decipit, vt *fame & ſiti* morti tradat; nec enim morti ſolummodò addicimini, ſed cruciatibus. * Qui quidem morte ipſa ditiores exiſtunt.] Nonne Rex mendaciter vobis affirmat, ab Aſſyriorum inuicta potentia Dei veſtri vos protectione liberandos? Annon eſt Ezechias, qui illius excelſa impiè deſtruxit, (Piè admodum Rex prohibuerat, ne contra legis præſcriptum Iudæi Deum colerent in excelſis) commanuit altaria, præcepitque Iudæ, & Ieroſolymæ ciuibus dicens: Vnico in Ieroſolymitano altari Deum adorabitis, & in ipſo incenſum comburetis? Quonammodò ergo propitium habebitis Numen, cuius cultum violaſtis? * Profectò ſi ſententia hæc Aſſyrij Regis veritate niteretur, haud dubium, quin auerſo Numine dimicarent. Nihil enim ſic Deus auerſus redditur, quàm eius cultus violatione.] An ignoratis quę ego vbique terrarum facinora geſſerim, & quæ partes mei olim geſſere victores? An dij gentium, quas debellaui potuerunt ſuos è mea impugnatione protegere? Aſſignate vel vnum de vniuerſis diis gentium, qui gloriari poſſit meos impetus retardaſſe, ſuoſque Sacrificulos defendiſſe: vt confidenter colligere poſſitis, à Deo veſtro aduerſum me fore protegendas. Non vos igitur Ezechias decipiat, nec vanâ prorſus deludat perſuaſione nec eius promiſſis fidem adhibeatis, Nam ſi nullus gentium, atque Regnorum, quæ expugnaui, populum ſuum valuit à poteſtate mea eripere, & à partum meorum impugnatione protegere; *conſequenter* nec Deus veſter vos à manu præcelſa mea poterit liberare. Plura alia hallantia blaſphemiam nuncij Aſſyrij contra Dominum Deum, & contra Ezechiam fœdo ex ore protulerunt. Nec ſolùm nunciorũ ſermone, ſed & literis probra in Deũ Iſrael Rex Aſſyrius expoſuit, ſcribens ſcilicet: ſicut dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu mea: ſic & Deus Ezechiæ populum ſuum de eadem potentia liberare non valebit. Ad hæc ferai Sennacherib nunciorum comites ipſique magnum excitantes clamorem linguâ Iudaicâ, curabant murorum terrere cuſtodes, quaſi capiendæ Ciuitatis iam adeſſet inſtantia. Addidere contra Deum Ieruſalem eâſdem blaſphemias quibus contra deos gentium nuda manuum hominum ſimulacra fuerant vſi.

Superbus ac blaſphemus Regis Aſſyriorum ſermo.

Cruciatus ſunt morte diriores.

Nihil Deum ſic reddit auerſum, quàm eius cultus violatio.

Verſ. 20.21.22.23. *Orauerunt igitur, &c.*] Cæterum Rex Ezechias, & Iſaias Propheta filius Amos, qui populum Afflictum conſolatus Regi tunc temporis aſſidebat, huiuſmodi in Dominum probra audientes, aduerſus blaſphemos non vſi ſunt armis, ſed validum pio ex ore clamorem emiſerunt ad ſuperos. * Fideles enim Dei famuli blaſphemantium ſermonem percipientes dirè ſauciantur.] * Ante fidelem Chriſticolam reputas, qui audiens impudentium tam crebra iuramenta non afficeris, non eos ſubmonere accedis, non dirè excruciaris?] *Orauerunt* itaque Ezechias & Iſaias: & miſit Deus Angelum, qui ex Aſſyriorum exercitu penè immenſo omnem virum robuſtum, omnem egregium militem, cunctos Principes exitialiter vulnerauit. Quàm efficax oratio duorum, quàm præproperus orationis effectus! *Orauerunt Ezechias & Iſaias, & miſit Dominus Angelum.*] * Verùm non dicitur, vulneratum fuiſſe omnem infirmum, ſed *omnem virum robuſtum, & bellatorem, & Principem exercitus Regis Aſſyriorum.* Delinquente enim communitate, primores à Domino puniuntur, quia ipſi inferiores ſuo exemplo ad crimina trahunt.] Reliquus ergò exercitus cum ignominia ſuam eſt reuerſus in regionem. Cúmque Sennacherib fanum fuiſſet ingreſſus Dei ſui Neſroch in Ninive, filij eius Adramelech & Sarazar interfecerunt eum gladio, nec Deus illius proprio in habitaculo à filiorũ manibus, qui *egreſſi fuerant de vtero eius*, eum potuit liberare. Ratione interitus dat R. Salomon: Quod Sennacheribus ad placandos tùm deos ſuos, tùm ſuorum animos, qui grauiter ferebant, filios & amicos in Iudæa tam miſerè extinctos, decreuerit more Gentium victimam filiorum propriorum offerre, & ſuo ſic ſanguine diis litare. Sed rem ſubodorati filij præuenerunt conſilia parentis, ipſiúſque cædem matureè occuparunt. Saluauit itaque Dominus Ezechiam, & Ieroſolymæ ciues de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum, & de manu omnium hoſtium, qui Iudæam conati ſunt perturbare, donauítque Regem ac ſubditos eius pace *per circuitum*; nullus enim finitimus Rex ad certamen irrupit. Vt autem Domino grati oſtenderentur, multi hoſtias & Sacrificia in Ieruſalem offerenda Domino afferebant, & munera Ezechiæ aptanda, qui poſt cœleſtem mirabilem victoriam hanc cunctis gentibus apparuit illuſtrior. Dona itaque & Deo & Regi multi Iudei attulerunt. Pro ea voce & *munera* Ezechiæ in Hebræo eſt vox *Migdanoth* id eſt dona aut munera *voluptaria* aut *pretioſa*. At lxx. pro voluptuaria aut pretioſa *Arma* tranſtulere. * Quid armis cum pretioſo ac voluptuario munere? Multum quidem; Regi enim eximio arma, quibus protegit ſubditos, donum eſt pretioſum, voluptuoſa ſupellex.

3.

Aſſyriorum delectio. Angelo dimicante, Sennacheribque interitus.

Dei ſeruus audiens probra in Deum fauciatur.

No' oſtenditur Dei fideles famulus qui audiens blaſphemias iuratorum, nõ afficitur dolore.

Præproperus orationis duorum effectus.

Regi eximio arma, quibus ſubditos defendit, munus eſt pretioſum ac voluptuoſum.

Verſ. 24.25.26.27.28.29.30.31.32.33. *In diebus illis, &c.*] Verum *in diebus illis*, ſiue eo anno, quo Sennacherib Rex Aſſyriorum ab Ieroſolyma, quam ſperè intentauit profectus eſt contra

Prius) Delinquente communitate) primores à Deo aſſolent puniri, quia ipſi traxere inferiores ad crimina.

4.

Ægritudo ac ſanitas Ezechiæ, eiuſdem opes, geſta alia, & obitus.

contra Tharacam Regem Ægypti, ægritudine exitiali Ezechias afficitur, Deo scilicet immittente, ne insolesceret ex triumpho. * Immittit quippe benignissimus Dominus suis amicis beneficio eximio corporis ægritudines in animi protectionem.] Isaias aduentat, mortem ægroto indicit, Rex Dominum exorat, & imperat. derúrque ei *signum*, Hebraicè *Mophet*, portentum, Solis scilicet conuersio, de qua 4. *Reg.* 20. At Rex post tot beneficiorum receptione Domino non retribuit debitæ gratitudinis affectum: quia postquam periculum, quod illi intentauerat Sennacherib euasit, postquam legati ex Babylone gratulatum venerunt, postquam diuino beneficio diuitiis est auctus & donatus sanitate, *elevatum est cor eius*, quo tempore legatis Babyloniæ ostentauit thesauros. 4. *Reg.* 20, 12. Mox contra eum, contra Vrbium Iudææ habitatores, & contra Ierosolymæ incolas cœlestis iracundia desæuit: * Vix enim Rex delinquit, cum cuncti subditi flagellantur.] * Nihil Deus diriùs vindicet in amico, quam elationis aut superbiæ piacula, quæ sapiunt inimici Satanæ nequitiam.] Porrò Regem postmodùm de cordis elatione pœnituit, cordis humilitate cordis superbiam obliterare curante, eúmque Ierosolymæ ciues studeant æmulari: & idcircò *super eos* non venit *ira* Domini in diebus Ezechiæ. Quænam ergo fuit illa Dei ira, de qua sacer Scriptor: *Facta est contra eum ira & contra Iudam & Ierusalem? Venitne*, & non venit Dei ira? * Certè ærumnæ illæ, quæ ad hominum emendationem à Domino immittuntur, potiùs à Deo benigno, quàm à Deo irato processisse videntur vnde supplicia illa, si *ira* vocitatur, ira planè non sunt. *Facta igitur contra eum est ira* Domini, & *non venit ira*; quia pœnitentia Regis & ciuium primam iram in beneficium in signe conuertit.] Humiliatus itaque est Rex postea, Isaiæ scilicet monitis saniorem reuocatus ad mentem. In Hebræo est, *Et humiliauit se Ezechias elatione cordis sui, & habitatores Ierusalem.* Cæterùm Rex Ezechias prædiues extitit, valdè inclytus fuit, ingentes sibi plurimósque auri, argenti, lapidis pretiosi, aromatum, vniuersi generis armamentorum, & vasorum seu suppellectilium magni pretij congregauit. Apothecas extruxit, queis frumentum, vinum & oleum vbertim conderetur, præsepia omnis generis iumentis plena parauit, pecoribus caulas exposuit, Vrbes reædificauit. *Habebat quippe greges &c.* In Hebræo sine causali, *Habebat greges pecudum & bouum multos*, noster *innumerabiles* pro multis dixit. Habebat, inquam, Ezechias greges ouium & armentorum multos admodum, eo quo à Domino diuitiis multis quibus alere posset ac comparare greges, donatus fuisset. * E conuerso dixerim non ineptiùs, *Dedit ei Dominus substantiam multam nimis, eo quod habebat greges ouium, & armentorum innumerabiles.* Homines enim gregibus nutriendis addicti facillimo negotio ditescunt.] Ipse Ezechias scaturiginem aquarum Gion superiorem obturauit, & ad Occidentale latus montis Sion fluentum auertit in Vrbis Dauidicæ commoda. In cunctis demum operibus suis *prosperè* euasit, & quodcumque intendit, perfecit. Vberius expendam illam fontis obturationem. Obturauit quidem Ezechias superiorem fontem aquarum Gion, & auertit eas subter antiquum aquæductum, fodiens ferro rupem ad Occidentem Vrbis Dauid. Eodem loco quo priùs effluebant, sed cum hoc discrimine, quod Salomonis aquæductus sublimior in plura Vrbis loca deducebat aquas: * Ezechiæ verò inferior aquæductus idémque occultissimus in pauciores Vrbis partes, eásque inferiores tantùm aquas inferebat. Ex hoc capite vtilior Vrbi Princeps, qui inferiorum seu vulgariorum ciuium curam habuit. * Nec enim probo Regi sufficit primoribus subditis prouidere, nisi & infimi simul beneficio communi potiantur.] Attamen in illa Principum Babylonis, qui immissi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat, legatione, derelictus fuit à Deo, vt tentaretur, siue permisit Deus, Regem mentis elatione tentari, vt nota fierent *omnia quæ erant in corde eius*, id est, vt appareret, quàm imbecillæ essent humanæ vires diuino auxilio destitutæ. Portentum illud fuit solis retrocedentis. Cùm autem Babylonij & Chaldæi Astronomiæ dediti motum illum solis annotauissent, audissentque, diuino miraculo factum ægritudinis Ezechiæ Regis Iudæ occasione: studio cognoscendi rei veritatem legatis negotium datum est, vt rem inuestigarent. Videns verò Ezechias miratos Babylonios ex portento, quod sua excitauit ægritudo mentis elatione (Adami quidem filius) laborauit. * O quàm imbecilla animi virtus, quàm facilè vanitatis auræ huc illuc que agenda committitur, si Dei oppotuno auxilio parumper destituatur!] Denique gesta Ezechiæ reliqua, eius misericordiæ, siue pietas & probitas scripta sunt in Libro visionis Isaiæ Prophetæ filij Amos, & in Regum Iuda & Israël Annalibus. Certè vox illa Hebraica חסד *chesed*, id est *misericordia*, significat etiam *probitatem*, seu vitæ sanctitatem. * Vt innuatur, misericordiam erga pauperes esse totius probitatis & sanctitudinis epilogum siue (vt vulgariter explicem) *Tanto montã.*] Obiit igitur Iuuum diem piissimus Ezechias, *& sepelierunt eum super sepulchra filiorum Dauid*, id est, excelsiori Sepulchro cæteris Regibus amandatur, prærogatiua meriti. * Honor sepulchri sepulti merita proclamat, vndè doleo præcelsis amandari sepulchris qui vel sepulchri honorem rapinâ acquisierunt.] Vniuersæ Iudææ habitatores, & Ierosolymæ ciues iusta defuncto Ezechiæ persoluerunt. Impius verò Manasses pio patri successit. * Haud nitendum filiis pietate parentum, si ipsi non studeant eorum existere æmulatores.]

Ægritudo corporis, quia animus à culpa protegitur, Dei beneficium.

Cùm Rex delinquit, mox cuncti subditi flagellantur.

Dirè Deus vindicat in amico elationis defectus.

Ærumnæ, quibus peccator allicitur ad pœnitentiam, non videntur à Deo irato, sed benigno procedere.

Facilè ditescunt qui gregibus nutriendis addicuntur.

Prõbus Princeps non solùm se munificum primoribus subditis exhibet, sed & infimos fouere curat.

Facilè humanæ vires huc illuc vanitatis auræ aguntur, Dei auxilio destitutæ.

Misericordia erga pauperes est totius sanctitatis epilogus, siue Tanto montã.

Honor sepulchri meritã sepulti proclamat.

Ex pio parente sæpè filius impius.

CAPVT XXXIII.

Manasses ob impia gesta captiuus in Babylonem ducitur. Sed mox ex afflictione pœnitens suo Regno restituitur. Ab eodem, idolis abiectis, Dei cultus instauratur. Defuncto Manassi successor impius Amon à suis interimitur. Huius thronum pius Iosias occupauit.

1. DVODECIM annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem. 2. Fecit autem malum coram Domino, iuxta abominationes gentium, quas subuertit Dominus coram filiis Israël: 3. Et conuersus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius: construxítque aras Baalim, & fecit lucos, & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam. 4. Ædificauit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus: In Ierusalem erit nomen meum in æternum. 5. Ædificauit autem ea cuncto exercitui cœli, in duobus atriis domus Domini. 6. Transíréque fecit filios suos per ignem in Valle Benennom: obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos, & incantatores: multáque mala operatus est coram Domino, vt irritaret eum. 7. Sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Dei, de qua locutus est Deus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius, dicens: In domo hac & in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribus Israël, ponam nomen meum in sempiternum. 8. Et moueri non faciam pedem Israël de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctámque legem & ceremonias, atque iudicia per manum Moysi. 9. Igitur Manasses seducit Iudam, & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israël. 10. Locutúsque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt. 11. Idcircò superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperúntque Manassem, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. 12. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum. 13. Deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxítque eum Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quòd Dominus ipse esset Deus. 14. Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem Gihon in conualle, ab introitu portæ piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituítque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis: 15. Et abstulit deos alienos, & simulacrum de domo Domini; aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem. 16. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepítque Iudæ vt seruiret Domino Deo Israël. 17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. 18. Reliqua autem gestorum Manasse: & obsecratio eius ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israël, continentur in sermonibus regum Israël. 19. Oratio quoque eius & exauditio, & cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificauit excelsa, & fecit lucos & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. 20. Dormiuit ergo Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnauítque pro eo filius eius Amon. 21. Vigintiduorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit in Ierusalem. 22. Fecítque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius: & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit atque seruiuit. 23. Et non est reueritus faciem Domini, sicut reueritus est Manasses pater eius: & multò maiora deliquit. 24. Cúmque coniurassent aduersus eum serui sui, interfecerunt eum in domo sua. 25. Porrò reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Iosiam filium eius pro eo.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Impietas Manassis describitur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Duodecim annorum, &c.*] Manasses Ezechiæ filius duodecimũ agebat annum cum solium occupauit Iudæ, & quinquaginta annis apud Ierosolymam imperauit. Idololatriæ addictus suscitauit abominationes gentilium, quas Dominus ad filiorum Israël subuertit ingressum: & quæ piè admodum Ezechias pater eius euertit excelsa, impiè Manasses instaurauit. Aras *Baalim* siue idolis constructit, plantauit lucos, seu plantatis iam reddidit simulacra, *omnémque* coluit cœli *militiam*, id est, Planetas, signa Zodiaci, aliaque sydera adorauit. In duobus verò atriis Templi, scilicet Sacerdotum & populi præfato cœli exercitui construxit altaria, illàm sacerrimam profanans domum, de cuius religione Dominus dixerat: *In Ierusalem erit nomen meum in æternum*, id est, inibi æternè coletur. In duobus itaque atriis domus Domini, id est Israëlis & Gentium simulacra collocauit adoranda, quamuis posteà eo vsque progressa est impietas, vt etiam in atrio Leuitarum idola constitueret, * Per gradus enim suos assolet impietas promoueri.] Per ignem in idolorum honorem suos lustrabat filios in valle *Bennenon*, quæ alio loco *Gehennon* vocatur locus Ierosolymæ vicinus. Vndè Gehennæ nomen. * Parens qui filios paruulos ab idololatrium, seu voluptatum igne non retrahit, sed potiùs ei addicit, sibi persuadeat eos Gehennæ tartareæ mancipare.] Obseruabat somnia, alij Obseruabat tempora vt solent Astrologi, seu somniis credebat, infallibiles adiudicans euentus protendere. Maleficis artibus, siue diuinationi vacabat. Habebat secum Magas & Pythones). LXX. *ventrilocos*, quod idem est) & incantatores: multáque iniqua admodum ex iis, quæ Deus auersatur maximè, perpetrauit, quibus eum irritauit ad vindictam. Sculptile quoque & conflatile *signum*, siue idolum collocauit in Templo, de quo locutus fuerat Deus ad Dauidem & Salomonem filium eius dicens: In Templo hoc & in Ierosolyma, quam de cunctis Tribubus Israël mihi Vrbem elegi, *ponam nomen meum in sempiternum*, id est, faciam meum inibi nomen æternùm coli, ac venerari. Et non permittam, Israëlem extrudi de Terra, quam patribus tradidi possidendam, dum perstiterint legis ac cæremoniarum iuxta Mosis præscripta perfecti obseruatores. Porrò sculptile illud, quod Manasses in Templo collocauit, erat *idolum Luci*, vt habes 4. *Reg.* 21.7. id est, simulacrum falsi alicuius Numinis, verbi gratia Baalis, seu Priapi, quod prius in luco ab ipso plantato constituerat, & postmodum ausus est, in Templum transferre: vel priore in luco relicto, aliud simile excitauit in Templo, quod à prioris illius similitudine *Idolum luci*, diceretur, * Fœcundissima enim est infidelis iniquitas innumeros eiusdem nominis natos enititur.] Igitur Manasses cunctos Iudæ habitatores, & Ierosolymæ ciues seduxit, impietatéque superauit gentiles cunctos, quos Dominus vt cederent Hebræis, à Terra Palestinæ subuerterat.

Per gradus assolet increscere impietas.

Parentes, qui filios paruulos ab igne libidinis non auocant, eos Gehennæ addicunt.

Fœcundissima est iniquitas, multos similes filios parit.

Vers. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.19. *Locutúsque est &c.*] Prophetarum ministerio Deus Regem Manassem, ac Iudæos monuit, vt viam resumerent salutarem, sed cordis auribus percipere noluerunt. *Idcircò* Principes exercitus Assyriorum in eos, ceu flagellum, contorsit, qui expugnauerunt Vrbem sanctam, Manassémque catenis ac compedibus illigatum in Babylonem adduxerunt. * Præme particulas, *Attendere noluerunt, idcirco super induxit eis Principes Assyriorum, &c.* Cum Deus concionatorum ex ore proclamat, attendere temnis, idcircò, si non corporeis vinculis, te permitter spiritualibus voluptatum compedibus irretiti.] * Vatabus ex Hebræo vertit, *Vinctum catenis duabus adduxerunt in Babylonem.* Plerumque peccator duplici vinculo constringitur, & spirituali, & corporeo; nam & peccati onere pergrauatur, & ærumnarum sub pondere ingemiscit.] Actus ergo angustiis Manasses meliorem est mentem sectatus; nam Dominum Deum suum orauit, & amara affectus læsum Numen placare procurauit. Haud leuem expressit orationem, qui tot criminibus veniam expetebat, sed sæpè deprecatus est Deum, & obsecrauit *intente*. Ideò Dominus eum exaudiuit, & vile mancipium iterum eleuauit ad solium, eúmque fecit vero Numini subiacere. * Pondera verba illa, *Egit pœnitentiam valdè. Obsecrauit intentè.* Qui multa crimina perpetrauit, *valdè* pœniteat, profundat lacrymas, faciat crebra anolare suspiria, vt multitudinem crimi num magnitudo obruat affectus.] * Intentam item esse oportet orationem, quam tam auersum Numen ad præcordia hominum conuertatur.] Vt autem veritas pœnitentiæ Manassis ex fructibus exponeretur, festinauit Rex operibus pietatis studium exhibere. * Veram pœnitudinem haud credideris eam, quæ vberes pietatis non erumpit in fructus.] *Post* hæc itaque extra Ciuitatem Dauid, seu arcem Sion murum ædificauit ad Occidentem Gihon in conualle, quæ adiacet inter Ciuitatem & montem Caluariæ, qui locus est extra Ciuitatem Dauid, siue montem Sion. Murus verò circuibat ab introitu portæ Piscium vsque ad Ophel, qui erat locus ante Orientalem Templi portam. Porta autem Piscium aderat in angulo Septentrionali ac Orientali Ciuitatis. Sic dicta, quia ex Ioppe portu maris vicino Ierosolymæ inferebantur per eam pisces, & in vicinia vendebantur. Hæc est porta per quam posteà Chaldæi irruperunt, vt ex Sophonia colligitur. Murum hunc Rex ad maiorem Vrbis prorectionem exaltauit *vehementer*, siue etexit multum. Constituit in cunctis Ciuitatibus Iudæ munitis militum præsidium, alienos deos, simulacrorum turbam abstulit, & idolum Luci desolationis abominationem à Templo sacerrimo deturbauit, Aras quoque, quas idolis extruxerat in monte *domus Domini*, id est, in monte Moria in atris Templi, & in Ierusalem, abstulit, & proiecit omnia extra Vrbem in locum scilicet profanum & immundum verbi gratia, Tophet ad torrentem Cedron, exemplo Ezechiæ patris sui. * Sicut filius improbus pij parentis contemnit exempla: sic cum abiecta improbitate iustitiam sectatur, curat pia patentum sectare vestigia. * Tanti interest, parentes egregia opera, seu exempla relinquere, quæ filij possint imitari.] Aris igitur immundis à Templo, à

2. Captiuitas Manassis, & ob pœnitentiam ad Regnum restitutio, & fructus pœnitentiæ annotantur.

Qui contemnit Deum ex Concionatoris ore clamantis audire, permittitur, captiuitati spirituali addici.

Duplici vinculo constringitur peccator: peccati onere & ærumnarum pondere affligitur.

Post multa crimina magna sit pœnitentia.

Intenta sit oratio pœnitentis post magna flagitia.

Suspecta pœnitentia illa, qua virtutum non erumpit in fructus.

Filius pœnitens pij parentis vestigia sectatur.

Oportet, parentes egregia exempla relinquere, quæ filij possint imitari.

Monte

Monte Sion, & à Ierosolyma ab legatis, instauravit Ezechias *Domini* altare, & *super illud victimas, & pacifica* hostias, & *laudem*, hoc est, Eucharisticas hostias in gratiarum actionem & laudē Dei. *De quo* genere sacrificij Lego *Levit.* 1. &c. Præcepit denique Iudæis cunctis Manasses vt Domino Deo Israël soli seruiret. Attamen adhuc populus in excelsis Deo immolabat, nec enim Rex à populo obtinere potuit, vt excelsa destrueret, aut desereret. * Faciliùs quidem populus ab idololatria recessit quàm ab immolatione in excelsis abstinuit; quia ex prætextu pietatis intrusus difficilè abusus abolebatur.] Cæterùm gestorum Manasse, obsecrationis eius ad Deum suum cum vinculis captiuus constringeretur; monitorum, quibus Prophetæ cum Dei ex nomine curabunt ad meliorem adducere mentem; tractatio in Sermonibus Regum Israël continetur, qui Liber non extat. De oratione autem Manassis, quam Dominus exaudiuit, de sceleribus, de contemptu Domini, de locis, in quibus ædificauit excelsa, plantauit lucos, perfecit statuas, antequàm pœnitentiam ageret, sermonum Hozai Volumen scripsit. Quidnam Hozai? Nomen alicuius Prophetæ. Hieronymus in Tradit. affert, qui putent, hunc fuisse Isaiam. Orationis Manasse fragmentum ad calcem Paralipomenon adiici solet, sed in Romano textu abiectum ad finem inter apocrypha reperitur.

Difficilè abusus aboletur, ex prætextu pietatis intrusus.

3. *Vers.* 20.21.22.23.24.25. *Dormiuit ergo &c.*] Manasses denique post diuturnum imperium vitam cum morte commutauit, propriaque in domo sepulturæ amandatur, siue in palatij horto, qui appellabatur *Oza*, quod fortasse prius hortus ille vir alicuius fuisset, qui Oza diceretur. Cur Manasses in sepulchris Regum Iuda non fuerit sepultus? An ob scelera id ei à populo denegatum? Non crediderim, cum filium reliquerit Regni successorem. Fortasse idololatriæ memor, se tanto mausoleo reputauit indignum; morituróque præcepit hæredi cadauer immundum à sanctis patrum ossibus ablegari. Feruens namque pœnitudo æternum humilitatis fouet affectum.] Mortuo parenti filius Amon successit, qui quidem vigesimum gerebat annum, cum imperare cœpit, & duobus annis in Ierosolymæ solium occupauit. Idololatriæ adhæsit, sicuti pater eius Manasses gesserat, & *cunctis idolis*, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit, atque seruiuit. Annon simulachra illa à pœnitente Manasse confracta & omnino abolita fuerant? quomodò ergo cunctis idolis, quæ fabricatus fuerat Manasses immolauit? * O quàm facilè vel de mortua resurgit impietas. Licet omninò è præcordiis adorata olim idola proieceris, haud securè degas, facilè ex cineribus recurrit incendium.] Porrò qui delinquentis Manassis secutus est vestigia, pœnitentem noluit æmulari: nec reuereri faciem Domini, quemadmodùm pater eius fuerat reueritus: sed *multò maiora* crimina perpetrauit: breue quidem imperium longa iniquitas, quæ instauit maturari supplicium. * Multiplicatio enim criminum est instatio flagelli. Serui Regis se se contra dominum deuouere, eúmque sua necauerunt in aula. Denique reliqua populi multitudo, iis cæsis, qui Amonem interemerant, Iosiam filium eius Regem eius loco constituit. Causam necis Amonis Scriptura non memorat. * Sed effrænata Principis iniquitas quando non subditorum insidiis agnata?] * Iustè autem populus Regis cæsores interemit, iniquitas enim Regis solummodò à Domino flagellanda. Ideò qui se iactauit occidisse Saulem, meritò occidi gladio militis à Dauide imperatur.]

Feruens pœnitudo æternum humilitatis feruet affectum.

Facilè vel demortua resurgit iniquitas.

Multiplicatio criminum est instatio supplicij.

Effrenata Principis iniquitas subditorum insidijs agnata.

Regis iniquitas solummodò flagellanda à Deo.

Mors Manassis, breue Amonis imperium longa iniquitas.

CAPVT XXXIV.

A Rege Iosia cultus omnis idolorum suffertur. Templum Domini instauratur. Reperto Legis Libro conterritus, ex illius præscripto omnia reformat. Et, conuocato omni populo, fœdus cum cœlesti Numine renouat.

1. OCTO annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset, & triginta & vno anno regnauit in Ierusalem. 2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulauit in in viis Dauid patris sui: non declinauit neque ad dexteram, neque ad sinistram. 3. Octauo autem anno regni sui, cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid: & duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundauit Iudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrísque & sculptilibus. 4. Destruxerúntque coram eo aras Baalim: & simulacra, quæ superpósita fuerant, demoliti sunt: locos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit: & super tumulos eorum, qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. 5. Ossa præterea Sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundauítque Iudam & Ierusalem. 6. Sed & in vrbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon, vsque Nephtha, cuncta subuertit. 7. Cúmque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contriuisset in frusta, cunctáque delubra demolitus esset de vniuersa terra Israël, reuersus est in Ierusalem. 8. Igitur anno octauo

octauodecimo regni ſui mundata iam terra, & templo Domini, miſit Saphan filium Eſeliæ, & Maaſiam principem ciuitatis, & Ioha filium Ioachaz à commentariis, vt inſtaurarent domum Domini Dei ſui. 9. Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum: acceptámque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregauerant Leuitæ, & ianitores, de Manaſſe, & Ephraim, & vniuerſis reliquiis Iſraël, ab omni quoque Iuda, & Beniamin, & habitatoribus Ieruſalem, 10. Tradiderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, vt inſtaurarent templum, & infirma quæque ſarcirent. 11. At illi dederunt eam artificibus, & cæmentariis, vt emerent lapides de lapicidinis, & ligna ad commiſſuras ædificij, & ad contignationem domorum, quas deſtruxerant reges Iuda. 12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpoſiti operantium, Iahath & Abdias de filiis Merari, Zacharias & Moſollam de filiis Caath, qui vrgebant opus: omnes Leuitæ ſcientes organis canere. 13. Super eos verò, qui ad diuerſos vſus onera portabant, erant ſcribæ, & magiſtri de Leuitis ianitores. 14. Cúmque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias ſacerdos Librum legis Domini per manum Moyſi. 15. Et ait ad Saphan ſcribam: Librum legis inueni in domo Domini: Et tradidit ei. 16. At ille intulit volumen ad regem, & nuntiauit ei, dicens: Omnia quæ dediſti in manu ſeruorum tuorum, ecce complentur. 17. Argentum, quod repertum eſt in domo Domini, conflauerunt: datúmque eſt præfectis artificum, & diuerſa opera fabricantium. 18. Prætereà tradidit mihi Helcias ſacerdos hunc librum. Quem cùm rege præſente recitaſſet, 19. Audiſſétque ille verba legis, ſcidit veſtimenta ſua: 20. Et præcepit Helciæ, & Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoque ſcribæ, & Aſaæ ſeruo regis, dicens: 21. Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquis Iſraël & Iuda, ſuper vniuerſis ſermonibus Libri iſtius, qui repertus eſt: magnus enim furor Domini ſtillauit ſuper nos, eò quòd non cuſtodierint patres noſtri verba Domini, vt facerent omnia quæ ſcripta ſunt in iſto volumine. 22. Abiit ergo Helcias, & hi qui ſimul à rege miſſi fuerant, ad Oldam prophetidem, vxorem Sellum filij Thecuath, filij Haſra cuſtodis veſtium: quæ habitabat in Ieruſalem in Secunda: & locuti ſunt ei verba, quæ ſuprà narrauimus. 23. At illa reſpondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Dicite viro, qui miſit vos ad me: 24. Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam malá ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius, cunctáque maledicta, quæ ſcripta ſunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Iuda. 25. Quia dereliquerunt me, & ſacrificauerunt diis alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis operibus manuum ſuarum, idcircò ſtillabit furor meus ſuper locum iſtum, & non extinguetur. 26. Ad regem autem Iuda, qui miſit vos pro Domino deprecando, ſic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Quoniam audiſti verba voluminis, 27. Atque emollitum eſt cor tuum, & humiliatus es in conſpectu Dei, ſuper his quæ dicta ſunt contra locum hunc, & habitatores Ieruſalem, reueritúſque faciem meam, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me: ego quoque exaudiui te, dicit Dominus. 28. Iam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in ſepulchrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius. Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. 29. At ille conuocatis vniuerſis maioribus natu Iuda & Ieruſalem, 30. Aſcendit in domum Domini, vnáque omnes viri Iuda & habitatores Ieruſalem, Sacerdotes & Leuitæ, & cunctus populus à minimo vſque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis: 31. Et ſtans in tribunali ſuo, percuſſit fœdus coram Domino, vt ambularet poſt eum, & cuſtodiret præcepta, & teſtimonia, & iuſtificationes eius, in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, facerétque quæ ſcripta ſunt in volumine illoque legerat. 32. Adiurauit quoque ſuper hoc omnes, qui reperti fuerant in Ieruſalem & Beniamin: & fecerunt habitatores Ieruſalem iuxta pactum Domini Dei patrum ſuorum. 33. Abſtulit ergo Ioſias cunctas abominationes de vniuerſis regionibus filiorum Iſraël: & fecit omnes, qui reſidui erant in Iſraël, ſeruire Domino Deo ſuo. Cunctis diebus eius non receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum.

COMMENTARII.

1. Iosiæ Regis pueri & adolescentis pietas in comminuendis idolis expenditur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Octo annorum, &c.*] Cùm regnare cœpit Iosias, octauum annum agebat ætatis cum vtique plenus, & triginta supra vnum annis in Ierosolyma ius Iudæis dixit. Vero Numini placuit, & à Semita patris sui Amon recedens, attaui Dauidis fidem est æmulatus. * Mirum planè puerum filium parentis non imitari actiones.] Non declinauit, neque ad dexteram, neque ad sinistram, id est, à viis Dauidis non recessit, aut affectando iustitiæ prætexta, aut eiusdem iura relaxando. Octauo autem anno Regni sui, cum in decimum sextum annum agente vigebat ratio, licet adhuc puer esset, Dominum Deum Dauidis requirere cœpit: & duodecimo Imperij anno cum vigesimum ætatis ageret, & Regnum iam sibi stabilisset, totam Iudæam, & Vrbem Ierosolymam ab impia superstitione repurgauit, auferens scilicet excelsa, ne vel Deo verò contrà legis præscriptum extra Templum immolaretur, lucos succidens, simulacra, & sculptilia comminuens. Cur non priùs ablegandæ, idololatriæ operam exhibuit, sed excelsa, vbi verò Numini litabatur, prius curauit auferre. * Quia vt omnino ablegetur iniquitas, prius pietas est repurganda. Quomodò enim non flagellatus conqueretur impius infidelis, si videt, fidelibus peccata permitti?] * Expetit Præsul Reipublicæ obruere crimina? Prius curet Ecclesiasticorum corrigere excessus.] Iussu autem Regis fideles ministri *Baalim*, seu idolorum aras ipsáq; superposita idola destruxerunt. Hebraicè pro *Baalim* ponitur *Hamanim*, quæ vox significat solis effigiem, nam Sol ab ardore *Hamah* vocatur. Lucos succidi, & sculptilia Rex præcepit auferri, ac comminui: & super tumulos seu Sepulchra eorum, qui viuentes eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. Ossa præterea Sacerdotum idolorum combussit in aris, vt idololatrarum Sacerdotum immundi cineris contactu altaria contaminarentur. Nec solùm iam olim mortuorum cadauera in illis aris cremabat Iosias, sed & cadauera recens à se hoc nomine occisorum, vt dicitur 4. *Reg.* 23. 20. Denique Iudam, & Vrbem Ierosolymam omnino mundauit. Sed & in Vrbibus Manasse Ephraim ac Simeon vsque ad Nephtali ditionem cuncta idola subuertit, fana comminuit, nihil veritus Babyloniæ Regem, qui tunc Israëlis terram occupabat, Deo quidem fretus, & Helciæ Pontificis, Ieremiæ, & Sophoniæ cohortationibus incitatus. * Tanta facinora ab adolescente fideli patrantur; pietas enim Catholici Principis ad difficilia quæque superanda brachia debilia roborat.] Cúmque ex Israëliticis præfatis Tribubus valida exercitu validioti irruens fide ac pietate dissipasset idolorum altaria, succidisset lucos, simulacra contriuisset in frusta cunctáque delubra demolitus esset, Ierosolymam rursum iniuit. * En in Iosia Catholici Hispaniarum Reges exprimuntur, qui ab exteris Asiæ, Africæ, ac Americæ Regnis, immisso D. Francisco olim Xauerio, & quotidie Sacrarum Ordinum ministris, curant idolatriam ablegari, vt triumphalis Euangeli quadriga inuehatur.]

Mirum, sil-ii tenellum patris non imitari actiones.

Vt omnino ablegetur à fidelibus iniquitas, prius est pietas repurganda. Præsul sacularium ablaturus crimina, prius Ecclesiasticorū curet tollere excessus.

Debilia brachia adolescentis Catholici Principis ad difficilia quæque roborantur.

Catholici Reges ad Regna extranea ministros Ecclesiæ immittūt, idololatriam extincturos.

Vers. 8.9.10.11.12.13. *Igitur anno, &c.*] Profectò anno octauo decimo Regni Iosiæ mundatam iam Iudæa, & magna ex parte Israëlitica ditione, Templóque Domini repurgato ab immunditia idolorum: immisit Rex Saphan filium Eseliæ, Maasiam Principem seu Præfectum Vrbis & Ioha filium Ioachaz, qui res gestas in commentaria referebat, nè è memoria excidérent: vt domum Domini Dei sui instaurari curarent, quam scilicet Reges impij Iuda attriuerât. Hi ad Helciam Pontificem summum deuenerunt, acceptámque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in Templum ab offerentibus, & quam Leuitæ & Ianitores de ditione Manasse, Ephraim, deque aliis locis, vbi Israëlis reliquiæ fideles aderant, nec non de omni Iuda & Beniamin, ac de ciuibus Ierosolymæ: tradiderunt iis, qui operariis Templi Præpositi fuerant constituti, vt Delubrum sacerrimum instaurari, & infirma quæque sarciri curarent. At Præpositi pecuniam dedere artificibus, & cæmentariis, vt de lapicidinis, *quatuor pedum* (sic LXX.) lapides emerent, & ligna ex syluis ad *commissuras* ædificij, id est ad opera, quæ fiunt commissis inter se lignis, & ad contignationem domorum, seu Sacerdotalium habitaculorum, quæ Reges Iuda impij destruxerant. Qui quidem artifices cuncta *fideliter* perficiebant. Constituti autem erant operantium Præpositi Iahath & Abdias Merari posteri: Zacharias & Mosollam de familia Caath, qui opus *vrgebant*. * Ipsa enim eorum præsentia artifices & operarios vrgebat ad opus diligenter perficiendum. Ideò ad quæque subditorum ministeria exerenda feliciter, Rectoris oculi admodum conferunt. Vt sciant Præsules, quanti momenti sit crebro Sacros ministros visitare.] vt vrgeatur opus, siue vt diligenter ministerio sacro incumbant.] Scio tamen, loco verbi illius, *Qui vrgebant opus* רכצה *lenazeah*. quod idem esse ac *lelamedem* Hebræus quidam asseruit. Vox verò *lelamedem* significat, *Ad docendum*, instruendum. Itaque hi viri erant constituti vt architecti ad fabros dirigendos. Porrò quatuor hi Præpositi seu architecti omnes erant Leuitæ; *scientes organis canere*. Quorsum cantores & organa ad huiusmodi præpositura? An vt lotomi musica deliniti diligentiam excitarent? * Certè subditi labori incumbentes Præpositi musica recreatur & leuius onera deportat, Hoc est, Rectoris benignitas & comitas, facit à subditis opus vrgeri, libentiúsque suscipi laborandi molestiam.] Attamen aptiùs sic locum expendo: Hi præpositi erant Leuitæ ex his, qui organa pulsabant: nec dedignabantur tam diuerso ministerio incumbere. * In domo Dei nullum officium abiectum esse ex hoc loco monuerim. Qui hodie concionaturus suggestum ascendit, cras docturus pueros humanitatis descendat ad cathedram: nunc assideat altari, mox in xenedochio ægrotantis inopis lectum sternat.] Iis autem, quorum erat officium onera apportare Præpositi erant Scribæ & Magistri ex Leuitis, qui Ianitorum Templi munus exercebant. Itaque præerant operibus & operariis non otiosi homines, & qui nulli alteri rei vacarent, qui magnis conducti stipendiis, maiori sunt dominis suis dispendio? sed ipsi Leuitæ, qui statis temporibus

2. Curat Iosias, Templum reficiendum, & instaurari.

Oportet sacros ministros sæpè à Præsulibus visitari, vt vrgeatur opus, siue vt diligenter ministerio sacro incumbant.

Rectoris benignitas, & comitas, facit, à subditis opus vrgeri & licentiùs suscipi Laborandi molestiam.

In domo Dei nullū munus abiectum. Ad ministeria quæque sunt Religiosi præparati, aut sublimia aut abiecta.

bus canebant, seruiebántque in Templo, subcisiuis horis per vices inuigilabant operi, illudque vrgebant, & promouebant, magno & operis & Templi compendio.

3. Liber legis reperitur, & ad Iosiam deportatur.

Vers. 14.15.16.17.18.19.20.21. *Cúmque, &c.*] Verùm cum pecunia, quæ illata fuerat in Templum Domini efferretur, vt traderetur architectis Helcias Sacerdos Librum legis Domini manu Mosis scriptum in Templo reperit, & Saphan Scribæ vno ex Præpositis illis profatur: Librum legis in Templo caſu inueni. Cæterùm Volumen Helcias Saphan Scribæ tradidit, quiad Regem intulit, eique dictitauit: Quæcunque nobis seruis tuis imperia dediſti, complentur. Argentum quod repertum eſt in Templo, *conflauerunt* id eſt, pecunia quæ reperta eſt, conflata, seu collecta eſt, traditáque Præfectis artificum, ac diuersa opera fabricantium. Prætereà Helcias summus Pontifex hoc mihi Volumen, quod inuenerat, tradidit. Aperuit Saphan Librum, & audiente Rege legis tractatũ recitauit. Verùm Iosias, qui præscripta Mosis cordis auribus exceperat, sua scidit vestimenta, & Pontifici Helciæ, Achicamo filio Saphan, Abdoni filio Micha, ipsi Sephano Scribæ, qui perlegerat, & Asaæ Regio ministro *præcepit*, affatus: *Ite*, & orate Dominum pro me, & *pro reliquiis* Israël, id eſt, pro eis, qui in idolatra Israëlis ditione vero Numini litant, & pro Dauidico Iudæ Regno, & *pro vniuerſis sermonibus Libri iſtius, qui repertus eſt*, nempè cùm orauceritis, vestræ meditationis materia sint Voluminis huiusce præscripta: video enim necessariam esse precum instantiã ad placandũ Dñm, cuius ira iã experti diù sumus, super nos stillauisse, eo quod patres nostri Voluminis huiusce præscripta violarint. * Si orandũ erat, cur illos, qui preces profusari fuerant, monuit, ab aula discedere, *Ite, & orate Dñm pro me?* Certè quia aulæ perturbatio orationis quieti reputatur inepta.]* Adnota Regis ex Libri exaudito sermone animi affectus. Vel audita ex Voluminis lectione veritas eius affecit præcordia: quid si ei nuda veritas exprimeretur? Ideò depereũt Regna, lęditur religio, quia nullus audet Regi veritatis præscripta proferre.]* Librorũ spiritualiũ hinc vtilitatem ediſce. Volumine legis amiſſo, in Rege intermiſſus exponitur affectus: inuento Libro pietas exardeſcit.] * In Hebræo loco particulæ, *Ite, & orate Dominum* scribitur, *Ite, & quærite Dominum.* Vbinam requirendus Deus? Certè ex aula exulare videtur, qui à ituris, seu receſſuris ex aula requirendus erat.] Exiſtimo illud; Quærite Dominum, idem esse ac Consulite. Mittit ergo vt consulant è Prophetis aliquem, quid facto sit opus circà librum legis repertum. *Quia ſtillauit* inquit, *furor Domini super nos.* Ira Dei igni comparatur, ideò stillare dicitur seruatâ metaphorâ.

Aulæ inquietudo inepta eſt quieti orationis.

Regna non deperirent, ſi adeſſet, qui auderet, Regi veritatis præſcripta proferre.

Librorum ſpiritualium lectio utiliſſima.

An Deus ab aulâ exulat.

4. Consulitur Olda Prophetiſſa circa Voluminis inuentionem.

Vers. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Abiit ergo, &c.*] Porrò Helcias Pontifex, qui simul cum Scriba post traditum ei Volumen inuentum ad Regem adierat, & ij qui simul à Rege fuerant immiſſi perrexerunt ad Oldam Prophetidem coniugem Sellum filij Thecuath, filij Hasra vestium Sacerdotalium custodis: quæ apud Ierosolymam in *Secundâ* habitabat, id eſt, eam Vrbis partem, quæ erat inter duos muros, quia pars Vrbis intra murum & ante murale vocabatur *Secunda*: & locuti sunt ei, cuncta præfata recensentes. At illa eis respondit: Hæc aperienda vobis à Domino accepit: Dicite vero, qui vos ad me iuſſit accedere: Hæc dicit Dominus: Ecce ego super Ierosolymam, ac super eius incolas cunctas maledictiones, quæ in Volumine, quod lectum eſt coram Rege, continentur, inducam pro delinquentium merito. Dereliquerunt enim me, & alienis diis victimas litauerunt, vt me ad iracundiam prouocarent, opera manuum suarum adorando, & despiciendo eum, cuius ipsi sunt opera. Ideò furor meus super iſtum ſtillabit locum instar incendij, aut flagrantis pluuiæ, quæ non extinguetur, donec cunctos absumat. Hæc pertinent ad ciues, quæ Dominus eis iubet indici: Regi autem hæc attinentia ad eum speciatim dictitate. Hæc Dominus Deus Israël mihi tibi aperienda expreſſit: Quoniam huiusce Voluminis verba exaudiſti, ac emollitis præcordiis, te mihi submiſſum exposuiſti territus quidem iis, quæ in Volumine illo contra Ierosolymam eiusque habitatores exarantur, *reuerit aſque faciem meam* Hebraicè, *humiliatus coram* me, tuas scidiſti vestes, ac lacrymas profudiſti: ego quoque *exaudiui te*, dicit Dominus. *Iam* enim, id eſt, citò colligam te ad patres tuos, siue diem obibis tuum, sepulchrúmque in pace inibis: nec aspectabis ærumnas, quibus Ierosolymam, omnesque eius incolas flagellabo. * Preme illud, *Quoniam fleniſti coram me, ego quoque exaudiui te.* Fletúne auditur, an videtur? Videtur planè, sed auditus esse dicitur, quia lacrymæ suas voces habent, quæ fortiter Domini pulsant auditum.] * An citò mori tot meritorum Regis Iosiæ vti præmium promittitur? Certè moti *in pace* egregiè, pietatis præmium eſt augustiſſimum.]* Additur, *Nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores eius.* Nam qui subditos amabat, Rex necessariò crudeliter sauciaretur, eorum ærumnas miserumque exitium aspectando. Crudele enim amanti spectaculum amati inspectare dolores.] Hinc Deiparæ videntis Filij, quem ineffabiliter diligebat, cruciatus diros, dirum contemplare cruciatum.] Retulere itaque Helcias & alij nuncij Regi, quæ Olda prædixerat. * *Cuncta* (notanter ait textus) *quæ dixerat retulerunt Regi.* Nihil subticiuere adulationis ergo fideles ministri, nec quòd ad eius obitum tam inuiſum Regibus attinebat. Aulicorum taxantes adulationem qui nunquam Regi indicant, nisi quod ei placiturum esse videatur.

Lacrymæ ſuæ voces habent.

Citò mori in pace, vi tutum eſt præmium.

Magna eſt tortura amãtis amati videre torturam.

Ineffabilis tortura Deiparæ, filij dilectiſſimi videntis paſſionem.

Aulici adulatores nihil Regibus indicãt, niſi quod eis placiturũ eſſe videatur.

Haud ſic fideles Miniſtri.

5. Iosias, audito Oldæ vaticinio, conuocat populũ, & fœdus eum Domino renouat.

Vers. 29.30.31.32.33. *At ille conuocatis, &c.*] Audito ergo Rex Iosias Prophetidis Oldæ vaticinio, conuocat Principes Iudæ ac Ierosolymæ, & comitatus Sacerdotibus, Leuitis, Principibus cunctóque populo à minimo vsque ad maximum, Templum scandit, vbi audientibus omnibus, Rex sacri Voluminis præscripta perlegit: ſtánsque in solio suo fœdus cum Domino renouauit promittens (siue innouans promiſſionem non semel perfectam) se omnia præcepta legis testimonia, iuſtificationes toto ex corde, toto ex animo obseruaturum: ad vnguémque impleturum quæ in Volumine illo, quod legerat, erant præscripta. *Adiurauit quoque ſuper hoc omnes, qui reperti fuerant in Ieruſalem & Beniamin.* Hebr. *Et ſtare fecit omnem inuentum in Ieruſalem.* Ac si diceret, Postquam ipſe

ipſe inſtatione ſua iurauit, eodem ex ordine alij iuraram acceſſerunt. Et *fecerunt* pactum *iuxta pactum* Domini Dei patrum ſuorum, id eſt, ſe id ſeruaturos firmarunt. * Quàm facilè ſubditi, præeuntis Principis æmulantur exempla; Priùs Rex ſtat iuraturus, mox cunctus populus iuratum acceder.] Sed priuſquam excidat ex memoria verbum illud Oldæ, *Infereris in ſepulchrum tuum in pace*; obiicies, Ioſiam in bello ſagitta traiectum obiiſſe. Quomodò ergò *in pace?* * An tribulationes & ærumnæ iuſtorum, quos cœleſtis acquiritur palma, vera pax dictitanda? Ita planè.] Ad literam autem reſpondeo, haud hîc agi de pace priuata & propria Regis Ioſiæ, qui non pacifica, ſed violentâ morte deceſſit: ſed de publica Regni pace & proſperitate, quæ tunc quoque vigebat, quando Rex Ioſias extrà Regni ſui ſepta profectus eſt cum copiis ſuis obuiam Regi Ægyptio Pharaoni, & ſagitta læſus.* Probo Regi vel dirè vulnerato, vel obeunti illa eſt propria pax, quæ eſt ſubditorum. Bona enim vel malà quibus ſubditi potiuntur, aut pergrauantur, bona aut mala ſunt Regi. Ideò Ioſias vel cum dirè vulneratus obiit, in pace mori dicitur, quia ſubditi tunc pacis commodis fruebantur.] Verùm defuncto Ioſia, ac Regia pompâ ſepulto, ſtatim potentiſſimorum Regum armis turbati Regnum cœpit, & omnes miſeriæ, ac calamitates, quas Olda prædixit, in Iudæos irruerunt. Abſtulit ergo Ioſias de vniuerſis regionibus filiorum Iſraël ſeu Iudæorum cunctas idololatriæ abominationes, & fecit omnes, qui reſidui erant ex Iſraël, id eſt, *inuentum in Iſraël omnem* (ſic Hebr.) ſiue omnes Iudæos, qui quidem ex vniuerſo Iſraëlico populo fidelitatis erant reliquiæ, Domino fecit deſeruire. Cunctis itaque diebus Ioſiæ à Domino Deo patrum ſuorum, ſeu ab auita fide minimè receſſerunt.* En mortis memoriæ indictæ Regi fructus. O quàm aptè Rex mortis inſtantiam audiens ferentior ad opera pietatis aſſurgit. Nam appropiante morte debet fidelis ferentiùs operari. Hoc mente voluant ſeniores, quibus obitus inſtat.]

Facilè ſubditi præcitus Præſulis exemplũ æmulantur.

Tribulationes iuſtorum vera pax.

Probus Rex ſubditorũ bona, aut mala propria eſſe reputat.

Appropiante obitu debent fideles ferentiùs operari. Hoc ſenes edi-ſcant.

CAPVT XXXV.

Ioſias maxima ſolemnitate Phaſe celebrat: Regem Ægypti, euentu infelici, bello laceſſit: ſagittis namque vulneratus interiit, ingenti ſuorum, ac cum primis Ieremiæ Prophetæ luctu.

1. FECIT autem Ioſias in Ieruſalem Phaſe Domino, quod immolatum eſt quartadecima die menſis primi: 2. & conſtituit Sacerdotes in officiis ſuis, hortatúſque eſt eos vt miniſtrarent in domo Domini. 3 Leuitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Iſraël ſanctificabatur Domino, locutus eſt: Ponite arcam in ſanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius Dauid rex Iſraël, nequaquam enim eam vltrà portabitis: nunc autem miniſtrate Domino Deo veſtro, & populo eius Iſraël. 4. Et præparate vos per domos & cognationes veſtras, in diuiſionibus ſingularium, ſicut præcepit Dauid rex Iſraël, & deſcripſit Salomon filius eius. 5. Et miniſtrate in ſanctuario per familias turmáſque Leuiticas, 6. & ſanctificati immolate Phaſe: fratres etiam veſtros, vt poſſint iuxta verba quæ locutus eſt Dominus in manu Moyſi facere, præparate. 7. Dedit prætereà Ioſias omni populo, qui ibi fuerat inuentus in ſolemnitate Phaſe, agnos & hœdos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: hæc de regis vniuerſa ſubſtantia. 8. Duces quoque eius, ſponte quod voluerant, obtulerunt, tam populo, quàm Sacerdotibus, & Leuitis. Portò Helcias, & Zacharias, & Iahiel, principes domus Domni, dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos. 9. Chonenias autem, & Semeias, etiam Nathanael, fratres eius; necnon Haſabius, & Iehiel, & Iozabud, principes Leuitarum, & dederunt cæteris Leuitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum, & boues quingentos. 10. Præparatúmque eſt miniſterium, & ſteterunt Sacerdotes in officio ſuo. Leuitæ quoque in turmis, iuxta regis imperium. 11. Et immolatum eſt Phaſe: aſperſerúntque Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Leuitæ detraxerunt pelles holocauſtorum: 12. & ſeparauerunt ea vt darent per domos & familias ſingulorum, & offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi: de bobus quoque fecerunt ſimiliter. 13. Et aſſauerunt Phaſe ſuper ignem, iuxta quod in lege ſcriptum eſt: pacificas verò hoſtias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & feſtinatò diſtribuerunt vniuerſæ plebi: 14. Sibi autem, & Sacerdotibus poſteà parauerunt: nam in

oblatio

oblatione holocaustorum & adipum vsque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati: vnde Leuitæ sibi, & Sacerdotibus filiis Aaron parauerunt nouissimis. 15. Porrò cantores filij Asaph stabant in ordine suo, iuxta præceptum Dauid, & Asaph, & Heman, & Idithun, prophetarum regis: ianitores verò per portas singulas obseruabant, ita vt nec puncto quidem discederent à ministerio: quam ob rem & fratres eorum Leuitæ parauerunt eis cibos. 16. Omnis igitur cultura Domini ritè completa est in die illa, vt facerent Phasε, & offerrent holocausta super altare Domini, iuxta præceptum regis Iosiæ. 17. Fecerúntque filij Israël, qui reperti fuerant ibi, Phasε in tempore illo, & solemnitatem azimorum septem diebus. 18. Non fuit Phasε simile huic in Israël à diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israël fecit Phasε sicut Iosias, Sacerdotibus, & Leuitis, & omni Iudæ, & Israël qui repertus fuerat, & habitantibus in Ierusalem. 19. Octauodecimo anno regni Iosiæ hoc Phasε celebratum est. 20. Postquam instauauerat Iosias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Eupratem: & processit in occursum eius Iosias. 21. At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi & tibi est rex Iuda, non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinare iussit: desine aduersum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. 22. Noluit Iosias reuerti, sed præparauit contra eum bellum, nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei; verùm perrexit vt dimicaret in campo Mageddo. 23. Ibíque vulneratus à sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum. 24. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, & asportauerunt eum in Ierusalem, mortuúsque est, & sepultus in mausoleo patrum suorum: & vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum: 25. Ieremias maximè, cuius omnes cantores atque cantatrices, vsque in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israël: Ecce scriptum fertur in lamentationibus. 26. Reliqua autem sermonum Iosiæ & misericordiarum eius, quæ lege præcepta sunt Domini, 27. Opera quoque illius prima & nouissima, scripta sunt in Libro regum Iuda & Israël.

COMMENTARII.

1. Iosias præparat Phasε celebrationem.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Fecit autem, &c.*] Iussit autem Rex Iosias apud Ierosolymam Phasε quartadecima die mensis primi celebrari: constituénsque Sacerdotes in officiis suis, eos adhortatus est, vt in Templo Domini ministrarent. Verùm Sacerdotum pigritia annotatur, qui fungentes officio sacerdotali, adhortatione Regia indigerent ad ministrandum Domino, quippe cum ipsum officium exigat sui ipsius executionem.] Regis simul Catholici pietas innuitur curantis satis, sacra promoueri. Vndè ediscunt Principes, & si eorum officij non sit, Sacra pertagere, ad eorum pietatẽ attinere studium promouendi quidquid ad Dei cultum accinere videatur.] Leuitis quoque, quorum eruditione, & magisterio populus Iudaicus informatus, vt sanctitatem coleret, sic locutus est: Arcam sacerrimam, quæ tempore Amonis Regis Iudæ parentis mei, & tempore pueritiæ meæ extra Templum fuit collocata in sanctuario Templi, quod Salomon filius Dauidis Rex Israël extruxit; post hæc enim non erit vobis, vti anteà humeris de loco in locum deferenda. Nunc autem ministrate Domino Deo vestro & populo eius Iudaico: & præparate vos per familias vestras *in diuisionibus singulorum*, id est, per classes, quemadmodùm à Dauide & Salomone filio eius fuere constitutæ. Inter diuisiones autem, & vices factas in Tribu vestrâ, & inter fratres vestros, quisque in diuisione seu vices familiæ suæ ministret. *Nihil enim magis rixis agnatum, quam in alterius officium ingerere.] Redeo ad Arcæ in Templum inuectionem. Certè hæc tempore Manasse, vel Amon submota à fidelibus fuerat è Templo, ne simul cum idolis esset. *Pia planè actio sacra à profanis seiungere. Hinc fidei ac pietatis opus egregium esse ab habituali delinquento sacramentorum vsum auferre, nè pectore iniquo idolorum fano Arcã Eucharistica contaminetur. Hoc gerunt docti Confessarij, qui absolutionem abnegant indispositis.] Tradunt Hebræi teste Hieronymo, Arcam in domo Sellum auunculi Ieremiæ & mariti Oldæ Prophetidis tantisper depositam fuisse, sed nunc à Iosia iussam per Sacerdotes & Leuitas Templo restitui. Purificati itaque vos ad Phasε dignam immolationem fratres vestros purificate, sanctificate vt suis ministeriis exercendis esse valeant idonei.

Pigros ostendunt Sacerdotes, qui indigent adhortatione, vt ministerium suum impleant.

Rex Catholicus curet, sacra promoueri.

Agnatum rixis, sit in alterius officium ingerere.

Pia cures habituales peccatores à sacramentorum vsu abstrahere, absolutionis abnegatione.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Dedit præterea, &c.*] Prætereà Iosias Regia munificentia omni populo, qui ad solemnitatem Paschalem conuenerat ad Phasε perficiendum, agnorum, hædorum, ac *reliqui pecoris* minoris triginta millia exhibuit, boum autem tria millia exposuit. Singuli agnorum & hædorum de gregibus à singulis familiis sacrificabantur, & assabantur, & cum lactucis edebantur agrestibus iuxta consuetum ritum. Potrò reliquum pecus ad alia sacrificia, holocausta scilicet, & hostias pacificas parabatur. Hæc de Regis penu Iudæorum familiæ accipiebant. Preme, quæ-

2. Admodùm solemniter Phasε celebratur.

so, sacri verba Scriptoris. Postquam asseruit Regem, Iudæos sacrificatores fuisse donatos agnis; hircis reliquo pecore, & bobus Phase faciendum, & ad alia gerenda Sacrificia, rursùm subdit monuit: *Hæc de Regis vniuersa substantia.* * An non sufficeret, Regis munificentiam semel expressisse? Minimè planè; quia tam nouum est, Reges dare subditis, vt quodammodò necessarium sit semel & iterum ab Historiographo affirmati.]* Faciliùs quidem videris Reges donari à subditis, quàm subditos à Regibus dona receptare.] Duces quoque Regis quæ vouerant se daturos populo, vt haberet, quod Domino offerret: & Sacerdotibus ac Leuitis, vt immolarent, sponte obtulerunt. Verùm Helcias, Zacharias, & Iahiel Principes, seu primores Templi exhibuerunt Sacerdotibus ad Phase perficiendum, *pecora commixtim duo millia sexcenta, & boues trecentos.* LXX. pro *Pecora commixtim*, transtulere, *Dederunt oues, agnos, & hædos.* Et videtur aliquid in Hebræo textu deesse, vbi dicitur, dedisse *duo millia sexcenta*, neque explicatur, quam rem dederint; cum mox addat dedisse boues trecentos. Sed certè agnos & hædos duo millia dederunt, quod noster dixit *Commixtim.* Nam ad faciendum Pascha non nisi agni & hædi dari poterant. Porrò Chonenias, & fratres eius seu contribules semeias, Nathanael, Hasabias, Iehiel, & Iozabad Principes Leuitarum cæteris Leuitis, ad celebrandum Phase, quinque millia *pecorum*, id est, agnorum & hædorum: & quingentos oues ad sacrificia & ad populi epulum impertierunt. Præparatum itaque est hisce Regis ac Principum donariis ministerium immolationis Phase, iàm enim & sacerdotes & Leuitæ, & cunctus populus habebat agnum & hircum ad Phase, bouis portionem ad epulandum. Sacerdotes igitur suum ad immolationis munus accesserunt, necnon Leuitæ *in turmis iuxta Regis imperium*, quia non singulæ tantùm vices, vt reliquo tempore, sed simul omnes turmatim aderant vt Rex imperauerat. Immolatum profectò est Phase, Sacerdotésque sanguinem hostiarum, quas ipsi iugulauerant, asperserunt, Leuitæ verò pelles holocaustorum detraxerunt, quod poterant vrgente necessitate præstare: & victimas, à quibus pelles detraxerant, separarunt, nè scilicet confusio inducerétur: sed sciri posset, pro quo quælibet offerretur hostia. Singulis ergo familiis suas dedere victimas, vt & Domino iuxtà Mosis præscriptum offerrentur: De bobus quoque singulas singulis impenderunt portiones. Cæterùm assauerunt superignem Phase, agnos scilicet Paschales, vti à lege imperatur: hostias verò pacificas in lebetibus, cacabis, acollis coxerunt. Hostiæ enim pacificæ pars in Sacerdotum cedebat vsum, pars in vsum offerentium. Hæc ergo tertia pars in ollis elixabatur. Festinato distribuerunt hæc Leuitæ vniuersæ plebi: sibi autem & Sacerdotibus posteà parauerunt, nam præ sacrificiorum multitudine otium tunc non habebant Sacerdotes & Leuitæ, qui ad noctem vsque sacro dedere operam ministerio. * Hoc Sacerdotum egregiorum munus, vt fidelibus assideant, eisque Eucharisticum Agnum ministrent, propria obliuiscer commoda.] * Ædificant Episcopi, prius curandum de subditorum, quàm de propriæ familiæ commodis. Pudeat Christicolas Præsules, regis, antiquæ Leuitas festinatò cunctis familiis prius impendisse necessaria ad victum, quàm sibi pararent: *Festinato* (inquit textus) *distribuerunt vniuersæ plebi, sibi autem, & sacerdotibus posteà parauerunt*: dum ipsi festinatò prius sibi quàm subditis prouident, imò festinatò solum sibi & suis domesticis, egentibus verò subditis aut serò aut nunquam expediunt annonam. Profectò Cantores posteri Asaph suo concinendi muneri incumbebant iuxta Dauidis Asaph Heman, & Idithum Prophetarum Regis præscriptum, id est, iuxta classes, in quas à Dauide ex dispositione Asaph Heman & Editum, fuerant tributi. Ianitores verò singulis addicti portis ita suo incumbebant muneri, vt ab eo *nec puncto* quidem discederent: quamobrem fratres eorum Leuitæ eis cibos parauerunt. Dixi, Asaph Heman & Idithum esse *Prophetas Regis*, (sic LXX.) ità scilicet appellatos, quod Dauid solitus esset cum illis canere, vel quia per eos Rex Deum consulebat. *Omnis* igitur *cultura Domini*, siue cuncta legis præscripta circa cultum Phase, & holocaustorum supra altare oblationem, & solemnitatem Azimorum ritè illis diebus fuere completa iuxta Regis Iosiæ præceptum. Gesserunt itaque non solùm Iudæi, sed & Israëlitæ, qui inibi tunc fuére reperti, Phase, & Azimorum solemnitatem septem diebus celebrauerunt. Non fuit tam celebris Phase celebratio in Israël à diebus Samuelis Prophetæ: imò nec quisquam è cunctis Regibus Israël tam magnificè Phase coluit, Sacerdotibus quidem, Leuitis, omni Iuda, & ex Israëlis ditione pluribus eius pietatem æmulantibus apud Ierosolymam. Hanc expositionem ex Hebræo textu & LXX. virorum interpretatione didici. Clausulam enim illam, *Nec quisquam de cunctis Regibus Iudæ fecit Phase sicut Iosias Sacerdotibus, Leuitis, & omni Iudæ, & Israël, qui repertus fuerat*, sic scripsere: *Iosias & Sacerdotes & Leuitæ, & omnis Iuda, & Israël qui inuentus est, fecerunt Pascha.* Verùm hoc Phase octauodecimo Iosiæ Regni anno fuit celebratum,

Incredibile quodammodò est, subditos à Rege dona accepisse.

Satius videris Reges à subditis donari.

Prius Præsules debet subditorum egentium commodis, quàm proprijs prouidere.

Vers. 20.21.22.23.24.25.26.27. *Postquàm instauratum fuerat, &c.*] Postquàm verò Iosias Templum instauratum, postquam religioni cultum debitum adhibuerat, & eius pietate fidei restitutus fuerat splendor, accidit, vt Nechao Rex Ægypti expeditionem bellicam contra præpararet, & in Charmis regionem iuxta Euphratem celebrem fluuium situm ascenderet: cuius in occursum Iosias processit magno milite comitatus. Audiens autem Nechao aduentare Iosiam ad certamina præparatum, misit ad eum nuncios, qui dicerent: Quid mihi & tibi ô Rex Iudæ? non aduersum te pugnax aduento, sed contra aliam domum, nempè contrà Regem Assyriorum (4. *Reg.* 23.29.) *ad quam me Deus festinatò ire præcepit.* D. Hieronymus putat, Ieremiam Prophetam sic faciendum monuisse Regem Nechao, simulque Iosiam, ne resisteret Ægyptio, deterruisse. Quod cum Ægyptio innotuisset, repetit hìc, & inculcat Iosiæ, sed frustrà. * Rarò videris Regem, qui non lacessitus, ad certamen accurrit, victoria potiri.] *Desine aduersus Deum facere*, id est contra præscriptum Dei tui, qui *mecum est*, vt protegat, siquidem ab eo immissus proficiscor, alioqui te Deus vltor interimi à me efficiet. Noluit Iosiah reuerti, potiùs aciem ad pugnam disposuit temnens vtique monitum, quod Ægyptius *Dei ex ore* exposuerat.

3. Iosiæ cum Rege Ægypti bellum, & nex.

Sacerdotes egregij propria corporalia cómoda obliuiscuntur, vt Eucharistiæ fideles ministrent.

Rarò triumphat, qui non lacessitus, bellum committit.

posuerat. *Ex ore*, inquam, *Dei*, id est, cum Nechao Iosiæ verè Dei voluntatem indixisset ex Ieremia, vel ex aruspicibus & vatibus suis, quos Ægyptius consuluisset, qui quod futurum est, verè aliquando prædicere poterant vel casu, vel prouidentiâ diuinâ ita ordinante. Verùm Iosias perrexit, vt in campo Mageddo dimicaret: infelici quidem euentu. A sagittariis enim fuit extitialiter vulneratus. Proh Deus immortalis! tam pius Rex tam infelici obitui erat addicendus? An id ex inobedientia Regis habuit ortum; qui monitus à Ieremia, ne pugnam iniret, retardatus non est? * Tam inuisa Domino inobedientia, vt vel in sancto illam temporaria morte vindicarit.] Saucius itaque Rex suis dixit militibus: Ne è certamine educite, quia diro sum vulnere affectus. At illi Iosiam ex illo, quo dimicabat, curru transtulerunt in alterum, qui eum more Regio sequebatur, mortuusque est apud Mageddo, dum Ierosolymam deferretur, vbi in mausoleo patrum suorum Regium fuit cadauer humatum cunctis Iudæis, ciuibúsque sanctæ Vrbis lacrymas profundentibus. Vberior profectò fuit Ieremiæ Prophetæ luctus, cùius de Iosiæ morte lamentationibus omnes Iudæi Cantores Cantatricesque vtuntur *vsque in præsentem diem* Iosiæ obitum tragicè celebrantes. * Æternus debet esse ciuium luctus, dum probus Princeps desideratur.] *Et quasi lex obtinuit in Israël*, id est, in stabilem consuetudinem, imò quasi in legẽ abiit, vt omnes Cantores & Cantatrices, quoties lugubri carmine volunt aduersum casum aliquem lugere, vtantur verbis eius næniæ seu lamentationis, quam Ieremias in Iosiæ morte composuit. Quam si nosse vis, qualis sit, ecce scriptum fertur seu scripto extat in Lamentationibus Ieremiæ, quarum postrema pars tota est ac Iosiæ marte. Reliqua autem gestorum Iosiæ, *& misericordiarum eius quæ lege præscripta sunt*, id est, virtutum egregiarum eius legi diuinæ admodum cõsentanearum, priorum vtique & posteriorum in Volumine annalium Regum Iuda & Israël sunt vbertim scripta. Recole, quæso, Oldæ vaticinium *Cap.* 24. 28. explicatum. *Iam enim colligam te ad patres tuos, &c.* Iam, id est, *cito mox, illicò*. Quomodò citò, si post annorum multorum interstitium Iosias fuit collectus? * Certè apud Dominum mille anni quasi hesterna quæ præteriit dies: longior hominum vita tam lenis est durationis, vt *ipsis in cunabulis* iam ad patres colligimur.]

Inuisa adeò Domino inobedientia, vt vel in sanctis eam dirè vindicet.

Æternus debet esse ciuiũ luctus, dum probus Princeps desideratur.

Breuissimus humanæ vitæ terminus.

CAPVT XXXVI.

Ex duobus Iosiæ filijs primus Ioachaz à Rege Nechao in Ægyptum, secundus Ioakim cum filio suo Ioachim, & huius patruus Sedecias à Nabuchodonosor Rege in Babyloniam captiui adducuntur cum omnibus alicuius notæ Iudæis. Vrbs & Templum Ierosolymitanum flammis euertitur, Iudæa deserta sinè Rege manet vsque ad primum Cyri primi Monarchæ Persarum annum.

1. TVLIT ergo populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & constituit regem pro patre suo in Ierusalem. 2. Viginti trium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem. 3. Amouit autem eum rex Ægypti cùm venisset in Ierusalem, & condemnauit terram centum talentis argenti, & talento auri. 4. Constituítque pro eo regem, Eliakim fratrem eius, super Iudã & Ierusalem & vertit nomen eius Ioakim: ipsum verò Ioachaz tulit secum, & abduxit in Ægyptum. 5. Vigintiquinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem: fecítque malum coram Domino Deo suo. 6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem. 7. Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo. 8. Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum eius, quas operatus est, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in Libro regum Iuda & Israël. Regnauit autem Ioachin filius eius pro eo. 9. Octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus, ac decem diebus regnauit in Ierusalem, fecítque malum in conspectu Domini. 10. Cúmque anni circulus volueretur, misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini, Regem verò constituit Sedeciam patruum eius super Iudam & Ierusalem. 11. Viginiti & vnius anni erat Sedecias cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem. 12. Fecítque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini. 13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deũ & indurauit ceruicem

fuam

suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israël. 14. Sed & vniuersi principes sacerdotum, & populus, prævaricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes Gentium, & pollùerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem. 15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo & habitaculo suo. 16. At illi subsannabant nuntios Dei, & parui pendebant sermones eius, illudebántque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. 17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & Virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. 18. Vniuersáque vasa domus Domini, tam maiora, quàm minora: & thesauros templi, & regis, & principum, transtulit in Babylonem. 19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxerúntque murum Ierusalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. 26. Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi & filiis eius: donec imperaret rex Persarum, 21. & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata sua: cunctis eim diebus desolationis egit Sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni. 22. Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, fuscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per Scripturam, dicens: 23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa; quis ex vobis est in omni populo eius? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.

COMMENTARII.

1. Noüus Rex Ioachaz capriuus ducitur à Nechao, & frater Eliakim. *Rex Iuda constituitur.*

VERS. 1.2.3.4.5. Tulit ergo, &c.] Vita functo Iosia, Ioachaz eius filius Rex Iudææ à populo constituitur. Vigesimum tertium agebat ætatis annum, cum ad solium ascendit, & tribus mensibus solummodò in Ierosolyma imperauit. Quia cum Nechao Rex Ægypti lacessitus à Iosia post infaustam eius necem in Ierusalem victor & insolens aduentasset, eum à solio amouit, & Regnum Iudæ tributo addixit, cogens illud sibi centum talenta argenti, & auri vnum rependere. Porrò hic textum Hebræum, & LXX. virorum lectionem pugnare video. Nam Hebræus scripsit, *Et amouit eum Rex Ægyti in Ierusalem.* LXX. verò transferunt, *Et amouit eum Rex Ægypti, nè regnaret in Ierusalem.* Si amotus est Ioachaz in Ierosolymam scilicet vt regnaret, quonammodò amotus est à Ierosolyma, ne regnaret. * An qui tunc homo verè regnat, cùm à Regno abstrahitur? Tot quidem sunt imperandi incommoda, tot Regnum comitantur ærumnæ, vt tunc verè dicatur quis regnare, cum à Regno deturbari dicitur.] * A regno exturbatus captiuus dicitur Ioachaz, & tunc *in Ierusalem* inductus dicitur, quia vera captiuitas, imperare.] Constituit autem tributariæ iam Iudæ Regem loco Ioachaz Eliakin fratrem eius, quem mutato nomine Ioachim appellauit: ipsum verò Ioachaz remeans in Ægyptum, secùm adduxit. Cur Eliakimi nomen Rex Ægypti immutauit? Vt innueret, totum illum hominem deinceps sibi esse subiectum. Hoc significare nominis impositionem passim indicat scriptura. Ideò parentes, quibus omnino filij submittuntur, nomina paruulis imponebant. * Monetur ergò Ioachim cum Regnum accipit, simul se omnimodæ subiectioni addici; quia habere subditos, verè subiici est.] Vigesimum quintum annum ætatis gerebat Ioachimus, cum pro fratre Ioachaz Regnum à Nechao accepit, & annis vndecim apud Ierosolymam imperauit. Hinc cólligitur Ioachim fuisse maiorem natu fratre suo Ioachaz, hic enim erat viginti trium annorum,* Ideò fortasse Nechao Regē Ioachaz amouit subtrahens populi electionem, qui quidem maiori debebant ætati reuereri.]

Tot imperandi incommoda, vt tunc dicatur homo verè regnare, cum à Regno eripitur. Imperare, vera est captiuitas.

Subditos habere, verè subijci est.

Ætati maiori reuerendum.

2. Ioakimi regnum, captiuitas, obitus.

Verſ. 6.7.8. Contra hunc, &c.] Verùm contra Ioakimum nouum Regem Nabuchodonosor Rex Chaldæorum pugnax ascendit, & catenis illigatum in Babylonem captiuum adduxit. Nec vacuus è Ierosolyma Rex barbarus excessit, vasa enim Templi Domini transtulit, & in fano, vbi simulachra colebat, reposuit. Pro voce, *Vinctum catenis* LXX. scripsere, *Vinctum æreis compedibus.* Vox Hebræa *Nehuschtaim* significat instrumentum, quo pedes vinciuntur, quod *Cippum* Latini vocitant; Hispani *Cepo.* Hebræus ex Seder Holam asserit Ioakim in itinere extinctum captiuitatis dira ægritudine superatum. * Nulla enim dirior ad conficiendum nobilem virum est ægritudo, quàm authoritatis & honoris iactura, ac diuitiarum gloriæ obscuratio.] Mouetur Hebræus ille ex illo Ieremiæ 22.19. *sepultura asini sepelietur, proiectus extra portas Ierusalem.* Existimo Ioakimum ductum fuisse à Nabuchodonosore in Babylonem, sed mox remissum Ierosolymam in Regnum suum, vt colligo *ex 4. Reg.* 24. vbi de infami eius morte & sepultura. Reliqua autem gesta Ioakimi, & abominationes circà idolorum cultum ac veri Dei contemptum, quas patrauit, *& quæ inuenta sunt in eo*, id est, quæcumq; turpia facinora gessit, in annalium Regum Iudæ & Israël Volumine continentur. Ioachin verò filius eius paternum solium occupauit.

Iactura honoris dira est ad conficiendum nobilem hominem ægritudo.

Verſ.

3. Breue Ioachini Imperium, & captiuitas.

Vers. 9.10. *Octo annorum, &c.*] Cum verò Ioachim solium ascendit octauum agebat annum, & tribus mensibus decémque diebus imperauit. Porrò 4. *Reg.* 24.8. dicitur Ioachinus decem & octo annorum esse cum regnare cœpisset: quonammodò ergo octo erat annorum, cum sceptrum accepit. Hebræi asserũt, cum patre regnasse decem annis. Ita quando cum patre regnare cœpit, erat octo annorum, vt hîc dicitur; quando solus, decem & octo, vt *in Lib. Regum.* Solus itaque tribus mensibus, & decem diebus thronum possedit, quod vtrobique dicitur. * Et quando filius cum patre non regnat? Et quando pater cum filio non imperat, si patris ac filij actiones omnino similes deputantur?] Adolescens hic Princeps litauit idolis, quæ quidem impietas arguit iam eum exuisse puritiam; nam si solummodò octauum gereret annum ætatis, non diceret Scriptura, *Fecitque malum in conspectu Domini*: tantam enim puritia vix poterat bibere impietatem. * Adolescens planè *malum fecit*, & ideò repente è solio deturbatur. Odio sissima namque Numini præpropera ad iniquitatem maturitas.] Cúmque *anni circulus volueretur*, LXX. *Et vertente anno*, Hebr. *Et ad reuersionem anni*, quod non intelligo factum anni fine, ex quo cœpit regnare Ioachin, (qui & Iechonias) neque enim tamdiu regnauit: sed verum anni intelligo initium, quod erat mense Nisan, quando ad bella, aperiente se vere, Reges solent procedere. Initio itaque anni illius Nabuchodonosor Rex pugnacem immisit exercitum, qui impium adolescentem Iudæ Regem captiuum duxit in Babylonem, direptis simul & asportatis pretiosissimis Templi Domini vasis. Regem autem loco Ioachini Chaldæus Rex Sedeciam patrum Ioachini in Ierosolyma esse constituit. Prò *patrum* Hebraicè dicitur *fratrem eius*. At 4. *Reg* 24.17. *patruum eius*. Nimirum fratris significatio Hebræis latè patet. Quidquid Regia scribat, *patruum* esse legem dum affirmo, nam Lxx. transferunt, *Fratrem patris eius*. * Nec mirum patruum Ioachini fratrem eius appellatum fuisse, quia patrui & amitini tam flagrans dilectio, vt vno ex vtero prodiisse videantur.]

Parentum ac filiorũ actiones similes esse deputantur.

Inuisa admodum Deo adolescentia prona deliciis.

Patrui & amitini dilectio.

4. Sedeciæ Imperium, populi iniquitas, Dei paticuia.

Vers. 11.12.13.14.15.16. *Viginti & vnius, &c.*] Cum Sedecias solium scandidit, viginti ac vnius anni erat, & annis vndecim in Ierosolyma imperauit, in quibus plura impietatis secluſa exposuit. Idolis enim immolauit, nec reueritus est Ieremiam Prophetam, qui Dei ex nomine ad eum sæpe venit, & salutaribus curauit eum monitis ab impietate retrahere. * Inter profligati peccatoris ingentia crimina præcipuum locum obtinet, Prophetarum, seu Concionatorum *faciem non erubescere*, monita despicere.] A Rege quoque Nabuchodonosore tributum abnegans recessit, *qui adiurauerat eum per Deum*, id est, vt fidelis esset Regi Babylonio, comminatus illi, si secus faxit, iram non suam modo, sed & iusti vindicis Dei. In cuius etiam rei memoriam nouum illi nomen indidit *Sedecia*, quod significat *Iustitiam Dei*. * O si cuncti Principes sibi persuaderent simul eum sceptro pristinum exuere nomen & hoc nouum inducere *Iustitia Dei!* vt scilicet ediscant, nihil iam se decere, quod iniustitiam hallare videatur.] Dei instæ vindictæ alioquin addicendi.] Igitur & Dei minas ore Prophetico indictas & Regis Babylonis spernens, cervicem suam & cor indurauit, vt ad Dominum Deum Israël reuerteretur, & Regis Babylonio fidem exponeret. Regis ad exemplum Principes Sacerdotum cuncti, & populus omnis iniquè præuaricati sunt vniuersis Gentium infecti abominationibus. Et ad tantum impietas deducta fuit cumulum, vt Templum quod Dominus cultui suo in Ierosolyma dedicauerat, cultui dicarent idolorum. Piissimus autem Dominus Deus patrum suorum Prophetarum ministerio illos quotidiè curabat ad meliorem adducere frugem, & *de nocte consurgens*, Hebraicè *manicando*, id est, maturè, tempestiuè ac diligenter, instar solliciti patrisfamilias, commonebat suos: *eo quod parceret populo*, id est parcere vellet, & extremè optaret, venia donare peccatores. * Vt suffundaris rubore tam pigrum te circa propriam salutem aduertens, dum Deus tam diligens, tam maturus tuo æterno commodo inuigilat.] *Eo*, inquit, *quod parceret populo, & habitaculo suo*, id est, quod expeteret parcere ciuibus Ierosolymæ, quam ad Templum collocandum, elegerat. * Magna sanè populi delinquentis protectio Templa nostra, si ob illud Deus tantæ studebat parcere impietati.] At illi in medicum phreneretici nuncios Dei *subsannabant*, eius minas despiciebant, illudebántque Prophetis, *donec ascenderet furor Domini id populum*. Ac si diceret, Illi impietatis replicatione Deum ad iracundiam prouocabant, Deus benignissimus vindictam differens adhuc se affabilem exponebat ingratis. Aſt illi tot addidere crimina, vt tandem Dei ira profunderetur. * Haud abutaris Dei patientiâ, ne multiplicatione criminum ex parente optimo ad tui reductionem *manicante* eum horribilem conuertas in Iudicem.] *Donec*, inquit, *ascenderet furor Domini in populum, & esset nulla curatio*, seu remedium. Id est, Frustrà erat omnis cura & labor; nec vlla melioris vitæ remanebat spes: vndè mox pœnæ subsecutæ. * Sed vndenam desperata eorum correctio apparebat? Profectò ex diuturnâ criminum replicatione. Si ergò post tot iniquitatis annos adhuc seruis libidini, quamnam foues spem medicaminis. Quasi desperatam dixerim vitæ tuæ iniquissimæ correctionem.] * Si autem cum desperata pœnitudo peccatoris obiicitur mox ad vindictam) Deus gladium stringit, iam victimam te reputa qui ex replicatione criminum desperatæ correctionis exponis specimen.]

Grauissimum peccatoris crimen, Concionatorum monita despicere.

Cuncti Reges deberent vocari Sedecias, siue Iustitia Dei.

Pudeat nos tam pigrè nostram operari salutem, dum Deus tam sollertem se circa eandem se ostendat.

Templum est magna populi delinquentis protectio.

Peccatores Dei abutuntur patientiâ in exitium.

Quasi desperata correctio eius, qui diu seruit iniquitati.

Qui diu seruierunt iniquitati sibi persuadeant, iam Dei instare vindictam.

5. Vrbs & Templum euertitur, Cyrus sublenator exsurgit.

Vers. 17.18.19.20.21.22.23. *Adduxit enim, &c.*] Iratus ergo Dominus contra Iudæos impios adduxit Regem Chaldæorum, qui iuuenes seu fortes electi populi in Templo interfecit, nec misertus est teneritudinis aut defectionis ætatis, virgines enim ac senes comminuit. Loco particulæ, *Interfecit iuuenes in domo sanctuarij sui*, Hebraicè est, *in domo sanctuarij ipsorum* id est, in Templo. Templum illi idolorum imaginibus polluerant, in Templo interficiuntur. Vt supplicium peccato respondeat.] Non proficit Templi immunitas ipsius violatoribus.] * Scio, *Iuuenes* hîc idem esse ac fortes, seu *electos*: at hærens vocabulo communi, iuuenes asséro in Templo puniri, quia hæc plerumque ætas assolet puritatem Templi aspectibus impudicis, colloquiis turpibus violare. His grauissimum suppli

Templi violatores in Templo puniuntur, peccatores pondente supplicio. Iuuenes Templi deturpatores grauissimè puniendi.

supplicium à Templi Domino præparatum.] Cæterùm Chaldæus Princeps cuncta Templi vasa ac supellectilia *maiora ac minora*, eiusdem thesauros, Regis ac Principum aurum & argentum diripiens, in Babylonem transtulit. Quid plura. Incenderunt hostes Templum, Ierosolymæ murum comminuerunt, omnes demoliti sunt turres, & cuncta pulchra ac pretiosa ædificia solo æquauerunt. Qui gladij exitialis vulnera euaserunt, ducti fuerunt in Babylonem vt Regis ac filiorum eius essent mancipia, donec Rex Persarum potitus est Imperio, (Cyrus scilicet, cuius mentio *Vers.* 22. agitur.) & completus fuit sermo Domini Ieremiæ ex ore, qui quidem Propheta *cap.* 25. 12. *&* *cap.* 29. 11. post septuaginta annos reditum ex Babylonica captiuitate pollicitus erat. Itaque miseri Hebræi, quibus pepercit gladius seruierunt Regi Babylonio ac posteris eius, siue Regibus successoribus donec regnaret Cyrus, donec Ieremiæ vaticinium impleretur, *& celebraret terra sabbata sua*, id est, quiesceret seu feriaretur ab aratione, sulcatione & messione, donec (ac si diceret) omnino esset cultoribus incolis vacua; cunctis enim desolationis diebus terra *egit Sabbatum*, id est, quieuit, quia desolata, & inculta vt plurimum iacuit. * Sæpè Iudæi noluerunt, Sabbatum ex præscripto legis sanctificare, seu obseruare: atque ideò iusto Dei iudicio in huiusce delicti pœnam passi sunt, vt terra toto captiuitatis illorum tempore *Sabbatizaret*, non reperto, qui coleret. Vt scilicet peccatum supplicio simili torqueretur.] Vt igitur Ieremiæ vaticinium impleretur, Dominus Cyro Regi Persarum Deus hanc mentem iniecit, scilicet vt sacrorum studeret restitutioni, miseramque Iudæorum captiuitatem solueret, *anno primo* Imperij sui. * Quàm feliciter in Regno procedet, qui à religionis inchoauit obsequio,] Iussit igitur Dei actus spiritu in vniuerso Regno suo hac voce ac scripto profetri decretum: Hæc Cyrus Rex Persarum indicit: Dominus Deus cœli me Babylonis Imperio, & cunctis Regnis terræ donauit, & mihi, magis ei gratitudinis ergò subdito, præcepit in Isaiæ Volumine *Cap.* 44. 28. (quod vaticinium ad me dirigi recognosco) vt Templum Ierosolymitanum, quod in Iudæa dirutum adiacet rursum erigerem, aut reædificarem. Quicumque ex vobis subditis meis ad Iudaicum attinet populum, captiuitate exuta, Deoque suo comite, in Iudam ascendat. Quæ ad Cyrum Persarum Regem pertinent, initio Libri primi Esdræ repetuntur, vbi vberiùs expendam. Ex qua repetitione arguunt Auctores vnum eumdemque Esdram vtriusque Libri auctorem existere. * Id quidem non abnego, sed non euidens id argumentum esse affirmo, cum video tot auctores Libros integros auctorum transcribere aliorum, & se auctores vnicos istius doctrinæ affectare contendunt.]

quia simile delicto supplicium.

Rex, qui Regnum inchoat ab obsequio Religionis, procedet felicissimè.

Quia Iudæi Sabbatha nõ coluerunt, terra eorum Sabbatizauit;

Multi aliorum transcribunt libros, & se auctores affectare contendunt.



LIBER

LIBER TERTIVS.

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD ESDRÆ PRIMVM.

PROLVSIO.

Esdras filius Saraiæ summi Pontificis cum fratre Iosedeco fuit in Babylonem translatus. Narrat hoc libro, completis iam septuaginta captiuitatis annis, indulto Cyro primo Persarum Monarchæ, reductos Iudæos Ieroſolymam, quam vnà cum Templo instaurare cœperunt: sed præpediti aduersariorum calumniis supersedere fuere coacti. Annon Iudæi exules Deiparæ debuerunt quodammodò à longiori captiuitate fuisse asseruatos. Meditatur noster Franciscus de Mendoza Rachelis eiulatus eò tendisse, vt Deum placaret, ne Hebræi eâ viâ pergentes in Babylonem, vbi cadauer Rachelis condebatur, diutiùs pro meritis captiuitate premerentur. *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos.* Hoc certè ex capite Mariam præsignabat Rachel, cuius precibus cuncti à captiuitate eripimur sante Richardo Laurent. l. 8. de laud. Virg. *Hìc notatur captiuitatis nostræ reductio. Vnde Psalmista, Auertisti captiuitatem Iacob. Siquidem antequàm Maria nasceretur captiuabat diabolus genus humanum, sed per Mariam reducta est captiuitas* ex hâc misteriâ Babylone.

CAPVT I.

Cyrus Persarum Monarcha verum Deum Israëlis agnoscit, Iudæis reditum concedit in patriam: Præfectis Prouinciarum imperat, vt Iudæos ad Vrbem, ac Templum Ieroſolymitanum instaurandum iuuent: Sacra vasa à Nabuchodonosore sublata Delubro restituit. Queis instructi Tribuum Iuda & Benjamin. Principes cum Leuitis remigrant in Iudæam.

1. IN anno primo Cyri regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam dicens: 2. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ est in Iudæa. 3. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ieruſalem, quæ est in Iudæa, & ædifi

ædificet domum Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Ierusalem. 4. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem. 5. Et surrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem. 6. Vniuersique qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & aureis; in substantia & iumentis, in supellectili, exceptis his quæ sponte obtulerunt. 7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in Templo dei sui. 8. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filij Gazabar, & annumerauit ea Sassabasar principi Iuda. 9. Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta phialæ, argenteæ mille, cultri vigintinouem, scyphi aurei triginta, 10. Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. 11. Omnia vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta: vniuersa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

COMMENTARII.

1. Cyri Regis epistola in gratiam Iudeorum in Babylone commorantium.

VERS. 1.2.3.4. *In anno primo &c.*] Primo anno, non quo cœpit in Perside regnare Cyrus, sed quo in Babylone. (Neque enim prius potuit Iudæos Babylone captiuos dimittere liberos, quàm ipse Babylone dominaretur: nempe quando superato, ac occiso Balthasare Rege Babylonis, & vltimo Chaldæorum Monarcha, Dario quoque Medo Socero suo, & Imperij consorte iam è viuis sublato, Cyrus monarchiam totius Orientis solus administrauit) anno inquam primo Cyri iam Babylonis Regis, vt compleretur promissio Domini ex ore Ieremiæ facta prophetæ, qui post septuaginta annos reditum ex Babylonica captiuitate prædixerat *cap.25.12. & cap.29.11.* suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, id est, hanc mentem Cyro immisit: & *traduxit vocem* in omni Regno suo, nempe in vniuersa sui Imperij ditione iussit prædicari, siue præconis voce edici: nec non immissis epistolis ad faciliorem vberioremque suæ mentis, siue affectus reserationem, fecit omnibus innotescere. * Nempe dum ardescit affectus, nulli diligentiæ parcitur, voces insonant, scripta vulgantur. Tepido desiderio, cuncta desidia diffluunt.] Hic verò Regij edicti & vocibus & literis expressi tenor erat. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: A Deo cœli omnium Dominatore cunctis orbis Regnis donatus sum: id est, circumiectis Regnis, quæ Cyrus occupauerat, diuino nutu sibi data fuisse profitetur. * Vt ex gentili Rege Christicola Princeps corripiatur, qui tot possessor diuitiarum, vix vnquã eius subit in memoriam à Deo cœli accepisse. Ita locutus videtur Cyrus memor Isaiæ fortasse verborum: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam.* Preme illud: *Deus cœli.* Mirum planè Regem totius orbis, qui assoleret se Deum terræ reputare, cognoscere Deo cœlesti subiici debere.] Cur non dixit, *Deus cœli & terræ?* An quia Reges tam absolutè, ac independenter à subiectione se Diuos terræ deputant, vt sibi videatur Deum cœli nullatenus simul habere possessionem, quo soli Reges potiuntur?] Haud ita Cyrus qui sciens Dei cœli subditum esse imperio adiecit, Et *ipse præcepit mihi*, vt construerem celebrando ac colendo nomini eius Templum in Ierosolymitana Vrbe, quæ ad Tribus Iudæ attinet ditionem. Quandonam id Deus Cyro præcepit? Apud Isaiam profantem: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: Ædificaberis, & Templo: Fundaberis.* cap. 25.13. *Alibi, Ipse ædificabit Ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet non in pretio, neque in muneribus.* cap.45.13. Certè præceptum hoc fuisse putarim vehementem quandam inspirationem, cuius vi Regis spiritus exardescens Deum quasi præcipientem sibi est contemplatus. * Illud existima tibi à Deo imperari, ad quod gerendum, Deo inspirante, afficeris.] Qui in vobis (adiicit) repertus fuerit ad populum Iudæorum pertinens, à vinculis captiuitatis liber, Deo comite Ierosolymam versus contendat, Templóque construendo, seu reparando Domui scilicet Domini operam impendat. *Ipse est Deus qui est in Ierusalem*, id est, nullus Deus nisi Numen, quod Ierosolymæ colues venerantur, vnde oportet ei domum construi, siue conditam reparari, ac decenter ornari. *Et omnes reliqui* Iudæi, quibus animus aut facultas deest migrandi in Ierusalem, & Iudæam, vbicumque commorantur apud Babylonis ditionem, *adiuuent eum viri de loco suo*, id est, à viris Iudæis ditioribus adiuuentur argenti, auri, pecorum, reliquæque substantiæ elargitione. * Vtinam id Regio edicto stabiliretur, vt inopes à viris conciuibus ditioribus alleuarentur, superflua diuitum imminuta substantia, vt deficiés pauperis. Aliter conuenientiùs expono: *Et omnes reliqui* non Iudæi solùm, sed & alij quoque Præfecti Prouinciarum Regiarum (quos Iosephus amicos Regis vocitat) iubentur edicto Regio ad instaurandum Templum, quidquid commodè possent, conferre. *Et excepto*, seu præter id, *quod voluntariè offerunt Templo Dei*, id est, præter donaria spontanea in holocausta vel alias hostias, quæ quisque pro placito suo subministrabat. Videtur saltem aliquo modo, taxatum fuisse à Cyro, quantum quisque de suo, & etiam de ærario Regio instauranda ædificia conferre deberet: vt fecit etiam postea Darius & Artaxerxes Cyri successores. * Quàm facilè à thesauro subditorum] diuitiæ ad publica munia colli-

Illud puta, tibi à Deo imperari, ad quod gerendũ Deo inspirãte, afficeris.

Cum ardescit affectus, nulli diligẽtiæ parcitur.

Quàm ingrati Principes, tot à Deo bonis donati.

A diuitibus oporteret superfluas diuitias ad pauperes transferri, vel Regium edictũ.

Facilè ad munia publi-

guntur,

ex à cunctis diuitiæ colliguntur, cùm simul ab erario Regio substantia profertur.

guntur, cum, simul ex Regio ærario substantia profertur.] Edicti itaque Regij tria continent literæ. Primò accepta fert Deo cœli omnia regens parta Regna. Secundò dicit, eundem Deum sibi præcepisse vt Templum Ierosolymitanum instauraret. Tertiò, iubet, id instaurari omnesque tum Iudæos, tum alios subditos suos ad id excitat, & hortatur. Iam vndenam à Deo id sibi præceptum fuerit, manifestat. Eo enim ipso, quod fateatur se à Deo tot beneficiis fuisse donatum, iudicat præceptum sibi fuisse simul, de

Donare à Deo beneficiis, quasi præceptū est nobis datum De gratiis reddēdis.

gerenda gratitudine cogitare. Omnia Regna dedit mihi Deus: Ergo & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum. Illud enim accepisse beneficia à Deo quasi præceptum est ipsius, vt de reddendis gratiis & verbis & operibus cogitemus.] Sed vt clariùs expendam ex litera, vndenam hæc Regi gentili tam pia mens, & quodnam præceptum à Deo accepit; ex Iosepho, ac Theodoreto didici, suggerente vel Esdra, vel potius Daniele, vt ante Dario, sic nunc etiam Cyro perfamiliari, imò conuiua, didicisse, à Deo Iudæorum per Isaiam Prophetam iam ante centum & viginti annos sibi, etiam proprio nomine *Cyri* expresso, additum, prædictúmque Orientis Imperium. *cap. 44. in fine & c. 45.* initio. Vbi etiam Templum & Vrbem Ierosolymitanam, ab eo instaurandam dicit. Quod cum sine euidenti miraculo prædici tanto tempore ante non posset, facilè aduertit Cyrus, non posse quoque non verum Deum esse, à quo id prænunciasset. Vndè & gratum se illi præstare, & cultores illius insignibus beneficiis prosequi

Te à Deo ministrū assumi ad Templū extruendum, aut ornandū, siue ad aliquod pium opus, magnū est beneficiū.

curauit. * Cum videris te à Deo ministrum assumi ad Templi exædificationem gerendam, aut ad opus aliquod pium exerendum, magno te à Deo obæratum beneficio iudica, quod te ad gratiarum impellit actionem.]

Vers. 5.6. Et surrexerunt, &c.] His itaque auditis surrexére Principes patrum de Iudæ ac Benjamin Tribu, id est, illarum Tribuum seniores, qui dignitate, atque authoritate cæteros antecellebant. Ex Græco Hieronymus, vocem illam *Patrum, parentelarum* verrit, lib. cont. Heluid. * Quia parentela, Hispanè *Linage* quasi pater est propinquorum omnium, vndè veluti parens semper eius nomen debet venerabilis exponi, ac filiorum cunctorum operibus honorari. Quemadmodum enim parentum fama filiorum iniquis actionibus læditur, sic parentelæ nomen attritis cuiusuis contribulis gestis deturpatur. Annon vno Gusmanio, à Mendoza (v. gr.) iniquo tota Gusmaniorum, aut Mendociarum familia minus ornata exponitur?] Consurrexére cuncti *Sacerdotes & Leuitæ.* * Quos quidem pudere debuisset, sæculares Principes primùm assurrexisse, cùm Sacerdotalis pietas præire sæculares deberet, eósque ad Dei curtum excitare.] Surrexére demum omnes illi, queis Deus hanc pietate plenam mentem iniecit: vt ad Templum Domini reædificandum conscenderent, quod temporum & hostium iniuriâ apud Ierosolymam attritum adiacebat. Porrò vicini eorum ad sumptus necessarios Domui sacerrimæ exædificandæ eis detulére vasa aurea & argentea, gemmas, supellectilia pretiosa, nummos, & ad onera deportanda, iumenta: *exceptis his, quæ sponte obtulerunt*, id est, præter donaria, quæ Templo Dei consecrarunt, & quæcumque restaurationi Ierosolymorum addixerunt. * Verùm particula illa, *Exceptis his, quæ sponte obtulerunt* videtur indicare, illos vasa argentea & aurea, iumenta, supellectilia non *sponte*, sed quasi ex vi aut exactione obtulisse. Ità planè, illud enim ipsum, reædificatione ac ornatu indigere Templum Domini pia quædam fideli animo est exactio, quæ cogit diuitias offerre.]

Templum indigere reædificatione vel ornatu, fideli animo velut exactio est, cogens diuitias offerre.

Vers. 7.8.9.10. Rex quoque, &c.] Profectò, vt qui subditos ad Templi reædificationem excitabat, præiret exemplo, Rex cyrus, vasa aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor, de Ierosolymâ abstulerat sacrilegus, & impius in Dei sui immundo collocarat in fano Dei Templo restituit. Porrò Cyrus hanc vasorum restitutionem manu Mithridatis filij Hazabar gessit, qui quidem Mithridates cuncta illa vasa Sassabasari Iudæo Principi *annumeranit*, seu annumerando exposuit. Certè Sassabar hic Princeps erat Zorobabel salathielis filius, ac nepos Iechoniæ Regis, qui Babylone natus erat, & à Chaldæis Sassabar dicebatur. Familiare autem fuisse Chaldæis mutare nomina, & vni plura indere, tum aliundè, tum ex Dan. 1. constat. Cùm ergo nepoti Regis captiui nomen à tristi parente inditum esset. *Zorobabel*, quod *peregrinum in Babylone* significat; vt primùm è tristi carcere contigit, Regem cum omni familiâ educi, & mensæ Regiæ adhiberi, mutarunt adolescentes nomen in *Sassabasar*, quod *gaudentem in tribulatione* significat. * Nihil enim homines sic facit illustres, dignósque augustissimè nominari, quam æquo lætósque animo labores sustinere.] Itaque Sassabasari Mithridates Regius thesaurarius tradidit phyalas aureas triginta, milléque argenteas, viginti nouem cultros, aureos scyphos triginta, argenteos autem *secundi* ordinis scyphos quadringentos supra decem, vasa alia ad diuersos vsus mille. Pagninus & Vatablus pro *phyalis Pollubra* posuére; putant enim Hebræum vocabulum *agartal* vas significare, in quo aqua ad diluendas manus infunditur. Pro *scyphis* verò Pagninus *cochlearia* vertit, Vatablus *crateres*. LXX. autem vocem Hebraïcam *cephures* retinuerunt. Alij vertunt *expiatoria*, nam radix כפר in coniugatione *Piel* expiare significat. * En vasorum Templi ac profanorum craterum differentia, his ex poculi immoderantiâ labia polluuntur: illis verò contractæ hæ maculæ expiantur. Vt Eucharistici calicis vis ad ebrietatem luxuriémque ei agnatam consopiendam innuatur.] *Secundi* verò scyphi vocitantur, qui vel alterius formæ, vel minores, vel non ita pretiosi annumerati fuére, idèo eorum accreuit numerus. * Rariùs enim esse assolet, quod pretiosius assurgit.] Omnium itaque vasorum tam aureorum, quàm argenteorum numerus quinq; millium quadringentorum fuit, quorum quidem partem aliquam dumtaxat Sacer textus recens & scilicet 2499. Vniuersa hæc à Sassabasare adlata sunt cum his, qui ex transmigratione Babylonis in Ierosolymam ascenderant.

2. Surgūt Iudæi Templum reædificaturi.

Parētela veluti parens à propinquis cunctis honoranda.

Iniquis cuiusuis operibus eius fama deturpatur.

Sacerdotes pudeat, sæculares primùm assurgere ad opera pietatis.

3. Rex Cyrus Templo vasa à Nabuchodonosore ablata Templo restituit.

Lato animo sustinere labores, hominem nobilitat.

Calix Eucharisticus ebrietatis & luxuriæ maculas abstergit.

Rariùs, quod pretiosius.

CAPVT II.

Numerus, ac nomina reuertentium è Babylone in Iudæam cum Zorobabel exprimitur: munera, & donaria in instaurationem Templi oblata recensentur.

1. HI sunt autem prouinciæ filij, qui ascenderunt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, & reuersi sunt in Ierusalem & Iudam, vnusquisque in ciuitatem suam. 2. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israël: 3. Filij Pharos, duo millia centum septuaginta duo. 4. Filij Sephatia, trecenti septuaginta duo. 5. Filij Area, septingenti septuagintaquinque. 6. Filij Phahath Moab, filiorum Iosue, Ioab, duo millia octingenti duodecim. 7. Filij Aelam, mille ducenti quinquaginta quatuor. 8. Filij Zerhua, nongenti quadragintaquinque. 9. Filij Zachai, septingenti sexaginta. 10. Filij Bani, sexcenti quadragintaduo. 11. Filij Bebai, sexcenti vigintitres. 12. Filij Azgad, mille ducenti vigintiduo. 13. Filij Adonicam, sexcenti sexagintasex. 14. Filij Beguai, duo millia quinquagintasex. 15. Filij Adin, quadringenti quinquaginta quatuor. 16. Filij Ather, qui erant ex Ezechia, nonagintaocto. 17. Filij Besai, trecenti vigintitres. 18. Filij Iora, centum duodecim. 19. Filij Hasum, ducenti vigintitres. 20. Filij Gebbar, nonagintaquinque. 21. Filij Bethlehem, centum vigintitres. 22. Viri Netupha, quinquagintasex. 23. Viri Anathoth, centum vigintiocto. 24. Filij Azmaueth, quadragintaduo. 25. Filij Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres. 26. Filij Rama & Gabaa, sexcenti vigintivnus. 27. Viri Machmas, centum vigintiduo. 28. Viri Bethel & Hai, ducenti vigintitres. 29. Filij Nebo, quinquagintaduo. 30. Filij Megbis, centum quinquagintasex. 31. Filij Ælam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor. 32. Filij Harim, trecenti viginti. 33. Filij Lod, Hadid, & Ono, septingenti vigintiquinque. 34. Filij Ieticho, trecenti quadragintaquinque. 35. Filij Senaa, tria millia sexcenti triginta. 36. Sacerdotes: Filij Iadaia in domo Iosue, nongenti septuagintatres. 37. Filij Emmer, mille quinquagintaduo. 38. Filij Pheshur, mille ducenti quadraginta septem. 39. Filij Harim, mille decem & septem. 40. Leuitæ: Filij Iosue & Cedmihel filiorum Odoniæ, septuagintaquatuor. 41. Cantores: Filij Asaph, centum vigintiocto. 42. Filij Ianitorum: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: vniuersi centum trigintanouem. 43. Nathinæi: filij Siha, filij Hasupha, filij Tabbaoh, 44. Filij Ceros, filij, Siaa, filij Phadon, 45. filij Lebana, filij Hagaba, filij Accub, 46. filii Hagab filii Semlai, filii Hanam, 47. filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia, 48. filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam, 49. filii Aza, filii Phasea, filii Besee, 50. filii Asena, filii Munim, filii Nephusim, 51. filii Bachuc, filii Hacupha, filii Harhur, 52. filii Besluth, filii Mahida, filii Harsa, 53. filii Bercos, filii Sisara, filii Thema, 54. filii Nasia, filii Hatipha, 55. filii seruorum Salomonis, filii Sorai, filii Sopheret, filii Pharuda, 56. filii Iala, filii Dercon, filii Geddel, 57. filii Saphatia, filii Hatil, filii Phocheret, qui erant de Asebaim, filii Ami. 58. Omnes Nathinæi, & filii seruorum Salomonis, trecenti nonagintaduo. 59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, vtrùm ex Israël essent. 60. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquagintaduo. 61. Et de filiis Sacerdotum: filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatus est nomine eorum: 62. hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. 63. Et dixit Athersata eis, vt non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus. 64. Omnis multitudo quasi vnus, quadragintaduo millia trecenti

trecenti sexaginta: 65. exceptis seruis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem & in ipsis cantores atque cantatrices ducenti. 66. Equi eorum septingenti trigintasex, muli eorum, ducenti quadragintaquinque, 67. cameli eorum, quadringenti trigintaquinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti. 68. Et de principibus patrum, cùm ingrederentur templum Domini, quod est in Ierusalem, sponte obtulerunt in Domum Dei ad extruendam eam in loco suo. 69. Secundùm vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti mnas quinque millia, & vestes sacerdotales centum. 70. Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinæi, in vrbibus suis, vniuersusque Israël in ciuitatibus suis.

COMMENTARII.

1. Proceres Hebræorum recensentur.

VERS. 1.2. *Hi sunt autem, &c.*] Iam Hebræi post diuturnam captiuitatem remittuntur, in patriam, non tamen ita sui iuris facti, quin serui manerent, ac tributarij Persarum, vt colligitur Cap. 4. 13. Vndè nec Duces habebant in Iudæâ, nisi ex voluntate Regis, qui primò Zorobabelem constituit, 1. Esd. 5. 14. dein Esdram, & Nehemiam &c. 1. Esd. 7. 14. & 2. Esd. 5. 14.* Vt hinc edisces, vix vllum ex diuturna spirituali captiuitate adeò expeditum prosilire, vt vllum non habeat ad tributa soluenda voluptati respectum; difficilè enim noxia abraditur consuetudo.] Hi itaque sunt *Prouinciæ* Iudææ, vel Chaldææ *filij*, qui ex captiuitate Babylonica, ad quam eos adduxerat Nabuchodonosor Rex Babylonis in Iudæam ascenderunt, in suam quisque Ciuitatem. Erant quidem illi Iudæi gente, & ex Iudæa oriundi, sed in Chaldæâ ferè nati captiuitatis tempore, quæ annos septuaginta tenuerat; vndè tam Iudææ, quàm Chaldææ filij non incommodè possunt vocitari. * Hæc probæ, aut improbæ societatis vis, vt ex eâ quis possit vel nomen accipere. Vndè quia Iesus exiguo tempore apud Samaritanos est commoratus, à Iudæis *Samaritanus* appellatur. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Annumerantur ergo viri, qui Ierosolymam ascenderunt sub ducatu Zorobabelis, Iosue, Nehemiæ, Sataiæ, Rahelaiæ, Bellan, Mesphar, Beguai, Reum, & Baanæ. Certè qui hoc versu exprimuntur Proceres erant Iudæorum, ideóque eorum nomina peculiariter exprimuntur. * Et quonammodo inferiores è captiuitate prosilirent, si Proceres non sibi obicerent in exemplum? Difficile planè subditi corriguntur, si Principes seu Rectores non prius vitiorum captiuitati renunciant.] An *Mardochai* ille patruus Esther? Ita sanè potuit. Et sicut de Nehemia vers. 36. annotabo, forsan ad recuperandas possessiones paternas, hâc tam commodâ occasione excurrit in Iudæam, rediturus post paulo in Chaldæam, vbi sedem figere decreuerat.

Quàm difficilè noxia consuetudo abraditur.

Proba, aut praua societas socium quasi eiusdem generis efficit.

Difficilè subditi corriguntur, si Princeps non prius nuncium mittit iniquitati.

2. Annumerantur Israëlitæ qui ad Tribũ Leui nõ pertinebant.

Vers. 3.4.5. vsque ad 35. *Filij Phæros, &c.*] Verùm à versiculo tertio ad trigesimumsextum recensentur Israëlitæ, qui ad Tribum Leui non pertinebant. Instituitur ergo longus Catalogus eorum, qui ex captiuitate Babylonicâ reuersi sunt in patriam. Monuerim autem, quædam nomina, quæ hîc habentur, esse Vrbium, & Oppidorum nomina, vt cum dicitur, *Filij Bethlehem, filij Cariathiarim, filij Iericho.* Quædã verò esse virorũ nomina, vt cum dicitur, *Filij Asaph, Filij Sellum.* Subtiliùs verò disquirere quę locorũ nomina sint, quæ virorum, haud admodùm vtile; quare, (quod alij gessere Interpretes) hæc missa faciemus. Igitur ex filiis, seu posteris Pharos duo millia centum septuaginta duo è captiuitate Ierosolymam ascenderunt. Ex posteris Septhaia, trecenti septuaginta duo. Ex posteris Area, septingenti septuaginta quinque. Ex posteris Phaphath, id est Ducis cognomento Moab, & ex posteris Iosue ac Ioab ducum insignium prodiere viri, qui quidem simul numerum 2812. confecerunt. Porrò Aelami mille ducenti quinquaginta quatuor profecti sunt posteri. Zethuæ nongenti quadraginta quinque. Zachai septingenti sexaginta. Bani sexcenti quadraginta duo. Bebai sexcenti viginti tres. Azgadi mille ducenti viginti duo. Adonicami sexcenti sexaginta sex. Beguaij duo millia quinquaginta sex. Adini quadringenti quinquaginta quatuor. Atheri autem, ex Regis Ezechiæ celebertimi stirpe progeniti, nonaginta octo. Ascenderunt item ex Besaitis trecenti viginti tres. Ex Ioraitis centum duodecim. Ex Hasumitis ducenti viginti tres. Ex Gebbaritis, nonaginta quinque. Ex Bethlehemitis id est, ex Bethehemi ciuibus oriundis centum supra viginti tres viri è Babylone recesserunt. Hactenus per familias capita textus sacer distinxit, deinceps per Vrbes vsque ad versum 31. distinguit, forsan quia familiæ erant ignotæ. * Verùm nobilis Patriæ nomen ciui perillustri pro nobilissimo cognomine sufficit.] Ex Vrbe itaque Netupha quinquaginta sex perrexerunt. Ex Anathoth centum viginti octo. Ex Azmaueth quadringenti duo. Ex Cariathiarim, Cephira, & Beroth septingenti quadraginta tres. Ex Ramâ, & Gabaâ, sexcenti viginti vnus. Ex Machinas, centum viginti duo. Ex Bethel, & Hai, ducenti viginti tres. Ex Nebo quinquaginta duo. Ex Megbis denique centum quinquaginta sex. Porrò ex posteris Aelam *alterius* ab illo (de quo suprà versiculo 7.) è captiuitate conscenderunt in Patriam mille ducenti quinquaginta quatuor. Mirorautem, vtriusque Aelami posterorum parem prorsus esse numerum. Ideò verò putarim sacrum Historiographum addidisse particulam *Alterius*, ne ex æqualitate numeri quis putaret rursum eandem Aelami posteritatem recenseri. Eos secuti fuere ex posteris Harim trecenti viginti. Ex posteris Loth, Hadid, & Onio, septingenti viginti quinque. Ex posteris ciuium Iericho, trecenti quadraginta quinque. Ex posteris verò Senaa, tria millia trecenti triginta.

Nobilis patria nomen ciuique nobilissimum cognomen esto.

Vers. 36.37.38.39.40.41.42. *Sacerdotes &c.*] Iam

3.

Sacerdotes ac Leuitæ recenſentur.

Iam ſacerdotes & Leuitas è captiuitate pergentes annumerat textus; poſtquam Tribus Iudæ ac Beniamin filios recenſuit. E ſacerdotibus itaque Iadaiæ poſteris è familiâ Ioſuë nongenti ſeptuaginta tres perrexere. E poſteris Emmer mille quinquaginta duo. E poſteris Pheshur, mille ducenti quadraginta ſeptem. E poſteris Harim, mille decem & ſeptem. Iam Leuitæ poſteri Ioſuë & Cedmiel, qui ex Odouia genus ducunt, ſeptuaginta quatuor proficiſcuntur. Comirantur Cantores poſteri Aſaph, centum viginti octo. Porrò ex poſteris Ianitorum, filij Sellum, Ateri, Telmoni, Accubi, Hatiræ, & Sobai, centum triginta nouem proficiſcuntur.

4. Nathinæi ac Proſelyti annumerantur.

Verſ. 43. ad 67. *Nathinæi, &c.*] Deinceps Nathinæi, & Proſelyti, ſiue incerti, qui non erant de genere Iſraël, annumerantur. Hi erant Gabaonitæ, qui, quod populo impoſuiſſent, publicis Templi miniſteriis à Ioſuë cap. 9. addicti ſunt, vt lignatores eſſent, & aquatores. Indè nomen illis *Nathinæi*, id eſt, *Donati* Leuitis & Templo in ſeruos. Sicut autem Ioſuë, illos donauit, ſic quoque Rex Dauid alios plures in eundem bello veriſimiliter captos, Templo donauit, vt patet ex Cap. 8. Eſd. 20. Item Salomon alios, qui hîc verſ. 58. vocitantur *Filij ſeruorum Salomonis*, qui ex Proſelytis erant, & eos Salomon ſtructuræ Templi addixerant, 1. Paral. 22.

Principum iniuria circa Templorũ ornatum carpitur.

* Proh temporum iniuriam, quando meliori Templo non ſolùm Mathinæi, ſeu Donati non addicuntur, vt ſeruiant: ſed vix exigua dona exponuntur, vt ornent!] Ex Mathinæis igitur aſcenderunt poſteri Siha, Haſupha, Tabbaoth, Ceros, Siaa, Phadon, Lebana, Hagaba, Acccub, Hagab, Semlai, Hanan, Gaddel, Gaher, Raaia, Raſin, Necoda, Gazam, Aza, Phaſea, Beſee, Aſena, Munim, Nephuſim, Bachuc, Hacupha, Harhur, Beſuth, Mahida, Harſa, Bercos, Siſara, Thema, Naſia, & Hatipha; & ex poſteris ſeruorum Salomonis comitati ſunt filij Sorai, Sophereri, Pharudæ, Ialæ, Derconi, Geddeli, Saphatiæ, Hatili, Phocherethi, qui quidem erant de Aſebaim, Ami poſteri. Porrò omnes hi Nathinæi, & ſeruorum Salomonis poſteri trecenti nonaginta duo exiere. Alij multi aſcenderunt de Chaldæa Vrbibus Thelmala, Theldarſa, Cherub, Adon, & Emer, qui tamen probare non potuerunt, ſuam ex Iudæis originem, vndè poſt Proſelytas ſine ratione numeri recenſentur. Præterea ex Chaldæa prodiere ex poſteris Dalaiæ, Tobiæ, & Necodæ, ſexcenti quinquaginta duo. Et è poſteris Sacerdotum: filij Hobiæ, & Accos filij Bercellai, Qui quidem Accos, quod accepiſſet de filiabus Bercellai Sacerdotis vxorem nomen gerebat filij Bercellai; ſed publicis tabulis probare non potuit, ſed è recta ſacerdotum linea proceſſiſſe: vndè filij eius ad ſacerdotalia munia admiſſi non ſunt: imò & à ſancto cibo ſanctorum, ſeu ſanctificatorum miniſtrorum Templi, id eſt, à ſacrificiis, & panibus Deo ſacris tantiſper reiecti, Atherſatha ſeu Nehemiæ præcepto, donec *ſurgeret Sacerdos doctus*, atque peritus, qui nomine Dei pronunciaret, quid illis facto opus. Hebraïcè eſt, *Donec ſtaret Sacerdos cum Vrim, & Thummim.* id eſt, donec eſſet, qui ex rationali conſultus reſponſum redderet. In rationali enim Pontificis erant inſculpta. *Vrim & Thummim.* Sed illud iam ad manum non erat, & verò ſimiliter ab Ieremia ſimul cum Arca fœderis, & Tabernaculo abſconditum in monte Nebo aderat, loco quidem omnibus ignoto. 2. Machab. 2. 4. Verùm *Atherſatha* Chaldaicè vocatur Nehemias, forſan à Chaldæo *therſa*, id eſt, aluit, & *Sathá*, id eſt, *potauit*, quaſi diceret, *Aluit potu*, ſeu Pincerna erat Regis. Nam licèt Nehemias publici boni cauſa num in Iudæam excurrerit, tamen rediit poſteà in Perſidem, vbi Pincernæ munere functus eſt. * Particulam illam expende, *Donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus.* Si ſacerdos ille Deo inſpirante, ex rationali reſponſa erat redditurus, quare *doctus* ac *perfectus* deſideratur? Certè quia vel ad Dei inſpirationes dignoſcendas, & ad ſuggeſtionibus Sataneæ ſeparandas magna in ſacerdote peritia requiritur.] * Hinc monuerim fœminas, ad difficile reuelationum negotium doctos Confeſſarios adire, qui poſſint à reuelationibus ſomnia vana ſecernere.] Itaque omnis multitudo ſeu omnes ſuprà recenſiti vnum redacti in numerum, quadraginta duo millia trecenti ſexaginta exitére: exceptis ſeruis, & ancillis eorum, qui ſeptem millium trecentorum ſupra triginta ſeptem numerum exæquarunt. In ipſis aderant Cantores, ac Cantatrices ducenti. Verſ. 41. dictum eſt. Cantores centum viginti octo fuiſſe. Hic autem additæ Cantatrices numerum protraxére. Certè non ſolùm Cantores, ſed etiam Cantatrices Templo inſeruire ſolitas ex Paral. 25. 5. conſtat. * Apud Templa noſtra fœminæ ex officio non canunt, aliquandò tamen profanæ mulierculæ ex alicuius non piâ admodùm deuotione cecinére non piè. O quàm ingrata huiuſmodi melodia ſuperis!] Suppuranti numerum aſcendentium Ieroſolymam ex Babylone apparebit ſummam eſſe adeò minorem, vt decem millia virorum, & eò amplius deſiderentur. Cui obiectioni reſpondeo, eos, qui per partes hoc capite numerantur, fuiſſe tantùm ex triplici Tribu Iuda, Beniamin, & Leui: cum iis autem alias etiam conſcendiſſe ex aliis Tribubus, qui omnes ſummam, quæ hoc verſiculo habetur, conficiebant. Verùm, ſi iumenta, quibus ad profectionem vſi fuere adnumerari libeat: equos inuenies ſeptingentos triginta ſex, mulos ducentos quadraginta quinque, camelos quadringentos triginta quinque, aſinos ſex millia ſeptingentos viginti. Nam qui ex Cyri Regis cuius Deus ſpiritum inſuflabat, imperio aſcendebant, non erant vacui, pedites, ac nudi dimittendi.

Ad Dei inſpirationes agnoſcẽdas, & ſuggeſtionibus diaboli ſeparãdas magna in Sacerdote peritia requiritur.

Fœmina ad reuelationum negotium doctos Confeſſarios adeant.

Taxatur non pius mulierculariũ apud Delubra cantus.

5. Procerum oblatio ad Templi reædificationem.

Verſ. 68. 69. 70. *Et de Principibus patrum, &c.*] Cum igitur exules ad Ieroſolymam peruentaſſent, & Templum Domini iniiſſent, ſeniores Tribuum, qui authoritate ac dignitate reliquos antecedebant, ſponte reædificãdo Templo munera obtulere. * Grata admodùm Numini ſpontanea libatio. Ea præcipuè, quæ poſt acceptum beneficium, apparatur; nam quò magis vltronea eſt, eò innuit apertiùs, ex grato animo exoriri.] Ij quidem iuxta vires ſuas ad impenſas operis obtulerunt ſexaginta millia ſolidos ſupra mille quinquaginta minas, ſeu minas argenti, centum autem ſacerdotalia veſtimenta. * Quâ ſanè in oblatione fœminarum pietas innoteſcit, quæ manuum induſtria ſacra veſtimenta apparârunt.] E quidem *Solidus* erat ſexta vnciæ pars, indéque *ſextula* dicebatur, & ſeptuaginta duos ſolidi libram faciebant hæc enim duodecim

Grata Deo ſpontanea oblatio, poſt beneficiũ acceptum.

Fœminarum pietas ad ſacra veſtimẽta apparanda.

apud

apud Prouincias aliquas vncias continet. *Mna* verò, seu *Mina* Hebræa continet sicles sexaginta, id est, drachmas 240. vncias triginta, duas nimirum libras cum dimidia. Dicitur autem *Mna* vel *Mina* à verbo מנה *mana*, id est, *numerauit*. Sacerdotes igitur, Leuitæ, Cantores, & Ianitores, reliquarumque Tribuum filij & Nathinæi ad proprias accurrere Vrbes, inibi domicilium constituerunt, rursumque Israëliticus Populus efformatur.

CAPVT III.

Populo in Ierusalem conuocato, altare holocaustorum extruitur: in eo victimæ offeruntur: Tabernaculorum celebratur solemne, & Templi fundamina instaurantur.

1 IAMQVE venerat mensis septimus, & erant filii Israël in ciuitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Ierusalem. 2. Et surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Israël, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptū est in lege Moysi viri Dei. 3. Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt super illud holocaustum Domino manè & vesperè. 4. Fecerúntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis per ordinem secundùm præceptum, opus diei in die suo. 5. Et post hæc holocaustum iuge, tam in Calendis quàm in vniuersis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus vltrò offerebatur munus Domino. 6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porrò templum Dei nondum fundatum erat. 7. Dederunt autem pecunias latomis & cæmentariis: cibum quoque, & potum, & oleum, Sidoniis Tyriisque vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus rex persarum eis. 8. Anno autem secundo aduentus eorum ad templum Dei in Ierusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem, & constituerunt Leuitas à viginti annis & supra, vt vrgerent opus Domini. 9. Stetitque Iosue, & filij eius, & fratres eius, Cedmihel, & filij eius, & filij Iuda, quasi vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filij Henadad, & filij eorum, & fratres eorum Leuitæ. 10. Fundato igitur à cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suorum tubis: & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid regis Israël. 11. Et concinebant in himnis & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius: super Israël. Omnis quoque populus vociferabatur clamore, magno in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini. 12. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, eleuabant vocem. 13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamore lætantium, & vocem fletus populi; commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

COMMENTARII.

1. Altare ædificatur, sacrificia instituuntur.

VERS. 1.2.3.4.5. *Iámque venerat, &c.*] Hebræis igitur suis in Vrbibus iam commorantibus, Mensis septimus, quem Hebræi *Tizri* appellant, & ferè nostro septembri respondet, aduentauit: omnésque ad vnum apud Ierosolymam congregantur. Porrò Iosuë seu Iesus filius Iosedech, qui eo tempore erat summus Sacerdos, reliquis Sacerdotibus comitantibus: & Zorobabel filius Salathiel ex Tribu Iuda gentis suæ politicus Princeps *fratrésque* seu Contribules eius surrexere Altare Dei Israël ædificaturi, vt in eo holocaustomata iuxta Mosis præscripta libarentur. * Profectò non solùm ad Ecclesiasticos Præsules attinet Sacra promouendi studium, sed & seculares Principes debent impensè procurare Sacrorum promotionem, quæ quidem ad sæcularem prosperitatem promouendam maximè conferunt. Porrò Altare exædificatum supra bases collo-

Curent Principes, spiritualia promouere, vt sæcularis prosperitas promoueatur.

R.P. de Escob. & Mendoz. in Paralipom. lib. III.

cauerunt, holocaustúmque Domino, seu iuge sacrificium, quod manè ac vesperè offerri præscribebatur Num. 28. 3. fideliter obtulerunt. Dum autem altare appararetur, Hebræi à circumiectis gentibus Samaritis præcipuè armis deterrebantur, queis adnitebant, ne excitaretur Arca, & Dei Israël cultus excitaretur. * Scie-

Totam prosperitatem Regni ex legis obseruatione profluit.

bant enim totam Hebræorum prosperitatem ex Dei obsequio, legísque obseruatione profluere.] Septimo verò mense aduentante, solemnitatem Tabernaculorum instauratunt septem diebus holocaustalibantes, *secundùm præceptum opus diei in die suo*, id est, diebus singulis gessere quod eo die iuxta legem Leuit. 23. faciendum erat, tot hostias offerendo, & eo modo, quo iuxta præscriptionem oportebat. * Vt

In operibus iustis non solùm substantia, sed modus attendendus.

enim opus gratum sit Numini, non solùm substantia, sed modus à lege præscriptus adhibendus, ne ex defectu exiguo magnum opus vitietur.] Profectò ab hoc mense septimo restitutus est ritus sacer sacrificiorum, & deinceps cursum sum tenuit, vt scilicet temporibus suis, siuè Calendæ essent, siuè aliæ solemnitates, seruaretur lex Sacrificiorum à Mose præscripta.

Qui ex lex est, Deiparæ libet obsequium, & mox legis obseruationem imbit.

* Cum autem pondero à Tabernaculorum solemnitate obseruata, initium duxisse aliorum rituum obseruationem, Tabernaculi sacerrimi Dei, seu Dei patentis, recordor fantis, *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Verùm ab hoc Tabernaculo celebrato, seu à cultu ac deuotione Deiparæ rutilat nostræ rectæ operationis initium. Cùm ergo abstractum te à legis obseruatione videris, ad celebrationē huius Dei Tabernaculi te confer, facillimè dein legis inibis obseruationem.] In iis, ergo diebus, qui

Vt tot beneficijs gratus ostendaris, obligatorijs operibus vltronea adijcias.

erant festiui, & sacri in Dei honorem sacrificia præscripta offerebant, & in aliis diebus *vltrò* munus Domino, id est, ex pietate priuatâ litabatur. * Nam cùm Dei exuberant beneficia, æquum est, vt non sufficiat obligatorum obsequium, sed vltronea gratitudinis opera exponantur.]

2. Templum reædificatur.

Vers. 6.7.8.9. *A primo die, &c.*] Itaque à prima die mensis septimi holocaustum Domino libare cœperunt. Templum autem Dei nondum erat reædificatum. Artificibus ergo impendere pecunias: cibum quoque, potum, & oleum Sydoniis, ac Tyriis constituere, id est, fructus terræ triticum, vinum, ac oleum loco pretij immiserunt, vt è libano ad mare Ioppe ligna cedrina deportarent iuxta Regis Persarum Cyri præscriptum. Eis enim imperauerat Cyrus, vt Hebræis monentibus cedrina ligna deferrent ad portum Ioppis, qui Ierosolymæ vicinus, etiamnum totius Palæstinæ est celeberrimus. Anno igitur secundo post aduentum Hebræorum in Ierosolymitanum Templum attritum ex hostium ac temporum iniuriâ, mense secundo, Zorobabel filius Salathiel filij Iechoniæ Regis Iuda, qui erat supremus Princeps politicus, & Iosuë filius Sosedec filij Saraiæ summi Pontificis occisi à Nabuchodonosore 4. Reg. vlt. qui erat Ecclesiasticus summus, in Iudæâ, nepos quidem Esdræ ex fratre: & reliqui Sacerdotes & Leuitæ, cunctique aliarum Tribuum, qui è captiuitate Ierosolymam ascenderant, cœperunt constituere Leuitas à viginti annis & supra, qui reædificantibus Templum artificibus præsiderent, *vrgerentque opus Domini*, id est, artifices ad festinantiam operúmque perfectionem adhortarentur. * Ecclesiasticorum enim, qui sæculares debent feruore deuotione præcellere, agnatum est, opera ad Dei cultum spectantia promouere. Ideò Pontifex summus ac Princeps politicus non sæculares Præpositos, sed Leuitas ad id munus elegerunt.] Porrò Princeps Iosuë non ideò sese ab hoc officio exemit, ipse enim ac filij eius, & contribules, Cedmihel vir nobilissimus ac filij eius, & cuncti Tribus Iuda filij *quasi vir vnus*, siue omnes ad vnum Leuitis filiis Henadad eorúmque posteris, & aliis Leuitis, quibus iniuncta fuerat cura præsidendi artificibus, colligantur, vt eorum instantia Iarhomi, ac cœmentarij, reliquique operarij feruenter operibus insudarent. * Haud miteris, Zorobabelem Hebræorum supremum Principem Templi opera vrgere, è quo quidem Imperij prosperitas exurgit, Dum enim Rex Delubro fundamina apponit, aut reficit, Regno adhibet fundamenta, ne corruat.]

Ecclesiasticis viris agnatis, Dei opera promouere.

Dum Rex Templi fundamina apponit, aut reficit, Regno adhibet firmamenta, ne corruat.

Vers. 10.11.12.13. *Fundato igitur, &c.*] Dum autem Templum fundatum (à cœmentariis, seu fundamina attrita refecta essent, Sacerdotes suo ornatu seu vestimentis inducti sacris tubis vtentes, & Leuitæ filij seu posteri Asaph cymbalis, surrexere, vt Dominum *per manus Dauid*, siue per opera Dauidis, Psalmos scilicet à Dauide compositos, & instrumenta musica ab eodem Rege concinnata collaudarent. * Et quomodo poterat illud opus magnum prosperè exurgere, nisi precum instantia operariorum manibus dexteritatem adhiberet.] Illi itaque in hymnis, ac *confessione*, seu laude Domino concinebant: *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, super Israël.* Videtur alludere ad Psalmum 135. cuius initium, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*, in quo vicies & septies repetitur, *Quoniam in æternum misericordia eius.* Omnis simul populus vociferabatur ingenti clamore, Domino laudes attribuens, eo quod Templi fundamina essent iam instaurata. Fundamenta quidem, nam superstructio impedita fuit, vt Cap. sequenti videbimus. Cæterùm diuersus tunc ex pietate prodit affectus. Nā plurimi de Sacerdotibus & Leuitis, Principes multi, ac seniores, qui prius Templi celeberrimi ante captiuitatem gloriam aspectarant, & cadauer hoc eius eorum oculis exponeretur, magno eiulatu flebant. Multi verò alij diffluentes lætitiâ, vociferabantur ex fundaminum refectione. Itaque illi flebant, propterea quod initia huius ædificij pristinæ amplitudini, ac maiestati Templi prioris non responderent. * Flebant quoque, vestigia calamitatum prælapsarum, quæ se vndique in oculos ingerebant. Destructio enim Templi obiecta oculis omnium calamitatum erat epilogatio.] Lætabantur nihilominus alij de tam felici rerum mutatione: de propensa tanti Monarchæ erga se voluntate, ac beneficentiâ: de Templo Domini iam quasi reuiuiscente: &, quod caput est, de diuino Numine sibi reconciliato. Tot ergo animi motus maximum excitabant populi clamorem, gemitu, lacrymis, lætitiâ, & iubilo confusum. Nec poterat quisquam dignoscere, quænam vox ab exultantibus, & quænam à flentibus ederetur: commixtim namque populus flens & exultans vociferabatur tanto clamore, vt vox procul exaudiretur. * Vides ex vnico obiecto gaudium

Omne opus egregium exoratione prosperitatem haurit.

Destructio Templi oculis obiecta omnium calamitatum epilogatio est.

In gaudio la-

ac

Gemis sæpè gaudium inuenitur.

ac mœrorem iubilum ac lacrymas ortum habere. Nè credas motiuo exultationis, inibi enim latitat lacrymarum occasio. Nec te tristia nimium afficiant, fortè enim sub lacrymarum vndâ lateſcit hilaritas.]

CAPVT IV.

Præfectos Regios Samaritani inducunt, vt Templi, Vrbisque Ieroſolymitanæ inſtaurationem impediant. Qui quidem obtento à Cambyſe Cyri ſucceſſore reſcripto, illam imperant intermitti.

1. AVDIERVNT autem hoſtes Iudæ & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino Deo Iſraël: 2. & accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum, dixerunt eis: Ædificemus vobiſcum, quia ita vt vos, quærimus Deum veſtrum: ecce nos immolabimus victimas à diebus Aſor Haddan regis Aſſur, qui adducit nos huc. 3. Et dixit eis Zorobabel, & Ioſue, & reliqui principes patrum Iſraël: Non eſt vobis & nobis vt ædificemus domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus rex Perſarum. 4. Factum eſt igitur, vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando. 5. Conduxerunt autem aduerſus eos conſiliatores, vt deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & vſque ad regnum Darij regis Perſarum. 6. In regno autem Aſſueri, in principio regni eius, ſcripſerunt accuſationem aduerſus habitatores Iudæ & Ieruſalem. 7. Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithidates, & Thabeel, & reliqui, qui erant in conſilio eorum, ad Artaxerxem regem Perſarum: epiſtola autem accuſationis ſcripta erat Syriacè, & legebatur ſermone Syro. 8. Reum Beelteem, & Samſai ſcriba, ſcripſerunt epiſtolam vnam de Ieruſalem Artaxerxi regi, huiuſcemodi: 9. Reum Beelteem, & Samſai Scriba, & reliqui conſiliatores eorum, Dinæi, & Apharſathachæi, Terphalæi, Apharſæi, Erchuæi, Babylonij, Suſanechæi, Dieui, & Ælamitæ, 10. & cæteri de Gentibus, quas tranſtulit Aſenaphar magnus & glorioſus: & habitare eas fecit in ciuitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans Flumen in pace: (11. Hoc eſt exemplar epiſtolæ, quam miſerunt ad eum) Artaxerxi regi, ſerui tui, viri qui ſunt trans Fluuium, ſalutem dicunt. 12. Notum ſit regi, quia Iudæi, qui aſcenderunt à te ad nos, venerunt in Ieruſalem ciuitatem rebellem & peſſimam, quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes. 13. Nunc igitur notum ſit regi, quia ſi ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius inſtaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vſque ad reges hæc noxa perueniet. 14. Nos autem memores ſalis, quod in palatio comedimus, & quia læſiones regis videre nefas ducimus, idcircò miſimus & nuntiauimus regi, 15. Vt recenſeat in libris hiſtoriarum patrum tuorum, & inuenies ſcriptum in commentariis: & ſcies quoniam vrbs illa, vrbs rebellis eſt, & nocens regibus & prouinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem & ciuitas ipſa deſtructa eſt. 16. Nuntiamus nos regi, quoniam ſi ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipſius inſtaurati, poſſeſſionem trans Fluuium non habebis. 17. Verbum miſit rex ad Reum Beelteem, & Samſai Scribam, & ad reliquos qui erant in conſilio eorum habitatores Samariæ, & cæteris trans Fluuium, ſalutem dicens & pacem. 18. Accuſatio, quam miſiſtis ad nos, manifeſtè lecta eſt coram me. 19. & à me præceptum eſt: & recenſuerunt, inueneruntque, quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduerſum reges rebellat, & ſeditiones, & prælia concitantur in ea: 20. nam & reges fortiſſimi fuerunt in Ieruſalem, qui dominati ſunt omni regioni, quæ trans Fluuium eſt: tributum quoque & vectigal, & redirus accipiebant. 21. Nunc ergo audite ſententiam: Prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur, donec ſi fortè à me iuſſum fuit. 22. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim creſcat malum contra reges. 23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum eſt coram Reum Beelteem, & Samſai Scriba, & conſiliariis eorum: & abierunt feſtini in Ieruſalem ad Iudæos,

prohibuerunt eos in brachio, & robore. 24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem; & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.

COMMENTARII.

I. Samaritæ fatagunt Templi & Vrbis Ierosolymitanæ instauratione impedire.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Audierunt autem, &c.*] Non fuit diuturna de huiusce valle lacrymarum more, Hebræorum exultatio, Audiere enim Samaritani hostes Tribus Iudæ, ac Beniaminiæ, filios captiuitatis, siue Hebræos, qui è captiuitate ascenderant, Templum Domino Deo Israël reædificare, Vrbémque Ierosolymam instaurare, cupientes eorum conamina infirmare: accessére ad Zorobabelem, & ad seniores Tribuum, eisque sic affantur: Obsecrat finitimum Samaritanorum genus, vt liceat exædificationem hanc Templi, & Vrbis nostra simul manu geri, quia etiam sumus Dei vestri cultores, eique victimas litauimus à diebus Asor Haddan Regis Assur filij Sennacherib, qui quidem Asor vltimus Assyriorum Princeps hûc adduxit nos, hacque habitatione donauit, paulò post decem Tribuum captiuitatem. Respondent Samaritanis Zorobabel, Iosuë, reliqui Principes Tribuum Esdræ ex ore, Non est nobis ac nobis quidquam commune in huiusmodi fabrica. Ideò ad nos solos spectat domum Domino ædificare, instauratéque Vrbem quemadmodum nobis Rex Cyrus imperauit. Dixerat quippè Rex in edicto: *Quis est in vobis de vniuerso populo eius.* Cap. 1. 3. Itaque populo Israëlitico exædificandi Templi cura demandata est, non autem aliis. Cur noluere Iudæi à Samaritanis iuuari? An verebantur, nè quid forsan illi, vt iurati hostes, seu doli, seu damni admiscerent? * Hostibus nec quum pietatis prætextum exponunt, fidendum est.] Annè posteà vel sibi Templum quasi à se constructum vindicarent, vel eo sacrificulos suos, & idola introducerent? * O quotiens impietas prætextu pietatis sibi ad irruendum præparat ostium!] Anne iactarent, Samaritorum operis, & impensis Templum Iudæorum assurexisse? * Christiani edocentur cum hæreticis vitare commercium omni in re, quæ religionem, aut cultum Dei concernit.] Verùm cùm non succederet simulationis artificium, *populi terræ*, id est Samaritani aliam tentarunt viam, qua instaurationem Templi de facto præpediuere. Nempè pretio ac muneribus *consiliatores* conduxerunt, id est Præfectos Regios, (de quibus à vers. 7.) seu Præsides Prouinciarum, ac quæstores, vt non nisi tardè & malignè sumptus subministrarent: Atque ità variis fraudibus, quandiù Cyrus, quem sciebant operi fauere, in viuis esset, remorati sunt fabricam vsque ad Darij Regis Persarum tempora. Vbi ergo mortuum accepere Cyrum, aperto Marte sese oppositere Iudæis, datis ad Cambysem Cyri filium, & successorem accusatoris literis, ab eo rescriptum extorquere conantur, quo Iudæi ab omni fabrica supersedere iuberentur.* Aiebat aliquis, *Regis ad imperium totus componitur orbis.* Iam verius clamitarim Ministrorum ad placitum omnia turbantur ac immutantur Regis imperia: cum video, Cyro viuente, eius à Præfectis contemni præscripta.] Itaque initio Regni Assueri seu Cambysis, aut Artaxerxis aduersus Iudæ, Ierosolymæque habitatores accusationem scripsere. Porrò *Assuerus* Chaldaicè, *Artaxerxes* Persicè vocabatur *Cambyses.* Erátque commune omnium Regum gẽtium istarum nomen; sicut Ægyptiis *Pharao*, & Romanis Imperatoribus *Cæsar*, & *Augustus.* Id colligo tum ex hoc Cap. Esdræ, tum ex Cap. 1. Est. 1. collato cum 13. 1. & 16. 1. Facilè verò fuit, extorquere à Cambyse inhibitionem fabricæ, quia is non amabat Iudæos. * Cur autem non diligeret! Certè quia filius hæres, præsertim mortuo parente, nihil minùs curare assolet, quàm recta patris exempla obliuioni tradere.] Quare autem, viuente adhuc Cyro, non recurrerunt Iudæi ad ipsum, quem scirent ei operi extremè fauentem esse? Quia Cyrus temporis Vrbe Regiâ & domo aberat, bellóque partim contra Lydos, qui iam secundò rebellabant: partim contra Massagetas, & Scythas, vbi & periit, occupatus perpetuò fuit. Sic Iosephus. * Addiderim, ausos non esse Iudæos, corruptis pretio Regiis præpositis, ad Regem recurrere. Parum enim proficere assoler ad Regem accessus, vbi Ministri iniquè affecti deprehenduntur.]

Hostibus nũquam fidendum.

Impietas pietatis prætextu ostium sibi præparat.

Christiani edocentur, vitare cum hæreticis commercium in omni re, quæ ad Dei cultũ pertinet.

Ministrorum Regis ad placitum Regis imperia disturbantur.

Hæres filius, mortuo parẽte, eius exempla pia obliuioni tradit.

Parùm proficit ad Regem recursus, vbi Ministri, iniquè affecti exponuntur.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15.16. *Et in diebus, &c.*] Cùm igitur imperium Cambysis, seu Assueri, seu Artaxerxis inchoaretur. Beselam Mithridates, & Thabeel, & eorum consiliarij ad Artaxerxem literas immiserunt. Hæc autem epistola continens contra Iudæos accusationem Syriaco idiomate erat scripta, & à callentibus Syram linguam solummodò legi poterat. *Reum Beelteem*, itaque, siue Regius *rationis Præfectus*, seu *sapientiæ Magister* (*Beelteem* enim nomen est officij.) & Samsai Scriba, reliquique eorum consiliatores Artaxerxi Persarum Regi è Ierosolymâ vnam epistolam hoc tenore scripsere. Titulus Epistolæ erat eiusmodi, Hæc conscribunt Magister sapientiæ, ac Samsai Regius Scriba, & reliqui consiliarij ex nomine Dinæorum, Apharsathachæorum, Terphalæiorum, Apharsæiorum, Erchuæiorum, Babyloniorum, Susanechæiorum, Dieuiorum, Elamitarum, & cæterorum è gentibus quas transtulit *Asenaphar* (siue Assar-Addon de quo v. 1. vel Sennacherib, aut alius de parentibus illius) magnus, & gloriosus Princeps seu Rex Assur; eásque in Samariæ ciuitatibus, & in reliquis regionibus trans flumen Euphratem, fecit in pace commorati. Porrò hoc est exemplar tenoris Epistolæ, quam præfati Regij Ministri Samaritanorum ad Regem immiserunt ex nomine: Artaxerxi Regi serui tui, viri quidem qui trans flumen Euphratem commorantur te iubent salutari. Certior fias ô Rex, Iudæos, qui ascenderunt *à te ad nos*, id est, à Babylonis, & Persidis regionibus, in quibus tu nunc imperas, Ierosolymam Ciuitatem à cunâ rebellem, ac pessimam iniisse, quam reædificant, muros extruentes, parietes innouantes ac reficientes, vt de-

2. Tenor epistolæ à Præfectis ad Artaxerxẽ contra Iudæos immissæ.

mortua

mortua rebellio reſurgat è cinere. Notum igitur tibi ſit, ô Princeps, Ciuitatis Ieroſolymæ excitationem noxiam admodùm vel Regi futuram, incolæ enim eius roboratæ Vrbis præſidio fulti, tributa, vectigalia, alioſque annuos redditus denegabunt. *Nos autem memores ſalis, quod in palatio comedimus*, ſeu non obliti, nos educatos eſſe in regia apud te, à quo etiam multis ornati beneficiis fuimus: nefas ducimus Regis aſpectare læſiones, quas fideles poſſumus infatuare. Idcircò haſce literas immiſimus vt te moneremus ad Libros hiſtoriarum patrum tuorum Cyri, Darij, Medi, & Aſtyagis accurrere: & aliorum Regum Aſſyriorum, nempè Salmanaſaris, & Sennacheribi; & Chaldæorum, ſcilicet Nabuchodonoſoris Babilonij Commentaria euolue: & inuenies in eis exaratum, Vrbem hanc nunquam non rebellem extitiſſe, ſemper Regibus, ac Prouinciis fuiſſe noxiam; ex cáque horribilia bella ortum habuiſſe, vti priſtinæ prædicant ætates: quamobrem à Regibus id agnoſcentibus tot ſumptibus, tot periculis diù Ciuitas deſtructa coniacuit. Rurſum nunciamus Regi, qui impenſiùs Iudæorum percallet ingenia, quod ſi Ieroſolyma rurſum aſſurgat, eiúſque muri reficiantur, poſſeſſione, qua frueris trans Iordanem, minimè potieris. Hinc primò annotarim, Iudæos non modo Templum, ſed & Vrbem ſimul inſtaurare cœpiſſe iam indè à Cyri temporibus. * Et quomodo poterant dare operam Templi inſtaurationi, quin ſimul Vrbem reficerent, & innouarent. Templo enim oblata obſequia non poſſunt non in Vrbis ac ciuium commoda refluere.] Secundò non fuiſſe Iudæos è captiuitate emergentes prorſus liberos, & ſui iuris; ſed tributarios, ac vectigales Perſarum Regibus. * Nimia enim, tributorum exactio quid niſi captiuitas?] Tertiò, à *ſale ſalarium* dictum eſſe: quæ vox in Plinio frequens. Ac ſi dicerent aulici illi, *Memores ſalarij*, quod à te accepimus, curamus tuis commodis prouidere. * Quàm ingratus ille, qui ſalarij ex memoria non ſemper erga dominum à quo accepit, afficitur]

Dum Templi reficitur, Ciuitas innouatur. Obſequium enim Templo exhibitum ciuitem refluit incommoda.

Nimia tributorum exactio, captiuitas eſt.

Ingratus qui non afficitur ſemper erga dominum, à quo ſalarium accepit.

3. Artaxerxis reſponſio.

Verſ. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Verbum miſit, &c.*] Profectò Artaxerxes *verbum miſit*, ſiue reſponſum dedit ſapientiæ Præpoſito, Samſai Scribæ, & conſiliariis, Samariam incolentibus: nec non cunctis Samaritanis trans Euphratem habitantibus, quorum illi ex nomine ſcripſerant; Hæc epiſtolæ inſcriptio: *Reum, Beelteem* ſeu Præfecto ſapientiæ, Samſai Scribæ, conſiliatiſque eorum Samariæ habitatoribus, nec non reliquis trans flumen Euphratem incolentibus ſalus, & pax. Tenor autem Epiſtolæ ſic ſe habet: Coram me lecta eſt, quam miſiſtis, epiſtola continens Iudæorum accuſationem, & iuxtà ſalutaria illius monita, *à me præceptum eſt*, vt ſcilicèt conſulerentur veteres hiſtoriæ: quibus euolutis, illi, queis hoc munus iniunxi, inuenerunt, Ciuitatem Ieroſolymam à diebus antiquis Regibus extitiſſe rebellem, fuiſſéque ſeditionum ac præliorum ſcaturiginem. Nam & Reges fortiſſimi in Ieroſolyma imperarunt, qui dominati ſunt omni regioni, quæ adiacet trans fluuium Euphratem, tributúmque ac vectigal ab incolis accipiebant. (Hoc quidem Dauidi & Salomoni conuenit, præterea nemini.] Igitur ſententiam attendite: Vitos illos à reædificandis muris auertite, *donec ſi fortè à me iuſſum fuerit*, id eſt niſi fortè mutato conſilio, aliud libeat ſtatuere. * Nihil enim faciliùs immutatur quàm conſilia, aut decreta politica.] * Hinc laudabilis Aſſuerus. Reges enim ſic debent decreta præſcribere, vt ſemper pateat aditus rationi, quæ poſſit immutare iudicium.] *Videte*, (adiicit) ne præceptum hoc negligenter impleatis, vndè contra Reges hoc malum accreſcat. Nam Ieroſolymæ ſuſcitatio non ſolùm mihi, ſed Regibus ſucceſſoribus inferet nocumenta. Profectò Artaxerxis edictum lectum eſt in conſpectu Præfecti ſapientiæ, Samſai Scribæ, ac conſiliariorum: vt autem executioni mandarent, feſtinato curſu ad Ieroſolymam deuenere, Iudæoſque prohibuerunt ab incœptâ Vrbis reædificatione *in brachio, & robore*, ſeu vi adhibitam, Regio vrgente præcepto, aut decreto, cui repugnare non poterant. Igitur brachium illud, & robur Regium erat edictum, cui adhuc poſt captiuitatem infirmi tunc haud auſi ſunt repugnare. * Et quidem fidelibus ſubditis nudum decretum Regis brachium & robur eſt, quo ad quæque difficilia & aduerſa adducuntur.] Tunc itaque Templi Domini ſuſcitatio, Vrbiſque refectio intermiſſa eſt vſque ad annum ſecundum Darij Perſarum Principis.

Decreta politica facilè immutantur.

Reges non debent ita primo hæreſcere iudicio, vt nõ poſſit id ratio immutare.

Fidelt ſubdito Regis decretum brachiũ, & robur eſt, quoad quæque difficilia ducitur.

CAPVT V.

Aggæi & Zachariæ Prophetarum hortatu Iudæi ſub Dario Rege Templi inſtaurationem repetunt. Darius autem à Præfectis Regijs trans Iordanem conſulitur, an bonâ illius veniâ id valeat permitti.

1. PROPHETAVERANT autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Ieruſalem, in nomine Dei Iſraël. 2. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Ioſue filius Ioſedee, & cœperunt ædificare templum Dei in Ieruſalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos. 3. In ipſo autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans Flumen & Stharbuzanai, & conſiliarij eorum: ſicque dixerunt eis: Quis dedit vobis conſilium vt domum hanc ædificaretis, & muros eius inſtauraretis? 4. Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina hominum auctorum ædificationis illius. 5. Oculus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenex Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuitque vt res ad Darium referretur, & tunc ſatisfacerent aduersùs accuſationem illam. 6. Exemplar epiſtolæ, quam miſit Thathanai dux regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & conſiliatores eius Arphaſachæi, qui erant trans Flumen, ad Darium regem. 7. Sermo, quem miſerant ei, ſic ſcriptus erat: Dario regi pax omnis. 8. Notum ſit regi, iſſe nos ad Iudæam prouinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: opúſque illud diligenter extruitur, & creſcit in manibus eorum. 9. Interrogauimus ergo ſenes illos, & ita diximus eis: Quis dedit vobis poteſtatem, vt domum hanc ædificaretis, & muros hos inſtauraretis? 10. Sed & nomina eorum quæſiuimus ab eis, vt nunciaremus tibi: ſcripſimúſque nomina eorum virorum, qui ſunt principes in eis. 11. Huiuſmodi autem ſermonem reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſerui Dei cœli & terræ, & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quódque rex Iſraël magnus ædificauerat, & extruxerat. 12. Poſtquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres noſtri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc deſtruxit, & populum eius tranſtulit in Babylonem. 13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis; Cyrus rex propoſuit edictum vt domus Dei hæc ædificaretur. 14. Nam & vaſa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo, quod erat in Ieruſalem, & aſportauerat ea in templum Babylonis, protulit rex de templo Babylonis, & data ſunt Saſſabaſar vocabulo, quem & principem conſtituit, 15. dixítque ei: Hæc vaſa tolle, & vade, & pone ea in templo, quod eſt in Ieruſalem, & domus Dei ædificetur in loco ſuo. 16. Tunc itaque Saſſabaſar ille venit & poſuit fundamenta templi Dei in Ieruſalem, & ex eo tempore vſque nunc ædificatur, necdum completum eſt. 17. Nunc ergo, ſi videtur regi bonum, recenſeat in bibliotheca regis, quæ eſt in Babylone, vtrumnam à Cyro rege iuſſum fuerit vt ædificaretur domus Dei in Ieruſalem, & voluntatem regis ſuper hac remittat ad nos.

COMMENTARII.

1. Monitu Prophetarũ Iudæi Templũ reficere perſequuntur.

VERS. 1.2.3.4.5. *Prophetauerunt, &c.*] Porrò Aggæus & Zacharias Addo filius anno ſecundo Darij Hyſtaſpis Perſarum Regis *prophetauerunt*, ſeu Deo inſpirante, hortati ſunt populum, vt fabricam Templi ſub Cambyſe, ſeu Artaxerxe intermiſſam animosè reſumerent, ac ſtrenuè promouerent. Conciones, & argumenta; quibus ad id vſi ſunt, extant in prophetiis eorumdem Aggæi & Zachariæ *filij*, id eſt, nepotis Addo; nam Zacharias erat filius Barachiæ filij Addo. Phraſi enim Hebræa omnes nepotes *filij* vocitantur. Mat. 11. Iudit. 8. 1. Auditis ergo Prophetarum monitis, Zorobabel filius Salathiel Princeps politicus, & Ioſue filius Ioſedec ſummus Eccleſiaſtes Propheris adiuuantibus cœperunt Templo Dei Ieroſolymitano reædificando operam dare. * Preme illud: *Et cum* *Prædicatorũ*

aut Præsulum cum eis Prophetæ adiuuante eos. Nec tantùm pondideris Prophetarum dicta obtinerent, ni ipsorum exempla præcederent. Eorum prædicatorum, eorum Præsulum dictamina libenter admittuntur, quæ cum operibus colligantur.]

dictamina libenter admittuntur, quæ cum operibus colligantur.

Ad diuina promouenda, oportet aliquando, ad humana recurrere.

Profectò Iudæos priùs à Rege Dario facultatem impetrasse, quàm operi incumberent, ex 3. Esd. 3. & 4. n. 47. & deinceps colligitur. * Prudenter quidem. Nam ad diuina promouenda, oportet ad humana aliquandò recurrere.] Dum autem ferueret opus accèssere ad Principem Zorobábelem, Iesum Sacerdotem summum, & Prophetas vir nomine Thathanai qui trans Fluuium Euphratem Darij Regis vices agebat, & Sthárbuzanai Scriba, ac consiliarij eorum, eisque dictitarunt: Quisnam dedit vobis *consilium*, seu hortatus est, vt Templum excitare persequeremini, Vrbisque muros reficere, & instaurare? Responderunt Iudæi Proceres, id actum fuisse Prophetarum Aggæi, ac Zachariæ monito. Certè Præfecti Regij nomina auctorum ædificationis petebant, vt ea imitterent ad Darium. Nec ausi fuere inhibere progressum operis vi edicti Cambysis, quia is iam abierat, & incertum erat, quâ mente esset eius successor Darius, quem fortè inaudierant plusculum fauere Iudæis. Sed super omnia *Oculus Dei*, id est, diuina prouidentia, fauor, & auxilium factus est super senes Iudæorum, eas roborans ad opus incœptum, Regiósque Præfectos impediens, nè possent eos inhibere, * Nam cùm ex præscripto Domini opus instituitur, ipse ad progressus opitulatur.] Aptè verò rogitant, *Quis dedit vobis consilium*, non curantes executorũ nomina perquirere. Nam si vlla inibi culpa esset, consiliariis esset solummodò adscribenda. * Vnde edisces, quàm Deo inuisus, qui prauum consilium impertit: quàm ipsi gratus, qui bonum exponit: siquidem tota actio exequentis consiliario est attribuenda.] Mirabar aliquando Præfectorum horum cæ Regalium ergà Hebræos benignitatem, cùm recordabar priorum illatas iniurias. Attamen iam non miror recolens, priores illos Præfectos conuentos fuisse & corruptos pecunia à Samaritanis: hos minimè, vnde nullam habuere peculiarem causam, cur se se Iudæis hostiliter opponerent. Vndè nec in scribendo quidem ad Regem nocere noluerunt progressui operis, contenti solam Regis mentem inquirere. * Vt ediscant, qui ad superiores scribunt, nudam sine exaggerationibus subditorum culpam aut certam aut dubiam referendam.] * Hinc etiam edisces, quàm potens apud Magistratus aurum rutilet, si pretio adhibito priores vides Præsides sæuire in Iudæos, posteriorum verò manus vacuas non solùm non exeri ad opus impediendum, verùm vix posse calamum, ad scribendam epistolam non accusatoriam, sed monitoriam, ducere.] Verùm Darius hic non fuit *Mothus* ille sextus à Cyro Rex Persarum, vt voluere sulpitius & Scaliger, sed Darius Hystaspis filius tertius à Cyro, & Cambysis, ac Smerdis Magi (qui tantùm septimestri præfuit) successor, vt melius asseruit Eusebius. Placuit itaque Darij Præfectis, vt res ad Regem deferretur, vt conuenti Iudæi, *aduersus accusationem illam satisfacerent.* In Hebræo est, *Tunc ergo responderunt per epistolam super his.* Sic Pagninus, * Quomodò Iudæi respondeserunt per epistolam *tunc*, cum epistola aduersus illos ad Regem immittebatur? Certè quia accusatio aduersus innocentem ipsius assolet esse defensio; vnde tunc respondent innocentes Iudæi, cum accusantur, tunc emittunt epistolam excusatoriam & satisfactoriam, cum accusatoria epistola contra ipsos immittitur; quia epistola accusans innocentiam, illam prorsus excusat.]

Cùm ex obedientia opus incipitur, Deus iuuat ad progressum.

Consiliario bono, aut malo totum vitium aut virtus attribuitur.

Qui ad Superiores scribunt de subditis, sincerè sine exaggerationibus culpam annotent.

Potentissima est apud profanos Iudices pecunia.

Cùm innocentia accusatur; tunc excusatur.

2. Epistola immissa ad Datium à Præfectis circà Templi extructionem.

Vers. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Exemplar epistolæ, &c.*] Equidem hoc est exemplar epistolæ, quam Thathanai Dux regionis trãs flumen Euphratem, Sthárbusanai & Consiliarij eorum Arphasachæi, habitatores plagæ illius, ad Regem Darium immisere. Loco verbi illius, *Consiliatores eius* in Hebræo habetur, *Socij eius*, Quid sociis cum consiliatoribus? * An quia eo ipso, quo quis se se alij socium adhibeat eius cõsiliarius est, quia actiones socij mei sunt mihi quasi consilia ad eadem opera præstanda?] * An quia socios vrget monendi, consiliáque adhibendi obligatio?] * An quia consiliarij dignitate præfulgens, debet quasi socius omnium subditorum se gerere?] * An vt monentur Consiliatores, debere salutaria cõsilia exponere, qui ex societate commodi aut incommodi debent fieri posteà participes? Ita planè. Epistola igitur sic erat exarata: Omnis Regi Dario pax. Te, ô Rex, certiorem facimus nostras ad ad aures peruenisse Templum Iudæorum instaurari, Vrbem Ierosolymam contra edictum Artaxerxis refici. Mox ad Iudeæ Prouinciam haud omninò credentes auditui, perreximus oculati futuri testes, vidimúsque Templum Dei magni Israëlitis impolitis lapidibus cõstrui, lignáque parietibus accommodari, ex materiæ autem ac formæ commoditate, artificúmque, vrgentibus Proceribus Iudæis, diligentia nimium opus accrescit. Libuit seniores illos interrogare: A quonam consilium, à quonam facultatem accepistis Templum ædificandi, Vrbem reficiendi? Cæterùm & nomina ab illis requisiuimus eorum, qui apud illos sunt Principes: quæ quidem scripsimus, vt tibi nunciaremus. Nobis autem seniores responderunt: Nos sumus serui Dei cœli & terræ, reficimúsque, & instauramus Templum, quod multos ante annos à Rege magno Salomone fuerat extructum. Postquàm verò patres nostri infecti piaculis cœleste Numen ad iracundiam excitauerunt, eos Nabuchodonosoris Regis Babylonis emisit in manus, Templum destrui permisit, electúmque populum suum flagellandum dirè in Babylonem transtulit. Porrò primo anno Cyri Regis Babylonici, Deus noster benignitate diffluens cor attigit Regium, vt edictum proferret, quo Templum hoc exædificari præscribitur. Ad cuius ornatum, & obsequium vasa aurea & argentea sacerrima, quæ Nabuchodonosor è Ierosolymitano Templo abripuerat, & in Babylonicum delubrum deportauerat, nobis Cyrus restituit, ea è fano Babylonis proferens, & tradens Sassabafaro, quem Principem constituit, eique dictitauit: Hæc attolle sacra supellectilia, pergénsque, ea in Templi Ierosolymitani reliquiis appone, & illicò Dei Israëlis domus pristino in loco exædificetur. Regio accepto præscripto Sassabafar ille Ierosolymam ascendit, curauitque Templi innouari fundamina: & ex eo tempore vsque nunc sacerrima domus extruitur, nondum autem fabrica conscendit ad

Satur; tunc excusatur.

Actio socij est tibi quasi consilium idẽ operandi.

Socij debent socijs salutaria monita adhibere.

Superior tibi, sit velut æqualis.

Consiliarius sic consilium præstet, ac si particeps cõmodi, aut incommodi sit futurus.

vertì

verticem. Nunc igitur, Si Regi benignissimo libeat, recognoscat apud bibliothecam Regiam, quæ in Babylone exponitur, num à Rege Cyro fuerit imperatum, vt Templum Ierosolymitanum construeretur: & nos dignetur de suo, super hoc, placito certiores efficere. Epistolæ huiusmodi sententia. Quam perlegens, video, hoscè Præfectos fauisse Iudæis: & probabile iudicarim, eos de propensa Darij voluntate in Hebræos non dubitasse; sed politica prudentia etiam Samaritis hostibus eorum gratificari voluisse, vt hac de re tota ad Darium scriberent: sed tamen ita scriberent, vt Iudæorum causæ fauerent potiùs, quàm nocerent. Quod ex illa particula, *Ex eo tempore vsque nunc ædificatur*, confitmo. Intermissa quidem fuerat ædificatio, vt patet ex superiore Cap. 4. 23. sed ita scribunt Præfecti, vt Iudæis faueant. Facilius enim conceditur, vt ædificatio nunquam interrupta procedat, quàm vt repetatur ea, quam Rex edicto suo iussit omitti. Et ex illa, *Necdum completum est*. Hoc etiam Iudæis fauet: significatur enim, fabricam propemodum esse absolutam, ac proindè nullum esse incommodum, si ad fastigium perducatur. Difficultatem verò mihi ingerit verbum illud: *Quæ ædificatur lapide impolito*, loco cuius Varablus vertit, *Quæ ædificatur è lapide marmoreo*, & in Græco est, *Quæ ædificatur è lapidibus politis, & pretiosis*. Quomodo impoliti lapides & vulgares, si politi, marmorei, ac pretiosi? * An quia quantumuis pretiosa ac polita materia Templo ædificando apponitur rudis ac vulgarissimus lapis est, si sacerrimæ Dei domus dignitas appendatur?] Certè Vulgatæ lectionem veriorem existimo, quæ etiam repetitur Cap. 6. 4. & confirmari potest ex Cap. 2. prophetiæ Aggæi n. 2. vbi de huius Templi extructura agitur, comparatione Templi Salomonici, & fabrica Templi tempore Zorobabelis significatur fuisse contemptibilis, si cum veteri Templo conferretur. Vndè Templi Salomonici collatione lapides pretiosi ac politi huius Templi impoliti ac vulgares habendi. * Beatissima Virgo à Richardo Laurentino & aliis *Templum Salomonicum* appellatur. Quàm pulchrè! Nam si omnes Diui augustissima quidem Dei Templa ex lapidibus politis ac pretiosis cum Deipara Dei domo sacerrima comparentur, quasi è lapidibus impolitis ac vulgaribus constructi apparebunt.]

Vel pretiosæ ac politi lapides impoliti ac vulgares sunt, si Templi sacerrimæ dignitas spectetur.

Omnes Diui Dei Templa ex lapidibus impolitis constructi apparent, si cum Templo Dei Deipara cõparentur.

CAPVT VI.

Darius iubet, Regiis sumptibus Templum Ierosolymitanum perfici iuxta Cyri decretum. Perficitur, & cum exultatione, oblatis victimis Darij anno sexto dedicatur, Paschalisque celebratur solemnitas.

1. TVNC Darius rex præcepit: & recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone, 2. & inuentum est in Ecbactanis, quod est castrum in Medena prouincia, volumen vnum, talisque scriptus erat in eo commentarius: 3. Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolent hostias, & vt ponant fundamenta sustentantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta, 4. ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis: sumptus autem de domo regis dabuntur. 5. Sed & vasa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum in Ierusalem in locum suum, quæ & posita sunt in templo Dei. 6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans Flumen, Stharbuzanai, & consiliarij vestri Apharsachæi, qui estis trans Flumen, procul recedite ab illis, 7. & dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum, & à senioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco suo. 8. Sed & à me præceptum est, quid oporteat fieri à presbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei, scilicet vt de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans Flumen, studiosè sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus. 9. Quòd si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundùm ritum Sacerdotum, qui sunt in Ierusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. 10. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita regis, & filiorum eius. 11. A me ergo positum est decretũ: vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo, domus autẽ eius publicetur. 12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum qui extenderit manum suam vt repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Ierusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo. 13. Igitur Tharhanai dux regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & consiliarij eius, secundùm

quod

quod præceperat Darius rex, ſic diligenter executi ſunt. 14. Seniores autem Iudæorum ædificabant, & proſperabantur iuxta prophetiam Aggæi prophetæ, & Zacchariæ filij Addo: & ædificauerunt & conſtruxerunt, iubẽte Deo Iſraël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe, regibus Perſarum: 15. & compleuerunt domum Dei iſtam, vſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Darij regis. 16. Fecerunt autem filij Iſraël, Sacerdotes & Leuitæ, & reliqui filiorum tranſmigrationis, dedicationem Domus Dei in gaudio. 17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Iſraël duodecim, iuxta numerum tribuum Iſraël. 18. Et ſtatuerunt Sacerdotes in ordinibus ſuis, & Leuitas in vicibus ſuis, ſuper opera Dei in Ieruſalem, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi. 19. Fecerunt autem filij tranſmigrationis, Paſcha quartadecima die menſis primi. 20. Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ quaſi vnus: omnes mundi ad immolandum Paſcha vniuerſis filiis tranſmigrationis, & fratribus ſuis Sacerdotibus, & ſibi. 21. Et comederunt filij Iſraël, qui reuerſi fuerant de tranſmigratione, & omnes, qui ſe ſeparauerant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Iſraël. 22. Et fecerunt ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Aſſur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Iſraël.

COMMENTARII.

1. Tenor decreti Cyri in Bibliotheca inuenti.

VERS. 1.2.3.4.5. *Tunc Darius, &c.*] Quilibet planè reus quantumuis, feliciter hominis affecti ad ipſum cadit in linguam, vel calamum. Iudæorum cauſa iuſta admodum à malè affectis Præſidibus grauem vertitur in culpam: à benè autem affectis ita deſcribitur, vt laudabilis exponatur.] Ergo Rex Darius, perlectis Præfectorum literis, præcepit librorum bibliothecam, qui erant *in Babylone* ſeu in Regno Babylonico diſperſim repoſiti, diligenter euolui: & & apud Ecbactanis Metropolim maioris Mediæ, (Medorum quidem antea Regni, iam à Perſis ſuperati effectæ Prouinciæ) inuentum eſt volumen vnum, in quo exaratus huiuſmodi aderat commentarius, (ſeu *memoriale*, vt à Chaldæo didici.) Anno primo Cyri regis: Cyrus Rex decreuit, vt Templũ Dei, quod deſtructum iacebat apud Ieroſolymam, rurſum excitaretur in loco, vbi hoſtiæ poſſint immolari: appoſito quidem fundamine valenti ſupportare machinam, quæ exæquet altitudinem ſexaginta cubitorum, & totidem altitudinem: tribus appoſitis de lapidibus impoliris, ac de lignis nouis, ordinibus. Idem hoc videor ſignificare, quod 3. Reg. 6. 36. dicitur, *Et ædificauit Atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.* Lege inibi annotata Volum. 2. Sumptus verò de theſauro Regio huic operi prouideatur. * Quàm piè, & quàm vtiliter! Dum enim Regio ſumptu Dei domus extruitur, Deifico ſumptu domus Regia ſtabilitur, æternùm hîc duratura, & palatium perficitur æternum.] Nec ſolùm iubeo Templum excitari, ſed & aurea, argenteáque vaſa, ſeu ſupellectilia, quæ Nabuchodonoſor de Templo Ieroſolymitano abſtulerat, in Babylonémque deportauerat, Ieroſolymitano Templo reſtitui: *quæ & poſita ſunt in Templo Dei.* Porrò in Templo nondum conſtructo non potetant vaſa reponi: ſed benè in theſaris Templi, quibus certa loca deſignata erant, quæ hîc intelliguntur. * Certè quidquid ad Templum videtur pertinere tibi ſit Templum. Tantâ religione colendum quidquid ad ſacrum cultum pertinere videatur.] Non cadat ſine annotatione vocabulum illud, *In bibliotheca librorum.* Græcè & Chaldaicè eſt, *In domo theſaurorum*, vel *in gazâ Regiâ.* Intelligitur de archiuio ſcripturarum, in quo aſſeruari ſolent, quæ ſpectant ad opes, prouentus, & cenſus Regios: & authentica exemplaria, legum ac decretorum Regiorum, nec non geſtorum memorabilium. * Profectò prælapſorum Principum præclara exempla Regij ſunt theſauri.] At ſi Reges prudentia ac ſcientia polleant, eis theſauri opulentiſſimi eſt bibliotheca, librorum enim euolutione ediſcit, quonammodo poſſit pacem tueri, quæ quidem opulentiſſima parens eſt abundantiæ iuxta Dauidicum illud: *Et abundantia pacis.*] Quid autem per *latitudinem* hîc ſignificatur? Intelligo interuallum, quod eſt à frontiſpicio, vſque ad extremitatem ſancti ſanctorum, quam nos longitudinem Templi vocitamus, ſed cùm delineatur idea, ſeu fabricæ figura in chartis, non infrequenter, neque ineptè *latitudo* aſſolet appellari. Humilius planè fuit ſecundum hoc Templum: nam quod Salomõ excitauit, cubitos centum viginti altitudinis habuit. Area autem Templi erat cubitorum ſexaginta ſecundùm longitudinem quâ Templi Salomonici longitudinem exæquabat. * Vt aliquid ab alio æquetur, non ſufficit latitudinem imitari, ſi non ſimilis ſit altitudo. Quid proficit, te ætatis æquare latitudinem alterius, ſi altitudinem ſapientiæ aut meritorum non attingis? Cur ergo conquereris tibi præclara munera non iniungi, quæ tuo coæuo committuntur, æqualitatem ætatis aut antiquitatis in Religione exponens, non autem æquali meritorum altitudinem recenſens?] * Demum admoneo, Principes curare debere, vt ſalutaria ſubditis decreta reponantur in libris, vt ſucceſſores pietati ſtudentes habeant quod poſſint imitari. Forte enim Darius veniam non impendiſſet Templum Regio ſumptu perficiendi

Qualis referentium affectus, talis eſt relatorum cauſa.

Quidquid ad ſacrũ cultum pertinet, tibi ſit quaſi Templum.

Exempla præclara prælapſorum Regũ Regij ſunt theſauri.

Regi docto bibliotheca eſt theſaurus, vbi ediſcit pacem abundantiæ parentem tueri.

Quid proficit, te aliorũ antiquitatis Religionis latitudine æquare, ſi meritorum altitudine non exæquas.

Inepte Religioſus ex ſola antiquitate curat, ſibi munera præclara iniungi.

Pia Regum decreta ſcripta aſſeruantur in ſubdi-

Quàm vtiliter Templa Regum ſumptibus exædificantur.

R. P. de Eſcob. & Mend. Primum in Eſdræ lib. III.

sorum vtilitatem.

ficiendi Iudæis, si Cyri pium decretum scriptum non extaret.]

2. Darij Regis decretum.

Vers. 6.7.8.9.10.11.12. *Nunc ergo, &c.*] Cùm igitur extet Cyri Regis de constructo Templo decretum, (Darius addidit) ô Thathanai Dux Regionis quæ trans Euphratem adiacet, Stharbuzanai, & consiliarij Apharsachæi, qui citeriorem fluminis plagam colitis, procul recedite ab Hebræis, & opus Templi Dei à Principe Iudæorum ac senioribus excitati minimè impedire audeatis. Imò & presbyteris Hebræorum iam aperui meam circa sumptus præscriptionem. Iussi enim, vt ex arca Regia, nempè de tributis, quæ ex ciuibus trans Euphratem incolentibus colliguntur sumptus eis vtiles *studiosè* id est, vbertim impendantur, ne opus, deficientibus pecuniis, impediatur. Preme aduerbium *studiosè* sumptus dentur, quod alij transferunt, *largè, vbertim, abundanter*. Certè quod studiosè, seu affectuosè largiris, largè, vbertim, & abundanter exponis; liberalissimus enim ac munificentissimus est animi affectus.] At si ob penuriam fortassè Hebræorum nuper è captiuitate procedentium, necessarium videatur, vitulos, agnos, hædos in holocaustum Deo cœli offerendos, salque, vinum, & oleum iuxta Ierosolymitanorum Sacerdotum ritum offerenda eis, diebus singulis meo è penu impendatur, *ne sit in aliquo querimonia*, id est, *vt non sic error*, (sic Hebraicè) ac si diceret, constantia seruetur, nec vllus error incidat, aut mutatio, quæ locum inst-

Quod studiosè, seu affectuosè dat, largè & abundanter præstat.

Querela & error idē, quia plerumq; qui queritur, errore ducitur.

tæ querimoniæ faciat. * O quàm pulchrè *error*, & *querimonia* coeunt, frequenter enim querimoniæ, ex errore excitantur. Nullus conqueritur, qui non sibi persuadeat, ratione niti: sed rarus est qui eo ipso, quod querelam excitat, non nitatur errore.] *Et offerant oblationes* Deo cœli; pro vita Regis, ac filiorum eius *exorent*.

Efficax oratio, quæ comite oblatione procedit.

* Aptè quidem victimæ ac preces simul incedunt! Efficax oratio quæ comite oblatione procedit.] * *Orentque* (inquit Rex) *pro vita Regis*.

Nihil Regibus vita amabilius.

Nihil Regibus vita amabilius, qua tota eorum temporalis felicitas circumscribitur.] * Hoc ex capite minus laudabilis Darius ostenditur, deberet enim prius de animi salute orationibus Hebræorum Sacerdotum impetrandâ, curare.] * Aptè autem curans de Templi ornatu memorat Sacerdotum orationem gerendam pro benefactoris commodis. Nam quis sese Templo munificum ostentat quasi è iure postulat, aut supponit, Sacerdotum preces gratitudinis causa proferendas.] Vt autem (pergit Darius) præscriptum meum executioni detur, sine contradictionis obstaculo, decreui, vt quicumque ausus fuerit hanc iussionem immutare, capitali afficiatur supplicio. Lignum enim è domo eius de more tolletur, vt in eo erecto configatur; *domus autem eius publicetur*. LXX. *Domus eius sit in direptionem*. Chald. *Fiat sterquilinium*, seu *latrina*, vt sit sensus, Domus eius fiet publicum sterquilinium. Sic 4. Reg. 10. 27. de iis, qui ædem Baal euerterunt, dicitur: *Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas vsque ad diem hanc*. Verùm verbum illud, *Tollatur lignum de domo eius*, innuit ritum fortassè fuisse antiquis, vt cruciarij patibulo ex ipsorum domo petito affigerentur. Sic factum cum Aman Esth. 7. 8. Vt ipse viuens peccator domus suæ inceptam videat direptionem ex abstractione

Qui Templi

scilicet ligni. * Quàm aptus sacrilego supplicij modus! Certè qui impedit Templi structionem, aut prohibet ornatum, non solùm perit, sed & viuens suæ domus aspicit direptionem.] Deus autem, qui dignatus est apud Ierosolymitanum Templum suum collocare *nomen*, vt ibi peculiariter coleretur: dissipet omnia Regna Principum, ac cunctas Vrbes ciuium, qui ausus fuerit manum extendere, ad impediendam sacerrimi Delubri Ierosolymitani perfectionem, vel ad iam perfectum dissipandum. Ego itaque Darius hoc expressi decretum, quod ad vnguem volo abseruari.

impedit eius structionem, viuens videt propriæ direptionem domus, aut familiæ.

3. Templum iuxta præscriptum Darij perficitur, & solenniter dedicatur.

Vers. 13.14.15.16.17.18.19.20.21.22. *Igitur, &c.*] Thathanai ergo Dux Regionis, quæ trans Euphratem adiacet, Stharbuzanai. & consiliarij eius quod Darius iussit, diligenter admodum gesserunt impleri. Proceres autem Iudæorum prosperè ædificabant Templum iuxta prophetiam Aggæi, & Zachariæ nepotis Addo, qui illis prospera annunciantes animos addebant, vt opus ædificationis Templi vrgerent. Gessere autem id *iubente Cyro, Dario, & Artaxerxe*, Regibus Persarum. Coniecit vnum in locum omnes Persarum Principes, qui res Iudaicas promouerent à soluta captiuitate. Etsi enim nunc solus Darius Iudæis fauebat, Cyrus autem per repetitionem, & nunc per eius decreti in bibliotheca adinuentionem, Artaxerxes verò Longimanus, qui post Xersem Darij successorem regnauit, per occupationem, recensentur. Quod si verbum illud, *Iubente Artaxerxe* libeat Artacerxi prælapso, cui Hebræi erant inuisi, & qui edictum aduersus Templi extructionem edidit, accommodare: quonam modo, iubente ipso poterat Templi fabrica perfici? * Certè, quia illud ipsum iustos affligi, ac deprimi, est prosperari: illud destrui Templum ab improbis, ædificari est.] Porrò Templum Dei perfectum exponitur de tertia mensis *Adar*, mensis scilicet duodecimi, qui partim Februario, partim Martio respondet: anno autem Regni Darij *Sexto*. Omnibus quidem annis computatis à secundo anno Cyri, quo iacta sunt fundamina Templi, vsque ad hunc sextum Darij Saliaius tantum annos viginti annumerat. Illud verò, quod dicebant Iudæi, *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*. Ioa. 2. 20. putarim dici ex vulgata eo tempore, sed falsa opinione. Gessere itaque filij Israël Sacerdotes, & Leuitæ reliquique *filij transmigrationis*, seu qui è Babylone ad Ierosolymam ac Iudæam transmigrauerant gaudio profuso Templi dedicationem: obtuleréque vitulos centum, ducentos arietes, agnos quadringentos, *hircos caprarum*, id est, hædiculos adhuc vbera matrum sugentes *duodecim* pro peccato Israël iuxta Tribuum numerum. Sic in dedicatione primi Altaris Num. 7. 87. legimus immolatos hircos duodecim pro peccato. * Et quidem tot vitulorum tot arietum, tot agnorum oblatio ingrata esset cœlesti Numini, nisi simul pro peccato libatio exponeretur. * Vt ediscas, in Christianis solemnitatibus cùm ornantur parietes Templi, cùm Altaria luminibus stipantur, cum melodia in Dei cultum insonat, gratam Numini festum vix exponi, ni simul pro peccatis sacerrima addatur oblatio, dum fideles conscientia Confessione expiata Eucharistiam accipiunt.] Vt autem Dei cultus solemniter inciperet ostentari Sacerdotes suo Ordini addicuntur, fuisque Leuitæ vici-

Opprimi iustum ab improbis, prosperari est.

Solennitas illa Deo gratissima, cùm fideles peccata confitentur, & synaxim recipiunt.

bus

bus ad miniſtetia quæque. Sacra gerenda iuxta præſcripta Moſis Num. 3. 6. & 8. 9. Verùm quartâ decimâ die menſis primi celebrauere *tranſmigrationis Paſcha*, ſeu Phaſe, qui *tranſitus* dicitur in memoriam antiquæ illius ex Ægypto in Paleſtinam tranſmigrationis. Vnde improbarim P. Menochij expoſitionem putantis illam particulam *Tranſmigrationis Paſcha* ſic enodandam? *Iſraëlitæ filij tranſmigrationis, qui ſcilicet ex Babylone migrauerunt in Iudæam.* Ad quam Paſchalem ſolemnitatem celebrandam purificati fuerant Sacerdotes & Leuitæ *quaſi vnus*, id eſt, non minore cura ac diligentia, quàm ſi vnus aliquis duntaxat purificandus fuiſſet.

Cùm frequès ſit ad ſacramenta populi concurſus, ut-ret confeſſarius, ſic ſingulorum conſcientias diſcutere, ac ſi vnus ſolùm pœnitens adeſſet.

* Moneantur hinc Confeſſarij, Iubilæi diebus, cùm frequens ſit ad ſacramenta recipienda populi confluxio. Sic curandum eis ſingulorum conſcientias diſcutere, ac ſi *vnus* eſſet, qui ad Confeſſionem acceſſiſſet.] Omnes acceſſere munditia legali nitentes ad immolandum Paſcha ſibi, & ſociis ſuis Sacerdotibus, & cunctis iis, qui è Babylone in Ieroſolymam tranſmigrauerant, Comederunt igitur de more filij Iſraël, qui reuerſi fuerant de Chaldæa, & omnes, *qui ſe ſeparauerant à coinquinatione gentium*, id eſt, qui Proſelyti facti Iudaica Sacra, religionémque ſuſceperant. Et geſſere Azymorum ſolemnitatem per ſeptem dierum circulum in exultatione: quoniam Deus eorum præcordia lætitia affecerat ex ipſa quidem legalis præcepti executione. * Nam obſeruatio legis gaudium excitat ſimul incedentibus obedientia ac exultatione.] Et quia conuerterat cor Regis *Aſſur* Darij ſcilicet Regis Perſarum (cuius Imperio parebant Aſſyrij, ac Babilonij) vt eis non ſolùm facultatem, ſed & impenſas ad perfectionem Templi Domini impenderet. Porrò Darius Perſarum Monarcha *Rex Aſſur* vocabatur, quia Aſſyriorum, Monarchia olim vt toto orbe celeberrima, ſic Iudæis erat notiſſima, à qua toties vexati, ac demum etiam captiui abducti fuerant. * Cur ergo non è memoriâ hoc inuiſum nomen eliminare curant Hebræi? Certè quia Dei filiis nihil tam dulce quàm laboris ac tribulationis toleratæ memoria. Erat Darius Rex Aſſyriorum, Chaldæorum, Medorum, Perſarum, & poterant Hebræi eum ſingulis hiſce titulis memorare. At Regem *Aſſur* ſacer Hiſtoriographus appellauit, nè videretur diræ captiuitatis fugere mentionem, cum potius ſancti ex catenarum vocabulo ſoleant nobilitari.]

Ex legis obſeruatione lætitia oritur.

Sancti affectant, mentione tribulationum nobilitari.

CAPVT VII.

Eſdras Sacerdos, ac legis Doctor ab Artaxerxe Rege Perſarum in Iudæam immittitur, Iudæos Regis viſitaturus, docturus, ac recturus ex nomine.

1. POST hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Perſarum, Eſdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helciæ, 2. filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob, 3. filij Amariæ, filij Azariæ, filij Maraioth, 4. filij Zarahiæ, filij Ozi, filij Bocci, 5. Filij Abiſue, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron Sacerdotis ab initio. 6. Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone; & ipſe Scriba velox in lege Moyſi, quam Dominus Deus dedit Iſraël: & dedit ei rex: ſecundùm manum Domini Dei eius ſuper eum, omnem petitionem eius. 7. Et aſcenderunt de filiis Iſraël, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Leuitarum, & de cantoribus, & de ianitoribus, & de Nathinæis, in Ieruſalem, anno ſeptimo Artaxerxis regis. 8. Et venerunt in Ieruſalem menſe quinto, ipſe eſt annus ſeptimus regis. 9. Quia in primo die menſis primi cœpit aſcendere de Babylone, & in primo die menſis quinti venit in Ieruſalem, iuxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe. 10. Eſdras enim parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſraël præceptum & iudicium. 11. Hoc eſt autem exemplar epiſtolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Eſdræ Sacerdoti, Scribæ erudito in ſermonibus & præceptis Domini, & ceremoniis eius in Iſraël, 12. Artaxerxes rex regum Eſdræ Sacerdoti, Scribæ legis Dei cæli doctiſſimo ſalutem. 13. A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſraël, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Ieruſalem, tecum vadat. 14. A facie enim regis, & ſeptem conſiliatorum eius miſſus es, vt viſites Iudæam & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: 15. & vt feras argentum & aurum, quod rex & conſiliatores eius ſponte obtulerunt Deo Iſraël, cuius in Ieruſalem tabernaculum eſt. 16. Et omne argentum & aurum quodcumque inueneris in vniuerſa prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ ſponte obtulerint domui Dei ſui, quæ eſt in Ieruſalem, 17. libere accipe, & ſtudioſè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in

Ierusalem. 18. Sed & si quid tibi & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite. 19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem. 20. Sed & cætera quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco regis. 21. Et à me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans Flumen, vt quodcumque petierit à vobis Esdras Sacerdos, Scriba legis Dei cæli, absque mora detis, 22. Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, sal verò absque mensura. 23. Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne fortè irascatur contra regnum regis, & filiorum eius. 24. Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos. 25. Tu autem Esdra, secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides, vt iudicent, omni populo qui est trans Flumen, his videlicet qui nouerunt legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè. 26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem. 27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalem, 28. Et in me inclinauit misericordiam suam coram rege & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregaui de Israël principes qui ascenderent mecum.

COMMENTARII.

1. Esdræ genus & sapientia describitur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. *Post hæc, &c.*] Post hæc *verba*, seu gesta cap. præcedenti, mortuo iam Dario, eiusque filio Xerxe, & Regnum administrante Darij nepote Artaxerxe, qui *μακρόχειρ*, id est *Longimanus* vocitari consueuit, quod vnam haberet altera longiorem manum. Profectò à sexto anno Darij, quo dedicatum fuit Templum vsque ad annum septimum Artaxerxis Longimani, quo missus est Esdras in Iudæam effluxere anni quinquaginta septem. Post hæc inquam gesta, temporáque erat Babylone Esdras filius Saraiæ Auctor, & Scriptor huius libri, qui quidem ex auis ac proauis Azariæ, Helcia, Sellum, Sadoc, Achitob, Amaria, Azaria, Maraioth, Zacharia, Ozi, Bocci, Abisue, Phinees, & Eleazaro, ad Aaronis primi Sacerdotis familiam pertinebat. Esdras hic de Babylone ascendit in Iudæam annis ferè septuaginta duobus post reditum Zorobabelis. Erat autem *Scriba velox* in lege Moysi, id est, legis diuinæ peritissimus, & in eâ seu scripto, seu viuâ voce exponendâ promptissimus. Id enim officij habebant Scribæ, qui apud Iudæos idem erant, quod Philosophi apud Græcos, Magi apud Chaldæos. Præter hoc commune omnibus Scribis officium, etiam alio peculiari titulo nomen illud per excellentiam debetur Esdræ, quod totam Scripturam, negligentia Sacerdotum temporibus præteritorum Regum Iuda multis locis corruptam, & collapsam instaurarit, correxerit, in concinniorem redegerit ordinem, aliisque à caracteribus scripserit, antiquos characteres Samaritanis relinquens: & alios, quibus iam scripta sunt Biblia, substituens, vt sic Iudæorum animos à Samaritanis longius alienaret. * Nihil enim sic Euangelico Doctori curandum, quàm omne commercium ex literis cum suspectis in fide prohibere discipulis.] Sunt qui asserunt, Esdram eundem esse cum Malachia Propheta. Equidem etsi materia, quam vterque tractat, eadem sit, & tempora consonent, alia quædam mihi obstare videntur, quominus id ausim asserere. Porrò Esdram hoc tempore fuisse vt minimum centum & trium annorum Tyrinus affirmat. Porrò ob fauorem Dei eiusque potentem operationem, Esdras Regi Persarum gratiosus aderat, nihilque ab ipso postulabat, quod non illicò consequeretur.

Omne commercium ex literis cũ suspectis in fide vitandum.

* Preme verba, *Dedit ei Rex secundùm manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius.* LXX. *Quoniam manus Domini super eum, dedit ei Rex omnem petitionem eius*, id est, quia Rex videbat Esdram Deo charum, quod & opera & pia monita manifestabant, ei erat affectus, eiusque petitionibus annuebat. Regalis pietas sanctos Dei ministros amare eisque specialem fauorem impertiri, *quoniam manus Domini*, seu fauor *super illos*. Vulgariter expendam. *Fauorez can los Reyes alos Sieruos de Dios, porque Dios los fauorece.* Anno quidem Septimo Regni Artaxerxis Longimani ad Ierosolymam deuenerunt multi alij Israëlitæ, ac Sacerdotum & Leuitarum posteri, nec non Cantores, Ianitores, & Nathynæi, siue Proselyti, quorum ingressus in Vrbem præfati anni septimi mense quinto, Iulio scilicet, qui ab Hebræis dicitur, *Ab*, accidit. Primo enim die mensis primi cœpere ex Babylone ascendere, & primo die mensis quinti Vrbem fuerunt ingressi, cælesti Numine fauente. Esdras enim eorum Dux & Magister *parauit cor suum*, seu omnes cogitationes & curas suas in hoc intendit, vt legem Domini vestigaret, & solicitus adimpleret, tùm per se ipsa illam obseruando, tùm alios docendo, & in ipsa instruendo. * Non cadat sine pondere clausula. *Venit in Ierusalem*

Reges debent speciali fauore prosequi eos, qui sanctitate fulgent.

Profectus mirum expedit.

cœtus

Iob, quòd Dux iustus præcedit, & è contra infaustus processus eorum, quibus ducatum præstat iniquus.

cœtus ille Israëlitarum *iuxta manum Dei sui bonam super se, Esdras enim parauit cor suum, vt inuestigarem legem Domini &c.* Ac si diceret, A Domino fuerunt prospero processu donati, eo quod Magistrum ac Ducem sanctum sequebantur. * Quàm prospera militum expeditio quos Dux iustus præcedit: Et vice versa, quàm infaustus processus eorum, quibus iniquus quisque ducatum præstat!]

2. Edictum Artaxerxis lõgimani pro Hebræis.

Vers. 11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28. *Hoc est autem &c.*] Hic est autem tenor Decreti, quod Artaxerxes dedit Esdræ Sacerdoti, ac Scribæ doctissimo, legem ac ceremonias diserte percallenti. Qui quidem immissus est Regis Persarum nomine ad visitandam Iudæam, vtpotè Prouinciam Persis adhuc subiectam & tributariam. Soli enim Sacerdotes ac ministri Templi iubentur à vectigalibus ac tributis immunes esse, reliquis omnibus Iudæis, ea pendere coactis. Item infra iubentur omnes non solùm Dei legem, sed & præscripta Regis sub pœna capitis diligenter implere, quod absolutæ subiectionis certissimum est argumentum. Igitur sic se habet Edictum, Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti, Scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem. Decreui, vt quicumque Israëlita tàm ex Sacerdotali Tribu, quàm ex sæcularibus meo existens in Regno Ierosolymam ascendere voluerit, tecum liberè proficiscatur. *A facie* enim *Regis & septem consiliatorum eius*, id est, iussu, & authoritate Regis missus es, *vt visites Iudæam in lege Dei tui*, id est, vt videas, an Iudæi legem Domini, *quæ est in manu tua*, quàm scilicet calamo scripsisti, & operibus confirmasti, obseruent. * Præsul, qui visitat, seu pergit, vt videat, num subditi legem Dei obseruent, debet manus mundas exponere, siue opera legi agnata præ se ferre.] Septem fuisse præcipuos Regios Consiliarios Persarum Regis discimus etiam ex Estheris historia. cap. 1.4. * Verùm particula illa *A facie Regis, & septem Consiliatorum eius missus es*, indicat tàm Regis, quàm Consiliatorum iussu & authoritate Esdram processisse, vt visitaret Iudæam. Imperabántne Consiliatores? * Minimè, sed Rex prudens illa imperabat geri, quæ ex Consiliariis audiuisset, vnde authoritate Consiliatorum pergit, qui iussu Regis ex consilio pergebat. O quàm Salutaria præscripta Regis, quæ ex doctorum, ac prudentum consilio habent exortum!] Et vt referas aurum & argentum, quod Rex & Consiliatores eius vltroneè Deo Israël, cuius Templum apud Ierosolymam adest, obtulerunt. * Cùm Rex exhibet aut Templi, aut belli sumptibus impensas, mox debent Consiliarij etiam munera non moniti, non iussi sed *sponte* elargiri. Illud enim ipsum, Regem offerre, fidelibus ac prædiuitibus Consiliatoribus velut exactio est. Ideò postquam textus ait, *Et vt referas argentum & aurum quod Rex* obtulit, mox adiecit, *& quòd Consiliatores eius sponte obtulerunt.*] Prætereà copiam facio, vt argentum & aurum quod in Prouincia Babylonis populus Iudaicus, & Sacerdotes voluerint sponte elargiri ad perfectionem Templi Dei sui, quæ Ierosolymæ adest, libeè accipias, vt adhibita cura ex ea pecunia emas vitulos, arietes, agnos, & horum sacrificia ac libamina supra Altare Ierosolymitanum Dei vestri offerenda. De reliquo verò argento & auro, quod victimarum emptioni forsan superetit, iuxta tuum tuorumque *fratrum*, Sacerdotum ac Leuitarum placitum Dei insume in obsequium. * Et quandonam ex pecunijs, quæ Deo offeruntur post amplissimam insumptionem abundè non superfluit!] Trades etiam Ierosolymitano Templo quæcumque supellectilia ad sacra ministeria à quibusuis acceperis. Reliqua verò, quæ ad obsequium Dei tui necessaria esse videantur, *de thesauro, & fisco Regio, & à me* tibi tradentur. * Cur post expressum illud, *De thesauro, & de fisco Regio*, addidit, *& à me?* An quod datur de Regio thesauro aut fisco non datur à Rege, siue ex penu Regis? Forte Regis illius idololatræ thesaurus aut fiscus ex pecuniis subditorum non iustè congestis coalescebat, ideóque promittit vltra thesauri ac fisci pecunias, aliquid *à se* vel à propriis datum. Haud sic Christiani Reges, quod enim de thesauro aut fisco elargiuntur ex proprio penu impendunt, quia nihil iniustè è subditis congerunt.] Ego enim Artaxerxes Rex statui, ac præcepi omnibus thesaurariis Sarcæ publicæ Regiæ, qui trans Euphratem commorantis, vt quodcumque Esdras Sacerdos & Scriba cœlestis Numinis, ad constructionem Templi aut sacrificia repetierit, absque mora exhibeatis. Dummodò quod postulauerit non excedat centum talenta argenti, totidem frumenti coros, centum batos vini, totidem olei batos, sal verò absque limitatione. Recolo talentum tria siclorum millia continere, vnum verò argenteum siclum quatuor Hispanicicis regalibus æquualere: eorum decem ephi, siue triginta Sata, quæ & modij dicuntur, continere. Duo autem moneò fuisse batorum genera, alterum maius, alterum minus, qui cùm proprio careat nomine, *metreta* Græco vocabulo assolet vocitari, inter vtrumque verò proportio est sesquialtera, vt duo maiores tres minores æquarent. Itaque hoc loco existimo de minoribus batis esse sermonem. * Rarò enim Principes ad ea quæ Dei cultum spectant, mensura vtuntur maiore, seu vt vulgari axiomate vtar: *No miden con lamedida maior.*] Id colligo ex textu. Nam cùm Artaxerxes dictitasset, *Quodcumque petierit à vobis Esdras, absque morà detis*, mox addidit: *Vsque ad argenti talenta centum, vsque ad frumenti coros centum, vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum.* Si ex præscripto Regis *quodcumque* petiisset, dandum erat, cur illa illicò limitatione vtitur *Vsque, vsque, vsque?* * Quid rarò executio Principum promissioni respondet?] Attamen non possum non Artaxerxis pietatem commendare, qui *sal absque mensurâ* iussit exponi; ideò fortasse quod in omni sacrificio sal adhiberetur. Omne itaque, quod ad ritum Dei cœli pertinere videbitur, eius Templo, magna cura ac diligentia adhibita, tribuatur: nè forte *contra Regnum Regis ac filiorum eius* accendatur iracundia, ac vltor ascendat. * An ex incuria circa Dei cultum Deus contra Regnum iracitur? Ita planè. Debent enim Reges inuigilare, nè aliquid è sacris Sacerdotum incuria, aut penuria Ecclesiæ detrahatur.] * O quotiens ob cultum Dei violatum, ob Ecclesiarum pauperiem Regna denudantur? Premę verba illa: *Ne irascatur* Deus *contra Regnum Regis, & filiorum eius.* Cur non dixit, *Ne irascatur contra Regem, & filios eius*: sed *contra Regnum Regis, & filiorum eius?* An quia

Qui visitat subditos, num legem obseruent, se ostendat legis obseruatorem.

Præscripta Regum debet ex consilio orum habere, vt salutaria Reipublicæ existant.

Cùm Rex aut Templi, aut belli sumptibus munera largitur, mox Consiliarij nõ iussi sed sponte munera offerre.

De ijs, quæ Deo dantur, post amplam insumptionẽ abundè superfluit.

Reges non pij quodè thesauro, ac fisco dant, ex proprio penu non tribuunt, quia thesaurus ille iniustè congestus.

Rarò Principes ad ea, quæ cultum Dei spectant, maiori vtuntur mensura.

Rarò executio Principũ promissioni respõdet.

Inuigilet Rex, nè aliquid è sacro cultu detrahatur.

Ob Templorum paupertẽ Regna denudantur.

Pio Regi charius debet esse Regnũ quam vita.

pio Principi charius debet esse Regnum quàm vita ipsius ac filiorum?] * An quia adeò Principes sæculares assolent terrenis possessionibus adhærescere, vt amarius eis sit diuitiis, quàm vita priuari?] An quia dum subditi memorantur, inibi Reges intelliguntur: subditi enim ac domini eadem velut essentia decorantur?] *. An quia Regum causa ita debet esse cum causa subditorum coniuncta, vt idem sit deperire Regnum, ac Reges eorúmque posteros obliterari?] Omnia verè. Cæterùm vos Regios Præfectos monemus, nè audeatis, Sacerdotibus, Leuitis, Cantoribus, Ianitoribus, Proselytis, Templo donatis, reliquisque Domus Sacerrimæ Ministris vectigalia, tributa, annonas imponere, ad quod gerendum omnino à vobis aufero potestatē. * Vt Christicolæ Principes à Gentili Imperatore ediscant, quonammodò circa tributa cū Ecclesiasticis sese gerere debeant. Non audet Artaxerxes Nathynęis, seu donatis Templo mancipiis vectigal imponere & audebit Christianus Monarcha Religiosis, Sacerdotibus, Episcopis tributorum impositionem cogitare? Non credam.] Tu autem Esdra iuxta sapientiam, qua donatus es à Domino circa fidei dogmata, quæ Scriba assoles edocere tuos: cōstitue Iudices, ac Præsides, vt cunctis Hebræis ac Proselytis qui trans Euphratem commorantur, iura decernant. Quod si aliqui minus periti in lege inuenientes Episcopos, vt procurent Religiosos ad vicos immitti agricolas rudes instructuros: Omnis denique qui legis Dei tui, & Regis transgressus fuerit præscriptiones pro grauitate piaculi punietur, seu capitali pœnæ addictus, seu in exilium actus, seu bonorum expillatione affectus, seu in carcerem perpetuò aut temporaliter detrusus. Hic tenor Regij Edicti. *Benedictus* itaque (exclamat Esdras) Dominus Deus patrum nostrorum, qui Regi mentem tam piam immisit circa Domini Templi illustrationem: méque gratum Regi eiúsque Consiliatoribus, ac Proceribus potentibus erga Regem exposuit. * Nec enim sufficeret Esdram Regi esse gratum, si Consiliariis ac Principibus ingratus extitisset. Imò non semel satius tibi ac felicem rerum euentum, Consiliariis gratum esse, quam Regi.] Et ego fauore Domini confortatus tam amicum nactus Regis edictum, congregaui de Israëlitico genere Proceres, qui Ierosolymam mecum conscenderent. Mirum planè, quod post recessum populi tempore Zorobabelis, tot Hebræi apud Babylonem remansissent, vt Esdras posset multis stipatus Iudæis idem iter instituere. Si potestas egrediendi è captiuitate omnibus Hebræis tunc facta à Cyro fuit, cur tot Israëlitæ remansere captiuitatis incommodis addicti. * Verùm quia tanta est aliquorum peruersitas vt eis captiuitatis placeant angustiæ, in peccatorum symbolum, queis miseri iniquitatis status grata existunt incommoda.]

Principi amarius est, diuitijs priuari, quàm vita.

Domini ac subditi velut una essentia decorantur.

Regum causa cum subditorum causa est coniuncta. Regnum perit, deperit Rex.

Nec Ecclesia mancipius tributa sibi imponenda à Christiano Rege.

Reges monēdi Episcopos, vt procurēt, Religiosos ad oppidula immitti agricolas dōcturos.

Ad felicem rerum euentum, satiùs tibi aliquādo gratum esse Consiliarijs, quàm Regi.

Peruersis aliquibus peccatoribus inculpanda sunt status iniqui incommoda.

CAPVT VIII.

Eorum, qui cum Esdra è Babylone in Iudæam deuenere, Catalogus. Vasa, ac munera, quæ attulerunt, & victimæ, quas Deo litarunt.

1. HI sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone. 2. De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis Dauid, Hattus. 3. De filiis Secheniæ, filij Pharos; Zacharias: & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta. 4. De filiis Phahah Moab, Elioënai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri. 5. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri. 6. De filiis Adam, Abed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta viri. 7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, & cum eo septuaginta viri. 8. De filiis Sapharię, Zabedia filius Michaël, & cum eo octoginta viri. 9. De filiis Ioab, Obedia filius Iahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri. 10. De filiis Selomith, filius Iosphiæ, & cum eo centum sexaginta viri. 11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai & cum eo viginti octo viri. 12. De filius Azgad, Iohanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri. 13. De filiis Adonicam, qui erant nouissimi: & hæc nomina eorum Elipheleth, & Iehiel, & Samaias & cum eis sexaginta viri. 14. De filiis Begui, Vthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri. 15. Congregaui autem eos ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua, & mansimus ibi tribus diebus; quæsiuique in populo & in Sacerdotibus de filiis Leui, & non inueni ibi. 16. Itaque misi Eliezer, & Ariel; & Semeiam, & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Mosollam principes: & Ioiario, & Elnathan sapientes. 17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, & posui in ore eorum verba, quæ

loque

loquerentur ad Eddo, & fratres eius Nathinæos, in loco Chaſpiæ, vt adducerent nobis miniſtros domus Dei noſtri. 18. Et adduxerunt nobis per manum Dei noſtri bonam ſuper nos, virum doctiſſimum de filiis Moholi filij Leui filij Iſraël, & Sarabiam & filios eius & fratres eius decem & octo, 19. & Haſabiam, & cum eo Iſaiam de filiis Merari, fratréſque eius & filios eius viginti. 20. & de Nathinæis, quos dederat Dauid & principes ad miniſteria Leuitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi ſuis hominibus vocabantur. 21. Et prædicaui ibi ieiunium iuxtà fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis noſtris, vniuerſæque ſubſtantiæ noſtræ. 22. Erubui enim petere à rege auxilium & equites, vt defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei noſtri eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor ſuper omnes, qui derelinquunt eum. 23. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum noſtrum, per hoc: & euenit nobis proſperè. 24. Et ſeparaui de principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Haſabiam, & cum eis de fratribus eorum decem. 25. Appendíque eis argentum & aurum, & vaſa conſecrata domus Dei noſtri, quæ obtulerat rex & conſiliatores eius, & principes eius, vniuerſúſque Iſraël eorum qui inuenti fuerant: 26. & appendi in manibus eorum argenti talenta ſexcenta quinquaginta, & vaſa argentea centum, auri centum talenta: 27. & crateres aureos viginti, qui habebant ſolidos mille nos, & vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum. 28. Et dixi eis: Vos ſancti Domini, & vaſa ſancta, & argentum & aurum quod ſponte oblatum eſt Domino Deo patrum noſtrorum: 29. vigilate & cuſtodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum Iſraël in Ieruſalem, in theſaurum domus Domini. 30. Suſceperunt autem Sacerdotes & Leuitæ pondus argenti, & auri, & vaſorum, vt deferrent Ieruſalem in domum Dei noſtri. 31. Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die menſis primi vt pergeremus Ieruſalem: & manus Dei noſtri fuit ſuper nos, & liberauit nos de manu inimici & inſidiatoris in via. 32. Et venimus Ieruſalem, & manſimus ibi tribus diebus. 33. Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in domo Dei noſtri, per manum Meremoth filij Vriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cúmque eis Iozabed filius Ioſue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ, 34. iuxta numerum & pondus omnium: deſcriptumque eſt omne pondus in tempore illo. 33. Sed & qui venerant de captiuitate filij tranſmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Iſraël, vitulos duodecim pro omni populo Iſraël, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocauſtum Domino. 36. Dederunt autem edicta regis Satrapis, qui erant de conſpectu regis, & ducibus trans Flumen; & eleuauerunt populum & domum Dei.

COMMENTARII.

1. Catalogus eorum, qui cum Eſdra in Iudæam Babylone demigrarunt.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11. 12.13.14.15. *Hi ſunt ergo, &c.*] Profectò hi ſunt, Principes familiarum, eorúmque poſteri, qui mecum regnante Artaxerxe, è Babylone in Iudæam tranſmigrarunt. De Phinees poſteris. Gerſom de poſteris Ithamar, Daniel. De poſteris Dauid, Hattus. De poſteris Secheniæ procedentibus è Pharos, Zacharias: cum eo autem viri centum ſupra quinquaginta fuére annumerati. At de Poſteritate Phahath Moab, Elioënai filius Zerehe, quem ducenti viri comitati fuere. De poſteritate Secheniæ filius Ezechielis, cui trecenti viri adhæſerunt. De poſteritate Adan, Obed filius Ionathan, quem quinquaginta viri ſunt ſecuti. Porrò è familiâ Alam, profectus eſt Iſaias Athaliæ filius, & cum eo ſeptuaginta viri progrediuntur. E familiâ Saphatiæ, Zebedia filius Michaël, quem octoginta viri inſequuntur. E familia Ioab, Obedia filius Iahiel, quem ducenti decem & octo viri comitantur. E familia Selomith, filius Ioſphiæ, qui centum ſexaginta viros ſecum adducebat. E familia Bebai, Zacharias altérius Bebai filius, qui viginti octo viros ducebat. E familia Azgad, Iohanan filius Eccetan, qui centum ſupra decem viris ducatum præſtabat. Cæterùm de propinquis Adonicam nouiſſimo loco multi itineri ſe dedere, quorum hæc nomina: Eliphieleth, Iehiel, Samaias, quos ſexaginta viri ſequuntur. De propinquis Begui, Vthai, & Zachur, queis ſeptuaginta viri comites adhæreſcunt. Itaque cunctos hoſce, qui mecum è Babylone in Iudæam aſcendere voluerunt, ad ripam fluuij, qui ad Ahaua decurrit, congregaui; inibique tribus diebus libuit remanere. Curaui autem & in populo, & in Sacerdotali cœtu veſtigare, num aliquis de poſteris Leui adeſſet, qui non eſſet Sacerdos? & non inueni vllum, qui ſolummodò Leuita exiſteret ſine adiunctâ ſacerdotali dignitate. Aderant filij Phinees, & filij Ithamar qui quidem erant ex genere Sacerdotali & Leuitico; ſed vir, qui Leuita tantùm eſſet

Vnusquisque proprio muneri, ad quod electus est, muneri hæreat.

esset, tunc non apparuit. * Cur autem requirit Esdras à Leuitarum genere viros, nec ei sufficit, Sacerdotes multos secum progredi? Quia ad sacra ministeria superiora Sacerdotes designati erant, ad inferiora verò Leuitæ: nec oportet munia confundi. Dum superiori dignitate fulgidi ad inferiora deturbantur, aut inferiori fungentes statu ad superiora repentè euehuntur.] * Nec enim quis perfectò illud exerit officium, ad quod non est agnatus.]

Nemo perfectè gerit officium, ad quod agnatus non est.

Vers. 16.17.18.19.20. *Itaque misi, &c.*] Cum autem ad perfectum sacrorum ministerium Leuitas qui Sacerdotes simul non essent, inuenirem, curaui aliundè illicò requiri. Itaque itrimisi Eliezerem, Arielem, Semeiam, Elnathanum, Iaribum, Elnathanum alterum, Nathanum, Zachariam, ac Mosollamum *Principes*: necnon Ioraribum & Elnathanum *Sapientes*, qui Ministros Leuitas quæritarent. * Quare tot Principes, tot sapientes immittuntur ad Leuitas requirendos? Quia quidquid ad sacra ministeria spectat tam graue negotium est, vt debeat à multis Principibus ac sapientibus exeri. Nichi creditè magni momenti est, vel Acolytum aptum Altari inuenire.] * Cur verò non solùm Principes, sed & sapientes ad hoc munus mittuntur? Certè quia sine sapientiæ ducatu nihil perfectè geritur.] Porrò loco verbi illius *sapientes*, in Hebræo habetur מכינים *meuinim* sapientes, intelligentes, periti legis, & legem docentes. Videtur mihi idem esse nomen officij Leuitarum, qui populo docebant. Sic 2. Esd. 8. 7. vbi habemus in Vulgata, *Leuitæ silentium faciebant in Templo, ad audiendam legem.* ex Hebræo vertere possumus, *Leuitæ intelligere faciebant populum legem.* vbi etiam est eadem vox *meuinim.* Sapientes ergo viri immittuntur ad Leuitas sapientes requirendos, quia non sapientes electores nullatenus poterant de Leuitarum sufficientia iudicare. * Hinc ediscе, quàm fallax, quàm inepta est Principum sæcularium non sapientum electio. Quonammodo poterunt adiudicare, vtrùm ille, quem ad Episcopatum eligunt, sapientiâ necessariâ polleat, si ipsi sapientiâ non præfulgent. Pergant ergo Principes ab Esdra missi vt quærant, & eligant Leuitas doctos, sed comitentur *sapientes*, qui de assimili sapientiâ iudicent, & aptæ lucem præferant electioni.] Porrò hos Principes, hos sapientes ad *Eddo* Nathynæum, qui præpositus erat Chaspiæ loci muniti, admissi, vbi aderant socij Nathynæi siue Proselyti, vt Eddo pij ac amici viri directione, ad nos adducerent Leuitas, qui Domui seu Templo Domini ministrarent. Annon aptiùs immitterentur ad Hebræum quàm ad Nathynæum ad opus tantæ pietatis exerendum? * Certè non semel Proselyti, seu noui fideles seruientius opus Domini suscipiunt in veterum fidelium subtaxationem. Vt pudeat veteres Christicolas à nouis circa pietatis negotia superari.] Nuncij ergo illi ad nos *per manum Dei nostri bonam*, siue egregiè fauente cœlesti Numine, de posteris Moholi Leui filij virum doctissimum adduxere, nomine Sarabiam; si autem eum filios ac contribules eius ad numerum feramus, decem & octo viri recensentur. Adductus simul est Hasabias, quem de posteris Merari Isaias, ac viginti viri insequuntur. Præterea ducenti supra viginti Nathynæi seu Proselyti deuenere vt Leuitis hisce ministrarent, posteri quidem eorum, quos Dauid, aliique Israëlitici Principes ad ministeria Templi sacrarat. *Omnes hi suis nominibus vocabantur.* LXX. *Omnes congregati sunt in nominibus*, quo significatur, eos inter cæteros eximios fuisse, ac præcipuos. * Nam vel ad humillima Templi ministeria, potiores, ac nobiliores sunt eligendi. Qui planè si nobiliores sunt ea exercere, minimè designantur.] Vt pudeat viliores, qui è sæculari inopiâ ad Religionem admittuntur, cùm refugiunt humilia exercere ministeria, haud prælapsæ memores vilitatis.]

Ad eligendum Episcopum sapientem, non est aptus Princeps sæcularis insipiens, ideò dirigi debet à sapientibus.

Christiani veteres aliquando à nobis in rebus pietatis superantur.

Vel ad humillima Templi ministeria nobiliores sunt eligendi.

Nobiles non dedignantur humilia in Domo Dei exercere munia.

Vers. 21.22.23.24.25.26.27.28.29.30. *Et prædicaui ibi ieiunium.*] Post Leuitarum ac Nathynæorum adducendorum curam Principibus, ac sapientibus commissam, *prædicaui*, seu indixi octo dierum ieiunium quod inchoatum fuit post tres illos dies, quibus mansimus iuxta fluuium Ahaba. Vt licèt afflicti in conspectu Domini Dei nostri, ab eo precaremur, prospero itinere, ipso duce, viæque comite, donari vt tam homines, quàm bona feliciter ad Ierosolymam peruentarent. * Ad quæque impetranda beneficia à Domino, ieiunium, reliquæque corporis afflictiones mirificè conferunt. Vndè efficax orario, quæ ieiunio comite ad superos auolat.] Ideò autem huiusmodi securitatem curaui, ieiunio præmisso, à Domino postulare, quia licet possem eam auxilij humani vi acquirere, erubui petere à Dario Rege auxiliares equites, qui possent nos ab irruentibus hostibus fortasse defendere, ne Rex eam postulationem diffidentiam diuini auxilij interpretaretur. Dixeramus enim aliquando Dario *Manus* seu auxilium potentissimum Dei nostri protegit eos, qui eum requirunt recta gerentes opera: & *fortitudo* (sic Hebr.) ac furor eius super omnes, *qui derelinquunt eum.* Quoniam Apostatas, vt maioris multò criminis reos acriùs punit, quàm reliquos infideles, qui nunquam fidem complexi sunt. * Vt timeant ij, qui postquàm nomina Regulari vitæ dederunt, ad sæcularem remeant, ad quorum vindictam *imperium ac fortitudo* Dei præparantur. Cuius dant testimonium miserrimi horum euentus, queis quotidiè nostræ aures ac oculi diuerberantur.] Ieiunauimus igitur, & Deum *per hoc*, siue hoc postulauimus, & Deus exaudiens nostris annuit optatis prosperè in patriam adducens. Auxilium Regis potuisset fortasse inimicos irruentes in nos, haud sine profusione sanguinis continere. At Dei auxilium nos faciliùs defendit, faciens vtique vt hostes non irruerent. quod non posset humanum. * Quàm stultus, qui de equitum difficili expeditione quærit, quod de vi precum facilè comparare potest! si Reges afflictionibus corporis præmissis, precibus instarent, faciliùs fortasse suos debellarent hostes, aut assequerentur à Domino, à nullis hostibus intentari. Dormire enim solent bella cùm vigilans in oratione animus non obdormit.] Cæterùm priusquam è ripa fluuij Ahaua duodecima post accessum die progrederemur, de Principibus seu Proceribus sacerdotalium familiarum selegi duodecim, Sarabiam scilicet, Hasabiam, & alios decem: eisque appendi argenti, & auri vim, cunctaque vasa, quæ ex dono Regis Consiliatiorum ac Principum eius, Israëlitarumque, Templi seruitio erant consecrata. Post appensionem autem, hoc

Graui ssimum negotium est, quod ad sacrum pertinet cultum, Principibus committendum.

Sine sapientia ducatu nihil perfectè geritur.

3. Ieiunio præmisso, auru, argentum, & vasa pretiosa duodecim Sacerdotibus committuntur.

Corporis afflictio confert ad beneficia postulata à sequenda.

Dei potentia exeritur ad vltionem eorum, qui à Regulari instituto ad sæcularem vitam remeant.

Facilius orationi instans Rex hostes vinceret, quàm armorum strepitu.

pondus

2. Cures Esdras ministros ad sacra perfectè exercenda adduci.

pondus exponitur Sacerdotum manibus: argenti talenta sexcenta quinquaginta, auri verò centum. Numerus autem vasorum huiusmodi: Centum argentea vasa, crateres aurei viginti. Hæc solidos millenos æquabant, illa verò centum talentorum (Hebræus sic) vim exponebant. *Solidus* erat sexta vnciæ pars, vnde *sexcula* dictitabatur. Præterea Sacerdotibus tradi duo vasa æris fulgentis optimi *pulchra vt aurum*. Hebraicè *Expetibilia vt aurum*. Dixi autem eis: Vos qui sancti estis, & Deo dicati, decet sancta sanctè ac fideliter tractare. Igitur vasa sancta, argentum & aurum, quod, non cogente exactione, sed ex spontaneâ deuotione oblatum est Domino Deo patrum nostrum, fideliter custodite, donec; sicut appensum accepistis appensum tradatis coram Principibus Sacerdotum, & Leuitarum ac Ducibus seu Principibus familiarum Israël thesaurario Ierosolymitani Templi, vt inibi reponatur. Pende particulas, *Vos sancti Domini, & vasa sancta, vigilate, & custodite.* * Profectò tam difficilis est auri & argenti fidelis dispensatio, vt necessum sit esse sanctos custodes, & sanctum seu Deo dicatum argentum & aurum custodiendum, vt reddendum integrè custodiatur. Ideò adiecit, *Custodite, donec appendatis coram Principibus*, donec scilicet eodem pondere, quo accepistis, reddatis.] Suscepere itaque Sacerdotes ac Leuitæ argenti, auri, ac vasorum pondus, vt Ierosolymam conscendentes, in Templum Domini deportarent.

Difficilè redditur argentum, seu aurum eodem pondere, quo accipitur.

4. *Vers.* 31.32.33.34.35.36. *Promouimus ergo, &c.*] Igitur à ripa fluminis Ahaua profecti sumus duodecimo die mensis primi Nisan, (qui Martio nostro ferè respondet) ieiunio octo dierum absoluto post tres dies, queis inibi ante ieiunium fueramus remorati, vt Ierosolymam versus pergeremus. Tam prospero autem donati sumus itinere, manu Domini protegente, vt nullo hostili tentamine disturbaremur. *Inimici*, ait, & *insidiatoris*, non *inimicorum*, ac *insidiatorum*. Singularem etiam numerum habet Hebræus ac Græcus textus; nec tamen vnum aliquem inimicum, aut insidiatorem designat; sed vniuersè omnes hostes, & insidiatores intelligit. Ast quia *manus Dei* erat super Israël, copiosissimæ hostium manus ita minuebantur, vt vnus *inimicus*, vnus insidiator appareret facillimè superandus.] Tandem sacræ Vrbis fores inuimus, ac tribus diebus molestias itineris tequiei indulgentes superauimus. Die autem quarta ministerio Meremoth filij Vriæ Sacerdotis, Eleazari filij Phinees, Iozabel filij Iosue, & Noadaia filij Bennoi Leuitæ traditum est aurum, argentum, & vasa Templi thesaurariis eodē pondere, quo fuerant accepta, summę vero omnis ratio in Libro thesaurorum Templi descripta est, anno, mense, ac die inibi annotato. Id existimo, illa verba, *Descriptumque est omne pondus in tempore illo.* Cæterùm Esdræ comites, qui è captiuitate aduentarant, in gratiarum actionem Deo in holocaustum obtulere duodecim vitulos pro omni Israëlitico populo, nonaginta supra sex arietes, septuaginta septem agnos, duodecim verò pro peccato de more hircos. Vt autem de Regis affecta in Iudæos voluntate constaret, Artaxerxis edicta tradiderunt Satrapis, *qui erant de conspectu Regis*, id est, qui quando erant in aula, coram Rege versabantur: & Ducibus, qui regionem totam illam, quæ trans flumen Euphratem aderat, gubernabant, Qui quidem sese placito Regis accommodantes, exaltauerunt Hebræos, Templóque Domini perficiendo, & exornando speciale adhibuerunt studium. * Agnatum enim aulicis, ad nutum *Regis aut austeri*, aut propitij accommodare affectus.]

Omnes hostes quasi vnicus in conspectu viri iusti facillimè vincendus.

Aulici ad nutum Regis austeri aut propitij affectus accommodant.

CAPVT IX.

Vestibus scissis, ac euulsis crinibus Esdras luget peccatum populi, qui cum Ethnicis fœmininis matrimonia contraxit: Deúmque precatur, vt iram suam à populo auertat.

1. POSTQVAM autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israël: Sacerdotes & Leuitę, à populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum. 2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima. 3. Cúmque audissem sermonem istum scidi pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ: & sedi mœrens. 4. Conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israël, pro transgressione eorum qui de captiuitate venerant, & ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum: 5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, 6. Et dixi: Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cælum, 7. à

Populus incolumis Ierosolymam init.

diebus patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, & reges nostri, & Sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, & in gladium, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus, sicut & die hac. 8. Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra, 9. Quia serui sumus: & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinauit super nos misericordiam coram rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret, domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda & Ierusalem. 10. Et nunc quid dicemus Deus noster post hæc? quia dereliquimus mandata tua, 11. Et quæ præcepisti in manu seruorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini vt possideatis eam, terra immunda est, iuxta immunditiam populorum, cæterarúmque terrarum, cum abominationibus eorum qui repleuerunt ea ab ore vsque ad os in coinquinatione sua. 12. Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum, vsque in æternum: vt confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum. 13. Et post omnia quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem sicut est hodie: 14. Vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis vsque ad consummationem, ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? 15. Domine Deus Israël iustus es tu: quoniam derelicti sumus, qui saluaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro; non enim stari potest coram te super hoc.

COMMENTARII.

1. Certior fit Esdras de peccato populi matrimonia cum Ethnicis fœminis contrahentis.

ESDRAS. 1.2.3.4.5. Postquam, &c.] Post nostrum è Babylone aduentum, post traditum Templo thesaurum, post fauoris Præsidum ex decreto Artaxerxis experimentum, Israëlitici Principes ad me accessere profantes: Non abstinuit populus à sociandis nuptiis cum gentilibus idolorum cultoribus. Imò non solum populus sæcularis, sed & Sacerdotes ac Leuitæ populus Gentilium commixtus est, eorúmque abominationum particeps effectus. Duxerunt enim sibi & filiis suis vxores de stirpe Chananæorum, Hethæorum, Pherezæorum, Iebusæorum, Ammonitarum, Moabitarum, Egyptiorum, & Amorræorum, semen sanctum cum populis Gentilium immiscentes. Manus etiam Principum, & Magistratuum fuit prima in transgressione hac, seu Principes ac Magistratus primi transgressi sunt sanctas manus impiis gentilium fœminarum manibus offerendo. * Quid gererent vulgares, si primarij, qui suo exemplo & authoritate deberent alios ab illicitis connubiis deterrere & abstrahere, primi ac præcipui sunt, qui in hoc genere deliquerunt. Principum prauum exemplum vulgares peruertuntur.] Cùm verò tristis hic sermo meas peruentasset ad aures, scidi vestes, euulsi comæ ac barbæ capillos, & mœrore affectus sedi in atrio Templi, quo Israëlitæ omnes confluebant. * Erratum enim ouium mœstitudinis affectum veri pastoris connotat in præcordiis, quo indicatur, multum ad eum de ouibus pertinere.] Porrò omnes illi, qui filiali Dei timore donati legis fuerant obseruatores, ad me, conuenerunt, vt mecum lacrymis prosequerentur iniquitatem eorum qui è captiuitate venerant tam sub Dario, quam sub Artaxerxe; nam qui sub Cyro iam ferè defuncti erant, agebatur enim annus octogesimus à solutâ primùm captiuitate. Vel ideo confluxerant ad me, vt verbis amicis mœrori meo solatium afferrent. Sed ego sedebam tristis vsque ad *sacrificium vespertinum*, quod sub horam vespertinam fiebat iuxta præceptum Domini Exo. 29. 38. *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea.* Et quomodo non assurgeret de afflictione, qui in sacrificio vespertino vidit Christi passionem mundi crimina diluentem!] * Porrò Christi sanguis agnatum est peccatis libidinis (quibus illicita consortia, iniens populus tunc inficiebatur) medicamen.] Vnde Eucharistiæ frequentia suadetur.] Equidem eo habitu, quo exponebat, nempe scisso iam pallio, & tunica à mœroris initio; genua curuaui, ad Dominúmque manus expandi exoraturus.

Obprauum Principum exemplii vulgus peruertitur.

Verus pastor mœrore afficitur ex ouili erratu.

Passio Christi tristes exhilarat, quia peccata obruit.

Sanguis Dominicus agnatum est peccatis libidinis medicamen.

Verſ. 6.7.8.9.10.11.12.13.14.15. *Et dixi, &c.*] Hæc autem Domino dictitaui. Deus meus, confusione ac rubore affectus non audeo, meam ad te faciem eleuare: quoniam iniquitates nostræ *super caput nostrum*, id est, in perniciem nostrã, te acriter vindicaturo, multiplicatæ sunt: & delicta nostra *vsque ad cælum*, seu vsque ad summum creuerunt, à diebus patrum nostrorum. Nec solùm illi deliquerunt, sed & nos ipsi grauiter vsque ad diem hanc peccauimus. Ob iniquitates verò nostras, te iustissimo vindicatore, nos ipsi, Reges & Sacerdotes nostri traditi sumus flagellandi in manus Regum Gentilium, in gladium, in captiuitatem, in bonorum expilationem, in confusionem vultus, *sicut in die hac*, id est, sicut hodie apparet, me non au-

2. Esdræ oratio pro populo connubiis illicitis reo.

dente

dente faciem ad te leuare præ confusionis magnitudine sed prinsquàm è memoria labantur aliquæ expendendæ particulæ. Primò adnoto, Esdram sæpè vsum esse vocabulo illo, *Iniquitates nostræ, Delicta nostra, Peccauimus, Iniquitatibus nostris.* Cur ergo iustus Esdras cum peccatoribus admiscet, quasi etiam ipse deliquisset? Nùm quia quasi vna Præsulis ac subditorum essentia?] * Nùm quia, delinquente subdito, peccatum tribuitur Prælato qui debebat subditum continere, ne delictis operam daret?] *. Nùm quia ex subditorum criminibus sic debet affici Præsul, ac si ipse eodem morbo laboraret, ex vi dilectionis?] Ita planè. Deinde expendo illud: *Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum.* Cur super caput nostrum? Certè quia ex iniquitatatibus intellectus lux obscuratur, mentis hebetudo tanta resultat, vt peccator nec futura respiciat, nec status sui miseriam expendat, bibens sicut aquam iniquitatem.] * Demum adnoto cuncta illa mala quæ peccata sunt consecuta: *In iniquitatibus nostris traditi sumus in gladium, in captiuitatem, in rapinam, in confusionem.* Omnes enim calamitates iniquo ex peccatis originem ducunt.] * Ponderat autem Esdras populi miseriam ampliùs, dum dicit: *In iniquitatibus nostris traditi sumus in gladium, &c.* Post iniquitates ablegatas affligi, magnum Dei beneficium est, quia tribulationibus animus repurgatur; at *in peccatis* affligi, miserrimum, *inutilis* enim est ad meritum tribulatio.] * Imò in peccatis affligi peccatorem, & non emendari, desperatæ cautæ est non leue indicamentum, quia sicut prædestinationis est documentum laboribus emolliri ad correctionem: damnationis est *indicium* laboribus contundi nec tamen conuerti.] *Et nunc quasi parum, & ad momentum* Hebraicè, *nunc quasi paruo momento*, id est, pro exiguo tempore grata facta est deprecatio nostra apud Dominum, obtinuimúsque, vt in Iudæam remitterentur Iudaïci seminis reliquiæ, *& daretur nobis, paxillum in loco Sancto eius*, id est, vt rursus figeremur in Iudæa. Hæc tamen metaphora præcipuè designat Esdras, Magistratus, & Principes, à quibus quasi *à paxillis* dependent publica negotia & salus Reipublicæ.* Pro magno beneficio reputat & meritò, in communi seruitute proprium de suâ gente Magistratum habere. Extraneus enim Princeps causas subditorum velut alienas aspicit.] * Dei quidem acri supplicio Regnum alienigenæ Principis subest imperio.] LXX. habent, *Dare nobis firmamentum.* Vox Hebræa יתד *iathed* clauum, *palum* significat. Vel ergo sumit metaphoram à baculo siue scipione, quo ad fulciendum corpus vtimur, vel à paxillis, quibus firmantur tabernacula, tensis funiculis, & pax illis in solo fixis. Vel à clauis, qui panguntur in littore, circa quos nauium voluuntur rudentes ad obfirmandas naues nè abripiantur in pelagus, & ad inhibendam iactationem. Certè (ait Esdras, insperato hoc beneficio Deus *oculos nostros* illuminauit, id est, recreauit, & refecit animos Iudæorum. Sicut enim tenebræ significant mœstitiam, ita lux lætitiam animi designat. Aliqua, inquam, lux post calamitatum tenebras nobis affulxit, *& vitam modicam* in seruitute nostrâ accipimus, id est, aliquod leuamentum modicum post Babylonicam seruitutem præteritam, & in præsenti etiam seruitute, cum scilicet liberè agere non licet, sed à Regis Persarum nutu non pendere oportet. Quo tamen tempore vitam nacti sumus, quia Rex nobis, ac rebus nostris fauet. * Vitam itaque *modicam* vocitat, aliqualem à seruitute recessum, vt indicet seruitutis statum verè esse mortem. Ad nutum enim & voluntatem alterius dirigi cadaueris status est, se se alienæ manui hûc illûc obuertendum committentis.] * Vnde sanctissimus P. meus Ignatius vt societatis obedientem exprimeret, eum cadaueri comparauit, quod alterius manibus sine repugnantia amouetur.] Serui profectò sumus, sed nostra in seruitute non omnino nos Deus dereliquit, sed ad nostram miseriam suam miserationem inclinauit Regem Persarum excitans nobis propitium, qui quidem nos hâc modicâ vita donauit, & sublimauit Templum Dei nostri tot pecuniis ad sacrificia, & cultum omnem destinatis. Præterea munificentissimus Dominus immutando cor Regis fecit extrui *solitudines* Israël, reædificato Templo, quod in solitudinem erat conuersum. Non solùm memorat beneficia Artaxerxis, sed aliorum etiam priorum Regum Persarum, sub quibus Templum est instauratum *Et daret nobis sepem in Iuda, & Israël*, id est, securitatem & defensionem à noxiis: sepes enim ab agris & hortis feras, & fures arcent, Vnde Isai. 5.2. de vineâ electa dicitur, *sepiuit eam.* & Mat. 21.33. *Sepem circumdedit ei.* Tigurina hanc sepem interpretatur mutum, quem Iudæi quasi furtiuè Ierosolymis hinc indè extruxerant, sed qui vilis esset & infirmus, vt horrotum, ac vinearum sepes. * Quidquid enim subolet furtum, agnatam habet infirmitatem. Vnde domus, maioratus, & quidquid ex furto acquisita substantia perficitur, illicò corruere necessum est, quia cuilibet rei furtiuæ agnata est infirmitas, ac consequenter desolatio.] *Et nunc*, id est, post tot beneficia accepta, & tantam expositam ingratitudinem, *quid dicemus Deus noster?* id est, quomodo audebimus tuo in conspectu profari, vt venia deprecemur donari? * Ingratitudo enim post beneficia accepta vim hebetat orationis.] Quonammodo profundere preces audebimus qui præcepta, quæ ex ore Prophetarum nobis iniunxisti, fuerimus transgressi? Tua illa sunt verba: Terra, ad quam vos ingressuri estis, ea potituri, Gentilium habitatorum iniquitatibus plena est immunditia *ab ore vsque ad os*, id est, vsque ad summum, more vasis pleni. Vel (si mauis) ab extremitate vnâ ad aliam. Ideò filias vestras non permittatis filiis eorum colligari coniugio: & eorum filias filiis vestris aptari. *Et non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum vsque in æternum*, id est, non sit vobis curæ salus aut prosperitas Gentilium vobis vicinorum, nempè si in suis erroribus obstinarint. Quasi dicerer, potius omnem mouete lapidem, ad illos pessundandos, & abscindendos: tantùm abest, velim vos illis matrimonio vel aliis fœderibus colligari. * Illam premè particulam. *Filias vestras nè detis filiis eorum &c. & non quæratis pacem eorum.* * Certè qui video innumeras rixas ob matrimonium excitari, crederem ex coniugiis illis initis pacem non quæri, sed pacem ablegari. Vnde sic exponerem: Matrimonia iniri non permittatis, alioquin vobis erit necessarium

Prælati ac subditi velut vnica essentia.

Delinquente subdito, peccatum Prælato tribuitur.

Ob dilectionem Prælatus debet peccata subditi velut propria reputare.

Peccata intellectum obtenebrant.

Cuncta mala iniquo ex peccato ducunt originem.

Miserrimum est in peccatis affligi, quia inutilis ad meritum tribulatio.

Indicium damnationis hominem agitari laboribus, nec tamen conuerti.

Magnum Dei beneficiũ est, Magistratum ex propriâ gẽte, ac natione habere.

Dei acri supplicio Regnũ alienigenæ Principis imperio subest.

Aliene parere voluntati cadaueris est status.

Societatis Iesu obediens subditus cadaueri comparatur.

Omni rei furto acquisita agnata est infirmitas, & consequenter desolatio.

Ingratitudo post beneficia accepta vim precum hebetat.

Intestina bella affolent è coniugijs inimicitiæ excitari, genero in socerum, nepte in socrum rebellantibus.

fatium pacem quærere à vobis recedentem, & vt vulgariter explicem: *ſi caſais vueſtras hijos con los Gentiles, andareis ſi empre, en buſca de la paz.* Inteſtina enim bella fouentur, genero in ſocerum, nepte in ſocrum continuò rebellante.] *Et poſt omnia*, quæ tranſgreſſoribus legum tuarum iuſtè minatus fueras, iam in nobis ſeptuaginta & plutibus annis completa: *tu Deus* noſter quo es animo pluſquàm paterno in tuos, rurſum miſericorditer minuiſti bella, & liberaſti nos iterùm, *ſicut eſt hodie*, ſeu de facto experimur, idque prouidè feciſti, vt illecti nouo, & inſperato beneficio, & ſic magis magiſque tibi obſtricti, non iterùm ad priſtina ſcelera conuerteremur.

Homines qua. ſi impeccabiles reddere debet coeleſtiũ beneficiorum replicatio.

* Nihil enim homines ſic deberet quaſi impeccabiles reddere, quàm beneficiorum cœleſtium replicatio.] Nos nihilominus obliti iam omnium tum veterum pœnarum, tum beneficiorum recentium (quæ humana eſt fragilitas, & ingratitudo;) relapſi ſumus in priſtina ſcelera, & cùm Gentilibus populis iſtis abominandi, matrimonia iunximus. Numquid meritò igitur iratus es nobis *vſque ad conſummationem*, id eſt, vt conſummatè & plenè nos deleas de terrâ, ita vt ne reliquiæ quidem ſuperſint, nullíque euadant? Domine Deus Iſraël *iuſtus es tu*, cuique iuſtitia (ingenue profiteor) exigebat, vt funditus nos exſcinderes; ſed miſericordia vti maluiſti, quâ ſaltem paucos reliquieres è nobis ſalutis, qui hâc die præſentes hic adſumus in conſpectu tuo, ſed *in delicto noſtro*, rei ſcilicet grauiſſimi criminis, *neque ſtari poteſt coram te ſuper hoc*, id eſt, non poteſt hoc vlla ratione negari, neque excuſari, neque inre defendi. * Hac planè humili confeſſione nudâ ac veraci conatur prudentiſſimus Antiſtes Dei conſequi veniam. Nihil enim ſic Deum allicit ad miſericordiam præſtandam quàm nuda delictorum ſine excuſatione confeſſio.]

Deum ad miſericordiæ allicit nuda delictorum ſine excuſatione confeſſio.

CAPVT X.

Aduocatis Iudæis omnibus, Eſdras præcipit vxores alienigenas repudiari. Qui huic operi præſint, deputantur. Et qui vetita huiuſmodi coniugia contraxerant, recenſentur.

1. SIc ergo orante Eſdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis virorum & mulierum & puerorum, & fleuit populus fletu multo. 2. Et reſpondit Sechenias filius Iehiel de filiis Ælam, & dixit Eſdræ: Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc, ſi eſt pœnitentia in Iſraël ſuper hoc. 3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proiiciamus vniuerſas vxores, & eos qui de his nati ſunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei noſtri; ſecundùm legem fiat. 4. Surge, tuum eſt decernere, nóſque erimus tecum: confortare, & fac. 5. Surrexit ergo Eſdras, & adiurauit principes Sacerdotum & Leuitarum, & omnem Iſraël, vt facerent ſecundùm verbum hoc, & iurauerunt. 6. Et ſurrexit Eſdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Iohanan filij Eliaſib, & ingreſſus eſt illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim tranſgreſſionem eorum, qui venerant de captiuitate. 7. Et miſſa eſt vox in Iuda & in Ieruſalem omnibus filiis tranſmigrationis, vt congregarentur in Ieruſalem: 8. Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta conſilium principum & ſeniorum, auferetur vniuerſa ſubſtantia eius, & ipſe abiicietur de cœtu tranſmigrationis. 9. Conuenerunt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in Ieruſalem tribus diebus, ipſe eſt menſis nonus, vigeſimo die menſis: & ſedit omnis populus in platea domus Dei, tremenres pro peccato, & pluuiis. 10. Et ſurrexit Eſdras Sacerdos, & dixit ad eos: Vos tranſgreſſi eſtis, & duxiſtis vxores alienigenas, vt adderetis ſuper delictum Iſraël. 11. Et nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite placitum eius, & ſeparamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. 12. Et reſpondit vniuerſa multitudo, dixítque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, ſic fiat. 13. Veruntamẽ quia populus multus eſt, & tempus pluuiæ, & non ſuſtinemus ſtare foris, & opus nõ eſt diei vnius vel duorum (vehementer quippe peccauimus in ſermone iſto.) 14. Cõſtituantur principes in vniuerſa multitudine & omnes in ciuitatibus noſtris qui duxerũt vxores alienigenas, veniant in tẽporibus ſtatutis, & cùm his ſeniores per ciuitatẽ, & iudices eius, donec auertatur ira Dei noſtri à nobis ſuper peccato hoc. 15. Igitur Ionathã filius Azahel, & Iaaſia filius Thecue ſteterunt ſuper hoc, & Meſollam & Sebethai Leuites adiuuerunt eos. 16. Feceruntque

rúmque ſic filij tranſmigrationis. Et abierunt, Eſdras Sacerdos, & viri principes familiarum, in domos patrum ſuorum, & omnes per nomina ſua, & ſederunt in die primo menſis decimi vt quærerent rem. 17. Et conſummati ſunt omnes viri, qui duxerant vxores alienigenas, vſque ad diem primam menſis primi. 18. Et inuenti ſunt de filiis ſacerdotum qui duxerant, vxores alienigenas. De filiis Ioſue filij Ioſedec, & fratres eius, Maaſia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia. 19. Et dederunt manus ſuas vt eiicerent vxores ſuas, & pro delicto ſuo arietem de ouibus offerrent. 20. Et de filiis Emmer, Hanani, & Zebedia. 21. Et de filiis Harim, Maaſia, & Elia, & Semeia, & Iehiel, & Ozias. 22. Et de filiis Phaſhur, Elioënai, Maaſia, Iſmael, Nathanael, Iuzabed, & Elaſa. 23. Et de filiis Leuitarum, Iozabed, & Semei, & Celaia, ipſe eſt Calita; Pharaia, Iuda, & Eliezer. 24. Et de cantoribus, Eliaſib. Et de ianitoribus, Sellum, & Telem, & Vri. 25. Et ex Iſraël, de filiis Pharos, Remeia, & Iezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer, & Melchia, & Banea. 26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, & Iehiel, & Abdi, & Ierimoth, & Elia. 27. Et de filiis Zethua, Elioënai, Eliaſib, Mathania, & Ierimuth, & Zabad, & Aziza. 28. Et de filiis Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai. 29. Et de filiis Bani, Moſollam, & Melluc, & Adaia, Iaſub, & Saal, & Ramoth. 30. Et de filiis Phahath, Moab, Edna, & Chalal, Banaias, & Maaſias, Mathanias, Beſeleel, Bennui, & Manaſſe. 31. Et de filiis Herem, Eliezer, Ioſue, Melchias, Semeias, Simeon, 32. Beniamin, Maloch, Samarias. 33. Et de filiis Haſom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manaſſe, Semei. 34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel, Baneas, & Badaias, Cheliau, 36. Vania, Marimuth, & Eliaſib. 37. Mathanaias, Mathanai, & Iaſi, & Bani, & Bennui, Semei, 38. Et Salmias, & Nathan, & Adaias, 39. Et Mechnedebai, Siſai, Sarai, 40. Ezrel, & Selemiau, Semeria, 41. Sellum, Amaria, Ioſephi. 42. De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, 43. Ieddu, & Ioël & Banaia. 44. Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

COMMENTARII.

1. Iubet Eſdras à Iudæis vxores alienigenas repudiari.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11. *Sic ergo, &c.*] Profectò ſic Eſdra exorante, implorante diuinam miſericordiam, & auxilium; flente atque iacente in atrio Templi, vbi poterat populus congregari (alioqui, cùm eſſet Sacerdos, inter veſtibulum & altare procul dubio oraniſſet; iuxta illud Ioël 2.17. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini.*) confluit ad eum de Iſraëlitis cœtus grandis admodùm virorum, mulierum, ac puerorum, populúſque diù altò eiulatu lacrymas profudit. * Quid non ſæculares deflerent, Sacerdote plorante, ſi actiones miniſtrorum Dei regula actionum ſubditorum exiſtunt?] Dum autem populus lacrymis loquebatur, Sechenias filio Iehiel de poſteritate Ælam, licuit per lacrymas vel voce reſpondere, ac profari. Nos præuaricati ſumus Deo noſtro præſcripta violantes, dum vxores alienigenas è populis Gentilibus duximus. Attamen, *ſi eſt pœnitentia in Iſraël*, id eſt, ſi eſt ſpes Deum per pœnitentiam placandi; *percutiamus fœdus* cum Domino Deo noſtro, ſiue ei reconciliemur, propulſantes vniuerſas vxores, ac ex eis filios progenitos, vt voluntati Domini, ac miniſtrorum eius timentium quidem eum, conformemur, quod ſcilicet iuxta permiſſionem legis iure præſtari poterit. Surge igitur, ad te pertinet id decernere, ad nos autem obedire, æquo animo eſto, & quidquid viſum tibi fuerit, fieri oportere, iube. Exiſtimant aliqui, legem Exo. 34. & Deuter. 7. quæ cum alienigenis coniugia prohibet, fuiſſe legem irritantem: atque adeò matrimonia illa omnia fuiſſe iure irrita, ac nulla. Putàs autem cum Caietano & aliis non fuiſſe irritantem, ſed vetantem ſolummodò quæſierim, quo iure hic omnia iuſſa ſunt, ſoluí? Reſponderim. Priuilegio libelli repudij Iudæis permiſſi: quo meritò iuſſi fuerunt vti, ad matrimonia tam periculoſa diſſoluenda. * Potentiſſima enim eſt coniugis aſſiduè hærentis coniugi malitia ad animum fidelem auertendum. Vnde apud Chriſticolas, cum libelli repudij priuilegium minimè vigeat, neceſſarium eſt ad colliganda matrimonia de coniugum moribus periculum facere; nè peruerſionis periculum ſubſit.] Certè nimis durum tibi videbitur, abiicere etiam filios proprios; qui de vxoribus alienigenis *nati erant*. Attamen ex Caietani ſententia durum minimè apparebit. Mariti enim non adiiciebant prorſus, & abſolutè filios illos ſuos, quaſi nullam curam eorum deinceps habituri; ſed *iuxta voluntatem* (Hebr. & Græcè *conſilium Domini*) & piorum virorum; *qui timent legem Dei*. Nempè ex horum præſcripto dimittebant à ſe filios ad aliqua pedagogia, vbi à probis præfectis inſtruebantur; pauperes quidem è publico ærario, diuites è parentum peculio. * Et planè id expediens erat, ne ſi filij penè parentes remanſiſſent, aſſiduo eorum intuitu, & amore inde exardeſcente, animi parentũ ad matres repetendas accederentur.] * Hinc præcipuè ſubtaxentur Clerici, qui vel recedente, imò etiam tua matre, filios ex impudicitia è domo non exturbant. Nam & peccatum illorum contra illos eſt ſemper, & fideles oculi ob prælapſum crimen, ob præſentem Clericalis ſtatus indecentiam

Actiones Sacerdotis regula ſunt actionum ſæcularis.

Coniugis malitia aſſiduum cõſortium potens eſt ad bonum cõiugem peruertendum.

Tenantur, qui ſœdum ex crimine natũ domi retinent ob periculum repetendi matrem.

Magnã Clericis præcipuè indecentia filios ex crimine domi habere;

centiam compunguntur ſcandalo.] Porrò illa Secheniæ verba, *Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas.* difficultatem ingerunt; fatetur enim ſe etiam legem de non ducenda vxore alienigena violaſſe, cum tamen in fine huius capitis in catalogo eorum, qui profanas duxére vxores, non recenſeatur. Aliqui dicunt Secheniam non deliquiſſe, ſed locutum eſſe non tam ſuo, quàm populi nomine. Aptè quidem, quia communitatis pluribus delinquentibus, iuſti ſe peccatores eſſe fatentur, vel quod ex ſocietatis vi eandem notam ſint habituri, vel quod ſupplicij communis futuri eſſent participes.] * Ego Secheniam verè dixerim innocentem, dum eum, reliquis obticentibus, proloquentem audio. Innocentia enim dat vocem, crimen autem adinit.] Alij putant, Secheniam planè deliquiſſe alienigenam ducés vt fatetur, *Nos præuaricati ſumus*, ſed in catalogo delinquentium prætermiſſum eſſe. * Qua re prætermiſſus? crediderim, qui peccatum ingenuè profeſſus eſt. Agnatum enim confeſſione peccatum operite. Dum pœnitens delictum manifeſtat, Deus illud operit, quaſi factum non fuiſſet.] Profectò illud verbum, *Surge, tuum eſt, decernere*, oſtendit apertè, Reipublicæ adminiſtrationem tunc penes Eſdram fuiſſe, Pontifice, vt apparet, iam vita functo. Ideo ſurrexit, & iureiurando obſtrinxit Principes Sacerdotum, ac Leuitarum, & cunctos Hebræos, vt implerent ea quæ circa vxorum repudiationem Sechenias fuerat locutus: & omnes ſeſe iuramento illigarunt. Tunc Eſdras ex atrio Templi, vbi cum populo aderat, receſſit ad cubiculum ſeu habitationem Iohanan *filium* id eſt nepotem Eliaſib Pontificis, & ingreſſus nec ſe, pane nec aquâ refecit, lugebat enim amare ob eorum, qui è captiuitate conſcenderant, tranſgreſſionem. * Pœnitentes edocens, lacrymas ieiunio coniunctas efficaciores reddi, ad veniam impetrandam.] Ex eius verò præſcriptione vox preconis in Ieruſalem, & in omni Iudæa indixit omnibus, qui è Babylone aſcenderant, vt ad Ieroſolymam ſe reciperent. Vt autem nullus auderet, ſe ab eiuſmodi expeditione excuſare, indicta eſt ſimul pœna amiſſionis bonorum & exturbationis è populo electo ijs, qui trium dierum ſpatio iuxta Principum ac ſeniorum decretum non conuenirent. * Hinc hominum vilitas oſtentatur, queis bonis mulctari, & in exilium mitti grauior eſt pœna, quàm ipſa legis diuinæ præuaricatio. Cùm certum ſit, ſupremam calamitatem eſſe, permitti, te defœdari delicto.] Illis itaque tribus diebus præcriptis omnes viri Iudæ ac Beniamin ad Ieroſolymam confluxére; tertius autem ille dies aduentus eorum fuit vigeſimus menſis noni Caſleu, qui noſtro Nouembri reſpondet. Concedit autem populus *in platea Domus Dei*, ſiue in areâ ante Templum tremens quidem interius *pro peccato*, exterius verò *pro pluuiis*; erat enim tunc tempus pluuium, & ipſi in platea ſub dio aderant. * Ex tremore verò peccati facilis erat fricoris ſuſtinentia. Nam qui memor eſt, ſe ob peccatum eſſe tartaro obnoxium cunctas corporis pœnas perleues adiudicat.] Cæterùm Eſdras ſurgens inclamauit: Vos legem Domini violaſtis, dum contra eius præſcriptum alienigenas duxiſtis vxores, vt peccata populi auctiora redderetis. Nunc itaque *date confeſſionem*, LXX. laudem Deo patrum veſtrorum, abſtracti à Gentilibus, & vxores alienigenas repudiantes.

Innocentia dat vocem, crimen adimit.

Dum pœnitens delictum cõfeſſione manifeſtat, Deus operit.

Lacryma à ieiunio efficaciores, ad veniam impetrandam.

Supremum ſupplicij eſt, permitti te fœdari peccato.

Facilè corporis pœnas ſuſtinet, qui memor eſt, ſe ob peccatũ tartaro eſſe obnoxium.

* Aptè *confeſſio* idem eſt ac Dei *laus*. Deo enim laus datur noſtra peccati confeſſione, ac deteſtatione, ſanctæque illius legis obſeruatione reuocata.]

Peccatoria confeſſio eſt Dei laus.

Verſ. 12.13.14.15.16.17. *Et reſpondit, &c.*] Obticuit Eſdras & vniuerſa multitudo eius affecta ſermone, & conuicta ratione reſpondit elato clamore: Rex iuxta tua verba geratur. Veruntamen quia populus multus eſt, & incommodum tempus ob imbres, nec poſſumus ſubdito conſiſtere ſine graui incommodo, nec ſufficit vnius diei ſpatium ad difficile facinus executioni dandum (*vehementer quippe peccauimus in ſermone iſto*) id eſt, latè patet hoc peccatum, & ad multos pertinet: Conſtituantur Principes in vniuerſâ multitudine, qui de toto hoc negotio cognoſcant: & quicumque in Vrbibus noſtris fuerit (ſic ex Hebræo) qui alienigenas duxerit vxores, temporibus ab aſſignandis Iudicibus ſtatuendis veniat, & cum eis adſint ſingularum Vrbium ſeniores ac Iudices, donec, expunctis vxoribus, iram à Domino auertamus. Placuit Eſdræ populariſ ex ore ſenioris alicuius facta propoſitio, & ad rei executionem deputati fuere Ionathan filius Azahel, & Iaaſia filius Thecue ex ſæcularibus ſenioribus: ex Leuitico vero ordine aſſignantur Meſollam & Sebethai, vt eidem negotio operam impenderent. * Optimè cauſæ publicæ expediuntur, cùm Eccleſiaſtica & ſæcularis prudentia colligantur, & rationi ſtatus zelus Religionis adiungitur. Ideò Eſdras Leuitici ordinis ad zelum Religionis Iudices adhibuit & ad rationem ſtatus Præſides expoſuit. Totum autem negotium hunc in morem *tranſmigrationis filij*, id eſt, qui è captiuitate Babylonicâ in Iudæam tranſmigrauerant, geſſerunt. Eſdras Sacerdos ac Reipublicæ tunc adminiſtrator, & Principes familiarum abierunt in domos patrum ſuorum, vt ſine confuſione familiarum Catalogus ſcriberetur; omnes ſe in familias ſuas recipere inſſi ſunt, quibus Eſdras ipſe ſuo præiuit exemplo. Itaque vniuerſus populus diſtinctus eſt in familias; & quælibet familia in capita *per nomina ſua*; & prima die menſis decimi adorſi ſunt inueſtigare, quinam eſſent, qui vxores alienigenas duxiſſent, vſque ad diem primam menſis primi: vnde tres menſes tenuit iſta recenſio, menſem ſcilicet decimum, vndecimum & duodecimum.

2. Aſſignantur Iudices, qui repudij vxorum difficilè negotium exerant.

Optimè expediũtur publica negotia cum rationi ſtatus zelus Religionis in iudicibus adiungitur.

Verſ. 18.19.20. vſque ad 44.] *Et inuenti ſunt.*] Perficitur Catalogus eorum qui vxores duxerant alienigenas, & de Sacerdotali ordine inuenti ſunt huius criminis rei, de poſteris Ioſuë, filij Ioſedec, & propinqui, aut conſamiliares eorum Maaſia, Eliezer, Iarib, & Godolia. Et *dederunt manus ſuas*, id eſt, conſenſerunt, ac promiſerunt, ſe coniuges illas eiecturos, imò eas illicò è domo exturbarunt, & promiſerunt pro delicto ſuo arietem offerre. Quàm pulchrè priùs eiicitur occaſio peccandi, quam oblatio firmet. * Vt edoceamur, Euchariſtiam non recipere ſolo propoſito correctionis expoſito, ſed ipſa correctione inita. Id exprimunt verba illa: *Et dederunt manus ſuas, vt eiicerent vxores ſuas & pro delicto ſuo arietem de ouibus offerrent.* Vbi aliqui ſic Interpretes explicant: *Promiſerunt, ſe eiecturos.* Alij autem, *Eiecerunt vxores, & obtulerunt arietem pro peccato.* Priùs enim peccator debet ſeſe

3. Catalogus eorum, qui vxores duxerant alienigenas.

Priùs peccator ſe ſe à delinquendi occaſione expediat, quàm det opperam Euchariſtico ſacrificio.

ſeſe ab occaſione criminis expedire, quàm det operam agni ſacrificio.] Etiam catalogo addicuntur de Sacerdotibus poſteris Emmer Hanani, & Zebedia. De poſteris Harim, Maaſia, Elia, Semeia, Iechiel, & Ozias. De poſteris Pheshur, Elioënai, Maaſia, Iſmaël, Mathanaël, Iozabed, & Elaſa. Porrò de Leuitico Ordine participes criminum ſcribuntur, Iezabed, Semei, Celaia alio nomine Calita, Phataia, Iuda, & Eliezer. De Cantoribus autem Eliaſib. * Cur non plures è cantoribus alienigenas vxores duxiſſe inueniuntur? Certè quia diuinis laudibus vacare homines à libidinis reuocat affectu. Vt orationis vim ad frænandam luxuriem animaduertas.] E ianitoribus demum conſcripti fuére ſellum, Telem, & Vri. Iam ex ſæcularibus Tribubus tranſgreſſores recenſentur. De poſteris Pharas, Remeia, Iezia, Melchia, Miamin, Eliezer, alter Melchia, & Banea. De familia Ælam, Mathania, Zacharias, Iechiel, Abdi, Ierimoth, & Elia. De familia Zethua, Elioënai, Eliaſib, Mathania, Ierimuth, Zabad, & Aziza. De familia Bebai, Iohanan, Hananiæ, Zabbai, & Athalai. De poſteris verò Bani, Moſollam, Mellùc, Adaia, Iaſub, Saal, & Ramoth. De poſteris Phahath, Moab, Ethna, Calal, Banaias, Maaſias, Mathanias, Beſeleel, Bennui, & Manaſe. De poſteris Herem, Eliezer, Ioſue, Melchias, Semeias, Simeon, Beniamin, Maloc, & Samarias. De poſteris Haſom ſcribuntur Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manaſe, & Semei. E familiaribus autem Bani, Maadi, Amram. Vel, Baneas, Badaias, Cheliau, Vania, Marimuth, Eliaſib, Mathanias, Mathanai, Iaſi, Bani, Bennui, Semei, Salmias, Nathan, Adaias, Mechnedebai, Siſai, Sarai, Ezrel, Selemiau, Semeria, Sellum, Amaria, & Ioſeph. * Videns tot poſteros *Vani* illicitis coniugiis reos *vanitatis* recordor, quam luxuriei matrem eſſe non dubito. Denique de familiaribus Nebo, Iehiel, Mathatias, Zabad, Zabina, Ieddu, Ioël, & Banaias. Omnes hi, quorum recenſui nomina vxores alienigenas duxerant, quarum multæ iam maritis filios pepererant. Sed hæ nihilominus è toto maritali electæ fuére, & filij ſeorſim nutriendi, & educandi expoſiti.

Vt orationis vim ad frænandã luxuriei, affectum.

Vanitas ſeu ſuperbia luxuriei pręcedens.



CAPVT

LIBER QVARTVS.

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD ESDRÆ SECVNDVM.

PROLVSIO.

Liber hic à Nehemia conſcriptus Eſdræ tamen à Latinis inſcribitur, eo quòd Eſdræ plura geſta contineat. Exprimit Vrbis Ieroſolymæ inſtaurationem, murorum, turrium, ac palatiorum refectionem deſcribit. Vnde mihi melioris Ieruſalem obiicitur exædificatio. Maria enim vera *Ieruſalem ædificatur vt ciuitas.* (loquor cum Richardo Laurentino lib. 11. de laud. Deip.) Aptè dicitur Ieruſalem; *nam Ieruſalem interpretatur pacifica, viſio pacis, & timor perfectus: & hoc totum conuenit Mariæ. Fuit pacifica, quia genuit pacem noſtram, qui Chriſtus eſt. Eſt viſio pacis, quia pacem illam vidit in humana carne, de qua Simeon, viderunt oculi mei ſalutare tuum, & per ipſam venitur ad pacis æternæ viſionem. Item Timor perfectus, quia timore reuerentiæ, qui ſanctus eſt, ſemper timuit Deum, vnde laudatur vt Mulier timens Deum.* Prou. 31. Sic Richardus. Porrò Auctor libri huius Nehemias fuit Sacerdos genere, ſanctitudine, ac naturæ dotibus excellens, ideóque Artaxerxi Longimano Perſarum Regi charus admodùm fuit, & poculis, quod quidem officium primæ notæ aulicis aſſolet iniungi.

CAPVT I.

Audito Iudæorum reductorum in patriam miſero ſtatu, ac conditione, Nehemias coram cœleſti Numine vicem eorum lacrymis proſequitur, eiuſque opem ieiuniis ac precibus efflagitat.

1. VERBA Nehemiæ filij Helchiæ. Et factum eſt in menſe Caſleu, anno vigeſimo, & ego eram in Suſis caſtro. 2. Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipſe & viri ex Iuda: & interrogaui eos de Iudæis, qui remanſerant & ſupererant de captiuitate, & Ieruſalem. 3. Et dixerunt mihi: Qui remanſerunt, & relicti ſunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictione magna ſunt, & in opprobrio: & murus in Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ eius combuſtæ ſunt igni. 4. Cúmque audiſſem verba huiuſcemodi, ſedi, & fleui, & luxi diebus multis: ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.

5. Et

5. Et dixi: Quæso Domine Deus cæli fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua: 6. fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie, nocte & die, pro filiis Israël seruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccauerunt tibi. Ego & domus patris mei peccauimus, 7. vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum, & cerimonias, & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo. 8. Memento verbi, quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: 9. & si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi vt habitaret nomen meum ibi. 10. Et ipsi serui tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida. 11. Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc. ego enim eram pincerna regis.

COMMENTARII.

1. Certior fit Nehemias de misero Iudæorum statu.

VERS. 1.2.3.4. *Verba Nehemiæ, &c.*] Verba, seu res gestæ Nehemiæ. Qui quidem fuit Sacerdos ex Tribu Leui, & viuente Eliasib Pontifice, Rempublicam administrauit, missus à Rege Persidis, vt habes etiam 2. Machab. 1. 10. *Et factum est*, id est accidit, vt ego mense Casleu, nono scilicet Iudæorum mense lunari nostro partim Nouembri & partim Decembri respondente, anno quidem vigesimo Artaxerxis longimani filij Xerxis, & quinti à Cyro Monatcha Persarum: essem apud castrum Susis Regiæ Persarum. Accessit autem tunc ad me vnus ex Contribulibus meis Leuitis Hanani nomine, quem quidam viri Proceres ex Tribu Iuda comitabantur. Postquam autem me saluere iusserunt, eos rogaui, vt me certiorem efficerent de statu Iudæorum, qui variis temporibus è captiuitate venerant Ierosolymam & adhuc erant superstites: & simul de ipsius Vrbis Ierusalem statu interrogaui. Profectò placet aliquibus annum hunc vigesimum fuisse Xerxis, non Artaxerxis Longimani; sed fuisse Artaxerxis huius, patet ex versu 1. Cap. sequentis, & Cap. vlt. versu 6. vbi Artaxerxi dantur anni triginta duo, quot non imperasse Artaxerxem, certum existimo. In cuius expositionem annoto, duplex solere exponi Regni huius Artaxerxis initium. Vnum à morte Xerxis, ex quo solus regnare cœpit: alterum à quinto anno finientes Regni Xerxis patris eius. Nam cum Xerxes tunc Hellespontum cum infinitis copiis traiiceret, & incertam aduersus Græcos aleam belli tentaret, filium suum Artaxerxem (more recepto Persarum) Regni socium adsciuit, ac successorem sibi designauit. Et ab hoc tempore hic anni Artaxerxis supputantur. Quando ergo hîc passim dicitur Nehemias, anno vigesimo Artaxerxis Vrbem Ierosolymam instaurasse, id intelligo de anno vigesimo, ex quo in viuis adhuc agente parente, simul cum eo regnare cœperat sub finem anni quinti Regni eius. Cúmque Xerxes vniuersim viginti annis imperarit, sequitur, id Nehemiæ factum sub finem anni quinti eiusdem Artaxerxis à morte parentis iam solitariè regnantis, contigisse. Hanani itaque & socij eius Iudæi meæ sic satisfecere quæstioni: Qui ex iis, quos ex captiuitate Iudæa recepit, superstites sunt, & *in Prouincia* commorantur, magna afficiuntur afflictione, magno aguntur opprobrio. Vrbsque Ierosolyma quondam potentissima fragili iam fundamine nititur, nam & muri eius coniacent dissipati, & Regiæ portæ eius flammis traditæ in cineribus auolarunt. * Preme particulas; *Murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.* Vt describatur Vrbis extrema ruina & murorum & portarum dissipatio annotatur? patens enim Ciuitas hostium perit incursu. Annon Deipara murus & ostium vocitatur? *Si murus est, si ostium est, &c.*] Cant. Dum igitur fidelis Ciuitas hoc muro cingitur, hoc custoditur ostio hostium non patebit incursibus. At si Marianæ protectionis murus & ostium desit, Ciuitas illicò deperibit.] Certè Iudæa vocatur *Prouincia*, quia in Prouinciæ formam redacta erat à Persis, sicut post annos plurimos à Romanis: cum hoc tamen priuilegio, vt Duces ac Gubernatores haberent de gente sua, vt de Zorobabele, Esdra, ac Nehemia constat. Vndenam illa *afflictio?* An quia circumiectis populis Samaritis, Arabibus, Ammonitis, Idumæis, ac Palestinis vexabantur? * Certè vel ipsa impiorum societas Iustis vexatio est. Quid enim dirius Dei filio, quàm cœlestis parentis adspectare contemptum?] Vndenam verò *opprobrium*? * Ex ipsa planè fidelitate. Nec enim videris iustitiam vnquam non agitatam obmurmurantium linguis.] Vndè aptè de Israëlitis illi Iudæi protulere, *Qui remanserunt, in afflictione magna sunt, & in opprobrio.* * Vt qui tot aufugientibus à Domino, remanent in iustitia, sibi persuadeant in afflictione ac opprobrio victuros, vt aurum conflagratione amplius repurgetur, & rutilet.] Igitur cum Hanani ac comitum eius eiusmodi verba audissem, corde saucius *Sedi* humi more lugentium, fleui, multisque diebus suspiria cum lacrymis in superos immisi, à cibóque abstinens exorabam. * O quàm efficax oratio à ieiunio ac lacrymis stipata? Afflictio corporis alas indit precibus ad auolandum, vt celerius optatis potiatur.] Addit Nehemias, *Orabam ante faciem Dei*, scilicet sine distractione, ac si Deum præsentem adspectarem. * Qui distractioni voluntariæ dum orat, acquiescit, indicamentum obiicit, se à facie Domini fugitare.] *Sedi* (inquit) humi, *& orabam ante faciem Dei.* * Quid sibi persuadet à Deo aspectari dum orat, in conspectuque Domini

Sine Deipara protectione fidelium Ciuitas miserè deperibit.

Impiorum societas est iustis vexatio.

Opprobria anguntur iusti.

Iusti laborum igne repurgantur, vt rutilent.

Oratio ex corporis afflictione efficacissima.

Qui voluntariè dum orat distrahitur haud in faciem Dei orat.

Orationem decet humilitatis habitus.

mini commorare, humilem præ ſe fert habitum, vt cordis exprimat reuerentiam.]

2. Oratio Nehemiæ.

Verſ. 5.6.7.8.9.10.11. Et dixi, &c.] Hæc autem mente, labiis, ac lacrymis dictitaui: Precor Domine Deus cœli fortis, magne, ac terribilis impiis, qui tamen pactam, as promiſſam miſericordiam his, qui te diligunt, tuaque conſequenter præſcripta cuſtodiunt. * Nec enim veraciter Deum amat, qui ab eius voluntate recedit; *Qui te diligunt & cuſtodiunt mandata tua.*] Fiant, inquam, *aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui.* Vt audiat Deus orationem Nehemiæ ſufficit aures fieri auſcultantes: cur addidit, *& oculi tui aperti?*

Deum Verè non diligit, qui eius præſcripta non ſeruat.

Oratio non ſolùm debet audiri à Deo, ſed & videri, dum operatrix eſt.

* Quia oratio illa apprimè eſt efficax, quæ non ſolùm terminatur ad aures, ſed ſimul eſt oculorum obiectorum: quæ ſcilicet operatrix eſt. Annon oratio Nehemiæ cum humilitate ac lacrymis colligabatur? Annon cum ieiunij afflictione inſonabat? Aptè igitur & Dei requirit auditum, & precatur adſpectum. *Aures tuæ, oculi tui.*] Aures ergo arrige, aperi lumina vt lacrymantem ac ieiunantem me aſpicias, & audias orationem, quam die ac nocte hodie coram te anxius effundo pro filiis Iſraël ſeruis tuis, quos afflictio tenet, angit opprobrium: *& confiteor pro peccatis filiorum Iſraël*, id eſt, ingenuè profiteor me non tam exorare pro filiis Iſraël *ſeruis tuis*, quàm pro eiſdem peccatoribus. *Peccauerunt quidem Iſraëlitæ, quid proficeret abnegare, ſi ad puniendum, te abnegatio irritat, dum ad miſerendum confeſſio trahit.] Pro *peccauerunt* eſt in Hebræo, & apud LXX. *peccauimus.*

Confeſſio peccati Deũ trahit ad miſerendum.

Peccata ſubditi tribuuntur Præſuli.

* Si Nehemias ſanctiſſimus non deliquit, cur ſe deliqui ſe ſimul exponit? Certè quia peccata populi refunduntur in Præſulem.] * Et quia tota communitas velut peccatrix oſtenditur, vel vno delinquente: quid ſi vnico iuſto, vel paucis exceptis reliqui crimine inficiantur?]

Vel vno delinquente, tota communitas vt peccatrix oſtenditur.

Iuſti ſemper iudicant, eorũ culpa populum flagellari.

* Et quia commune cum ſit ſupplicium afflictionis & opprobrij, ſemper iuſti ex humilitatis affectu præſumunt eorum culpa obortam eſſe tempeſtatem.] *Ego,* (addit) *& domus patris mei.* ſeu gens Hebræorum deliquimus, *ſeducti ſumus* equidem *vanitate.* Ex Hebræo Pagninus, *corruptione corrupti ſumus*, peccatis ſcilicet corrupti ſumus, ac perditi. Frequenter in Scriptura peccatum *vanitas* vocitatur. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*] * Quàm ſtultum ob vanam ac mendacem delectationem æterna gaudia vera vtique commutare!] * At aptiùs particula, *Corruptione corrupti ſumus* indicat, ex aliorum ſententia, populi illud peccatum, cum contra Dei præſcriptum vxores alienigenas conduxerunt Hebræi: quod quidem aptè *vanitatis* vocabulo exprimitur; vanitas enim ſiue ſuperbia ita aſſolent colligari, diuino ſupplicio, vt rarò ſuperbum videris, qui luxuriei non ſeruiat.] Præcepta tua, ac ceremonias legis, à te Moſi traditas nobis indicenda violauimus. Memento tamen illius verbi quod eidem Moyſi *mandaſti* ſeu pollicitus eſt, profatus: Cum præcepta mea tranſgreſſi fueritis, ego vindex vos diſpergam in Gentes, captiuitati addicam dirè puniendos. At ſi mentem gerentes meliorem è pœna peccati, reuerſi ad me fueritis, meæ legis obſeruatores; etiam ſi abducti fueritis *ad extremã cœli*, ſiue ad regionem vltimam, quæ cœli videtur contingere extremitatem, indè vos adducam, & reducam in Ieroſolymam, locum vtique, quem elegi, vt nomen meum inibi coleretur. Tota hæc clauſula ſumpta eſt ex Deut. 30. vbi pro particula *Ad extrema cœli*, eſt, *Ad cardines cœli.* Sunt autem cœli cardines polus Arcticus, & Antarcticus. Hiſpanè diceremos, *Aunque os ayan llenado del vn Polo al otro, os juntarè en Geruſalem.* Hi ô Domine, ſerui tui ſunt, & populus tuus, quos in fortitudine tua, ac valida manu, tot moraculis excitatis, redemiſti olim ex Ægyptiaca captiuitate in patribus: & poſtmodum ex Babylonica ſeruitute. * Profectò redemptos à Domino eſſe iterum à peccati ſeruitute fortis eſt ratio quæ poteſt Deo diuiti in miſerationibus adhiberi, vt rurſum ignoſcat.] Obſecro ergo Domine ſit auris tua *ad orationem ſerui tui, & ad orationem ſeruorum tuorum attendens.* * Cum enim orat pro peccatoribus iuſtus, neceſſum eſt vt ipſe ſimul exorent.] Peccatores ſunt, ingenuè profiteor, ſed volunt *timere nomen tuum*, id eſt, propoſitum iam ſe ad frugem meliorem recipiendi gerunt. * Alioqui enim preces eſſent inanes, vt exaudiri mererentur.] Cæterum dirige ſeruum tuum hodie, *& da ei miſericordiam ante virum hunc*, id eſt, propitius eſto in eo, quod molior aggredi apud Perſarum Regem, cui aliquando pocula miniſtrabam. Pincernæ autem titulo faciliorem mihi ad Regiam aditum præparabit. * Ad diuina quidem promouenda, oportet aliquando honorificum humanum ſtemma exponi.] Hinc humillimum meum Franciſcum de Borgia commendarim, qui quidem nonnunquam ſe Ducem profiteri à ſocio paſſus eſt, vt ei faciendi ſacrum venia exhiberetur à renuente quodam, qui attritum regulare deſpexerat indumentum.

Delectatio temporalis vanitas, & mendacium.

Superbia & luxuria rarò non coniunguntur.

Deus adeò miſericors, vt motiuũ ei ſit ad nobis parcendum, iterum, imò ſæpè peperciſſe.

Cum orat pro peccatore iuſtus, ipſe ſimul exoret.

Vt ſint fructuoſæ peccatoris preces, gerat propoſitum corrigẽdæ vitæ.

Ad diuina promouenda oportet aliquando humanum ſtemma exponi.

Meus Borgia ſe exponi Ducem paſſuſeſt, vt ei venia faciendi ſacrum daretur.

CAPVT

CAPVT II.

Nehemias instaurandi Ierosolymæ mœnia impetrat facultatem. Huic operi, fre-mentibus hostibus, diligenter incumbit.

1. FACTVM est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus ante faciem eius. 2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc fruſtrà, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valdè, ac nimis: & dixi regi: Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni? 4. Et ait mihi rex: Pro quare postulas? Et oraui Deum cæli, & dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam, ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam. 6. Dixitque mihi rex, & regina quæ sedebat iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis, & misit me: & constitui ei tempus. 7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam: 8. & epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum. 9. Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedíque eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum & equites. 10. Et audierunt, Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites: & contristati sunt afflictione magna, quòd venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israël. 11. Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus, & surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem, & iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam. 13. Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis: & ad portam stercoris, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni. 14. Et transiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento, cui sedebam, vt transiret. 15. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reuersus veni ad portam vallis, & redij. 16. Magistratus autem nesciebant quò abiissem, aut quid ego facerem: sed & Iudæis & Sacerdotibus, & Obtimatibus, & Magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, vsque ad id loci nihil indicaueram. 17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Ierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltrà opprobrium. 18. Et iudicaui eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi: & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. 19. Audierunt autem, Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellaris? 20. Et reddidit eis sermonem, dixíque ad eos: Deus cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.

COMMENTARII.

1. Ministrás Artaxerxi poculum Nedemias, ab eo reædificandi Solymæ muros facultatem impetrat.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Factum est autem, &c.*] Equidem mense Nisan, qui Hebræis est primus mensis anni, & partim Martio, partim nostro respondet Aprili, dum annus vigesimus Regis Artaxerxis ageretur, nactus sum occasionem, qua Rex epulo indulgens, sitim extinguere cupiebat petens, vinum sibi afferri, & de officio pincernæ eleuatum poculum Regi porrexi. Porrò *eram* tunc *languidus ante faciem eius*, id est, videbar illi subtristior esse, & animum præter solitum languere. Vnde Rex mihi: Quare inquit, mœrore afficeris, cum te minimè ægritudine correptum aspiciam. *Non est hoc fruſtra*, seu de nihilo. Ac si diceret, non soles extra morbum tristis apparere, vide colligo, te animo, coquere aliquod graue malum, quod statim volo mihi

R. P. de Escob. & Mend. in Secund. Esdræ lib. III.

Grauium virorum est nunquam sine graui causa contristari.

hi pandas. * Grauium virorum est, nunquam sine graui causa contristari, leuis enim animi indicamentum leuiter sese variis dedere affectibus.] Nimium extimui, tùm ne quid sinistri de me Rex suspicaretur, si silerem: tùm ne votis fruſtrarer meis, si tempore importuniore, vtpotè inter epulas & in præsentia multorum, qui non erga me bene erant affecti, petitionem meam plerisque odiosam, & quæ publico posset noxia videri Regi exponerem. Quidnam quæso Rex mali posset de Nehemia suspicari? Certè proditionem, aut venenum, quæ cum quis animo versat, fere etiam in vultu sceleris eminent notæ. * Peccato enim vel cogitationis agnatum est, operiri non posse.] Verùm mentem vicit petendi necessitas, & dixi Regi: Æternùm viue ô Princeps. Ciuitas Ierosolymæ, quæ est locus sepulchrorum, in quibus conditi sunt maiores mei, deserta iacet: & ego non contrister? Portæ eius subiecta flamma, aurolarunt in cineres: & ego non afficiar mœrore? * Hinc ediscimus, quanta ergà maiorum sepulchra sit exhibenda reuerentia, dum probus ille vnicè videtur dolere de Ierosolymæ ruina ex parentum sepulchrorum memoria.] Addit opportunè, *Et portæ eius combustæ sunt igni*, vt Ciuitatis desolationem expenderet. Vrbs enim siue custodia citò excidit. * Vt edoceamur, Monasteriorum incolumitatem à portarum custodia ducere ortum.] Ruinam verò ab incuria circa portas oriri.] Dixit autem Rex: Quid ergo postulas, quid facto opus est? Monuerim tamen, non solùm Iudæis, sed & Persis quoque valdè commendatam fuisse sepulchrorum curam, neque enim aliàs quæsiisset ex eo capite Nehemias præcipuum causæ suæ patrocinium. * Vt vel à Gentilibus edisca ergà sepulchra maiorum pietatem.] Et *orauit* Deum cœli tacita scilicet prece, vt linguam meam dirigeret, & cor Regis flecteret, vt postulatis meis annueret. * Exemplum orationis eiaculatoriæ adnota in iuuene aulico.] * Nihil gerendum sine oratione præmissa, si felicitas euentus intendatur.] Profectò Deus fauit oranti, dixi enim Regi: si tibi æquum videtur, & si seruus tuus conspectui tuo gratus existit, liceat, à te immissum Iudæam inire, & Ierosolymam patris mei continentem sepulchrum reædificare. * Pende illud: *Si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam.* Superfluere alicui non iniustè videbitur particula, *Si videtur Regi bonum*, nam si placeat seruus postulàs Regi, quidquid petit, iustum omninò ei assolet apparere. Vel iniusta enim postulata nunquam non inaurat affectus. Voris extemplo Rex annuit. Solum petiit tàm Rex quàm Regina (nam vtrique chariſſimus eram, neque volebant, diu mea præsentia carere) vt certum temporis spatium, quo abessem, idque quam breuissimum constituerem. * Illum existima probum esse ministrum, cuius absentiam sentiam non solum Rex, sed & Regina vitare conatur, signum enim est Regijs libidinibus minimè inseruire.] Quænam illa Regina? Admodum probabiliter assero, Esther fuisse, posito, Assuerum Estheris esse Artaxersem Longimanum. Tempus ergo constitui, quo elapso, me rursus eis affuturum spopondi, Rexque proficiscendi veniam impendit. Quantum fuerit illud tempus, non exprimitur. Crediderim, vnius anni terminum non excessisse. Licet postea non-

Peccato vel cogitationis agnatum est, operiri non posse.

Magna erga sepulchra maiorum reuerentia præstanda.

A portarum custodia Monasterij incolumitas oritur, ruina ab incuria circa portas derivatur.

Vel à Gentilibus edisce, circa maiorum sepulchra tuæ pietatem.

Orationis eiaculatoriæ exemplum.

Nihil sine præmissa oratione geratur.

Vel iniusta postulata assolet amantis affectus inaurare.

Ille probus minister, cuius absentiam non solum Rex, sed & Regina vitare conatur.

uo indulto eiusdem Regis permissus fuit totis duodecim annis ducem populi agere in Iudæa, in qua Rex operam eius, & præsentiam sentiebat, non vtilem modò, sed & necessariam esse. * Nisi dixeris, absentiam dilectionis esse interemptricem. Vnde qui præsentis amati vix vnius anni absentiam concedit, absentis diuturnam facilè patitur.] Hàc mihi venia data, Regem sic vlteriùs precatus sum: si tibi *videtur, bonum*, id est æquum, ad Ducés seu Præfectos Regionis trans flumen Euphratem digneris scribere epistolas, vt me vsque in Iudæam traducant securum, ne ab hostibus Iudaici nominis interceptus malè accipiar: & ad Asaph custodem *saltus Regis*, vt mihi ligna necessaria impertiat, vti possim portas turris palatij tegere Regij, quod est iuxta Templum, & Ciuitatis muros, nam & his inædificandæ sunt portæ ac turres, ad quarum contignationes opus multis trabibus erit. Denique at obtegendam domum, quam ingressus fuero nempe futuram mihi, meisque propriam saltus ille in Libano erat, è quo Dauid, & Salomon suas trabes & tigna perierant. Portò Nehemias volebat palatium antiquum maiorum suorum iam dirutum instaurare, vel aliud sibi de nouo construere, in quod commigrare posset, cum perfunctus officio pincernæ, vel Rege è viuis sublato, in Iudæam remigrare contingeret. * Addiderim, vel cùm à gratia Regis de aulicorum more excidisset. Ratus enim, qui post diuturnum Regis fauorem acceptum, decumbat in aula. Vnde prudenter ille domum sibi extruebat, qua post Regium fauorem, seu *Valimiento*, reciperetur.] Certè *Saltus Regis* voluptati venationis reseruatus erat in monte Libano. In Græco & Hebræo *Saltus* hic vocatur *Paradisus*. Constat autem ex Genophante leg. 1. Cyripæ D. olim Medis, & Persis in vsu fuisse huiusmodi Paradisos amplos, & circumseptos ad voluptatem. * Hi quidem Paradisi deliciæ Regiæ reparandæ Vrbi materiam suppeditarunt. Debet enim Rex ex deliciis, ex voluptatibus detrahere, vt desolatis populis ex superfluo illo penu succurrere.] * Iniquum enim est, corruentibus vrbibus, solummodò Regis, saltus persistere incolumes, imò eorum increscere amœnitates.] Verùm aliqui illam particulam, *Portas turris Domus* intelligunt de Templi vestibulo, quod speciem turris habebat, cum altum esset cubitos centum & viginti, sed Templum hoc tempore instauratione opus non habebat, cum esset non multò ante ab Esdra restitutum. Nam si indigeret instauratione, non dubito quin Nehemias à Rege veniam non ad Vrbis reædificationem, sed ad Templi refectionem petiisset. * Vrbis namque reparationem prudenter inchoaret à Templo. * Tunc enim firmiùs Ciuitatum apparatur integritas, cum Templorum Vrbium turres attrita reparantur.] Itaque Rex mihi *iuxta manum Dei bonam mecum*, rari, siue fauente cœlesti Numine expetitas epistolas tradidit.

Absentia dilectionis est interemptrix.

Ratus est Regis amicus, siue Valido, *qui decumbat in aula.*

Ex deliciis Rex detrahat, vt desolatis oppidis succurrat.

Iniquum est, corruentibus Vrbibus, horum Regis increscere amœnitates.

Ad Vrbium reparationem gerendam, prius debent Templa reparari.

Verſ. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Et veni, &c.] Igitur profectus ex aula veni ad Duces seu Præfectos regionis, quæ trans flumen Euphratem adiacet, eisque Regis literas tradidi. Immiserat autem Rex mecum militum Principes, & equites in custodiam. * Quicumque enim aliquod pietatis opus promouere intendit, hostium paret

2. Profectus Nehemias desolata lustrat Ierosolymam. *Qui pietatis aliquod inte-*

Est promouere opus hostium patet incursibus.

set incursibus.] Porrò Sanaballat Honorites, & Tobias seruus Ammanites de primariis Samaritanorum serui, seu clientes, & beneficiarij Regis Persarum, qui odio Iudæos prosequebantur, epistolarum audiére tenorem, & vehementer fuére afflictati, quod Regia auctoritate aduentasset homo, qui de filiorum Israël prosperitatis promotione curaret. * Sed hostium inuidia

Persecutiones sunt pij operis extruēdi mercenarij.

prosper est flatus qui facilius pij propositi nauem adducit ad portum. Ideò Deus assolet persecutionum sæua permittere extruendi pij operis mercenarios.] Inde Ierosolymam processi, vbi trium dierum spatio quieti, ac salutationibus operam impendi. Verùm exiguo sociorum aliquorum comitatu noctu surrexi, nec cuiquam indicaui Iudæorum, quid Deus dedisset in corde meo, *vt faceremin Ierusalem*, id est, quid boni ipsi vrbi conferre statuissem. * Egregia enim

Ad opera egregia perficienda, secretum est omnino necessarium.

opera secreti custodia perficiuntur, & rarò vllum exitum reducitur ad optatum nisi éx accurata secreti obseruatione.] *Et iumentum non erat mecum nisi animal, cui sedebam*, id est, ego solus equitabam, socij omnes pedites incedebant, ne nocturnus equorum strepitus silentio, & secreto, quod quærebam, officeret, propter quod & noctem & modicum delegeram comitatum. Et egressus sum *per portam*, id est, per vestigium portæ & semirutas patietinas, quæ antiquum nomen retinebant. Hæc porta *vallis* erat non illa Orientalis, quæ ducebat ad vallem Iosaphat: sed altera Occidētalis, quæ respiciebat valles cadauetum, & Caluariæ, cui proxima erat. LXX. habent *Portam Golila*, que *Caluariæ*, vel *stercorum* exponi valet. Egressus inquam noctu fui per huiusmodi portam, & ante *fontem draconis*, qui ad radices Caluarij montis scaturiebat, in ipsa cadauetum, siue stercorum valle ante vrbem inter portam sterquilinij & portam fontis, Draconis autem fons ille dictitatus à Dracone lapideo vel æneo aquam euomente, & ad portam stercoris aliam Vrbis Occidentem spectantem. Subtristis verò contemplabar murum Ierosolymæ dissipatum, & eius portas igne consumptas, Transiui ad portam fontis in latere Occidentali Vrbis adiacentem, & ad *aquæ ductum Regis Ezechiæ*, qui aquas ex superiori fonte Gihon in Sion deducebat. *Et non erat locus iumento, vt transiret*, quia ruderibus vel aquis plena erant omnia: vnde pedibus mihi eundum, vel circum eundum fuit. Ascendi autem, adhuc vigente tenebra, *per torrentem* Cedron, qui ex parte Aquilonari versus meridiem decurrebat; ego verò ab occidentali Vrbis latere versus Aquilonare procedebam. Considerabam itaque accuratiùs muri ruinam: reuersus autem veni ad portam vallis Occidentalem illam, qua primùm fueram ingressus, & redij ad habitaculum, vbi reliqui socij expectabant. * O quàm

Mala, quæ non videtur,

appositè prudentissimus Nehemias Vrbis conditor incursibus.] Porrò Sanaballat Honorites, & Tobias seruus Ammanites de primariis Samaritanorum serui, seu clientes, & beneficiarij Regis Persarum, qui odio Iudæos prosequebantur, epistolarum audiére tenorem, & vehementer fuére afflictati, quod Regia auctoritate aduentasset homo, qui de filiorum Israël prosperitatis promotione curaret. * Sed hostium inuidia prosper est flatus qui facilius pij propositi nauem adducit ad portum. Ideò Deus assolet persecutionum sæua permittere extruendi pij operis mercenarios.] Inde Ierosolymam processi, vbi trium dierum spatio quieti, ac salutationibus operam impendi. Verùm exiguo sociorum aliquorum comitatu noctu surrexi, nec cuiquam indicaui Iudæorum, quid Deus dedisset in corde meo, *vt faceremin Ierusalem*, id est, quid boni ipsi vrbi conferre statuissem. * Egregia enim opera secreti custodia perficiuntur, & rarò vllum exitum reducitur ad optatum nisi éx accurata secreti obseruatione.] *Et iumentum non erat mecum nisi animal, cui sedebam*, id est, ego solus equitabam, socij omnes pedites incedebant, ne nocturnus equorum strepitus silentio, & secreto, quod quærebam, officeret, propter quod & noctem & modicum delegeram comitatum. Et egressus sum *per portam*, id est, per vestigium portæ & semirutas patietinas, quæ antiquum nomen retinebant. Hæc porta *vallis* erat non illa Orientalis, quæ ducebat ad vallem Iosaphat: sed altera Occidētalis, quæ respiciebat valles cadauetum, & Caluariæ, cui proxima erat. LXX. habent *Portam Golila*, que *Caluariæ*, vel *stercorum* exponi valet. Egressus inquam noctu fui per huiusmodi portam, & ante *fontem draconis*, qui ad radices Caluarij montis scaturiebat, in ipsa cadauetum, siue stercorum valle ante vrbem inter portam sterquilinij & portam fontis, Draconis autem fons ille dictitatus à Dracone lapideo vel æneo aquam euomente, & ad portam stercoris aliam Vrbis Occidentem spectantem. Subtristis verò contemplabar murum Ierosolymæ dissipatum, & eius portas igne consumptas, Transiui ad portam fontis in latere Occidentali Vrbis adiacentem, & ad *aquæ ductum Regis Ezechiæ*, qui aquas ex superiori fonte Gihon in Sion deducebat. *Et non erat locus iumento, vt transiret*, quia ruderibus vel aquis plena erant omnia: vnde pedibus mihi eundum, vel circum eundum fuit. Ascendi autem, adhuc vigente tenebra, *per torrentem* Cedron, qui ex parte Aquilonari versus meridiem decurrebat; ego verò ab occidentali Vrbis latere versus Aquilonare procedebam. Considerabam itaque accuratiùs muri ruinam: reuersus autem veni ad portam vallis Occidentalem illam, qua primùm fueram ingressus, & redij ad habitaculum, vbi reliqui socij expectabant. * O quàm

Mala, quæ non videtur,

appositè prudentissimus Nehemias Vrbis conditor

corda non sauciant.

siderat diruptionem, vt eius instaurationi curam impendat. Mala enim, quæ non patent oculis, præcordia non sauciant.] * Non dubito, quin

Videant Reges Oppidorū ruinam vt eorum instaurationi studium impendant.

Reges Oppidorum instaurationi studium expedirent, si eorum ruinas aspectarent. Ideò sine restaurationis spe funditus Oppida coniacent, quia Reges non progrediuntur vel noctu vt ruinas prospectent.]

Vers. 16. 17. 18. 19. 20. Magistratus, &c.] Profectò Magistratus Regis qui Iudæi non erant, ignorabant quonam abiissem, aut quid gerere intenderem: imò nec Iudæis Sacerdotibus, Magistratibus & Optimatibus, ac reliquis *qui faciebant opus*, id est opificibus & inferioris notæ Israëlitis vsque ad id loci nihil indicaueram. * Secretum enim non solùm ab hoste, sed & ab amico custodiendum est, si non vis euulgari. Etenim difficiliùs custodiet amicus quod tu ab eo custodire non potuisti.] Igitur tempore loquendi aduentante sic eis mentem referaui: Nostris diram, qua premimur, afflictionem dum aspicimus Ierosolymam potentissimam olim Vrbem hominibus vacuam, speciem præ se ferre deserti, dumque eius ostia igne confligrasse videmus. Venite igitur & muros Ierosolymæ suscitemus, nec vltra tanto opprobrio nos affici permittamus. Et vt à timore eriperem, animósque adderem, eis indicaui *manum Dei mei, quod esset bona mecum*, id est, quò niterer cœlesti fauore & Regis promissione referaui, dicens: *Surgamus, & ædificemus.* Sermone itaque meo Iudæorum manus sunt confortatæ *in bono*, seu ad bonum opus illud alacriter suscipiendum. Cum autem exaudirent Sanaballat Horonites & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs è Samaritanorum gente, nos difficile opus iniisse, subsannauére nos, ac despexére dictitantes: Quidnam moliri intenditis? numquid vos contra Persarum Regem rebellare conamini? *Et reddidi eis sermonem*, Græcè λόγον, quod verro *rationem*, dixique ad eos: Deus cœli nos iuuare dignatur, *& nos serui eius sumus*, qui cœlesti auxilio freti non debemus sanctæ Vrbis opprobria sufferre: surgamus igitur ô Iudæi, & ædificare Vrbem diutiùs moliamur. *Vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem*, id est, nihil vobis commercij nobiscum: neque ius vobis vllum in hunc locum: neq; memoria, aut vestigium alicuius iuris in eum aliquando vsurpati. Nullo inquam estis loco apud nos, nullo numero, nullo merito, nihil commune vobiscum habere cupimus, neque opem vestram requirimus ad ædificandum, nec oblatam reciperemus. * Nihil enim prosperè assurgit, quod infidelium manu aut industria iuuatur.] * Hinc ediscant Catholici Principes difficile comparari victorias, quæ infidelium militum subsidio procurantur.]

3.

Iudæos Nehemias ad Vrbis reparationem excitat.

Tutum secretum vel ab amici custodiendum notitia, si non vis euulgari.

Nihil prosperè assurgit, quod infidelium manu præstatur.

Non vtantur Reges infidelium auxilio ad bella gerenda.

CAPVT III.

Describit Nehemias, quas quique Israëlitæ portas, quas muri partes, quas turres reædificauerint.

1. ET surrexit Eliasib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis: ipsi sanctificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel. 2. Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho: & iuxta eum ædificauit Zachur filius Amri. 3. Portam autem piscium ædificauerunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes. Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Uriæ, filij Accus. 4. Et iuxta eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, filij Mesezebel: & iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana. 5. Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui. 6. Et portam veterem ædificauerunt, Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes: 7. Et iuxta eos ædificauerunt, Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen. 8. Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia iurifex: & iuxta eum ædificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateæ latioris. 9. Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur princeps vici Ierusalem. 10. Et iuxta eum ædificauit Iedaia filius Haromaph contra domum suam: & iuxta eum ædificauit Hattus filius Hasebonias. 11. Mediam partem vici ædificauit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum. 12. Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Ierusalem, ipse & filiæ eius. 13. Et portam vallis ædificauit Hanum, & habitatores Zanoë: ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro vsque ad portam sterquilinij. 14. Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & seras, & vectes. 15. Et portam fontis ædificauit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificauit eam, & texit, & statuit valuas eius, & seras, & vectes, & muros piscinæ Siloë in hortum regis, & vsque ad gradus qui descendunt de Ciuitate Dauid. 16. Post eum ædificauit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsque contra sepulchrum Dauid, & vsque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium. 17. Post eum ædificauerunt Leuitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificauit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo. 18. Post eum ædificauerunt fratres eorum, Bauai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ. 19. Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli. 20. Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo vsque ad portam domus Eliasib Sacerdotis magni. 21. Post eum ædificauit Merimuth filius Uriæ filij Haccus, mensuram secundam, à porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib. 22. Et post eum ædificauerunt Sacerdotes, viri de campestribus Iordanis. 23. Post eum ædificauit Beniamin & Hasub contra domum suam: & post eum ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam. 24. Post eum ædificauit Bennui filius Henadad mensuram Secundam, à domo Azariæ vsque ad flexuram, & vsque ad angulum. 25. Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos. 26. Nathinæi autem habitabant in Ophel vsque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat. 27. Post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione, à turre magna & eminente vsque ad murum templi. 28. Sursum autem à porta equorum ædificauerunt Sacerdotes,

dotes, vnuſquiſque; contra domum ſuam. 29. Poſt eos ædificauit Sadoc filius Emmer contra domum ſuam. Et poſt eum ædificauit Semeia filius Secheniæ, cuſtos portæ Orientalis. 30. Poſt eum ædificauit Hanania filius Seleniæ, & Hanum filius Seleph ſextus, menſuram ſecundam: poſt eum ædificauit Moſollam filius Barachiæ, contra gazophylacium ſuum. Poſt eum ædificauit Melchias filius aurificis vſque ad domum Nathinæorum, & ſcuta vendentium contra portam iudicialem, & vſque ad cœnaculum anguli. 31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificauerunt aurifices & negotiatores.

COMMENTARII.

1. Duodecim portarum Ieſolymæ deſcriptio præmittitur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.] *Et ſurrexit, &c.*] Quia hoc capite frequens fit portarum mentio Vrbis Ieroſolymæ, præmittere neceſſum eſt duodecim fuiſſe Ieroſolymis primæ notæ portas ex tribus lateribus: nam ad quartum latus, nempe Meridionale, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum, aut exitum dabant, nullæ portæ extitere; reliqua verò latera ſingula quaternas habuerunt. Orientale latus ornabant porta *Gregis*, per quam pecora inducebantur, vt abluta in vicina Probatica piſcina in Templum immolanda inferrentur. Porta *Equorum*, per quam equi ducebantur aquatum in torrentem Cedron. Porta *Aquarum* ſic dicta à collectione aquarum iuxta eam detentarum à Rege Ezechia. Et porta *Fictilis* à ſingulis, & agris figlinis vicinis ſic nominata, qua deſcendebatur ad natatoriam Siloë, ſeu ad ſtagnum Salomonis. Verùm ad Aquilonare latus Vrbis erant porta *Beniamin* verſus eam Tribum ducens. Porta *Piſcium* ſic vocitata, quod frequentiùs piſces è mari Galilææ per eam in Vrbem inferrentur, aut quod proxima eſſet foro piſcario. Porta *Iudiciaria*, aliàs porta *Vetus* dicta, quod veſtigia eius apparerent à tempore Iebuſæorum, & Melchiſedeci. Ex ea enim patebat aditus ad *Acra* montem, & veterem Vrbem Salem, quæ poſtea Ieroſolymæ pars fuit. Et porta *Ephraim* ad eam Tribum ducens. Sed hîc non nominatur ſicut nec porta Anguli, quia non egebant repatratione. Demùm ad latus Occidentale erat porta *Anguli* ſic dicta, quod in angulo Vrbis Septentrionali & Occidentali ſita eſſet. Porta *Vallis*, porta *Sterquilinij*, & porta fontis, de quibus præcedenti capite nonnulla annotaui.

2. Porta Gregis, vſque ad Veteris reædificatio.

Igitur Iſraëlitæ reædificandæ Ieroſolymæ ſtudium impendunt. Surgit Eliaſib Pontifex ſummus nepos Ieſu, ſeu Ioſue, ac fratres eius Sacerdotes, vt reficiendæ Vrbi præberent initium * Ad opera enim pietatis debent Sacerdotes primi omnium aſſurgere, ſæcularibus vt exponant exemplum.] Principium verò ædificationis duxere à porta illa Orientali *Gregis*, quæ Templo erat proxima, quam *ſanctificauerunt*, ſeu perfecerunt, & inſignem rediderunt ſtructuræ præſtantia. Sic Vatablus. * Nam hæc vox *Sanctificare* quid inſigne portendit. Ne ſanctum eum vocites, quem egregiis virtutibus ornatum non videris.] Aptiùs tamen expoſuerim, illam dedicaſſe Sacerdotes, & peculiari aliqua benedictione ſanctificaſſe. * Cunctis enim ſacerdotalibus operibus agnata deber eſſe ſanctificatio.] Valuas portæ huiuſce ſtatuerunt, reficientes cuncta vſque ad Turrim *Meah*, quæ *Turris centum cubitorum* vocitatur, & vſque ad Turrim *Hananeel*, quæ aderat in angulo Orientis & Aquilonis. Totum id ſpatium *ſanctificauerunt*, mundantes à ruinis, & ruderibus, ac profanatione incendij, & reſtituerunt priſtino nitori, & vſui. Certè hi Sacerdotes vt initium faciebant inſtaurationis muri, ita ſolemni aliqua prece, ſacrificio, ac benedictione locum murorum, totamque Vrbem Deo, cuius erat quaſi peculium, dedicauere. * Vt edoceamur, omnium operum noſtrorum initium à ſuperis ducere, ad progreſſus proſperitatem.] *Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho.* In Hebræo & Græco eſt, *Ad manum eius*, quaſi dicat, vbi manus Eliaſib Sacerdotis magni & fratrum eius Sacerdotum opus finiebant, ibi ſequentes inchoabant viri Iericho à turri Hananeel, & deinceps. Ea autem de cauſa Ierichuntini inibi extructioni dedére opus, quod latus illud Ciuitatem eorum reſpiceret. * Proborum ciuium eſt, id accuratiùs gerere, quod ad Vrbis ſuæ peculiare commodum dirigatur.] Certè in explicanda murorum ſtructione ordine procedit Nehemias; ex Orientali enim latere per Aquilonare ad Occiduum ac Meridionale progrediens, donec ad portam gregis, vnde ductum eſt initium, progrediatur. Simul cum Ieruchuntinis Zachur filius Amri vſque ad portam Piſcium murum reædificauit. Porrò ad filios Aſiiaa pertinuit portam Piſcium reædificare, eam nouis tabulis texendo, ſtatuendo valuas, ſeras, & vectes. Quo quidem opere perfecto, Marimuth filius Vriæ, filij Accus inde perſecutus eſt muri refectionem. Quam adhuc Moſollam filius Barachiæ, filij Meſezebel produxit. His autem ſuum ſuſceptum opus terminantibus Sadoc filius Baana ſuum inchoauit, & perfecit. Locum autem dedit Thecuenis, vt ad deſignatam eis muri refectionem ſe accingerent. Optimates verò Thecuenorum dedignati ſunt manus ſacro operi admouere, vulgaribus eam curam remittentes. * Meritò ſanè notantur inertiæ, & ingrati animi Optimates illi: honeſtiſſimum enim eſt huiuſmodi ſacro miniſterio operam adhibere.] * Nullum, ſi ad Dei obſequium attineat, vile eſt miniſterium.] Cæterùm Ioiada filius Phaſca, & Moſollam filius Beſodia portam *veterem* refecerunt, texentes eam, eiuſque valuas, ſeras, & vectes inſtaurantes. At opus produxere Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites viri de Gabaon & Malpha *pro Duce, qui erat in Regione trans flumen* Euphratem, id eſt, ſuppeditante impenſas Duce quodam, aut Præfecto Regionis illius, qui pius erat in Iudæos: aut fortaſſe ipſo Nehemia, qui cum poteſtate miſſus erat à Rege Perſarum, & populi ſui Dux erat. * Vt Principis modeſtiam adnotes, qui curauit opus illud egregium ſilentio obuoluere quia ſolummodo Deo placere ſtudebat, non ab homini

Operum noſtrorum initium à ſuperiis ducamus, ad progreſſus & proſperitatem.

Proborum ciuium eſt, id accuratius gerere quod Vrbes ſuæ peculiare commodum dirigatur.

Honeſtiſſimum eſt Optimatibus manus cuilibet ſacro miniſterio ad hibere.

Nullum miniſterium eſt vile, ſi ad ſacra pertineat.

Sanctum non vocites eum, quem inſigni virtute ornatum non videris.

Cunctis Sacerdotum operibus agnata debet eſſe benedictio.

Egregia operatua ſtude ſilentio obuoluere; curans Deo ſoli placere.

hominibus commendari.] Post Iadon manus operi adhibuit Eziel aurifex aut faber ærarius (sic ex Hebræo צרפי *tsoreph*) filius Araia. Quem insequutus est Ananias filius *pigmentarij*. Profectò pigmentarij sunt miropolæ, vnguentarij, sephlasiarij, qui aromata è diuersis speciebus artificiosè miscent. *Et dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateæ latioris*, id est, ædificatores ex eo loco, in quo ædificauit Ananias, vsque ad extremum plateæ latioris intermiserunt exædificationem, quod ea pars staret, & instauratione non indigeret. Ab extremo autem latioris illius plateæ instituet opus suum Raphaias filius Hur *Princeps vici* Ierusalem. Dicitur Raphaias ædificasse iuxta Ananiam, quia primus post illum ædificauit, licet satis amplum spatium intercederet, quod reparatione non indiguerat. Princeps autem vici Ierusalem vocatur, siue dimidij vici, vti est in Hebræo, quia infrà v. 12. Sellum dicitur Princeps dimidiæ eiusdem vici partis. Erat autem Vrbs in certas diuisa regiones, quas etiam vicos vocitant, quorum vnus dicebatur Ierusalem. Profectò singulos vicos centenis constitisse domibus, quarum singulæ pluribus constarent familiis, à Villalpando accepi. Iuxta Raphaiam Ieiada filius Haromaph ædificauit *contra domum suam*, in eadem scilicet regione sitam: quod prudenter à Nehemia dispositum est, vt quisque tanto maiori diligentia ædificaret, quantò magis se, suaque in tuto collocare desiderabat, * Prudentis est Præsulis, quoad fieri possit, præscripta commodis subditi accommodare, vt alacriùs obediat.] Porrò Hartus filius Hasebniæ iuxta Raphaiam operi insudauit. Verùm *mediam partem vici*, & turrim Furnorum Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath refecerunt. Significat, bina muri spatia, quæ intra duas turres tendebantur, dimidio vico respondisse: vico autem integro quatuor: eaque à Melchia & Hasub fuisse refecta vnà cum Furnorum turri, quæ quidem sic dicebatur, quod pluribus furnis, quibus panes coquebantur, immineret. Ab ea verò muri parte suam inchoauit exædificationem Sellum filius Alohes Princeps alterius partis mediæ illius vici Ierusalem. Cum autem Sellum esset virili prole destitutus, filiæ eius pro patre ædificationem curauerunt. * Nec enim desiderio filij pater debet teneri, vbi filia virilis adest.]

Prudentis Præsulis est, accommodare præscripta subditi commodis, vt alacriùs ille obediat.

Non debet pater filij desiderio teneri, vbi filia virilis adest.

Vers. 3.14.15.16.17.18.19.20. *Et portam, &c.*] Profectò Hanum, & habitatores Zanoë Vrbis in Tribu Iuda reædificauere portam Vallis cadauerum, & Caluariæ, quæ erat ad Occidentem Ciuitatis sita: refecerunt valuas, seras, ac vectes eius, milléque cubitorum spatium vsque ad portam *Sterquilinij*, quæ aderat in occiduo Vrbis latere: quia verò ex hac porta Ciuitatis sordes egerebantur, inde illi nomen factum. * Iam video, quàm aptè Religionis typum Ciuitas Ierosolymæ gerat, dum portam *Sterquilinij* recognosco. Permanet enim impolluta Religio vbi sordescentes socij foras immittuntur.] * Hinc societatis nostræ commendatum institutionem, quæ porta sterquilinij sociis sordescentibus aperitur, nè tota Ciuitas sacra vnius aut alterius noxiis moribus inficiatur.] Portam autem *Sterquilinij* Melchias filius Rechab Princeps vici Bethacharam reædificauit, valuas eius, Seras, ac vectes statuendo. Prætereà Sellum filius Choldoza pagi Maspha seu vici Ierosolymitani sic appellati ab altitudine situs (nam *Maspha speculam* significat) portam *Fontis* sic dictam à vicino Siloë fonte, in eodem latere Occidentali Vrbis sitã reædificauit, texit, & valuas eius, seras, ac vectes statuit. Refecit & ipse muros piscinæ Siloë lateritios, quibus aquæ piscinæ continebantur, ad hortos Regios irrigandos. Prouecta etiam fuit reædificatio illa vsq; ad gradus, qui descendunt de Ciuitate Dauid. Ciuitas enim Dauid in edito erat loco, hoc est, in monte Sion. At post Sellũ opus suũ instituit Nehemias filius *Azboc* (non quidem Nehemias auctor huius Libri, qui filius fuit Helciæ) Princeps dimidiæ partis vici Berhsur: & id perduxit vsque ad partem illam, quæ Dauidis sepulchrum è directo aspectabat: & vsque ad piscinam, quæ ab Ezechia Rege grandi, seu superbo opere fuerat constructa: & vsque ad domum *Fortium*, sic dictam, vel quod ibi Dauidis fortes habitassent, vel quod in ea milites præsidiarij Dauidicæ Ciuitatis stationem haberent. Vel quòd inibi Ierosolymitana iuuentus militaribus exercitamentis excoleretur, vt fortes, ac periti fierent bellatores. * Vt ediscant Reges, fortium domos similes instituere, si velint fortes milites ad bella parari. An ex domo, vbi ludus latrunculorum, alueorum, cartharum, aut trudiculorum instituitur, possunt strenui euadere milites?] Post Nehemiam illum Leuitæ suum opus ad refectionem murorum adhibuere, quorum præcipuus fuit Rehum filius Benni, & Hasebias Princeps dimidiæ partis vici Ceilæ, qui quidem suo ædificauit in vico. Certè vicus seu regio Ceilæ erat in monte Sion, & claudebatur muro Ciuitatis à duobus Principibus Hasebia, & Bauai. Nam post Hasebiam ædificando dedere operam fratres eius Leuitæ, quorum speciatim Bauai filius Enadad Princeps alterius dimidiæ partis vici Ceilæ operi insudauit: Certè vicus ille nomen videtur accepisse ab Oppido Ceila, ad quod olim Dauid se fortiter contra Philisthæos gesserat. 1. Reg. 23. Profectò iuxta Bauai Azer filius Iosue Princeps Maspha dimidiæ scilicet partis eius vici, (nam alterius dimidiæ Princeps fuit Sellum) reædificauit *mensuram secundam*, id est duplam, spatium scilicet, quod inter tres turres tendebatur: idque *contra ascensum firmissimi anguli*; quem angulum constituendum existimo in medio muri meridiani, in eoque altissimam, ac munitissimam turrim elenari affirmo, quæ vtramque muri partem colligaret, ac custodiret, quam ab Ozia constructam probabile reor. 1. Paral. 26. 9. Post Azerum verò *in monte* Sion Baruch filius Zachai mensuram *secundam*, siue duplam extruxit ab angulo illo vsque ad portam domus Pontificis Eliasib.

Domus instituenda à Regibus, vbi iuuenes ad bellum exerceãtur, non ad ludos.

3. A Porta veteri vsque ad Portam domus Eliasib Pontificis, refectio.

Religio habeat portam, qua sordescentes socij foras immittantur.

Societas Iesu habet portam, qua emittãtur sordes, ne sacra Ciuitas inficiatur.

Vers. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Post eum, &c.*] Verùm vbi Baruch opus terminatur, instituitur opus Merimuth filij Vriæ, filij Haccus, Duxit hic mensuram *Secundam*, seu duplam à porta domus Eliasib (non Vrbis) *Donec extenderetur*, siue quantum extendebatur Eliasib Pontificis domus. * Itaque non ipsa Pontificia domus reficitur, sed murus Vrbis illi respondens. Nec enim communis negotij prætextu vel Principum procuranda sunt commoda.] Equidem iuxta Merimuth suum perfecere opus Sacerdotes de campestribus Iordanis oriundi, quique illic habitabant, licet etiam domos

4. A Porta domus Eliasib vsq; ad portam Iudiciariam constructio.

Communis negotij prætextu nõ sunt vel Principũ commoda procuranda.

domos Ieroſolymis haberent. Et poſt eundem Merimuth muri eis aſſignatam portionem refecerunt Beniamin,& Haſub iuxta domum ſuam: & Azarias filius Maaſiæ filij Ananiæ etiàm iuxta domum ſuam muri partem inſtauravit. Poſt quem Bennui filius Henadad menſuram *ſecundam* ſiue duplam refecit, à parte illa, quæ domui Azariæ reſpondebat, *vſque ad flexuram, & vſque ad angulum.* Mons namque Sion in parte Orientali curuitatem introrſum habebat,vbi natatoria Siloë erat excauata: ad cuius formam etiam murus inflectebatur, donec in medio obtuſum quendam angulum efficeret. Phalel verò filius Ozi ſuam extructionem inſtituit ab ea murorum portione, quæ è directo aſpiciebat flexuram & turrim,quæ eminet de præcelſo Regis Salomonis palatio, *id eſt, in atrio carceris,* quod in turri illa ſitum erat. Poſt Phalel verò Phadaia filius Pharos aſſignatum ſibi opus perfecit, Porrò Nathinæi in vico Ophel habitabant: reædificaueruntque muri partem, quæ reſpondebat eorum habitaculo, ſcilicet à vici illius initio vſque ad portam *Aquarum* ad Orientem, & turrim, quæ prominebat. Certè porta *Aquarum* recta reſpiciebat medium Regij palatij, interiecta platea, quæ platea, porta *Aquarum* vocitabatur, quod Nathinæi de officio ſuæ ſortis, (Ioſ.9.) per eam aquas ad vſum Templi deferrent. Poſt eos ædificauére Thecueni duplam menſuram è regione à turri magna, & eminenti, *vſque ad murum Templi*, ſeu vſque ad illam muri partem, quæ Templi ſitum æquare videbatur. *Surſum* autem, id eſt à porta *Equorum*, quæ aderat in eleuato latere Orientali Vrbis Sacerdotes ſuam inſtructionem inſtituerunt. Vnuſquiſque verò eam muri partem reficere conabatur, quæ domum ſuam recta aſpectabat.

Dedecet Sacerdotale ingenium, temporaria domus æternitatem procurare.

* Porrò hoc ex capite haud nimium commendabiles Sacerdotes putarim. Dedecet enim Sacerdotale ingenium, temporaria promouere commoda: temporariæque domus perpetuitati ſtudere.] * Pudeat hinc Sacerdotes illos,qui extruendis ſuperbis ædibus impendunt diuitias,

Sacerdos non inſeruat temporaria ædificandæ domui diuitias, ſed æternæ.

quæ per inopum manus deberent ad cœleſtem domum exædificandam transferri.]Poſt eos Sadoc filius Emmer portionem muri propriæ domui reſpondentem reædificauit. Et poſt Sadoc Semaia filius filius Secheniæ cuſtos portæ Orientalis Templi reficiendo muro operam expoſuit. Vlteriùs verò Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph *ſextus* filiorum, quinque enim fratres ſe maiores habebat, operando expleuit menſuram duplam: ſubtaxatis vtique maiores illos fratres, de quorum ædificatione nulla fit mentio. * Sæpè enim diuino obſequio alacrius offeruntur, qui minori adſtinguntur obligatione.] Certè poſt Ananiam Meſollam filius Barachiæ opus inſtruxit *contra gazophylatium ſuum*, id eſt, contra ædem, in qua ſuppellectilem,& diuitias ſuas repoſitas habebat. Vatablus vertit. *E regione cubiculi ſui* Ibi enim habitat ſolummodo diues, vbi ſuæ diuitiæ reponuntur.] Denique Melchias filius filius *aurificis* ſiue fabri ærarij cuiuſdam celebris poſt Hananiam, & Hanum ſibi aſſignatam muri refectionem inſtituit vſque ad domum Nathinæorum, *& ſcruta vendentium*, ſeu eorum, qui varia ac multiplicia genera mercium minutatim, ac particulatim populo diuendebant, contra portam *Iudiciariam*, quæ propinqua erat Templo, & portæ *Gregis*, eadem inferiùs cap. 12. 38. videtur dicta porta *Cuſtodiæ*. * Iudicia etenim Vrbes cuſtodiunt, quæ quidem ex incuria circa iudicia exercenda aſſolent omninò deperdi.] Iuxta portam hanc iudicia publica exercebantur, quæ vt nunc in curiis, ita olim in aliqua portarum Vrbis ſolebant celebrari. * Vt ineuntes Vrbem,ſibi perſuaderent, ſe ad legum obſeruationem accingi debere, vt verè ciuis & non extraneus valeret vocitari.] Porrò Iudiciaria hæc porta non ducebat extra Vrbem, ſed in vicum Nathinæorum, qui iuxta turrim Ophel erat vnus è maioribus vicis, ſeu regionibus,in quas Ieroſolyma erat diuiſa. * Vereor ne nunc alio ſenſu porta iudiciaria, ſiue ipſa iudicia ad Nathinæos viliores, ad agricolas deducantur ſolummodò, dum ciues diuites, dum proceres ſine lege vi-ctitant.] Opus itaque Melchiæ in *Cœnaculo Anguli* (hoc loci nomen) terminatum eſt. At negotiatores Vrbis, & aurifices, ſeu fabri ærarij partem muri in porta *Gregis* inter *Cœnaculum Anguli* refecerunt. * Vides Nehemiam ad Ieroſolymam acceſſiſſe, vt Ieroſolymam inſtauraret: & ſolummodò de reficiendo murorum ambitu ſolicitum fuiſſe. Quaſi tota conſtaret ciuitas dum murorum cuſtodia repararetur.] * Vis Monaſterij Monachorum aut Monialium integritatem veſtigare internam? Periculum fac de murorum integritate. Infirmus eſt murus ex facili portarum reſeratione, ex nimia auditorij (ſeu *del Locutorio*) licentia? Sacra eſt deſolata ciuitas. Ad cuius reparationem ſufficiet huiuſmodi murorum ruinas reparari.]

Sæpè diuino obſequio alacrius offeruntur, qui minori adſtringuntur obligatione.

Dines ſolummodò habitat, vbi ſua claudantur diuitiæ.

Iudicia vrbes cuſtodiunt.

Obſeruatio legis ciuilis verè ciuem conſtituit.

Legum ſtrictio dirigitur ad pauperes, dum diuites ſine lege viuunt.

Tota conſtat Ciuitas, dum murorum cuſtodia reparatur.

Monialium Ieroſolyma deſolata eſt, dùm infirmata eſt muri externi cuſtodia.

CAPVT IV.

Samaritanis aduerſantibus, & irridentibus, Iudæi altera manu ædificant, altera gladium tenent. Nehemia autem orante, & ſuos ſtrenuè vrgente, opus perficitur.

1. ET ACTVM eſt autem, cum audiſſet Sanaballat quòd ædificarémus murum, iratus eſt valdè: & motus nimis ſubſannauit Iudæos, 2. & dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num ſacrificabunt, & complebunt in vna die? Numquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combuſti ſunt? 3. Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: Ædificent: ſi aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum. 4. Audi

Deus noſter, quia facti ſumus deſpectui: conuerte opproprium ſuper caput eorum, & da eos in deſpectionem in terra captiuitatis. 5. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriſerunt ædificantes. 6. Itaq; ædificauimus murum, & coniunximus totum vſque ad partem dimidiam: & prouocatum eſt cor populi ad operandum. 7. Factum eſt autem, cùm audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammonitæ, & Azotij, quòd obducta eſſet cicatrix muri Ieruſalem, & quòd cœpiſſent interrupta concludi, irati ſunt nimis. 8. Et congregati ſunt omnes pariter, vt venirent, & pugnarent contra Ieruſalem, & molirentur inſidias. 9. Et orauimus Deum noſtrum, & poſuimus cuſtodes ſuper murum die ac nocte contra eos. 10. Dixit autem Iudas: Debilitata eſt fortitudo portantis, & humus nimia eſt, & nos non poterimus ædificare murum. 11. Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & ceſſare faciamus opus. 12. Factum eſt autem, venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos, 13. ſtatui in loco poſt murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis ſuis, & lanceis, & arcubus. 14. Et perſpexi, atque ſurrexi: & aio ad Optimates & Magiſtratus, & ad reliquam partẽ vulgi: Nolite timere à facie eorum, Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus veſtris, filiis veſtris, & filiabus veſtris, & vxoribus veſtris, & domibus veſtris. 15. Factum eſt autem, cùm audiſſent inimici noſtri nunciatum eſſe nobis, diſſipauit Deus conſilium eorum. Et reuerſi ſumus omnes ad muros, vnuſquiſque ad opus ſuum. 16. Et factum eſt à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & principes poſt eos in omni domo. 17. Iuda ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: vna manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium: 18. ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant: & clangebant buccina iuxta me. 19. Et dixi ad Optimates, & ad Magiſtratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grãde eſt & latum, & nos ſeparati ſumus in muro procul alter ab altero: 20. in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noſter pugnabit pro nobis. 21. Et nos ipſi faciamus opus: & media pars noſtrum teneat lanceas, ab aſcenſu auroræ, donec egrediantur aſtra. 22. In tempore quoque illo dixi populo: Vnuſquiſque cum puero ſuo maneat in medio Ieruſalem, & ſint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum. 23. Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & cuſtodes, qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra: vnuſquiſque tantùm nudabatur ad baptiſmum.

COMMENTARII.

1. Irident Samaritani muri refectionem, de qua Nehemias apud Deum expoſtulat.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Factum eſt, &c.*] Igitur cum audiſſet Sanaballat Samaritanus ille Procer, nos Ieroſolymæ murum inſtaurare, ingenti fuit iracundia affectus, & nimius animi motus exorbitans profluxit ad labia, & Iudæos effrænata irriſione percuſſit, coram fratribus ſuis ſeu propinquis, ac frequentia Samaritanorum dictitans: Quid Iudæi imbecilles exerunt? Permittemuſne Gentiles vt ſua Iudæi mœnia reſtaurent? Putantne tanta ſe celeritate poſſe illud opus expedire, vt vna eadémque die, qua inchoabunt, etiam compleant illud, & dedicent? Quod quidem fiebat ſacrificando, ac feſtiuè epulando; ideò dicitur, *Num ſacrificabunt, & complebunt in die vna die?* Sat tempeſtiuè ad eos impediendos aderimus. Et vt ſineremus eos agere, numquid reſtituent in ſtatum priſtinum, in primam duritiem & formam lapides incendio redactos in puluerem? In Hebræo habetur, *Numquid viuificabunt lapides de aceruis pulueris, cum iſti exuſti ſint?* * Preme verba, *Num ſacrificabunt, & complebunt in vna die?* Prius poſuit, *ſacrificabunt*, mox *complebunt*. Dum enim opus perdifficile à ſacrificio peracto inſtituitur, feliciter completur: quaſi idem ſit ſacrificare, & compleri.] Piè verò opus illud ſacrificio erat dedicandum in gratiarum actionem. * Quaſi imperfecta enim manent opera, quæ gratitudine non ſigillantur.] Sed & Tobias *Ammonites*, ſiue Ammonites, eius proximus ſeu propinquus aiebat: Ædificent, agant quidquid voluerint, quidquid poterunt: ſtructura tam erit infirma, tam humilis, vt à vulpe tranſiliri, quin & euerti, non poſſit. Amara quidem irriſio, de qua Nehemias ſic apud Deum expoſtulat: *Audi*, ſeu audiſti Deus noſter, nos deſpectui eſſe addictos: opprobrium hoc in eorum caput conuerte, vt *in terra captiuitatis*, ſiue alienigenis ſubiecta ipſi oppreſſi ſimili deſpectione afficiantur. *Ne operias* peccatum eorum obliuione, aut impunitate. Ac ſi diceret, ob oculos ſemper habe peccatum eorum, & conſequenter etiam puni. Nam cum parcit Deus peccatori, dicitur *tegere* peccata, vel *delere*; *detegere* verò vel *ſtatuere* peccata, cum delinquentem punit. * Cum autem dumnos peccata confitentes aperimus, Deus ipſa peccata operit, certum eſt, confeſſionis manifeſtatione crimina

Cum opus difficile è ſacrificio inchoatur, mox feliciter completur.

Gratiarum actio omne opus ſequatur.

Confeſſionis manifeſtatione crimina operiuntur, nõ euulgantur.

crimina operiri, non euulgari. Vnde qui expetit, eius crimen operiri, illud Confeſſatio illicò manifeſtet.] Non ergo petit hîc Nehemias, vt Deus non ignoſcat culpam pœnitentibus: hoc enim impium eſſet; ſed ne pœnam impœnitentibus condonet; *quia* (inquit) *irriſerunt ædificantes.* * Etenim quodcumque iuſtorum opus irridere ſpeciatim quod ad proximorum ſpiritalem pertineat ædificationem graui multa agnatum eſt piaculum.] Itaque minimè obſtante Samaritanorum murmure, murum reædificauimus, & exeximus totum vſque ad altitudinis deſtinatæ medium: *& pronocatum eſt cor populi ad operandum* vlteriùs. Operantibus enim creſcit animus cum vident opus ſurgere, ac incrementum capere. * Vt ſpirituali ædificationi incumbentes Euangelij miniſtri alacrius ad vlteriora deferri ſe debere ediſcant, cum vident prælapſæ fructus operationis.]

Irridere eos, qui ædificare curant proximos, peccatū eſt graui multa agnatum.

Operarij Euangelici alacriùs laborent, cum vident prælapſæ operationis fructus,

2. Hoſtium inſidiæ Nehemia orante, & ſtrenuè gubernante rem, diſſipantur.

Verſ. 7.8.9. 10.11.12. 13.14. 15. *Factum eſt, &c.*] Cum igitur Sanaballat, ac Tobias nec non Arabes Ammonitæ, & Azorij, pacti fuiſſent certiores, quod *obducta eſſet cicatrix muri Ieruſalem*, id eſt, partes dirutæ inſtauratæ, & muri hiantes, rimas agentes, & vetuſtate ſublapſi reparati fuiſſent: & quod cœpiſſent *interrupta concludi*, ſeu *fractura obſtrui*, (vt LXX. habent) nimia ſunt iracundia correpti. Et congregati omnes venerunt contra Ieruſalem quaſi è cinere reuiuiſcentem pugnaturi. Non quod auderent aperto marte obruere Iudæos, quos ſciebant Regia auctoritate fulciri; ſed per inſidias, & clam imparatos inuadere, diſturbare, ac perdere conabantur. * Dirius autem eſt bellum, quod occultè per inſidias geritur, illo, quod apertè ſolet indici.] * Vt diaboli rimeas impugnatione agi, quæ ſemper per inſidias, & occultè ſolet inferri.] At cùm hoſtium conatus noſtram haud fugerent cognitionem ad orationis ſubſidium accurrimus, & poſt preces die ac nocte ſupra murum cuſtodes collocauimus, vt nos de hoſtium irruptione monerent. Dixit autem Iudas, pro dixére autem Iudæi, nam & hi obmurmurare cœperunt opere. Vnde non à foris modo, ſed & ab intus nouæ remoræ præparantur. * Nec minus dira aſſolet ſociorum impugnatio quàm externi hoſtis exiſtere.] Debilitata eſt longo ac moleſto opere *fortitudo portantis* hoc eſt, baiulorum, qui lapides & reliquam ædificationis materiem deportabant, & *humus nimia eſt*, nempe rudera, quæ exportari, & terra, quæ è foſſa circumducta muro, effodi, ac efferri debebat, omnes laſſabat; vnde nos haud poterimus vltimam perfectioni murorum manum imponere. Porrò noſtri addidere hoſtes: Neſciant Iudæi quid aduerſus eos moliamur, donec in medium eorum accurramus, & eos interimentes, opus ceſſare faciamus. *Interficiamus* (aiunt) *eos, & ceſſare faciamus opus.* Quaſi ſcirent Samaritani, reliquique Gentiles fidelem animum ſolummodò poſſe à morte retrahi, dum pietatis operibus ſtudium impendit.] Certè & inteſtina Iudæorum obmurmurantium ſuperata eſt moleſtia; & hoſtium inſidiæ quantumuis tectæ per vicinos ipſis Iudæos nobis detectæ ſunt, *per decem vices*, ſiue pluries delato ad nos indicio ex omnibus locis. Nam licet ex variis & valdè diſſitis locis indices venirent, omnes tamen conſona voce nunciabant inſidias, quæ nobis parabantur. * Nihil difficilius, quàm diu celare proditionem.] ſic ergo & his eluſis, omnes in opere nouis animis perſexere. Quia tamen operæpretium eſt diuino cooperare auxilio; non ſolùm muto adhibui cuſtodes, ſed ante frontem muri per circuitum populum gladiis, lanceis, ac arcubus ob armatum accinctum certamini diſpoſui. E ſublimi autem proſpiciens, ſurrexi, & ad Optimates, & Magiſtratus, reliquumque cœlum vulgi dictaui: A facie eorum nolite timere Domini magni potentiſſimique memores, cuius ope roboramini, vt pro filiis, filiabus, vxoribus, ac domibus veſtris viriliter decertetis. Profectò cum inimici noſtri dignouiſſent, nobis eſſe occultas eorum inſidias iam euulgatas; diſſipatò à Deo eorum conſilio, terga verterunt. Et omnes nos murum aſcendimus, vt ſinguli ſuo operi aſſignato promouendo, ac perficiendo operam expedirent.

Difficilè dira proditio celatur.

Dirius bellum, quod occultè per inſidias geritur. Occulta diaboli inſidiæ inſtar ſint formidabiles.

Non minus dira impugnatio ſociorum, quàm hoſtium.

Sola mors fidelem animū ab incepto pio opere debet abſtrahere.

Verſ. 16.17.18.19.20.21.22.23. *Et factum eſt, &c.*] At è prælapſo periculo cautiores effecti, nè fortè redeuntes hoſtes nos imparatos reperirent, à die illa media pars iuuenum noſtrorum operi perficiendo inſudabat, & media altera lancea, lorica, ſcuto, & arcu munita parata aderat, ad certamina. Et ne Principes quidem omnium domorum ſeu familiarum Iſrael erant exempti, ſed populi exemplum imitati inſtabant operi, hortando, animando, excubias agendo, & vbi res gerebat, etiam operi manus admouendo. Vatablus verba illa, *& Principes poſt eos in omni domo Iuda* ſic vertit: *Et principes erant poſt omnem familiam Iuda.* Vt mirere familiæ Iudaicæ illius pietatem, quæ non præcedentium Principum allicitur exemplo, ſed potius exemplo ſuo Principes imitatores allicit. * Magna quidem ſubditi commendatio, ſua pietate Præſulem ad idem opus exerendum adducere.] Verùm ædificantes in muto portantes onera, & imponentes vnā manu gerebant opera, & altera gladium tenebat: vnuſquiſque enim *gladio erat accinctus renes*, quem facilè data occaſione transferret ad manum. Et vt innoteſceret hoſti, Iudæos operi addictos, bello non obdormire, *clangebant buccina iuxta me*, cum ſcilicet res tuliſſet, vt opus eſſet ad vim hoſtium propulſandam congregari, Verùm Optimatibus, Magiſtratibus, vniuerſoque vulgo dixi: *Opus grande eſt, & latum*, vndè neceſſum eſt; nos procul alterum ab altero pro rotunditatis diſtantia ſeparari. Igitur quamprimùm tubæ clangorem audieritis, locum, quo muro reficiendo operam datis, relinquite, & ad nos accurrere feſtinate freti, Deum noſtrum pro nobis dimicaturum. Dum autem media pars populi muro exædificando incumbit, altera media pars lanceas dextera tenēat *ab aſcenſu aurorę, donec egrediantur aſtra*, id eſt à die initio vſque ad noctem, quando ſydera quaſi excubias actura in tenebris videntur, videntur prodire è ſuis cubiculis, quæ cœlo albeſcente mane repetunt. Inſtantia etiam illa dixi populo: Vnuſquiſque cum *puero* ſeu famulo ſuo maneat etiam nocte in medio Ieruſalem, neque alio diſcedat, aut diuertat. Neque enim minus noctu opus eſt continuis excubiis aduerſus hoſtes, quàm interdiu; vnde & veſtiti pernoctabant. Et per diem ac noctem ſint, nobis vices ad operandum, & ad excubias agendum. Nocte quidem gerebantur excubiæ, ne

3. Iudæis altera manu ædificantibus, altera gladiū tenentibus, opus perficitur.

Magna ſubditi commendatio, Præſulem ſua pietate ad idem opus exerendum adducere.

improuiſi adeſſent hoſtes; die verò opus vrgebatur. * Hinc ad ſpirituale bellum inſtruamur oportet. Interdiu rectè operemur: nec noctu obdormiãs, dum diabolus inſtar rugientis leonis circuit noſtræ conſtantiæ murum, quærens quem imparatum valeat comminuere.] *Ego* autem & fratres mei ſeu propinqui, & famuli, & cuſtodes, *qui erant poſt me*, ſeu qui me ſequebantur veſtimenta non depoſuimus, vnuſquiſque enim tantum ad *baptiſmum* denudabatur, ſeu veſtibus ſubinde exuebatur ad luſtrationes & purificationes iuxta ritum Iudæorum: ſeu ad lauandum, & purgandum ſiue corpus, ſinè veſtes ipſas à ſordibus, quas continuato opere, & vigilia paulatim contrahebant.

Noctu ne interdiu ſpirituali certamini debemus præparari.

CAPVT V.

In magna pauperum inopia clamantibus fame preſſis familiis. Nehemias diuites increpat auaros, vſuras prohibet, munificus ſua præbet egentibus.

1. ET factus eſt clamor populi & vxorum eius magnus, aduerſus fratres ſuos Iudæos. 2. Et erant qui dicerent: Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus. 3. Et erant qui dicerent, Agros noſtros, & vineas, & domos noſtras opponamus, & accipiamus frumentum in fame. 4. Et alij dicebant: Mutuò ſumamus pecunias in tributa regis, demúſque agros noſtros & vineas: 5. & nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt: & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri. Ecce nos ſubiugamus filios noſtros & filias noſtras in ſeruitutem, & de filiabus noſtris ſunt famulæ, nec habemus vnde poſſint redimi, & agros noſtros, & vineas noſtras alij poſſident. 6. Et iratus ſum nimis cùm audiſſem clamorem eorum ſecundùm verba hæc: 7. Cogitauítque cor meum mecum: & increpaui Optimates & Magiſtratus, & dixi eis: Vſuráſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis? Et congregaui aduerſum eos concionem: magnam, 8. & dixi eis: Nos, vt ſcitis, redemimus fratres noſtros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus, ſecundùm poſſibilitatem noſtram: & vos igitur vendetis fratres veſtros, & redimemus eos? Et ſilueruñt, nec inuenerunt quid reſponderet. 9. Dixítque ad eos: Non eſt bona res, quam facitis: quare non in timore Dei noſtri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis noſtris? 10. Et ego, & fratres mei, & pueri mei, commodauimus plurimis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune iſtud, æs alienum concedamus, quod debetur nóbis. 11. Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & olíueta ſua, & domos ſuas: quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere ſoletis ab eis, date pro illis. 12. Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quæremus: ſicque faciemus vt loqueris. Et vocauit Sacerdotes, & adiuraui eos, vt facerent iuxta quod dixeram. 13. Inſuper excuſſi ſinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum illud, de domo ſua, & de laboribus ſuis: ſic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit vniuerſa multitudo: Amen. Et laudauerunt Deum. Fecit ergo populus ſicut erat dictum. 14. A die autem illa, qua præceperat rex mihi vt eſſem dux in terra Iuda, ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum ſecundú Artaxerxis regis, per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus. 15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, grauauerunt populum & acceperunt ab eis, in pane, & vino, & pecunia, quotidie ſiclos quadraginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei. 16. Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant. 17. Iudæi quoque & Magiſtratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu noſtro ſunt, immenſa mea erant. 18. Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam: inſuper & annonas ducatus mei non quæſiui: valde enim attenuatus erat populus. 19. Memento mei Deus meus in bonum, ſecundùm omnia quæ feci populo huic.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Pauperum Iudæorũ preſſorum fame clamor.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. *Et factus eſt, &c.*] Non ſolùm Nehemias ab externis hoſtibus impugnatus eſt, vt operi remora obiiceretur, ſed & inteſtino certamine diſturbatur. Nam *factus eſt* (inquit) *clamor populi.* Viri & vxores Iudaici populi, qui inopia premebantur aduerſus ditiores inclamitabant. Quorum plures ſic profabantur: Filiorum filiarũmque noſtrarum ingens eſt numerus. * Agnatum etenim aſſolet eſſe pauperibus prole abundare, diuendamus prolem, & pro eius pretio accipiamus frumentum, vt edere, ac viuere parentes valeamus. * Quid miſerius quàm matrem diuendere filiã, vt comedat, & viuat infelix?] Alij dictitabant: Agros, vineas, & domos noſtras *opponamus* ſeu oppignoremus, vt accipientes frumentum famis occurramus incommodis. Alij verò dicebant: Mutuatam acquiramus pecuniam *in tributa Regis*, id eſt, vt habeamus, vnde Regi Perſarum tributa pendere poſſimus. * En pauperum miſeriam: pecunias requirunt non ad famem ſubleuandam, qua extremè premuntur, ſed pereuntes ipſi, ſolummodò de tributis ſoluendis curam gerunt.] Demuſque eis qui mutuò pecunias nobis impenderint agros, ac vineas noſtras, vt omninò ſine ſpe vlla depereamus, fœneratorum iniuria. * Vt tributorum malitiam aduertas, quæ quidem faciunt agricolas omninò deficere, oppida deſolari. Nam ſi ad ſoluenda tributa neceſſarium eſt eis prædia diuendere: neceſſarium erit conſequenter, aut mori famis vi, aut aliò diuertere.] *Et nunc* valdè miſerè, imò iniquè nobiſcum agitur. *Sicut carnes* ſeu corpora *fratrum noſtrorum* ditiorum *ſic carnes noſtræ ſunt* licet pauperum & egentium. Id eſt pari iure liberi omnes nati ſumus ex iiſdem auris & parentibus: interim cogimur alij aliorum æqualium fieri ſerui, ac mancipia, neque id aliam ob cauſam, quàm ob illorum auaritiam, & crudelitatem, qui cum diuites ſint, iubeanturque lege Domini (Deuter. 23. 19.) gratuitò fratribus mutuum dare in neceſſitate, ipſi tamen nolint, niſi magno id præſtare cum fœnore. * Preme particulam, *Et nunc.* Vtinam *& nunc* idem non valeant pauperes miſerè conclamare aduerſus fœneratorum crudelitatem diuitum! Tenebatur Iudæus ſine fœnore mutuum tribuere in neceſſitate, & Chriſticola non tenebitur?] * Pondera & illam: *Sicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt.* Si pauperum ac diuitum ſimilis eſt natura, cur ſors ad ſoluenda tributa non erit æqualis?] *Sicut filij eorum* (addunt illi) ſic & filij noſtri ſacra liberi ex progenie. Attamen nos ob inopiæ ac famis exactionem cogimur filios ac filias noſtras addicere ſeruituti, imò ex filiabus noſtris iam multæ exerunt famulatum, nec habemus, vndè redimere eas poſſimus: & agros ac vineas noſtras alij poſſident. Qui igitur filias non valemus à ſeruitute eripere, quonam modo prædia poterimus ad noſtram ducere poſſeſſionem?

Pauperes prole abundare aſſolent.

Miſerum eſt, matrem diuendere filiã, vt comedat, & viuat infelix.

Pauper ſolùmodò de ſoluendis tributis iam curã agit.

Obtributa conquirunt agricolæ deficere Oppidorũ deſolatione.

Taxatur fœneratorum, ac diuitum crudelitas erga pauperes.

Si pauperis ac diuitis ſimilis eſt natura, cur ſors ad ſoluenda tributa non eſt æqualis?

2. Nehemias vſuras exigi prohibet.

Verſ. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et iratus, &c.*] Certè cum huiuſmodi popularem clamorem audiui, aduerſum diuites iuſtam iram concepi: & poſtquam mente euolui, quid gerere oporteret, libuit Optimates, ac Magiſtratus increpare dictitans: Vſuráſne à fratribus veſtris audetis exigere contra quod lege cautum eſt Deut. 23. 19. *Non fœnerabis fratri tuo?* Et *congregaui* aduerſus ditiores *concionem magnam*, nempe totius populi. Vt qui priuatim à me moniti noluerant vſuras remittere, in conſpectu totius Eccleſiæ pudefacti cogerentur. * Edoceantur cõcionatores ac Præſules priuatim peccatores eſſe ſubmonendos: ſi tamen correptio ſecreta non præſtet, publicè de peccato publico eſſe taxandos, vt pudore ſuffuſi reſipiſcant.] Et dixi eis: *Nos* ſcilicet Zorobabel, Eſdras, & ego fratres noſtros Iudæos, qui *venditi fuerant Gentibus* ab ijs, qui captiuos nos habebant, redemimus iuxta *poſſibilitatem noſtram*, ſeu iuxta ſubſtantiæ vim: & vos pari impietate, imò grauiori venderetis fratres veſtros, vt à veſtra nos tyrannide eos redimamus? Proh Iudaicæ facinus impietatis! Illi vendiderunt eos, quibus cum nullum vinculum habebant commune ſanguinis, aut patriæ; vos autem fratres ac contribules veſtros venditis. Et ſiluerunt, nec quid reſponderent, occurrit. * Veritas enim iniquos efficit obticere.] Rurſum profatus, ſai: Iniquam prorſus rem agitis. Quare Dei noſtri timorem excutitis, vt veſtrã iniquitate electus populus ab hoſtibus exprobretur. * Nihil ſic ſæculares ad exprobrandam virtutem cogit, quàm Sacerdotum aut Religioſorum iniquitas.] Nec pungor ſcrupulo, quod à me didiceritis, cum conſtet, me, famulos ac domeſticos meos plurimis indigentibus pecuniam & frumentum commodaſſe. Omnes ergo *in commune*, id eſt, communiter, & vno animo ſtatuamus non repetere, quod tradiderimus, ſed æs alienum *concedamus*, ſeu remittamus. * Prudens Nehemias vt alios alliciat ad commodandum ſine fœnore, & ad remittenda quæ tradiderant, ſuum circa id expoſitum exemplum. Subditi enim facilè exempla Præſulum imitantur.] Reddite ergo eis agros ſuos, vineas, oliueta, ac domos, quæ habetis oppignorata, vt nimirum nunc gratiæ detis, quod poſt ea legi, ac Iubilæo daturi eſtis. * Gratius enim cœleſti Numini obſequium, quod pererogatoria præparatur actione.] *Quin potius tim Deo, & centeſimam* pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quàm ſingulis menſibus pro fœnore exigere ab eis ſoletis, *date pro illis*, ſeu condonate: vel vti in Hebræo eſt, *reddite illis.* Dabant pauperculi ſua omnia fœneratoribus oppignorata, donec pretium, quod ab illis acceperant, integrum redderent: interim ſingulis menſibus *centeſimam* illius pretij partem, ſeu fructus centeſimæ parti reſpondentes cogebantur iiſdem ſubminiſtrare. Et hæc vſura *centeſima* vulgo vocabatur. Porrò Iudæis vſitata vſura qua ſingulis annis octava pars ſummæ capitalis ſoluebatur pro fœnore, v. gr. pro ſingulis centum aureis duodecim aurei. Cum verò ſolùm dimidium eius fœnoris penderetur, id eſt, ſex pro centum, vocabantur vſuræ *Semiſſes*, ſeu dimidiatæ. Cum ſolùm quatuor ſoluerentur pro centum, *Trientariæ.* Cum demum non niſi vnum, *Vnciales* dicebantur, & hæc vſura erat benigniſſima. Meo autem affecti ſermone dixerunt omnes illi fœneratores ſeu pudore, ſeu metu inſtigati, ſeu publici boni ſtudio permoti. Reddemus omnia pignora pauperibus, & ab eis nihil vſuræ exinceps quæremus. O quàm facilè,

Concionatores priùs priuatim moneant publicè delinquentes, ſed ſi non reſipiſcãt publicè arguantur.

Veritas facit obticere iniquos.

Sacerdotum aut Religioſorũ iniquitas, cogit ſeculares virtutem exprobare.

Subditi facilè exempla Præſulum imitantur.

Pererogatoriũ obſequiũ grã

quàm placidè nouas in Iudæam vniuersam tabulas inducit Nehemias zelosus veritatis asserbulas inducit Nehemias zelosus veritatis asserbulas inducit Nehemias zelosus veritatis asserb

fidibus plerumque à ſubditis extorquetur.] Memento mei Deus meus *in bonum*, id eſt; vt mihi benefacias; ob omnia commoda, quæ populo tuo electo laboribus & æruminis exacto procurauí.

CAPVT VI.

Fruſtrà Iudæorum hoſtes ſub ſpecie fœderis cum eo ferendi, conantur Nehemiæ inſidias apparare. De affectato Regno accuſationem minantur. Per Pſeudo-prophetas pecunia corruptos, alioſque proditores nouas ei fraudes adornant.

1. EFACTVM eſt autem, cùm audiſſet Sanaballat, & Tobias, & Goſſem Arabs: & cæteri inimici noſtri, quòd ædificaſſem ego murum, & non eſſet in ipſo reſidua interruptio (vſque ad tempus autem illud valuas non poſueram in portis,) 2. miſerunt Sanaballat & Goſſem ad me, dicentes: Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in Campo Ono. Ipſi autem cogitabant vt facerent mihi malum. 3. Miſi ergo ad eos nuncios, dicens: Opus grande ego facio, & non poſſum deſcendere: ne forte negligatur, cùm venero & deſcendero ad vos. 4. Miſerunt autem ad me ſecundùm verbum hoc per quatuor vices: & reſpondi eis iuxta ſermonem priorem. 5. Et miſit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum ſuum, & epiſtolam habebat in manu ſua ſcriptam hoc modo: 6. IN GENTIBVS auditum eſt, & Goſſem dixit, quòd tu & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & leuare te velis ſuper eos regem: propter quam cauſam. 7. & prophetas poſueris, qui prædicent de te in Ieruſalem, dicentes: Rex in Iudæa eſt. Auditurus eſt rex verba hæc: idcircò nunc veni vt ineamus conſilium pariter. 8. Et miſi ad eos, dicens: Non eſt factum ſecundùm verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc. 9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quòd ceſſarent manus noſtræ ab opere, & quieſceremus. Quam ob cauſam magis confortaui manus meas: 10. & ingreſſus ſum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij Metabeel ſecreto. Qui ait: Tractemus nobiſcum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia ventum ſunt vt interficiãt te, & nocte venturi ſunt ad occidendum te. 11. Et dixi: Num quiſquam ſimilis mei fugit? & quis vt ego ingredietur templum, & viuet? non ingrediar. 12. Et intellexi quod Deus non miſiſſet eum, ſed quaſi vaticinans locutus eſſet ad me, & Tobias & Sanaballat conduxiſſent eum. 13. acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi. 14. Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, iuxta opera eorum talia: ſed & Noadiæ prophetæ, & ceterorum prophetarum, qui terrebant me. 15. Completus eſt autem murus vigeſimo quinto die menſis Elul, quinquaginta duobus diebus. 16. Factum eſt ergo cùm audiſſent omnes inimici noſtri, vt timerent vniuerſæ gentes, quæ erant in circuitu noſtro, & concíderent intra ſemetipſos, & ſcirent quòd à Deo factum eſſet opus hoc. 17. Sed & in diebus illis, multæ optimatum Iudæorum epiſtolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos. 18. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Secheniæ filij Area, & Iohanan filius eius acceperat filiam Moſollam filij Barachiæ: 19. ſed & laudabant eum coram me, & verba mea nuntiabant ei: & Tobias mittebat epiſtolas vt terreret me.

COMMENTARII.

1. Sub ſpecie fœderis conatur inimici opus muri interrumpi.

VERS. 1.2.3.4. *Factum eſt, &c.*] Audientes autem Iudæorum hoſtes nempè Sanaballat, & Tobias, & Goſſem Arabs reliquique inimici noſtri, quod opus reficiendi muri perſequerer, nec vlla facta eſſet fabricæ interruptio, cuiabam enim valuas portis addicere, quæ vſque ad illud tempus nondum erant appoſitæ.) ad me immiſere nuncios, qui eorum nomine dictitarunt: *Veni, &c.* Si Sanaballat, Tobias & Goſſem Arabs, & reliqui inimici nuncios immiſerunt, cur dicitur, *Miſerunt Sanaballat & Goſſem ad me, dicentes?* Vel quia ipſi Sanaballat & Goſſem omnium vocitarunt, ex nomine, vel quia hi

hi præcipuè reliquos aduersum Iudæos insurgere curabant. Illis enim tota attribuitur actio, qui incitandi gerunt officium. * Quidquid aliis boni, aut mali gerendum persuades, id te gessisse existima.] *Veni*, (inquiunt nuncij) vt fœdus pariter in viculis apud *Campum Ono* percutiamus. Pro *Viculis* in Hebræo habetur *Chephirim*, quod fortasse est proprium loci nomen. Campus verò *Ono* aderat in Tribu Beniamin ad Iordanem, vocabatúrque *Vallis artificum*. Huc prætextu fœderis Samaritani Nehemiam vocabant, sed *vt facerent* (inquit ille) *mihi malum*, id est, vel mortem inferrent, vel saltem vt vinculis addicerent. * Frequenter enim impij boni prætextu curant iustis malum inferre. Recessere Samaritanorum nuncij, & alios ego immisi nuncios, qui hostibus meo ex nomine responderent: Opus à nobis institutum grande quidem est, nec possum ad ineundum fœdus descendere, nè absente duce, opus negligatur. * Et quando non negliguntur opera, quæ præstantur à ministris, vbi Principis præsentia non colitur? Necab institutis destitere hostes insidiis, per *quatuor* enim *vices* idem ad me remisere nuncium, me similiter respondente. Tentamina quæ ex qualitate non vrgent, assoleunt ex assiduitate vehementer vrgere. Ideò diabolus semel & iterùm eadem menti tentamenta addicit, vt ex importunitate vincat.] Toties itaque iterata tentamina Nehemias vtiliter repulit.

Quidquid alij gerendū suades, id te gessisse puta.

Impij boni prætextu curant iustis mala inferre.

Opus negligitur à ministris, vbi Principis præsentia non colitur.

Tentationes quæ ex qualitate non vrgent, solent ex assiduitate, seu importunitate vincere.

2. De affectato Regno minatur hostes Nehemiæ accusationem.

Vers. 5.6.7.8.9. *Et misit, &c.*] Instauere Samaritani, Sanaballat enim speciatim *quinta vice* ad me quendam suum immisit famulum, qui mihi epistolam hoc tenore conscriptam tradidit. In Gentilium regionibus euulgatum est, & Gossem Arabs id testatur, te, cunctósque Iudæos tuo ducatui submissos de rebellione patranda cogitare. Ideóque reædificando muro tam solicitè operam impendis vt tutius te eorum possis Rex nouus exsurgere. Ob quam etiam causam *Prophetas posueris*, id est, concionatores constituisti, qui ad populum te Regem in Iudæa pronuncient. Porrò Rex Persarum infideles conatus tuos, fidelibus nobis suggerentibus, aut fama euulgante, est *auditurus*, vestro quidem exitio. Idcircò nunc venire festina, vt pariter consilium ineamus. Ambiguum relinquunt Nehemiam, si fortè vellet rebellare contra Artaxerxem, an vellent coniurare cum eo: an verò audire dumtaxat, quid ille afferret excusationis ad huiusmodi calumniam, vt haberent, quid possent ad Regem scribere de defectione, quæ vulgo iactabatur. Crediderim, calumnia hac terrere illos curasse Nehemiam, & ex Vrbe pellicere, prætextu tutelæ, & opis ipsi præstandæ, si velit sua secum consilia communicare. * Frequens hostis stratagema est, simulare, se hostis conatibus gerere morem.] * Quam artem debent spirituales milites æmulari. Cum sæculari peccatore de sæcularibus indifferenter agant, vt eos ad spiritualia traducant. Et si liceat vulgariter explicare, *Entren tal vez con ladel mundo, para salir con la de Dios.*] Profectò alium ad Sanaballat nuncium immisi, qui eo meo ex nomine diceret: Falsa sunt, quæ iactantur, & tuo ex marte talia confingis. Contentus Nehemias abnegasse calumniam, noluit cum inimico diutiùs expressiusque contendere, * Vt doceat, cum spirituali hoste pressè loquendum, nec vltrò citroque cum eo instituendam esse disputationem, ne tentamini producendo locus exhibeatur.] Omnes illi totis viribus procurabant huiusmodi territamentis nos ab incepti operis perfectione submouere, sed ipse mea perstiti in Vrbe, & cœpto ab opere non excessi.

Hostis stratagema est, simulare se hostis conatui morem gerere.

Spiritualis miles accommodet se peccatoris loquelæ aliquando, vt eum ad spiritualia traducat.

Cum spirituali hoste pressè loquendum, nec vltrò citroque cum eo instituendam disputationem.

Vers. 10.11.12.13.14. *Et ingressus sum, &c.*] Erat Ierosolymis Sacerdos quidam nomine Semaia filius Dalaiæ, seu de vice Dalaiæ, quæ erat vigesima tertia. Hic domi suæ se continebat quasi vir sanctus, Iamque vt consulturus meæ incolumitati me aduocat secretò ad se, quasi aliquid mihi nomine ac iussu Dei indicaturus. Pareo aduocanti, adeo secretò, & audio: *Tractemus nobiscum in domo Dei, in medio Templi*, id est, consulamus nostræ incolumitati; & recipiamus nos in Templum. Insidiantur enim vitæ tuæ Samaritani, multis nominibus iam pridem tibi ac Iudæis infensi. Et cum valuæ nondum sint portis affixæ, facilè noctu irrumpere possunt, & domi tuæ te iugulare. Sed in Templo, quod instar arcis est, munitum, tutus eris; Et ego tibi perpetuus & laborum, & periculorum comes adero. * Aptè (si adesset periculum) moneretur Nehemias diffugere ad Templum, cuius immunitatem nec Gentiles auderent violare. Vt Christicolæ subtaxentur, qui tam facilè Templi iura soluunt.] Et Semaiæ respondi: Num quisquam similis mei *fugit?* * Indecora est Principi fuga.] Itaque quo suades non faciam. Quod dicitur *similis mei* respondet Hispanicè phrasi, *Vn hombre comoyo.* Quis vt ego *ingredietur Templum, & viuet*, id est, quis similis mei recipiet se in Templum, vt vitam corporis tueatur? * Pudeat inire Templum ad temporaria bona procurandæ solummodò, qui tot spiritualibus indiges ad æterna.] *Non* igitur hac de causa Templum *ingrediar*. Verùm (vel naturali prudentia, vel reuelatione diuina) *intellexi*, Semaiam à Deo ad me immissum non fuisse, sed quasi vaticinando, seu se Prophetam fingendo, fuisse locutum: & *pretio* à Samaritanis Tobia ac Sanaballat esse conductum, vt me ab incepto opere deterreret, & *peccarem* in honorem meum, quem vt Dux populi curare debeo. * Non est vanitatis expressio, sed muneris iniuncti tuitio, aliquando non permittere demissionem.] Ideò ista mihi suggerenti non acquieui, & quia vidi, id eum mihi persuadere conatum, vt hostes materiam, seu ansam haberent, vnde mihi possent exprobrare. *Memento* igitur *mei Domine*, vt scilicet mihi reddas bonum pro malo, quod Tobia, Sanaballat, & *Noadiæ*, siue falsi Prophetæ (quos hostes excitabant) contra me machinati sunt. Loco verbi illius *Noadiæ Prophetæ*, est in Hebræo, *Prophetissæ*. * Num vir Prophetissa vocandus? Certè qui subdolè loquitur, qui falsa pronunciat, meritò à virorum cœtu expellitur, & ad mulierc ularum mendacem turbam ablegatur.] Vsi igitur fuêre hostes opera Noadiæ Prophetissæ, & cæterorum Pseudo-prophetarum ad me terrendum, atque à cœpto abstrahendum opere. Sed & falsos fratres subornarunt ad eundem finem etiam è primoribus Iudæis, qui subdolè ac proditoriè mihi adblandiebantur; sed cum hostibus aduersum me conspirabant; sed cunctos ope cœlesti superaui. * Illam crede suprèmè horribilem persecutionem, quæ à falsis fratribus apparatur.]

Vir mendax cum muliercalis computandus est.

3. Per Pseudoprophetæ peruia corruptos conantur hostes Nehemiam ab opere incepto amouere.

Templi reuerentiam nec gentiles auderent violare, quanquā Christicolæ violant.

Indecora est fuga Principi.

Templum non ineundum solummodò ad temporaria procuranda cōmoda.

Non est vanitas, sed officij tuitio, aliquandò non permittere demissionem.

Horribilis suprèmè persecutio, quæ à falsis fratribus apparatur.

Vers.

Iudæorum contra Nehemiam perfectio.

4 *Verſ.* 15.16.17.18.19. *Completus, &c.*] Equidem perfectus eſt murus vigeſimaquinta die menſis *Elul*, quinquaginta dierum ſpatio. Verùm *Elul* eſt ſextus menſis Hebræorum, qui noſtro partim Auguſto, partim Septembri reſpondet. Quod autem in opere tam vaſto non impenderentur ab initio vſque ad finem niſi quinquaginta duo dies meritò omnes Gentiles vicini ſunt admirati: & concidentes *intra ſemetipſos*, id eſt, ſtupore ſimul & timore exanimati, palam profeſſi ſunt, à Deo factum eſſe *hoc opus*. Quid plura? Ex ipſis Iudæis Nehemias operi remoram experitur. Nam hiſce diebus (*ait*) multæ Optimatum populi Iudaici ad Tobiam epiſtolæ immittebantur, & à Tobia remittebantur ad Optimates. Nam multi ex Iudæa fœdus cum ipſo inierant, quia gener erat Sechenïæ filij Area, viri Iudæi potentis, magnæque auctoritatis; & Iohanan filius eiuſdem Tobiæ filiam Moſollami filij Barachiæ, (qui inter ædificatores murorum cap. 3. 4. annumeratur.) ſibi in coniugem adaptauerat. * En tunc affinitatis neceſſitudo corda Gentilium cum Iudæis conciliabat; iam ex affinitate aſſolent potius iurgia diuiſionéſque ingenerari.] Porrò Iudæi affines illi vel coram me audebant Tobiam illum collaudare, & ſi quid ambiguum reſpondebam, ei prauo renunciabant in ſenſu. Vnde Tobias comminatorias ad me immittebat epiſtolas, vti me territaret.

Ex affinitatis obligatione iâ iurgia ac diuiſiones procedunt.

CAPVT VII.

Vrbi iam mœnibus circundatæ à Nehemia cuſtodes aſſignantur. Recenſentur quî olim cum Zorobabele è Babylone Ieroſolymam inerant, & donaria à Iudæis in fabricam collata memorantur.

1 POSTQVAM autem ædificatus eſt murus, & poſui valuas, & recenſui ianitores, & cantores, & Leuitas: 2. præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Ieruſalem (ipſe enim quaſi vir verax & timens Deum plus cæteris videbatur) 3. & dixi eis: Non aperiantur portæ Ieruſalem vſque ad calorem ſolis. Cúmque adhuc aſſiſterent, clauſæ portæ ſunt, & oppilatę: & poſui cuſtodes de habitatoribus Ieruſalem, ſingulos per vices ſuas, & vnumquemque contra domum ſuam. 4. Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ. 5. Deus autem dedit in corde meo, & congregaui Optimates, & Magiſtratus, & vulgus, vt recenſerem eos: & inueni librum cenſus eorum, qui aſcenderant primùm, & inuentum eſt ſcriptum in eo. 6. Iſti filij prouinciæ, qui aſcenderunt de captiuitate magiſtrantium, quos tranſtulerat Nabucodonoſor rex Babylonis, & reuerſi ſunt in Ieruſalem, & in Iudæam, vnuſquiſque in ciuitatem ſuam: 7. Qui venerunt cum Zorobabel, Ioſue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nehamani, Mardochæus, Belſam, Meſpharath, Bagoai, Nahum, Baana. Numerus Virorum populi Iſraël. 8. Filij Pharos, duo millia centum ſeptuaginta duo: 9. Filij Saphatia, trecenti ſeptuaginta duo: 10. Filij Area, ſexcenti quinquaginta duo: 11. Filij Phahathmoab filiorum Ioſue, & Ioab, duo millia octingenti decem & octo: 12. Filij Ælam, mille ducenti quinquagintaquatuor: 13. Filij Zethua, octingenti quadragintaquinque: 14. Filij Zachai, ſeptingenti ſexaginta: 15. Filij Bannui, ſexcenti quadraginta octo: 16. Filij Bebai, ſexcenti viginti octo: 17. Filij Azgad, duo millia trecenti viginti duo: 18. Filij Adonicam, ſexcenti ſexaginta ſeptem: 19. Filij Beguai, duo millia ſexaginta ſeptem: 20. Filij Adin ſexcenti quinquagintaquinque: 21. Filij Ater, filij Hezeziæ, nonaginta octo: 22. Filij Haſem, trecenti vigintiocto: 23. Filij Beſai, trecenti vigintiquatuor: 24. Filij Hareph, centum duodecim: 25. Filij Gabaon, nonagintaquinque: 26. Filij Bethlehem & Netupha, centum octogintaocto. 27. Viri Anathoth, centum viginti octo: 28. Viri Berhazmoth, quadragintaduo. 29. Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, ſeptingenti quadraginta tres. 30. Viri Rama & Geba, ſexcenti vigintivnus. 31. Viri Machmas, centum viginti duo. 32. Viri Bethel & Hai, centum viginti tres. 33. Viri Nebo alterius, quinquagintaduo. 34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor. 35. Filij Herem, trecenti viginti. 36. Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque. 37. Filij Lod, Æadid & Ono, ſeptingenti vigintivnus. 38. Filij Senaa, tria millia nongenti triginta. 39. Sacerdotes: Filij Idaia in domo Ioſue, nongenti ſeptuagintatres. 40. Filij Emmer, mille quinqua-

gintaduo. 41. Filij Phashur, mille ducenti quadraginta septem. 42. Filij Arem, mille decem & septem. Leuitæ: 43. Filij Iosue & Cedmihel filiorum. 44. Oduiæ, septuagintaquatuor. Cantores: 45. Filij Asaph, centum quadragintaocto. 46. Ianitores: Filij Sellum, filij Ater, filii Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai, centum trigintaocto. 47. Nathinæi: filij Soha, filij Hasupha, filij Tebbaoth, 48. filij Ceros, filij Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filij Selmai, 49. filii Hanan, filii Geddel, filii Gahet, 50. filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda, 51. filii Gezem, filii Aza, filii Phasea, 52. filii Berſai, filii Munim, filii Nephussim, 53. filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur, 54. filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa, 55. filii Bercos, filii Sisara, filii Themi, 56. filii Nasia, filii Hatipha, 57. filii seruorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida, 58. filij Iahala, filii Darcon, filii Ieddel, 59. filii Saphatia, filii Hatil, filii Phocheret, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon. 60. Omnes Nathinæi, & filii seruorum Salomonis, trecenti nonagintaduo. 61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrùm ex Israël essent. 62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadragintaduo. 63. Et de Sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem: & vocatus est nomine eorum. 64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt: & eiecti sunt de sacerdotio. 65. Dixitque Atherſatha eis vt non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret Sacerdos doctus & eruditus. 66. Omnis multitudo quasi vir vnus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta, 67. absque seruis & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem, & inter eos cantores, & cantatrices, ducenti quadragintaquinque. 68. Equi eorum, septingenti trigintasex: muli eorum, ducenti quadragintaquinque: 69. Cameli eorum, quadringenti triginta quinque: asini, sex millia septingenti viginti.

Hucusque refertur quid in commentario scriptũ fuerit, exin Nehemiæ historia texitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Atherſatha dedit in thesaurum auri dragmas mille, phialas quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingentas triginta. 71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri dragmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas. 72. Et quod dedit reliquus populus, auri dragmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas Sacerdotales sexaginta septem. 73. Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ: & ianitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israël in ciuitatibus suis.

COMMENTARII.

1. Ierosolymæ iã muro cinctæ assignãtur custodes.

VERS. 1.2.3.4. *Postquam, &c.*] Vrbe igitur mœnibus iam cincta, valua, appositis, & constitutis ianitoribus, cantoribus, & Leuitis: præcepi Hanani cognato meo (videtur hic idem esse qui initio huius Libri è Iudæa in Persidem ad Nehemiam venisse memoratur) & Hananiæ Principi seu Præfecto Palatij Regij (vti monet Hebræus) His, inquam, duobus vtpotè plus cæteris (quod experimento didiceram) Deum timentes, & fidelibus tam mihi, quam Reipublicæ iussi *de Ierusalem*, supple benè, & accuratè custodienda. Hos enim illi præfeci muneri. * Aptè quidem. Sanctæ enim Vrbis sancto ac timenti Deum custodi committendæ sunt portæ. Vt subtraxentur Præsules, qui Monasterij virorum aut fœminarum ostium cuilibet viro aut fœminæ sine accurato examine præuio custodiendum tradunt. Quod quidem magis ex custodis Deum timentis virtute, quàm ex claustris ferreis obseran-dum.] * Preme verba, *Ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cæteris videbatur.* Non dicit, *Ipse erat timens Deum plus cæteris*, sed *Ipse timens Deum plus cæteris videbatur*: & quia videbatur timens Deum Nehemias eum muneri Custodis portarum addixit. Rector non tenetur portæ Monasterij custodiam committere ei, qui est Deum timens; (Deus enim solus corda hominum scrutatur) sed ei, qui timens Deum videtur. Vnde si aliquandò ab huiusmodi custodis nequitia porta, ac Monasterij immunitas læditur, prudentia, aut prouidentia Rectoris subtraxanda non est. Infelicitas erit Rectoris, fateor, sed culpa minimè.] Loco verbi illius, *& Hananiæ Principi domus de Ierusalem*, Tigurina posuit, *Principi arcis Ierosolymitanæ*, Vatablus, *Palatij Regis*. Et hanc esse puto domum, pro qua nominatim videtur egisse Nehemias apud Artaxerxem cap. 2. 8. Et dixi Hanani & Hananiæ, quos portarum custodes elegeram: Portæ Ierosolymæ minimè vsque ad solis calorem solis aperiantur. Nihil magis contrarium sacræ domus custodiæ quàm inter tenebras portarum apertio. Ideò indicitur, ne referentur Ierosolymæ ostia vsque ad calorem Solis, ne vllum noctis vestigium adsit.] *Cumque adhuc* Hanani, & Hananias *assisterent* id est, non nisi præsentibus illis, & assistentibus clausæ sunt vesperi portæ *& oppilatæ*, nimirum valuis, & cratibus seu cuneis,

Monasterij porta committenda custodi Deum timenti.

Rector portæ Monasterij curam committere ei, qui videtur Deũ timere, non qui verè timet, tenetur.

Nec tax andus est si aliquãdo huiusmodi ostiarius Monasterij lædit immunitatem.

Nihil magis contrarium sacræ domus custodiæ, quàm inter tenebras portarum apertio.

tertiò, vt in Græco reperio. Prætereà custodes adhibui murorum immunitati de ciuibus Ierusalem, singulos quidem per vices suas: & vnumquemque ei murorum parti addixi, quæ propriam eius domum respiciebat è directo. Vt impensiùs custodiæ sortis suæ studeret, dum propriæ simul domus gerebat custodiam.* Prudens Rector, qui subditum curat alacriter obedire, vtilitati aut commodo illius præscriptum (cum potest fieri) accommodet.]

Rector studeat præscripta accommodare alicui commodo subditi, vt is promptior obediat.

Vers. 5. vsque ad 69. *Deus autem, &c.*] Cæterùm Deus Mihi suggessit, vt congregatis Optimatibus, Magistratibus, & vulgo, *recenserem eos.* Hebraicè *Genealogias eorum*, id est Catalogum Iudæorum, qui è Babylone reducti fuerant cum Zorobabele, quot, & qui essent è quaque familia. Nimirum vt viderem, an ex tam numerosis familiis possem curare Vrbi Ierosolymæ nouos incolas, & ciuium supplementa. (Quod tandem factum per sortem infrà Cap. 11. videbimus.) Et *inueni librum census*, seu consignationem quandam, in qua annotati erant, qui ascenderant primum cum Zorobabele anno primo Monarchiæ Cyri Regis Persarum. Habes hanc consignationem, seu Catalogum Lib. 1. Esd. Cap. 2. ideò molestum tibi hìc rursum exponere. Fateor, verba hinc inde mutatis illam consignationem efferri. Quæ diuersitas indè videtur emanasse, quod sæpius recensita sint capita. verbi gratia, Primò cum è Babylone demigrarent. Secundò cum in Iudæam appellerent. Tertiò cum, instaurato iam Templo, dedicationem illius celebrarent. Vndè & diuersi Catalogi cõfecti sunt, & diuersi numeri annotati, prout decursu temporis alij aucti fuerant liberis, alij orbati. Ex vno ergo illorum Catalogorum potuit Esdras sua excerpsisse: Nehemias ex alio. Scio, ab aliquibus affirmari. Catalogum primò Babylone descriptum, deinde in Iudæa recognitum cum aliqua mutatione, quæ per itinetis longitudinem contigisset.* Hinc edisce, eas quæ in Historiis assolent annotari varietates ad verum sensum posse adduci.]

Quæ in Historiis reperiũtur Varietates, ad verum sensum possunt adduci.

2. Qui olim cum Zorobabele Ierosolymam venerant recensentur.

3. Donaria à Iudæis.

Vers. 70. 71. 72. 73. *Nonnulli, &c.*] Hùc vsque refertur, quid in Commentario aut Catalogo illo scriptum fuerit, ex in Nehemiæ historia retexitur. Perfecta igitur murorũ reædificatione, nonnulli de Principibus familiarum obtulere munera ad opus instaurationis ipsius Ierosolymitanæ Vrbis promouendum. Primus *Athersatha* seu Nehemias (sic Chaldaicè dicebatur) *in thesaurum*, qui coalescere incipiebat, dedit auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingentas supra triginta. Quasi in tertia persona loquitur Nehemias, stylo mutato, imò & nomine, vt eleemosynæ illustris manum operiret. * Vt edoceamur illam Saluatoris sententiam opere exequi. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.*] Primus autem Nehemias offert vt alios ad similem excitet oblationem. * Principis enim exemplum subditos ad similem excitat pietatem.] Phiala vas est, in quõ aqua ad lauandas manus infunditur. Porrò Principes familiarum thesaurum, qui gerendo operi tanto apparabatur, pij ac munifici auxerunt. Summa enim donariorum auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducenta expleuit. Verùm *drachma* vna auri est vni aureo nostrati æquinalens. *Mna* autem siue *mina* Hebræa continet siclos sexaginta, id est drachmas 240. vncias 30. duas nimirum libras cum dimidia. Reliquus demum populus drachmas viginti millia auri, duo millia mnas argenti, & tunicas Sacerdotales sexaginta septem exposuit. Porrò post murorum refectionem, post exhibita ad reparationem Vrbis munera, Sacerdotes, Leuitæ, Ianitores, Cantores & reliquum vulgus, nec non Nathinæi ad suas Ciuitates, habitaculáque recurrerunt, vnde ad muri instaurationem aduentarant.

Eleemosyna secretò gerenda.

Principis exemplũ subditos ad similem opus excitat.

CAPVT VIII.

Conuocato omni Israëlitico populo Ierosolymam, Esdras legem Dei prælegit, & exponit. Tabernaculorum festum splendidissimè celebratur.

1. ET venerat mensis septimus: filij autem Israël erant in ciuitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir vnus, ad plateam quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ Scribæ vt afferret Librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israëli. 2. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. 3. Et legit in eo apertè in platea quæ erat ante portam aquarum, de manè vsque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum. 4. Stetit autem Esdras Scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: & steterunt iuxta eum, Mathathias, & Semeia, & Ania, & Vria, & Helcia, & Maasia, ad dexteram eius: & ad sinistram, Phadaia, Misael, & Melchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharia, & Mosollam. 5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super vniuersum quippe populum eminebat: & cum aperuisset eum, stetit omnis populus. 6. Et benedixit Esdras Domino

Deo magno: & respondit omnis populus: Amen, Amen: eleuans manus suas: & incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram. 7. Porrò Iosue, & Bani, & Serebia, Iamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Iozabed, Hanan, Phalaia, Leuitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo. 8. Et legerunt in Libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cùm legeretur. 9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras Sacerdos & Scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cùm audiret verba legis. 10. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his qui non præparauerunt sibi: quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. 11. Leuitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, & nolite dolere. 12. Abiit itaque omnis populus, vt comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos. 13. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ, ad Esdram Scribam, vt interpretaretur eis verba Legis. 14. Et inuenerunt scriptum in Lege præcepisse Dominum in manu Moysi, vt habitent filij Israël in tabernaculis, in die solemni, mense septimo: 15. & vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuersis vrbibus suis, & in Ierusalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, at fiant tabernacula, sicut scriptum est. 16. Et egressus est populus, & attulerunt. Fecerúntque sibi tabernacula vnusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim. 17. Fecit ergo vniuersa Ecclesia eorum qui redierant de captiuitate tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis: non enim fecerant à diebus Iosue filij Nun taliter filij Israël vsque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis. 18. Legit autem in Libro legis Dei per dies singulos, à die primo vsque ad diem nouissimum, & fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum.

COMMENTARII.

1. Legit Esdras Dei legem coram omni populo.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Et venerat, &c.*] Venerat autem mensis septimus seu primus dies Tisri qui ferè Septembri nostro respondet: aderant autem tunc filiis Israël suis in Ciuitatibus & Oppidis. Aduocati verò Ducis imperio cõgregatus est omnis populus apud plateam, quæ ante portam Aquarum patescit, & ità vnionis ac charitatis vinculo colligatus exponitur, vt quasi *vir vnus* appareret. Tunc Esdram Scribam rogauere, vt Librum legis Moysi, quam Dominus Israëli obseruandam indixerat in medium adduceret. * Promptiores etenim se fideles ostentant ad diuinæ legis custodiam, cum strictiori vnionis vinculo adstringuntur. Ideò cum Nehemias populi expressit vnionẽ, *Congregatus est omnis populus quasi vir vnus*, mox adiicit: *Et dixerunt Esdræ, vt afferret Librum legis Moysi.*] * Cõmunitas diffidiis disturbatur? Haud legum adeo rit obseruatio.] *Libri legis* nomine intelligo Pentateuchum, & præcipuè Deuteronomium. Non dixére illi, Instaura librum de nouo, vel, recens ede in lucem, sed Affer ex scrinio, vel gazophylatio. Neque enim, (vt quidam somniarunt) perierant omnes Libri legis in excidio Templi & Vrbis, vt opus esset eos instaurari per Esdram; solùm correxit illos Esdras, & ordinem redegit in meliorem, & alijsque caracteribus descripsit. Igitur Esdras Sacerdos legis Librum attulit, & virorum ac mulierum multitudini exposuit, cunctísque, qui intellectu compotes erant aperuit. Nam pueri qui non poterant intelligere, ab illo sacro cœtu remoti aderant. * Vt edoceantur fideles puerulos arcere ab Ecclesia, cum gerenda est concio, quæ quidem proferenda est coram eis solummodò, qui *poterunt intelligere*; alij quippe nec sibi vtilitatem comparant, & concionatori, auditoribusque inferunt molestiam.] Hæc quidem productio Libri legis facta est prima die mensis septimi, qui dies festus erat Hebræis, & vocabulo Græco Neomenia dicitur. * Præcipuis solemnitatibus conciones fieri oportet ad populum, quæ ad legis explicationem, instructionemque auditorum dirigantur, non ad inutilem conceptuum prolationem.] Et legit in Libro *apertè* in platea quæ aderat ante portam Aquarum, à matutina instantia vsque ad tempus meridianum in virorum, mulierum, ac sapientum conspectu. *Apertè* inquam, vt vulgus intelligeret, quod legebatur. Nam quæ Hebraicè scripta erant, ipse vulgari Syrorum linguâ pronunciabat. Neque enim Iudæi, ex quo Babylone rediére, amplius locuti sunt Hebraicè, sed Syriacè, mixtâ nempe linguâ ex Hebraica & Chaldaica. Patræ vero Hebraicæ linguæ vsus in sacris tantum Libris, ac diuinis officiis permansit. Vndè vt à vulgo Libri Mosis intelligerentur, opus fuit, vt Syriacâ, seu vulgari linguâ prælegerentur. * Taxentur hinc Concionatores adeò occulto sermone coram rudibus auditoribus vtentes, vt vix possit à doctioribus percipi: & cum sacræ literæ Latino scripta sint idiomate, ipsi vulgaribus Græco exponere videantur.] Verùm cuncti populi aures *erectæ* erant, seu arrectæ

Promptiores se fideles ostẽdunt, ad legis custodiã, cum vnionis vinculo colligantur.

In communitate, vbi diffidia sunt, non erit obseruatio legum.

Arcendi pueruli à concionibus, ne molestiam Concionatori, & auditoribus inferant.

Præcipuis festis Conciones gerantur legis obseruationẽ commendaturæ.

Taxantur concionatores subobscuro vtentes idiomate, quod à vulgo percipi non valeat.

rectæ, vt exciperent verba, & ad corda transmitterent. * Hæ etenim ſunt aures audiendi, quæ debent concionibus aptari.] Vt autem perlegeret Eſdras ſcriba, & aptiùs ab auditoribus ſermo exciperetur, ſcandit *gradum ligneum* quem ad id munus geri iuſſerat. Hebraicè *ſtetit ſuper turrim ligneam*, ſic ſuggeſtum vocitat, quod inſtar turriculæ à terra emineret. Stetére iuxta Eſdram auctoritatis gratia Proceres nonnulli, ſcilicet Mathathias, Semeias, Ananias, Vrias, Helcias & Maaſias ad dexteram; Phadaia autem, Miſael, Melchias, Haſum, Hasbudana, Zacharia, ac Moſollam ad ſiniſtram. * Magnæ admodum auctoritatis actus eſt concio, quam debent Proceres honorare. Cum apud Regulare Templum concio geritur, aſſideant Religioſi grauiores, ſi minimè conuertendi, tamen Concionatorem honoraturi, ac patrocinaturi, vt eius verba à populo libentiùs excipiantur.] Igitur Eſdras coram vniuerſo populo legis Librum aperuit, ſuper vniuerſum enim populum eminebat; cum autem aperuiſſet eum, omnis *ſtetit* populus, ſeu aſſurrexit in reuerentiæ documentum. * Cum Concionator ſuggeſtum aſcendit, exiſtima legis Librum aperiri, & mente aſſurgere feſtina.] * Corripiantur hinc, qui dum concio fit ſacra, inutili, imò iniquæ non ſemel confabulationi operam impendunt.] Verùm Eſdras ex concepta fortaſsè aliqua formula lectioni ſolita præmitti, Domino benedixit: & omnis populus eleuans manus ſuas *Amen, Amen*, reſpondit: & incuruati ſeu proni in terram, Deum adorauere, ſe ſcilicet diuino Numini, eiuſque legi quam, legente Eſdra, erant audituri, ſubmittentes. * Hinc commendarim Concionatores, qui ſermoni ſacro illam præmittunt clauſulam: *Laudetur Euchariſticum auguſtiſſimum Sacramentum, & immaculata conceptio Deipara* omni populo reſpondente *Amen, Amen.*] Porro Ioſue, Bani, Serebia, Iamin, Accub, Sephthai, Odia, Maaſia, Celita, Azarias, Iozabet, Hanan, & Phalaia Leuitico ex ordine ſilentium indicebant populo, ad legem audiendam; populus autem *ſtabat in gradu ſuo*, id eſt in loco, qui cuique iuxta qualitatem debebatur, auditurus adſtabat. * Oportet, dum conueniunt ciues, inferiores ſuperioribus ſubmitti.] *Et legerunt* In Libro legis Dei *diſtinctè*, id eſt, Eſdras adeò diſtinctè ac dilucidè perlegit, vt à cunctis intelligeretur; ſi enim quid occurrebat obſcurius, id Eſdras planum reddebat. Si ſolus legebat Eſdras, cui dicitur, *Et legerunt in Libro legis Dei?* Quia tanta erat attentio auditorum, vt ſinguli legere viderentur. * Adeò intenti ſacræ concioni debent eſſe fideles, vt ſinguli dicere reputentur.] * Illi quidem mente relegebant, quod Eſdras labiis pronunciabat. Debent auditores ſibi mente dicere, quod concionator labiis exponit.] * Preme particulam, *Et intellexerunt, cum legeretur.* Commendatio non exigua legentis, aut dicentis, ab auditoribus intelligi. O tempora, quando Concionatores ita obſcurè loquuntur, vt minimè vel à doctioribus intelligantur. Annon hoc ſupplicium eſt illud, de quo Dominus, *Et audientes* non intelligant? Profectò magno Dei ſupplicio nunc auditores non intelligunt, quæ ficti non veri Concionatores, (heu) cultè, ſiuè occultè loquuntur.]

Aures audiendis concionibus aptandæ.

Concionibus Regularium graniores interſint Patres collegij, actionē illam illuſtraturi.

Concio reuerenter audiēda.

Taxabiles, qui dum concio fit, inutili confabulationi vacant.

Commendabiles illi Concionatores, qui ſermoni præmittunt: Laudetur auguſtiſſimū Euchariſtiæ Sacramentum, & immaculata conceptio Deiparæ.

Dum conueniunt ciues, inferiores ſuperioribus ſubmittantur.

Cōcioni attētio præſtanda eſt.

Debent auditores, mēte dicere ſibi, quod Concionator labijs exponit.

Magno Dei ſupplicio, nūc auditores non intelligūt quæ Concionatores (heu) cultè loquuntur.

Populus ad lætitiam gerendam à Eſdra & Nehemia ſuadetur.

autem populus audiens legis præſcripta lugeret de tranſgreſſionibus fortaſſe dolens, Nehemias (Atherſatha Chaldaicè vocitatus) & Eſdras Sacerdos & Scriba, nec non Leuitæ, qui pro officij ſui ratione populo lecta interpretabantur, dixére: *Dies ſanctificatus* eſt Dño Deo noſtro, ſiue feſtus dies, quia Neomenia, ſiue Calendæ nolite lacrymas profundere ex mœſtitiæ affectu, feſti enim dies ad lætitiam ſpiritualem imò ac corpoream modeſtam ſunt inſtituti. Porrò Iudæi tunc triſtabantur & lugebant meritò, quod ex lectione Libri legis audirent, prædictum iam fuiſſe patribus ſuis, quo caſu à lege Dei obſeruanda deflecterent, omnia miſeriarum genera ſubituros. * Violatio quippe legum eſt omnium ærumnarum ſcaturigo.] Hunc tamen luctum ac fletum inhibent hîc Leuitæ, quod importuno loco ac tempore ederentur, ſcilicet in concione, & ſolemni die Neomeniæ feſto, quo propter memoriam acceptorum cœlitùs tum ab antiquo, tum de nouo beneficiorum, publicè gaudendum erat, & feſtum celebrandum. * Deus non vult nos importuna affici triſtitia, ex legum expreſſione: hylarem namque obſeruatorem diligit, ne triſtitia cultoris iugum eſſe horribile afferatur.] * Tamen non poſſum non Eſdræ legentis ac dicentis efficaciam commendare; edocet enim Concionatores lacrymis auditorum eliciendis operam impendere debere. Non laudabilis concionator qui auditores ad riſum allicit, ſed qui prouocat ad luctum.] Et dixit eis Nehemias, Pergite, comeditéque pinguia, & vinum dulce, quale eſt melle mixtum hauſtite. LXX. pro *mulſo*, *Dulcia* poſuére: & immittite ciborum, ac potus portionem his, qui ſibi propter inopiam parare non potuerunt. * Cibus enim ægrè poterit tibi eſſe ſaluti & emolumento, ſi pauperes participes conuiuij non fiant.] Quia *ſanctus dies Domini eſt*, comedite, & bibite. * Sanctes olim dies Hebræi materiali epulo celebrabant, nos verò diebus ſolemnibus dulciùs comedimus, & bibimus. Paſcimur enim Domini corpore, eiúſque dulciſſimo ſanguine potamur. *Comedite* ergo fideles *pinguia, & bibite mulſum, quia ſanctus dies Domini eſt.*] Et nolite contriſtari, quia *gaudium Domini eſt fortitudo noſtra*, id eſt, tali gaudio in Domino, & feſtiua diei huius celebratione ob beneficia à Domino accepta, fortiores efficiemur, nempe noua ope diuina nouiſque benedictionibus ob exactè ſeruatam legem Dei nobis cœlitùs impetrandis. Ipſa enim legis obſeruatione fortiores efficimur ad eiuſdem dein faciliorem obſeruationem. * Vnde ſi v. gr. difficilis tibi caſtitatis cuſtodia, præceptum ſeruandæ pudicitiæ, tentamine obiecto, ſemel obſeruatum, te reddet ad futura tentamina reppellenda, ac ſuperanda fortiorem. Itaque legis cuſtodia præſcripti gaudij in die illo feſto erat Iudæis *fortitudo.*] Itaque Leuitæ ſilentium populo ſonoro fletu obſtrepenti indicebant, profantes: *Tacete*, quia dies ſanctus eſt, quem decet lætitia non luctus. Abſceſſit igitur omnis populus vt comederet, & biberet, mitterétque ſuam pauperibus portionem, & magna lætitia feſta coleret, quia intellexerant illa verba, quæ eos Nehemias docuerat, nimirum, *Quia gaudium Domini eſt fortitudo noſtra*, ſiue vt LXX. *Quoniam Dominus eſt robur noſtrum*, vel legente Eſdra, intellexerunt, quàm

Violatio legis omnium miſeriarum ſcaturigo.

Deus diligit hylarē ſuæ legis obſeruatorem.

Concionator ille laudabilis, qui auditores non ad riſum ſed ad lacrymas incitat.

Fiat pauper tui particeps cōuiuij, vt cibus tibi ſalutem pariat.

Dies feſti Chriſticolarū celebrandi Euchariſtia epulo.

Cuſtodire legem, nos fortiores reddit, ad eiuſdem faciliorem obſeruationem.

2. *Verſ.* 9.10.11.12. *Dixit autem, &c.*] Cum

quàm bonus esset Dominus iis, qui toto ex corde ad ipsum conuertuntur. * Nullum enim ad peccatorum solatium efficacior impulsus, quàm Dei benignitatem erga veraciter pœnitentes mente euoluere.]

Pœnitentia remedium, est vnicum peccatoris solatium.

3. Tabernaculorum festum celebratur.

Vers. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Et in die secundo, &c.*] Cæterum die secundò eiusdem mensis septimi, Principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Esdram Scribam sapientissimum confluxere, vt dubitationes circa legis intelligentiam enodaret. Ex pridiana namque lectione subortæ fuerant inter illos aliquæ quæstiones, non de verbis, quæ etiam vulgus dicitur intellexisse, sed de sensu ac intelligentia rerum quarumdam, ac nominatim de ritibus, & cæremoniis, quibus celebrandum erat instans scenopegiæ. Inuenerant itaque scriptum in Libro legis, quem legerat Esdras, Dominum ex ore Mosis præcepisse, vt filij Israël celebrent Tabernaculorum festum, quod Græco vocabulo scenopegia dicitur. Quod quidem solemne indicendum erat voce præconis in Ierusalem & in cunctis Vrbibus; indicente, vt in decimum quintum diem eiusdem mensis Tisri omnes vndique Ierosolymam confluant, ad festum scenopegiæ per octiduum celebrandum. Igitur iuxta legis præscripta ex Esdræ interpretatione diuulgata est Tabernaculorum solemnitas, precone clamante: Egredimini in montem, & succidite oliuæ ac ligni *pulcherrimi*, nec non myrti, palmarum, aut cuiusuis ligni nemorosi frondes, vt iuxta legis præscriptum tabernacula texantur. Pro *ligno pulcherrimo* LXX. transtulere *cypressum*, alij *pinum*, alij *balsamum*, alij *cedrum*. Sed ex omni ramorum genere illa poterant constrtui tentoria. Et egressus est populus, omnesque ad conficienda sua tabernacula frondes arborum pro libito detulére, constructreque tentoria *in domate suo*, id est, in tecto domus suæ, seu solario. Nam omni loco poterant ea Tabernacula figi, dummodò sub dio collocarentur. Alij verò in atriis domus, aut in atriis Templi, & in platea intrante portæ Aquarum, & in platea Ephraim. * Vt innuatur facilitas æterni Tabernaculi constituendi. Nec enim solùm in Domo Dei, aut Sacerdotio aut Religione, sed & in sæculo, in foro, in plateis habitantibus datur posse suum Tabernaculum apparare.] Ea autem est constituendi vbique Tabernaculi conditio, vt *sub dio* extruatur, hoc est, vt pateat temporis incommodis. * Haud potest cœleste Tabernaculum constrtui sine incommodorum, ac laborum sustinentia.] Celebrauit igitur cunctus Israëliticus populus Tabernaculorũ solemnitatem, constituendo tentoria, & habitando in eis, nec à tempore Iosue filio Nun vsque ad illud tempus populus electus tanta alacritate, pietate ac lætitia Tabernaculorum festa celebrauit. Id quod accuratæ lectioni Libri legis tribuendum. * Sacra enim lectio animos excitat ad accuratiorem diuinæ legis obseruationem.] Esdras autem à die primo vsque ad nouissimum, siue toto octiduo, quo solemnitas renuit, in Libro legis præscripta Mosis adhuc populo legebat, alij & interpretabatur; Populus verò septem diebus solemnitatem scenopegiæ gessit, die demum octauo iuxta ritum gestere *collectum*. Collecta fiebat die octaua huius solemnitatis: *Collecta* autem dicebatur non à pecuniarum collectione, sed à collectione, ac congregatione hominum, qui conueniebant, vt Deo gratias agerent, quod post longam in deserto peregrinationem, vbi tentoriis Israëliticus populus vtebatur, in terram promissam peruenissent. * Diuina beneficia nunquam sunt obliuioni tradenda, sed frequenti gratiarum actione innouanda.]

Non solùm in Religione Dei domo æterna tabernacula constituuntur, sed & in plateu, &c. siue in secularibus occupationibus.

Non potest Tabernaculũ cœleste constrtui, sine laborum sustinentia.

Sacra lectio animum excitat ad accurationem legis obseruationem.

Sæpè memoriam age de quolibet beneficio accepto à Domino.

CAPVT IX.

A commercio cum alienigenis populus iterato se separat, Leuitæ Dei beneficia, ac populi scelera confitentur. Fœdus cum Domino instaurant.

1. IN die autem vigesimoquarto mensis huius, conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in sacris, & humus super eos. 2. Et separatũ est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum. 3. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum. 4. Surrexerunt autem super gradum Leuitarum, Iosue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamaueruñt voce magna ad Dominum Deum suum. 5. Et dixerunt Leuitæ, Iosuæ, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Obaia, Sebnia, Phathahia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno vsque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude. 6. Tu ipse Domine, solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum, & omnem exercitum eorum, terram, & vniuersa quæ in ea sunt: maria, & omnia quæ in eis sunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cælite adorat. 7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen

eius

eius Abraham. 8. Et inueniſti cor eius fidele coram te: & percuſsiſti cum eo fœdus, vt dares ei Terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebuſæi, & Gergeſæi, vt dares ſemini eius: & impleſti verba tua, quoniam iuſtus es. 9. Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto: clamoremque eorum audiſti ſuper Mare rubrum. 10. Et dediſti ſigna atque portenta in Pharaone, & in vniuerſis ſeruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouiſti enim quia ſuperbè egerant contra eos: & feciſti tibi nomen, ſicut & in hac die. 11. Et mare diuiſiſti ante eos, & tranſierunt per medium maris in ſicco: perſecutores autem eorum proieciſti in profundum, quaſi lapidem in aquas validas. 12. Et in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via, per quam ingrediebantur. 13. Ad montem quoque Sinai deſcendiſti, & locutus es cum eis de cælo, & dediſti eis iudicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona: 14. & ſabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepiſti eis in manu Moyſi ſerui tui. 15. Panem quoque de cælo dediſti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxiſti eis ſitientibus, & dixiſti eis vt ingrederentur & poſſiderent terram ſuper quam leuaſti manum tuam, vt traderes eis. 16. Ipſi verò & patres noſtri ſuperbè egerunt, & indurauerunt ceruices ſuas, & non audierunt mandata tua. 17. Et noluerunt audire, & non ſunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et indurauerunt ceruices ſuas, & dederunt caput vt conuerterentur ad ſeruitutem ſuam, quaſi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens & miſericors, longanimis & multæ miſerationis, non dereliquiſti eos: 18. & quidem cùm feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: Iſte eſt Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: fecerúntque blaſphemias magnas. 19. Tu autem miſericordiis tuis multis non dimiſiſti eos in deſerto: columna nubis non receſſit ab eis per diem, vt duceret eos in viam, & columna ignis per noctem, vt oſtenderet eis iter per quod ingrederentur. 20. Et ſpiritum tuum bonum dediſti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum, & aquam dediſti eis in ſiti. 21. Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto, nihílque eis defuit: veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non ſunt attriti. 22. Et dediſti eis regna, & populos, & partitus es eis ſortes: & poſſederunt terram Sehon, & terram regis Heſebon, & terram Og regis Baſan. 23. Et multiplicaſti filios eorum ſicut ſtellas cœli, & adduxiſti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum vt ingrederentur & poſſiderent. 24. Et venerunt filij, & poſſederunt terram, & humiliaſti coram eis habitatores terræ & Chananæos, & dediſti eos in manu eorum, & reges eorum & populos terræ, vt facerent eis ſicut placebat illis. 25. Ceperunt itaque vrbes munitas, & humum pinguem, & poſſederunt domos plenas cunctis bonis; ciſternas ab aliis fabricatas, vineas, & olieta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & ſaturari ſunt, & impinguati ſunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna. 26. Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua: & prophetas tuos occiderunt, qui conteſtabantur eos vt reuerterentur ad te: fecerúntque blaſphemias grandes. 27. Et dediſti eos in manu hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum. 28. Cúmque requieuiſſent, reuerſi ſunt vt facerent malum in conſpectu tuo: & dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, & poſſederunt eos. Conuerſíque ſunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cœlo exaudiſti, & liberaſti eos in miſericordiis tuis, multis temporibus. 29. Et conteſtatus es eos vt reuerterentur ad Legem tuam. Ipſi verò ſuperbè egerunt, & non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem, & ceruicem ſuam indurauerunt, nec audierunt. 30. Et protraxiſti ſuper eos annos multos, & conteſtatus es eos in ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum, & non audierunt, & tradidiſti eos in manu populorum terrarum. 31. In miſericordiis autem tuis plurimis non feciſti eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos: quoniam Deus miſerationum, & clemens es tu. 32. Nunc itaque Deus noſter magne, fortis, & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos, reges noſtros, & principes noſtros, & Sacerdotes noſtros, & prophetas noſtros, & patres noſtros, & omnem populum tuum, à diebus regis Aſſur vſque

in

in diem hanc. 33. Et tu iustus es in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus. 34. Reges nostri, principes nostri, Sacerdotes nostri, & patres nostri, non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis. 35. Et ipsi in regnis suis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non seruierunt tibi, nec reuersi sunt à studiis suis pessimis. 36. Ecce nos ipsi hodie serui sumus; & terra, quam dedisti patribus nostris vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius; & nos ipsi serui sumus in ea: 37. Et fruges eius multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris secundùm voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus. 38. Super omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus; & scribimus, & signant principes nostri, Leuitæ nostri, & Sacerdotes nostri.

COMMENTARII.

1. Separat se populus à consortio cũ alienigenis.

VERS. 1.2.3. *In die autem, &c.*] Profectò die vigesima quarta mensis eiusdem septimi, elapsis Tabernaculorum diebus, filij Israël ieiunio muniti, indicti saccis, humo, seu puluere capita conspergentes conuenerunt, seu in vnum fuere colligati, vt de separatione ab alienigenis iterata agerent. Signa hæc pœnitentiæ ad flumen diuinum placandum propter contractorum coniugiorum cum alienigenis delictum. Excitari verò fuerant ad pœnitentiam recitatione legis, & Esdræ adhortationibus. * Maximè enim confert Libri sacri lectio, ad pœnitudinis eliciendum affectus.] Certè publicæ pœnitentiæ signum erat saccus cilicinus, pulueris aspersio, solemne ieiunium. Vt qui publico sese delicto maculârant, publica pœnitudine expiarentur. * Quod poterunt facilè imitari Christicolæ, si die Confessionis modesto indumento, demisso capite in conspectu populi eius conscij placuli accedat.] * Premebat illud, *Et humus, super eos.* Quid mirum à peccatis recedere, ad pœnitentiam excitari illos, qui humum supra se inspergere curarunt. Memoria enim sepulturæ peccatorem ad meliorem mentem potenter adducit.] Igitur patrè Israëlitæ, seu nati ex parentibus fidelibus seiuncti, ac separati sunt ab aliis, qui ex altero infideli parente prognati fuerant. Matrimonia enim cum alienigenis contracta dissoluerunt. Nolebant enim vlteriùs cum alienigenis habere commercia, qui curabant conscientiam à criminum macula custodire.* Commercium namque cum peccatoribus criminum est scaturigo.] Et steterunt, peccatáque sua ac patrum suorum, ex affectu cordis ore accipiente verba, profitebantur. Tunc consurrexere Leuitæ *ad standum*, id est ascenderunt in locum aliquem sublimen, in quo tanquam in theatro, vel suggestu stantes, vt videri, & exaudiri vndique à circumstanti populo possent, legerunt in Volumine legis Domini *quater in die*, seu quatuor diuersis horis per diem, *& quater confitebantur*, nempe singulis lectionibus seu exhortationibus subnectebant hymnos & psalmos, quibus Deo laudem iustitiæ, veritatis, & misericordiæ: sibi verò confusionem ob scelera admissa tribuebant, ac veniam humillimè deposcebant. * En sacræ lectionis vtilitatem. Quater legunt, & quater compunguntur. Vix vlla excidet sine fructu sacræ lectionis lectio.]

Libri sacri lectio confert ad excitandũ pœnitentiæ affectus.

Qui publicè se delicto infecit, publicè se curet pœnitentia expiare.

Sepultura memoria peccatorem ad meliorem mentem adducit.

Commercium enim peccatoribus criminum est scaturigo.

Sacra lectio ad magna ad compunctionem vtilitas.

Verſ. 4. vsquè ad 31. *Surrexerunt &c.*] Certè Leuitæ qui surrexerant ad legendum, iam ad concionandum rursum exurgunt super *gradum* illud ligneum seu locum sublimen, è quo solebant Leuitæ profari. Qui autem tunc loquuturi gradum scanderant, fuere Iosue, Bani, Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani alter, & Chanani: & ad Dominum voce elata conclamauerunt suspiriorum tantum eloquio. At mox Leuitæ Iosue, Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Sarebia, Odaia, Sebnia, & Phathathia voce expressa dixerunt: Eia agite, Israëlitæ, benedicite Domino Deo vestro ab æterno existenti vsque in æternum. Siue Dominum perpetuò celebrate, & ab omnibus semper laudabilem afferte. * Tot enim Dei erga homines beneficia, vt non possimus grati existere, nisi perpetuò ea celebremus.] Et omnes *benedicant nomini gloriæ tuæ*, seu tuo inclito nomini, *omni benedictione, ac laude* simul expressa. * Tot enim beneficiis decantandis ac colendis non sufficit vnica laus, vnica benedictio, singula à Deo accepta beneficia speciali sunt benedictione ac laude recolenda.] Tot verò fuerat Israëliticus populus Dei beneficiis donatus, vt Leuitæ cunctas expetant benedictiones ac laudes confluere. Tu ipse Domine, tu solus *cælum* seu inferiores cœlestes orbes efformasti, & *cælum cœlorum* siue summum cœlum Empyreum condidisti: *& omnem exercitum eorum*, id est, omnes inferiorum cœlorum stellas succendisti, & omnes Angelos Empyrei cœli habitatores creasti. Tu terram & cuncta quæ in ea adsunt, eduxisti è nihilo: maria, & omnia, quæ inibi commorantur, eduxisti. *Tu viuificas*, seu conseruas omnia hæc: & Angeli Empyrei exercitus te adorant. Tu Domine Deus Abrahamum patrem nostrum elegisti, & eduxisti eum de *igne*, seu de Vr Chaldæorum: & cum prius diceretur *Abram*, eum Abraham, arcana literæ additione, nominasti. * Annota duo illa verba, *Elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne.* Electionem eductio sequitur. Quos enim Deus eligit, curat ex igne, seu ex delinquendi occasionibus abstrahere.] Existimo *Vr Chaldæorum* proprium esse nomen Vrbis sic dictæ ab *igne*, qui istic vt in Perside pro Deo colebatur, auctore Hieronymo ad Gen. vbi nomen proprium *Vr* retinuit. Sed hic maluit interpretationem illius nominis ponere propter emphasim, quam explicatam voluit: nempè subductum Abrahamum ab *igne*,

2. Leuitæ Dei beneficia, ac populi scelera profitentur.

Dei beneficia æterna laus decet.

Singula à Deo accepta beneficia speciali benedictione, ac laude de sunt recolenda.

Quos eligit Deus, curat ex delinquendi occasionibus abstrahere.

&

& afflictione, qua istic à Chaldæis, quod ignem adorare nollet, afficiebatur, teste Iosepho, & Hieronymo, qui adiicit, Abrahamum ea de causa coniectum à Chaldæis in ignem fuisse, sed à Deo miraculosè ereptum. * Quod si nolis hanc ex *igne* eductionem materialiter intelligi, eductus est à Deo ab igne spiritualiter Abrahamus. Totiens enim igne vir fidelissimus torquebatur, quotiens videret ignem à Chaldæis adorari. Dura siquidem iustis sicut infernus *æmulatio*, siue Dominicæ gloriæ zelus.] Cor quidem Abrahæ coram te fidelissimum inuenisti, vnde virtutem eius præmio donaturus etiam temporario, qui parabas æternum: ei promisisti, te ei Terram Chananæorum, Hethæorum, Amorrhæorum, Pherezæorum, Iebusæorum, Gergesæorúmque traditurum, vt eius posteri eius habitaculo potirentur. Et tua impleuisti promissa, *quoniam iustus*, seu verax es. * Tam difficilè assolent hac in regione impleri promissa, vt vel Deum de promissorum impletione Auctor Libri collauder.] * *Quoniam* (inquit) *iustus es*. Indicamentum de tua iniustitia aut iniquitate exhibes, dùm contemnis tuas implere promissiones.] Benignis oculis patrum nostrorum afflictionem aspectasti, dum Ægyptiaca captiuitate premerentur: clamorémque eorum exaudisti *super mare Rubrum*, hoc est, cum Rubro pelago præpedirentur, ne possent Pharaonis persequentis copias effugere, quæ tandem obrutæ vndis periere, dum Israël ad vlteriorem ripam properaret incolumis. * Orationis enim clamor omnium ærumnarum, ac periculorũ est medicamen.] Signis ac portentis Pharaonem aulicosque eius, cunctumque populum Ægyptiacum cum diuerberasti: agnoscens quod se se superbum immitemque Dominum Israëli præstiterat; nomenque tuum celebre ac inclitum reddidisti, *sicut & in hac die*, id est, quemadmodum nos demum à Babylonica seruitute valida in manu ad Ierosolymam transtulisti. * Preme verba illa, *Cognouisti enim, quia superbè egerant contra eos*. Ac si diceret, ideò tot miracula patrasti ad educendos Israëlitas, ideò tot flagellis plagarum Pharaonis Ægyptiorumque dorsa contudisti, quia superbos se se illi Israëlitis ostentarant. Nihil enim magis cœlesti Numini inuisum quàm superbia.] Pelagum inquam Rubrum cum non possent vlteriùs pergere, diuisisti; vt sicco pede transmearent; persecutores autem eorum existimantes sibi etiam secura itinera præparati, miserè obruti instar lapidis grauis, perierunt. * Nec omnibus datum est per mare sicco vestigio incedere. Vbi pericula sæcularis subit, ibi Religiosus potitur securitate.] Euangelicus operarius Veneris percalcat incolumis spumam fauente cœlesti Numine, quia proprio sacro ministerio dat operam cum inter deprauatos agit: & inibi qui non vocatus est ad id ministerium, sed ad montis adyta, miserè deperiret.] Columna nubis eis interdiu ducatum præstabat, nè solis æstu molestarentur: & ignis columna instar lucidissimæ facis, eosdem noctu dirigebat. * Quàm commendabilis ille Dux, qui dum regit præseruat ab æstu, & à tenebris liberat! Qui præcedens præstat ducatum, debet simul subditorum immunitati studere. Totus sit ille nubes, & fax; vt eo ipso quo dirigit, defendat, & illuminet.] Dux itaque & nubis, & ignis se se viatoribus Iudæis ostentabat, vt iter ostenderet, ab æstu obtegeret & lucem exponeret. Ad Sinai montis verticem descendisti, & Israëli tuo iudicialia, moralia, ac ceremonialia præscripta tradidisti, ostendens Sabbatum tuum in honorem sanctificatum esse; quo die ab opere feriandum, tuusque cultus peculiariter vsurpandus obiicitur. * Pondera verba, *Et Sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis*. Sabbatum siue festum dicitur *sanctificatum*, & *tuum*, vt innuatur id totum decere sanctitudinem, nec vllam eius particulam alieno domino litandam.] Simul mandata & ceremonias, siue statuta, ac legem eis Mosis manu conscripta indixisti. * Loco illius particulæ, *& ceremonias*, est in Hebræo, *&* statuta, vt edoceamur quamlibet ceremoniam debere à nobis velut statutum, aut præceptum obseruari; ne gerentes operis substantiam, modum illius contemnamus.] Hebræis fame pressis *panem de cœlo*, Manna scilicet prouidisti: sitientibus aquarum fontem è saxo eduxisti: Et indixisti eis, vt ad possidendam Terram illam, quam *elevans manum tuam*, (qui iurantis est habitus) te daturum patribus promisisti, ingrederentur. Fateor ingenuè, patres nostros superbè egisse, suásque indurasse ceruices, ne tuis præceptis submitterentur. Noluerunt tua exaudire monita, nec mirabilium, quibus eos à Pharaonis potentia eripueras recordari voluére. Adeò autem eorum producta est ingratitudo, vt indurati darent *caput, vt conuerterentur ad seruitutem suam quasi per contentionem*, Ex Hebræo, *& posuerunt caput, vt reuerterentur*; id est, eligere voluerunt caput, & Ducem, vt, relicto Mose, reuerterentur in Egyptum iterum seruituri. LXX. *Cæperunt reuerti in seruitutem suam*. * Ingratorum supplicium est, ad ea incommoda vltrò remeare, è quibus eos beneficia Dei, quæ contemnunt, eripuerant.] Illam particulam, *Quasi per contentionem* vulgariter expono. *Como sobre apuesta*, curabant recurrere ad seruitutem. Indicatur iniquorum ad pristina delicta patranda impetuosa celeritas: *Como sobre apuesta bueluen al a mala costumbre*.] Scio in Hebræo pro *contentione* haberi, *Cum rebellione sua*; vel vt alij vertunt, *In contumacia*. Tu autem Deus *propitius, clemens, misericors, longanimis*, & in miserationibus prædites, eos minimè *dereliquisti*. * Certè cum Deus continet peccatorem, ne prauum propositum expleat, se propitium, clementem, misericordem longanimémque ostentat. Pranum enim illud propositum Deum non ad miserendum, sed ad puniendum extremè prouocauerat. Misereri ergò, ex quo motiuo punire iustè posset, ineffabilis misericordiæ est documentum.] Et quidem aliud apertius diuinæ miserationis huius ineffabilis exemplum exhibebo: Cum Hebræi sibi vitulum conflatilem confinxére profantes: *Iste est Deus tuus*, qui te de Ægyptiaca seruitute liberauit: *fecerúntque blasphemias magnas*; LXX. *irritationes magnas*. irritauerunt enim te, honorem tibi detrahendo, & idolo tribuendo, quasi ab illo educti essent è seruitute; quod ad blasphemiam pertinet: tu tamen, ô Domine *in misericordijs tuis multis*, seu iuxta tuam miserendi agnatam consuetudinem eos in deserto, non diuisisti omninò desolatos, nec columna ignis nocturna directrix, nec columna nubis diurna ductrix, ab ingratis recessit. Nec *spiritum tuum bonum*

Iustis est velut inferni flamma videre, Deum deesse à peccatoribus.

Difficillimè homines sua promissa implent.

Iudicium est iniustitia, non implere promissiones.

Clamor orationis omnium ærumnarum remedium.

Superbia vitium Deo admodum inuisum.

Non omnibus datum, medijs in periculis incolumis esse.

Prælatus sit nubes defendès subditos, & illuminàs, eo ipso, quo regit.

Dies festi tota sunt Dei, nec alieno Domino vlla eorum litanda particula.

Operis ceremonia sic tibi sicuti ipsa statuta, nec audeas violare.

Supplicium ingratorũ est, ad ea incommoda remeare, è quibus eos Dei beneficia, quæ contemnunt, eripuerat.

Ineffabilis misericordia Dei est documentum, peccatorem continere, ne pranum impleat propositum.

id eſt, Angelum viæ in vtraque columna Dueem ab eis auocaſti. Nec Manna deſcendere è cœlo prohibuiſti, nec perennem illum fontem exſiccaſti. Quadraginta annis eos in deſerto dulciter ac copioſè pauiſti, *nihilque eis defuit*, Manna cunctorum ciborum referente ſapores. Veſtimenta eorum non experta ſunt vetuſtatis iniuriam, & pedes eorum attriti non fuere, calceis vetuſtate deficientibus. Eos Regnis, populis, ſortibus ſeu hæreditatibus copioſis donaſti: poſſederunt namque Terram Selon, & Terram Regis Heſebon, & Og Regis Baſan. Et iuxta promiſſionem tuam Abrahæ patri noſtro factam, poſteros Iudæorum veluti cœli ſydera multiplicaſti, eoſque ad illam Regionem adduxiſti, quam ab eis poſſidendam fore patribus annunciaras. Venerunt itaque filij & illam tenuere Terram, quæ patribus promiſſa eis nondata fuit, ſed eorum filiis ac neporibus. * Ea etenim eſt patris ac filij identitas, vt quod filius accipit, pater accepiſſe videatur.] Ne autem eorum ingreſſionem hoſtes Gentiles impedirent, ad ingreſſum illorum habitatores Terræ huius Chananæos cõpreſſiſti, eoſq; Iudæorum tradidiſti in manus: ac Reges eorum cunctóſque populos Hebræorum placito addixiſti. Cepere itaque Vrbes munitas, & humum pinguedine diffluentem, adiére domos omnium ſupellectilium ac ciborum copia redundantes, ciſternas ab aliis fabricatas, & aquâ plenas euacuarunt, oliueta, vineas, & pomiferarum arborum hortos multos poſſederunt: comederunt, ſaturati, ac impinguati fuére, & *bonitate* ſeu beneficentia tua magna deliciis abundauerunt. Attamen ingrati à te recedentes, legem tuam deſpectui habentes, & Prophetas tuos proteſtantes Deum iniurias ſibi illatas grauibus plagis vindicaturum, occidentes, te ad iracundiam prouocauerunt, blaſphemi vtique Deo honorem detrahendo, vt idolis tribuerent. Vt autem cœleſtis Medicus tam deſperatæ occurreres ægritudini, eos in manum hoſtium tradidiſti, vt dirè affligerentur. * Hi namque laborum, afflictionúmque ſudores aſſolent à medullis oſſium noxium iniquitatis humorem extrahere.] Vnde acti tribulatione clamauerunt ad te, & tu protinus è cœlo exaudiſti, ineffabilitérque miſericors eis prouidiſti Iudicum præſertim temporibus Saluatores, ſeu ſalutares populo afflicto Duces, qui eos ab hoſtium tyrannide liberarent. Cum autem réque potirentur, ad iniquitates priſtinas recurrerunt. * Nam ſicut laborum catena peccatorem continet, ne à Domino abſtrahatur: felicitatis libertas eum aſſolet ad fugam excitare.] Vt verò rurſum eos reduceres, eos iterum hoſtium dediſti poteſtati. Conuerſi ſunt, clamauerunt ad te, & tu iuxta agnatam tibi miſerationem, & audiſti, & *multis temporibus*, ſiue multis vicibus eos ab hoſtibus liberaſti. Vltrò peccator deperibit, ſi clamare deſierit: ſemper enim poteſt clamare, & ſi ex corde exorat, nunquàm à Deo miſerationibus exundante non poterit exaudiri.] Et ne rurſum contaminarentur, *conteſtatus es eos*, ſiue proteſtatus Prophetarum ex ore te iniurias tibi illatas grauioribus plagis vindicaturum. Illi verò agnatæ addicti ſuperbiæ, ac pertinaciæ, non audierunt monita tua, ſed contra iudicia, ac præcepta tua deliquere, quæ ſi obſeruauerit homo, *in eis viuet*, ſiue, in quorum obſeruatione vita conſiſtit. * Certè non ſolùm ſpiritualis, ſed & temporaria vita ex legis obſeruatione protegitur; multiplicatio enim peccatorum vitæ parit imminutionem.] *Et dederunt humerum recedentem*, & ceruicem ſuam indurauére, ne exaudirent. Adagialis dicendi formula, qua ſignificatur ſubtractio à diuinæ legis onere. Attamen *protraxiſti ſuper eos annos multos*, id eſt, patienter, longanimitérque diſtuliſti, ſi forte mentem reſumerent meliorem: & iterum *conteſtatus es eos*, minas obiiciens Propheturum ex ore: nec audiuére; ideóque ingratos ac pertinaces Gentibus iterum tradidiſti. Summè verò de more miſericors, *non feciſti eos in conſumptionem*, id eſt, non penitus deleuiſti. Nec quidem potuit tanta hominum malitia tuam miſerationem hebetare, *quoniam Deus miſerationum, & clementiæ tu es*. * Ac ſi diceret, Videtur ô Domine tua Diuinitas è miſerationibus coaleſcere, quaſi æquè iuſtus non eſſes. Tam miſericors itaque ô Domine peccatoribus oſtentaris, vt quodammodò videaris ex ſola miſericordia exiſtere.]

Verſ. 32.33.34.35.36.37.38. *Nunc itaque, &c.*] Nunc itaque Deus magne, fortis, & *terribilis* hoſtibus noſtris, cum nos pœnitudinis foueamur affectu, qui pactum nunquam non cuſtodis, qui ſemper miſericordia diffluis; ne, quæſo, negligas labores, quibus Reges noſtri, Principes, Sacerdotes, Prophetæ, patres, omniſque populus tuus affecti ſunt à temporibus Regis Aſſur ſcilicet Thelgatphalmaſar & Salmanaſar Regum Aſſyriorum, qui captiuos ad Aſſyriam Hebræos duxere, vſque ad diem hanc, ſiue vſque ad tempus, quo, benignitate tua, Vrbis inſtaurationi, cultuſque tui reſtitutioni ſtudiam expendimus. Profitemur ingenuè, iuſtiſſimè te in tuum populum vindicaſſe; quia *veritatem feciſti*, implendo promiſſa, *nos autem impiè egimus*, fœderis violantes conditionem. Reges Principes, Sacerdotes ac patres noſtri, tuam legem violarunt, præſcripta tua minimè cuſtodierunt, & teſtimonia tua *quæ teſtificatus es in eis*, ſeu quæ teſtificando, ſiue cœlum & terram in teſtes inuocando præcepiſti, fuére tranſgreſſi. Inde planè iniquiores expoſiti, quod tot Regnis donati, tanta miſericordia tua ſuffulti, lætiſſima ac admodùm pingui regione potiti, tibi non ſeruiere, nec ſua ſtudia peſſima obliteratunt. * Magis enim iniqua ac intolerabilis plus ingratitudo exiſtit illorum, qui pluribus beneficiis fuere donati.] Ecce nos ipſi hodie poſt tot exantlatos labores, adhuc ſerui ſumus *in Terra*, quam patribus noſtris tradidiſti, *vt comederent panem eius*, & bonis, quæ in ea exundant, potirentur, id eſt, vt liberi à ſeruitute, ſeu tributo victitarent. Quod quidem illis verbis expreſſit Leuita: *ſerui ſumus in Terra, quam dediſti patribus noſtris, vt comederent panem eius*. Ac ſi diceret, Dediſti nobis Terram hanc, vt eius frugibus aleremur, eius frueremur fertilitate. * At dum neceſſum eſt nobis tributa ſoluere, panem comedere non poſſumus, omnia enim bona ſoluendis tributis ac vectigalibus impenduntur.] * Datur agricolæ fundum tuum, vt excolendo comedat panem, vinum hauriat: ſed tot tantaque ſunt tributa rependenda, vt neceſſarium ſit ei inedia conſumi, à victu neceſſario dum detrahit, vt creditori ſoluat.] Itaque in Terra, quæ data fuit nobis, vt comede

Patris ac filij quaſi vna identitas.

Afflictionum ſudores ſolent è medullis iniquitatis humorem extrahere.

Felicitas aſſolet eſſe ad vitia incitamentum.

Quoties peccator ex corde Dei orat, à Deo exauditur.

Multiplicatio peccatorũ vitæ parit imminutionem.

Tam miſericors Deus oſtẽditur, vt videatur eius diuinitas ex ſola miſericordia coaleſcere.

3. Fœdus Iſraëlitæ cum Domino inſtaurant.

Intolerabilior ingratitudo illorum, qui pluribus beneficijs fuere donati.

Omnia bona tributis ſoluendis impẽduntur.

Agricola fame conficiuntur, vt tributa rependant.

comederemus, *serui sumus*, vnde non possumus ex eius fructibus victitare. * Premè illud, *Et nos serui sumus in eâ.* Quàm miserum, homines seruire in Terra libertatis! Vt miseriam Religiosi praui dignoscas, qui in patria libertatis spiritualis cogitur voluptati tributa rependere.] Constat ex præfatis, Iudæos hoc tempore Regi Persarum tributa, exceptis Sacerdotibus & Leuitis, quos nominatim Artaxerses excepérat 1. Esd. 7. 24. pependisse. *Et fruges* Terræ nobis promissæ *multiplicantur Regibus*, Reges enim tributi nomine omnia sibi asciscunt. Vnde fructuum multiplicario non ingerit miseriæ imminutionem. * Crediderim posse iustè agricolas nostrates conqueri: *Fruges nostræ Regibus multiplicantur*, siue (aptiùs dixerint) Regum ministris. Euacuantur namque agricolarum horrea, nec Regum horrea videntur redundare: solummodò exactoris substantia crescit.] Regibus, inquam, barbaris, quibus ob peccata nostra nos submisisti, qui corporibus nostris dominantur, & iumenta nostra suis proprijs vsibus addicunt, cuncta nostra bona deseruiunt, non nostro impenduntur commodo, vndè egestas in magnam nos egit tribulationem. * Illud pondera: *Regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra.* Ob iniquã enim subditorum aliquorum gesta Deus permittit prauum Rectorem communitati præponi.] *Super omnibus ergo his*, id est, propter hæc omnia, vt nostri deinceps misereri pergas: ex nouo fœdere fideli & constanti nos tibi obstringimus, quòd velimus mandatis tuis æternùm parere. *Et scribimus*, id est, literas huius fœderis testes obsignari omnium nomine curauimus ab iis, qui in Republica nostra, & Ecclesia primas tenent, quorum nomina sequenti capite recensentur.

Quàm miserum, in Religione libertatis patriæ hominem seruire voluptatibus.

Fruges agricolarum multiplicãtur Regi, seu potius exactori, non ipsis agricolis, ob tributa pẽdenda.

Ob peccatã subditorum Deus permittit, prauum Rectorem cõmunitati addici.

CAPVT X.

Qui fœdus cum Deo initum signarunt, memorantur. Porrò hoc fœdere promittunt se vniuersa Dei præcepta seruaturos, maximè de vitando cum alienigenis commercio, de seruando Sabbato, & anno septimo Sabbatico, de oblationibus, primitijs, ac decimis.

1. SIGNATORES autem fuerunt, Nehemias, Athersatha filius Hachelai, & Sedecias, 2. Saraia, Azarias, Ieremias, 3. Phesshur, Amarias, Melchias, 4. Hattus, Sebenia, Melluch, 5. Harem, Merimuth, Obdias, 6. Daniel, Genthon, Baruch, 7. Mosollam, Abia, Miamin, 8. Maazia, Belgai, Semeia: hi Sacerdotes. 9. Porrò Leuitæ, Iosue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel, 10. & fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan, 11. Micha, Rohob, Hasebia, 12. Zachur, Serebia, Sabamia, 13. Odaia, Bani, Baninu. 14. Capita populi; Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Baui, 15. Bonni, Azgad, Behai, 16. Adonia, Begoai, Adin, 17. Ater, Hezecia, Azur, 18. Odaia, Hasum, Besai, 19. Hareph, Anathoth, Nebai, 20. Megphias, Mosollam, Hazir, 21. Mesizabel, Sadoc, Ieddua, 22. Phelria, Hanan, Anaia, Osee, Hananiã, Hasub, 23. Alohes, Phalea, Sobec, 24. Rehum, Hasebna, Maasia, 25. Echaia, Hanan, Anan, 26. Melluch, Haran, Baana. 27. & reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, & cantores, Nathinæi, & omnes qui se separauerunt de populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum, 28. omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, Optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & iurandum vt ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi serui Dei, vt facerent & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius & cæremonias eius: 30. & vt non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris. 31. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad vsum, per diem Sabbathi vt vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus. 32. Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, 33. ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in Sabbatis, in Calendis, in solemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Israël, & in omnem vsum domus Dei nostri. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, à temporibus anni vsque ad annum: vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi: 35. & vt afferremus primogenita terræ

nostræ & primitiua vniuersi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini. 36. & primitiua filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiua boum nostrorum, & ouium nostrarum, vt offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri: 37. & primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei, afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Leuitis. Ipsi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum. 38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri. 39. Ad gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Leui, primitias frumenti, vini, & ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & ianitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

COMMENTARII.

1. Fœdus cum Deo initum qui signârint.

VERS 1. vsque ad 28. *signatores, &c.*] Fœdere itaque à populo cum Deo inito, vt id propriis nominibus signarent, multi viri è Sacerdotibus è Leuitis, è Primoribus populi accesserunt. Porrò è Sacerdotali ordine signauere Nehemias, Athersatha filius Hachelat, Sedecias, Saraias, Azarias, Ieremias, Phashur, Amarias, Melchias, Hattus, Sebenia, Melluch, Harem, Metimuth, Obdias, Daniel, Centhon, Baruch, Mosollam, Abia, Miamin, Maazia, Belgai, & Semeia. Deinde è Leuitis signatores extitére Iosue filius Azaniæ, de filiis Henadad, Bennui Gedmialhel & alij. Sebenia, Odaia, Bani, & Baninu. Demum de Primoribus populi subscripsére Pharos, Phahathmoab, Aelam, Zethu, Bani, Bonni, Azgad, Bebai, Adonia, Begoai, Adin, Ater, Hezecia, Azur, Odaia, Hasum, Besai, Hareph, Anathoth, Nebai, Megphias, Mosollam, Hazir, Mesizabel, Sadoc, Ieddua, Phaltia, Hanan, Anaia, Osee, Hanania, Hasub, Alohes, Phalea, Sobec, Rehum, Hasebna, Maasia, Echaia, Hanan, Anan, Melluc, Haran, & Baana. Mirum est planè, neque Eliasib Pontificem, neque Esdram Sacerdotem in hoc subscriptorum catalogo reperiri. Ab aliquo legi, causam rogari, à nullo reddi. Crediderim, hos præcipuè populi hoc fœdus, ordinasse, propriaque manu scripsisse, vnde illud ipsum proprio exorasse calamo iam erat subscribere nomina. Ab aliis ergo curarunt Pontifex & Scriba fœderis gerendi huius authores, & principes, confirmari, ac muniri. * Nec enim quis laudabiliter propriis gestis commendandis studet.]

Non studet quis laudabiliter propriis operis commendationi.

2. Fœderis tenor describitur.

Vers. 28. vsque ad 39. *Et reliqui, &c.*] Profectò dum Sacerdotes, Leuitæ, ac Primores memorati sua nomina subscripsere, reliqui de populo electo Sacerdotes, Leuitæ, Ianitores, Cantores, Nathinæi, & omnes *qui se separauerunt* de populis Gentium ad legem Dei, id est, proselyti, nec non vxores, filij ac filiæ eorum, animum fœderi subscribebant; & si non calamo, id obsirmabant affectu. *Omnes autem, qui poterant sapere*, scilicet Leuitæ scientes legem, & illam alios docentes iuramento adigebant fratres suos Hebræos, & pro illis quodammodò spondebant, quia verba iuramenti ipsi præibant; insuper Optimates eorum, & generatim omnes, qui iuraturi veniebant, obstringebantur, seu pro illis spondebant Leuitæ præeuntes. * Loco illius particulæ, *Omnes qui poterant sapere*, est in Hebræo, *Omnis sciens, & intelligens* seu Leuita. Quasi vocabulum synonimum, vel nomen Leuitæ sit *sciens & intelligens*. Quod de Sacerdotali Ordine potiori iure dictum puta. Quomodo enim poterit tot difficilibus muniis Sacerdos christicola dare operam, nisi sapientia, ac intelligentia polleat] LXX. sic difficilem extulére locum: *Omnis sciens, & intelligens inualescebat super fratribus suis & execratione adstringebat eos, & ingressi sunt in execratione & iuramento ambulandi in lege Dei.* * Proprium est Clericorum sæculares ad propositum obseruandæ sacræ legis excitare.] Fœdere itaque hoc cunctus populus promisit, se seruaturum vniuersa Dei in communi præcepta, quæ Mosis calamo, dictante Domino, fuére conscripta, nempe præscriptiones iudiciales, ac ceremoniales. Specialiter verò promiserunt filias suas minimè Gentilibus tradituros in coniugium, nec eorum filias suis filiis accepturos esse. * Quare in particulari Hebræi nonnulla promittunt, quæ generatim iam in iuramento obseruandi omnem legem includebantur? Quia quæ oportet firmiùs obseruari, speciali proposito conuenit præmuniri.] * Hinc liceat societatis Iesu vsum circa examen particulare iusta commendatione efferre. Generali examine de cunctis piaculis periculum facimus, & mox de aliquo speciali commisso, quod abolere speciatim intendimus, particulare examen gerimus: ac demum post generale propositum vltra non delinquendi, particulatim propositum de abstinendo ab illo speciali piaculo instituimus. Vt scilicet contraria virtus speciali proposito munita difficiliùs valeat violari.] Deinde promittunt speciatim, se à Gentilibus, infidelibúsve afferentibus venalia, in die Sabbati nihil empturos, ne tanti diei sanctitas violaretur. * Pudeat Christianos posse immitti ad Iudæos, vt ediscant ab eis accuratam obseruationem dierum festorum, quos tam facilè violamus. Illi apportabant *venalia, & omnia ad vsum* necessaria, & tamen Iudæi non emebant. Christicolæ autem multa non necessaria in die festo gerunt. Vtinam fallar, sed crediderim tot nos laboribus ac ærumnis diuerberari ob facilem festorum violationem.] Tertiò polliciti sunt, dimittere annum septimum sine cultura, & satione, vti Leu. 25. 4. præcipitur. Ea verò de causa, vt spontè nata pauperibus permittantur. * Ipsa enim natura nos docet,

Necessarium adeò est Sacerdotem scire, vt vocabulum, quo Leuitas signatur, sciens sit.

Proprium est Clericorū ad propositū obseruandi Dei legem excitare.

Qua oportet firmius obseruari, speciali proposito præmuniri cōuenit.

Examinis particularis quo Societas Iesu vtitur, ad speciale aliquod vitium abolēdum, commēdatio.

Facilis festorum violatio apud Christicolas reprehenditur.

Tellus nos docet, pauperibus subuenire.

cet,

Nullus adeò inops, qui non possit inopi frustulum panis offerre.

cet, pauperibus subuenire.] * Tellus nec cultra nec seminibus fœcundata suã ex inopiã habet, quod inopi reddat, subtraxans eos, qui ex inopia excusantur, ne egentibus subueniant. Nemo enim ex non mendicis ita pauper, vt non possit frustulum panis offerre mendico.] spondent simul dimissuros se *exactionem omnem manus*, id est non repetituros illo anno septimo debita, quæ per Syngraphas manu signatas ipsis à pauperibus debebantur, nam debita anno Sabbatico lege erant remittenda, Deut. 15. 1. Denique promittunt, se legem facturos, qua obligarentur singuli, singulis annis tertiam sicli partem exponere ad sacros vsus, nempè ad panes propositionis conficiendos, ad sacrificij perpetui materiam aptandam, ad holocaustum sempiternum Sabbatis, Calendis, solemnitatibus præcipuis, & *sanctificatis*, id est aliis festis offerendum, iuxta legis præscriptiones, ad sacrificium demum pro peccato gerendum: & ad reliquos vsus Templi Dei nostri, vt Sacerdotes

Orationi eleemosyna iniuncta.

pro Israël Dominum exorent. * Preme hanc particulam, *Vt exoretur pro Israël.* Annon poterant Sacerdotes sine illa populi contributione exorare? Possent quidem, sed fortasse à Domino non exaudirentur; quia Orationis alæ sunt eleemosyna.] Et manus orantis, instar ramorum palmæ sunt, quas pondus efficit eleuari ad victoriam siue ad oprati consequutionem. Vacuæ verò manus difficilè ascendunt.] Vt autem (Nehemias pergit) perpetuò igni materia non deficeret, & quia partim

Manus orantis plena instar palmæ ramorum, eleuatur ad victoriam.

à Sacerdotibus, partim à Leuitis, & partim à populo tribuenda erant ligna: sorte statutũ fuit, quo ordine, quibus nimirum hebdomadibus, vel mensibus quælibet illi ligna deberent exhibere. Scio Lyranum asseruisse, ligna à populo tantùm fuisse tributa, Sacerdotes verò per vices ignem subiectis lignis in altari nutriuisse, Leuitas autem sub quibus comprehendit Nathinæos ligna intulisse etiam per vices, vt sors obuenerat. Id autem gerendum erat, *per tempora, à temporibus anni vsque ad annum*, id est, annuatim per tempora statuta, vt arderet superaltare Dei iuxta Mosis præscriptionem. Difficilis quidem mihi semper visa est Lyrani sententia. Nam si sortes illæ circa oblationem lignorum mittebantur *inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum*, (vti apertè ait textus) quomodò ille potest asserere, à populo tantummodò fuisse tributa? Quia dum Sacerdotes & Leuitæ accipiebant, & igem subiectis lignis ministrabant, dum autem Leuitæ ipsa inferebant ligna, quasi tribuisse videbantur. Quodammodò enim dat operi sacro materiam, qui illam aptè in-

Quasi dat operi sacro materiam, qui ab alio datã aptè instituto ministerio accommodat. Quodãmodò author illius

stituto accommodat ministerio.] * Vt ediscat, qui opera pia è testamento sibi commissa exequitur sua quodammodo ea facere, cùm iuxta defuncti voluntatem digno subiectò accommodat. V. gr. dotem virgini modestia præfulgidæ applicas: quasi pij illius operis author exsurgis.] Polliciti etiam fuimus, nos fideliter quotannis allaturos Sacerdotibus, qui in Templo ministeria sacra gerunt (vt Domino offerant) telluris nostræ *primogenita*, siue primos fructus cunctorum lignorum; ac primitiua filiorum nostrorum, siue primogenitos iuxta exodi 13. & 22. præceptum: & animantia è pecoribus primò nascentia: nec non ciborum nostrorum libaminum, pomorum omnis ligni, vinearum, oliuetorum primitias, vt eorum pretio Dei gazophylatium oppleatur. Litare præterea promisimus, *decimam partem terræ nostræ Leuitis*, id est, decimas fructuum terræ ex operibus nostris. Ipsi autem Leuitæ *decimas operum nostrorum*, seu decimas ex operibus nostris resultantia ex omnibus Ciuitatibus nostris accipient. De lege decimarum vide Leuit. vlt. * Et certè tunc opera hominum prosperantur, cùm eorum fructus portio Dei obsequio cedit. O quanta tuis fructibus imminutio, quia de decimis Ecclesiæ debitis detrahere procuras!] *Erit* autem Sacerdos, seu Sacerdotes posteri Aaron *erunt cum Leuitis in decimis Leuitarum*, id est, partem suam habebunt ex decimis, quæ Leuitis à populo dabuntur, pura decimam omnium decimarum: & Leuitæ iuxta legem Mosis Num. 18. 26. offerent decimam partem decimæ suæ in Templo *ad gazophylatium in domum thesauri*, siue vt pretium reponant eo in loco, in quo Sacerdotum prouentus colligebantur; & asseruabantur quasi in thesauro; vt in eorum vsus suis temporibus deprimi possent. * O tempora quando Sacerdotum bona apud Templum custodiebantur, nec ab eis Sacerdos capiebat, nisi quod ad eius vsum necessarium videbatur, quod supererat sacræ domui cultui relinquendo! Annon edocentur Sacerdotes è prouentibus Ecclesiasticis solummodò ea portio accipiendaq; victui, seu substentationi modestæ sufficiat: reliqua autem pauperibus aut Templi cultui relinquendã? Ità planè.] Porrò *filij Israël*, & *filij Leui*, hoc est Leuitæ ac sæculares deportabant ad gazophylatium illud primitias frumenti, vini, & olei: & inibi vasa sancta ad Templi vsum asseruabantur; & *Sacerdotes*, Cantores, Ianitores, & ministri reliqui habitabant ibi; quo tempore per vices ministrabant. *Et non dimittemus domum Dei nostri*, seu curam domus Dei, & quæ ad cultum diuinum; & ministrorum alimenta spectant. Hæc omnia curant, se ex fide præstituros: * Cur Sacerdotes, Cantores, & Ianitores, aliique ministri iuxta gazophylatium habitabant, quando ministraturi erant? An vt præmij temporarij ad aspectum alacriores ad ministeria sacra redderentur? Assolet præmij obiectio nos ad opus reddere paratiores? Quare verò hæc præ cæteris seruanda iuxtantur? Crediderim, quia hactenus vel neglecta fuissent; vel negligenter admodùm obseruata.

Pij operis eius quod siduciæ geri iuxtà defuncti voluntatem.

Magna fructuum imminutione decimas Ecclesiæ debitas non persoluit.

Ex prouentibus Ecclesiæ id capi, quod ad victum ac vestitum sufficiat; reliquum pauperibus impertire.

Premij accipiendi obiectio nos ad laborandũ reddit alacriores.

* Prudenter à Prælatis aliquando sub præcepto obedientiæ alicuius grauis regulæ obliteratæ obseruatio præcipitur: vt gratuis noua obligatio regulam pristino nitori restituat.]

Prudenter à Prælatis aliqua sub præcepto obedientiæ præcipiuntur.

CAPVT XI.

Instaurata iam Ierosolyma, incolæ illius, & reliquarum Iuda Ciuitatum recensentur.

1. HABITAVERVNT autem principes populi in Ierusalē: reliqua verò plebs misit sortem, vt tollerent vnam partem de decem, qui habitaturi essent in Ierusalem ciuitate sancta, nouem verò partes in ciuitatibus. 2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant vt habitarent in Ierusalem. 3. Hi sunt itaque principes Prouinciæ, qui habitauerunt in Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda. Habitauit autem vnusquisque in possessione sua, in vrbibus suis, Israël, Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij seruorum Salomonis. 4. Et in Ierusalem habitauerunt de filiis Iuda, & de filiis Beniamin: de filiis Iuda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Zaphatię, filij Malaleel: de filiis Phares, 5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis: 6. omnes hi filij Phares, qui habitauerunt in Ierusalem, quadringenti sexagintaocto viri fortes. 7. Hi sunt autem filij Beniamin, Sellum filius, Mosollam, filius Ioed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia, 8. & post eum Gabbai, Sellai, nongenti viginti octo, 9. & Ioel filius Zechri præpositus eorum, & Iudas filius Senua super ciuitatem secundus. 10. Et de Sacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin, 11. Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei, 12. & fratres eorum facientes opera templi, octingenti viginti duo. Et Adaia filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ. 13. & fratres eius principes patrum: ducenti quadragintaduo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer, 14. & fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, & præpositus eorum Zabdiel filius potentium. 15. Et de Leuitis, Semeia filius Hasub filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni, 16. & Sabathai & Iozabed: super omnia opera, quæ erant foris secùs in domo Dei, à principibus Leuitarum. 17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum & ad confitendum in oratione, & Becbecia secundus de fratribus eius, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum: 18. Omnes Leuitæ, in ciuitate sancta ducenti octogintaquatuor. 19. Et ianitores, Accub, Thelmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo. 20. Et reliqui ex Israël Sacerdotes & Leuitæ in vniuersis ciuitatibus Iuda, vnusquisque in possessione sua. 21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinæir. 22. Et Episcopus Leuitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ: De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei. 23. Præceptum quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos, 24. & Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filij Iuda in manu regis, iuxta omne verbum populi, 25. & in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Iuda habitauerunt in Cariatharbe & in filiabus eius: & in Dibon, & in filiabus eius: & in Cabseel, & in viculis eius, 26. & in Iesne, & in Molada, & in Bethphaleth, 27. & in Hasersual, & in Bersabee, & in filiabus eius, 28. & in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius, 29. & in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth, 30. Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis & regionibus eius, & Azeca, & filiabus eius. Et manserunt in Bersabee vsque ad vallem Ennon. 31. Filij autem Benjamin, à Geba, & Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius: 32. Anathoh, Nob, Ananias, 33. Asor, Rama, Gethaim. 34. Hadid, Seboim, & Neballat, Lod 35. & Ono valle artificum. 36. Et de Leuitis portiones Iudæ & Benjamin.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Recensentur Ierosolymæ incolæ.

VERS. 1. vsque ad 25. *Habitauerunt, &c.*] statutum igitur est, vt populi Principes habitarent Ierosolymis : reliqua verò ex plebe vna pars *de decem* eligitur sorte, vt Vrbem quidem muris cinctam, sed incolis adhuc vacuam; & à domibus nudam incoleret, & ædificiis instrueret. Domos ergo ædificare cœperunt, & plateas, & fora, & regiones. Vrbis paulatim instauratur, partim qui sorte delecti fuerant, partim qui sponte sua Vrbem incolendam ceperant. Et (si Philoni l. 11. Antiq. c. 5. credendum) biennium totum ei rei fuit impensum. Misit itaque plebs reliqua sortem, vt decima pars Ierosolymis habitaret, præter eos, qui in eadem metropoli sedem sibi eligere voluissent : nouem verò reliquæ partes in Ciuitatibus aliis sibi pararent domicilium. *Benedixit* autem populus, seu laudauit eos, qui se sponte obtulere, vt in sancta Vrbe Ierosolyma habitarent, quasi æmulantes gentis suæ gloriam, & metropolim honorantes, & contra illius hostes communicantes.

Curia habitatio sanis mente validè incommoda obijcitur.

* Profectò dum sortes video mitti, vt designentur viri, qui apud Ierosolymam habitare teneantur, & à populo laudari eos, qui vltrò se ad incolendum Ierosolymis obtulere : recognosco incommodam verè esse metropolis habitationem : illasque sortes missas fuisse, vt viri cogerentur inibi commorari. Et quidem si sana mente Curiæ qualitas expendatur, eius habitaculum apparebit horribile.] * Existimo sorte infelici, nigro lapillo multos Regum habitaculi ciues addici.] * Licet enim *Sancta* dicitur Ierosolymâ, & Regum Catholicorum Curiæ sanctæ sint tot Templorum, ac Monasteriorum ornatæ sanctitudine : crediderim; difficillimè suos incolas reddere sanctos.] * Olim collaudabantur, qui vltro Ierosolymæ ciues esse voluissent : hodie laudarim eos, qui in Vrbe Regia sedem sibi eligere formidarint, ab eáque fugaces recesserint.] Eu igitur Catalogum Principum Hebræorum, qui habitauerunt in Ieruſalem & in Iudæ Ciuitatibus. Porrò *Israël*, siue Israëlitæ, qui scilicet erant ex decem Tribubus, Sacerdotes, Leuitæ, *Nathinæi*, siue Gabaonitæ qui Templi seruituti addicti fuerant, & *filij seruorum Salomonis*, siue proselyti, qui ab iis proselytis genus ducebant, quos Salomon in structura Templi seruilibus quibusdã ministeriis addixit) habitauere in Vrbibus suis, vnusquisque scilicet sua in possessione. Iã itaq; recenseo eos, qui de Tribu Iuda ac Tribu Beniamin fuére Ierosolymorum habitatores. De Tribu Iuda Athaias filius Aziam, & filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Zaphatiæ, filij Malaleel. De filiis verò Phares ad eundem Tribum pertinentibus incolæ fuére Ierosolymæ Maasia *filius Baruch.* & posteri Choliæ, Haziæ, Adaiæ, Ioaribi, Zachariæ, ac Salonitis. Omnes autem viri, *fortes* planè, qui ex progenie Phares Iudæ filio Ierosolymam incoluerunt, quadringenti sexaginta octo extitere. E Tribu autem Beniamin apud Ieruſalem mansit Sellum filius Mosollami, & nepotes Ioëdi, Phadaiæ, Colaiæ, Masiæ, Etheel, & Isaiæ : & post eos Gebbai, & Sellai. Omnes autem nongentorum supra viginti octo numerum impleuerunt. Ioël autem filius Zechri erat Præpositus eorum; & Iudas filius Senuá super Ciuitatis præfecturam erat *secundus* dignitate, id est, post Ioël Præpositum proximus. De Sacerdotibus autem habitatores Ierosolymæ annumerantur Idaia filius Ioarib, Iachin, Saraia filius Helciæ, (& filius seu nepos Mosollami, Sadochi, Meraiothi, & Achitobi) *Princeps* domus Dei, id est Procurator, vel fabricæ magister. Nam non fuisse summum Pontificem patet ex Cap. 12. 10. vbi recensentur omnes summi Pontifices, qui in Iudæa præfuerunt spatio ducentorum annorum, quibus durauit Monarchia Persarum à primo anno Cyri vsque ad Alexandrum magnum, qui monarchiam Persis ereptam ad Græcos transtulit. Igitur Saraia erat Sacerdos primarius; non tamen Pontifex, hoc enim tempore Eliasib summus erat Sacerdos : *& fratres eorum*, id est, reliqui Sacerdotes *facientes opera Templi*, siue in Sacerdotalibus muniis ministrantes. Cuncti verò hi octingenti viginti duo fuerunt. Ciues item fuit Ierosolymæ Sacerdos Adaias filius Ierohami, & nepos Phaleliæ, Amsiæ, Zachariæ, Phashuri, ac Melchiæ : & fratres eius *Principes patrum*, id est, seniores progeniei huiusce, qui dignitate, atque auctoritate cæteros antecedebant. Hi autem ducentorum supra quadraginta duo numerum exæquabant. Præterea sancta in Vrbe habitauit Amassai Sacerdos filius Azreel, & nepos Ahaziæ, Mosollamothi, Emmeri, & posteri horum *potentes, nimis* : qui numero extitere centum viginti octo. Horum verò Præpositus fuit Zabdiel filius *potentium*, id est, vnius ex potentibus, LXX. *Magnorum*, seu Magnatum. Sæpè apud Hebræos genitiuus pluralis distributiuè accipitur. * Potentibus ergo filius *Potentium* præponitur, vt Magnates subditi Magnati Præsidi reuereantur. O legis Euangelicæ præstantia, cuius perfectione subditi filij *Potentium*, seu Magnarum Rectori vili ex genere exorto submittuntur.] * Hinc commendarim mihi D. Francisci à Borgia Gandiæ Ducis obedientiam, qui sæpe ad culinam pergebat, vt eo submitteretur; cuius præscripta vel Regio imperio præpositi curauit.] Porrò ex Leuitico ordine apud Ieruſalem domicilium constituit sibi Semeia filius Hasub (& poster Azaricami; Hasabiæ, Boni, Sabathai, & Iozabed) qui addictus fuit *super omnia opera, quæ erant forinsecùs in domo Dei*, id est, super ea, quæ culturam prædiorum; & concinnationem vasorum Templi concernebant; quæ *à Principibus Leuitarum* debebãt curari. Et Mathania filius Michæ; (nepos verò Zebedei; & Asaphi) *Princeps* quidem *ad laudandum*, seu Præpositus cantorum & instrumentis musicis præfectus. Et Becbecia *secundus de fratribus eius*, id est; secundus à Mathania seu post Mathaniam inter Leuitas. Et Abda filius Samua, filij Galal, filij Idithum. Omnes igitur Leuitæ, qui apud sanctam Vrbem habitacula præparârunt, ducenti octoginta quatuor annumerati fuére. Præterea Ianitores Accub, Telmon, & reliqui; qui custodiebant ostia; numerum centesimum supra septuaginta duo constituerunt. Hi itaque sunt Sacerdotes, & Leuitæ, qui in Vrbe Ierosolymâ suum habitaculum collocarunt : reliqui autem ex Israël Sacerdotes &

Sorte infelici quis Curia addicitur habitator.

Licet Regia Vrbs sancta sit, non omnes ciues reddit sanctos.

Laudandus, qui Sedem in Curia eligere renuit.

Legis Euangelicæ perfectio, qua filij Magnatũ sub-mittuntur Præsuli vili ex genere exorto.

Mira D. Francisci à Borgia humilitas.

Leuitæ

Leuitæ aliis in Iudæ Ciuitatibus,& oppidis habitauerunt, vnuſquiſque ſcilicet in poſſeſſione ſua. Cæterùm ex Nathinæis, qui habitant in Ophel vico Ieroſolymæ præcipui erant Siacha, & Gaſpha. Et *Epiſcopus* ſeu Præfectus Leuitarum Azzi nomine filius Bani, filij Haſabiæ, filij Mathaniæ,filij Michæ etiam eſt apud Ieroſolymam commoratus. Denique de filiis ſeu poſteris Aſaph cantores ad miniſterium Templi apud Ieroſolymam incolebant. *Præceptum quippe Regis ſuper eos erat*, id eſt, Rex Artaxerxes præceperat, vt Leuitæ, ſeruato antiquo ordine, laudes Deo quotidie per vices in Templo decantarent. Et Phathahia filius Meſezebel à poſteris Zaran filij Iudæ *erat ad manum Regis ad* omne (ſic Hebraicè) *negotium populi*, id eſt, à Rege conſtitutus erat Phathahias, vt Regis nomine vnà cum duce populi cauſas Iudæorum determinaret. Sic ſolet aliquis legis peritus iungi ei, qui pro Rege in prouincia præeſt.

2. Memorantur alium Vrbium Iuda, aut villarum habitatores.

Verſ. 25.26.27.28.29.30.31.32.33.34.35.36. *Et in domibus,&c.*] Hactenus de incolis Vrbis Ieroſolymæ Auctor Libri egerat: nunc recenſet, quinam extra illam in aliis ſeu Vrbibus, ſeu pagis, ſeu villis per omnes regiones Iudææ tum temporis habitarint. Igitur de pertinentibus ad Tribum Iuda alij habitauerunt in Cariatharbe & villis ei ſubiectis: alij in Dibon & villis adiacentibus: alij in Cabſeel & viculis eius: alij in Ieſue, Molada, Bethphaleth, Haſerſual, Berſabee (termino Iudæ ad Auſtrum) & in villis ad haſce Vrbes pertinentibns: alij in Siceleg, Mochona, & viculis earum, alij in Lachis & regionibus eius: alij in Azeca, ac viculis illius, ſed qui manſerunt in Berſabe incolæ, fuere totius regionis vſque *ad vallem Ennon.* Locus erat in ſuburbanis Ieruſalem contra Orientem, in quo ſacrificia ab impiis Regibus facta fuerant idolo Moloch. E pertinentibus autem ad Tribum Beniamin, alij habitauerunt in Geba, in Machmas, in Hai, in Bethel & in viculis earum: alij in Anathoth, Nob, Anania, Aſor, Rama Gethahim, Hadid, Seboim, Neballat, Lot, & Ono *valle artificum*, quam planiciem Adrichomius in Tribu Beniamin ad Iordanem conſtituit. Porrò *de Leuitis portiones Iudæ & Beniamin.* Id eſt, pars quoque Leuitarum obtinebat portiones ſuas inter reliquos Iſraëlitas per totum circulum Iudæ, & Beniamin. Quia non in ſola Vrbe Ieroſolyma, ſed extra illam immixti cæteris Leuitæ degebant. * Fermentum eſt Clericalis ordo, quo vniuerſi fidelis populi maſſa ſaporatur. Vtinam Clericorum mores corrupti non ſint: totam enim, ſi acceſcunt, maſſam ducunt ad corruptionem.] * Profectò Regulares Societatis Ieſu Leuitæ aut Clerici haud in Vrbibus à ſæcularibus ſeiuncti degunt, ſed cum ipſis ex Inſtituti præſcriptione habitant, vt eis faciliùs poſſint ſalutares exiſtere, ad virtutis tramitem adducendo.]

Clericalis ordo inſtar fermenti, fideli populo adhæreſcit.

Ieſuitæ, in morem Leuitarum, cum ſæcularibus commorantur, vt ex ſalutares exiſtant.

CAPVT XII.

Recenſentur nomina, & officia Sacerdotum ac Leuitarum, qui tempore Ieſu ac aliorum ſummorum Pontificum vſque ad Darium Codomannum vltimum Perſarum Monarcham floruere. Nouæ Vrbis Ieroſolymæ ſolemni pompa celebratur dedicatio.

1. HI ſunt autem Sacerdotes & Leuitæ, qui aſcenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Ioſue: Saraia, Ieremias, Eſdras, 2. Amaria, Melluch, Hattus, 3. Sebenias, Rheum, Merimuth, 4. Addo, Genthon, Abia, 5. Miamin, Madia, Belga, 6. Semeia, & Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, 7. Idaia. Iſti principes Sacerdotum, & fratres eorum, in diebus Ioſue. 8. Porrò Leuitæ, Ieſua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias, ſuper hymnos ipſi & fratres eorum: 9. & Bechecia atque Hanni, & fratres eorum, vnuſquiſque in officio ſuo. 10. Ioſue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliaſib, & Eliaſib genuit Ioiada, 11. & Ioiada genuit Ionathan, Ionathan genuit Ieddoa. 12. In diebus autem Ioacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Ieremiæ, Hanania: 13. Eſdræ, Moſollam: Amariæ, Iohanan: 14. Milicho, Ionathan: Sebeniæ, Ioſeph: 15. Haram, Edna: Maraioth, Helci: 16. Adaiæ, Zacharia: Genthon, Moſollam: 17. Abiæ, Zechri: Miamin & Moadiæ, Phelti: 18. Belgæ Sammua: Semaiæ, Ionathan: 19. Ioiarib, Mathanai: Iodaiæ, Azzi: 20. Sellai, Celai: Amoc, Heber: 21. Helciæ, Haſebia: Idaiæ, Nathanael. 22. Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa ſcripti principes familiarum, & Sacerdotes in regno Darij Perſæ. 23. Filij Leui principes familiarum, ſcripti in Libro verborum dierum, & vſque ad dies Ionathan, filij Eliaſib. 24. Et principes Leuitarum, Haſebia, Serebia, & Ioſue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices ſuas, vt laudarent & confiterentur iuxta præceptum Dauid

viri

viri Dei, & obseruarent æquè per ordinem. 25. Mathania, & Becbecia, Obedias Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum & vestibulorum ante portas. 26. Hi in diebus Ioacim filij Iosue, filij Iosedec, & in diebus Nehemiæ ducis, & Esdræ Sacerdotis Scribæque. 27. In dedicatione autem muri Ierusalem, requisierunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ierusalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis, & citharis. 28. Congregati sunt autem filij cantorum de campestribus circa Ierusalem, & de villis Netuphati, 29. & de domo Galgal, & de regionibus Geba, & Azmaueth: quoniam villas ædificauerunt sibi cantores in circuitu Ierusalem. 30. Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum. 31. Ascendere autem feci principes Iuda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinij. 32. Et iuit post eos Osaias, & media pars principum Iuda, 33. & Azarias, Esdras, & Mosollam, Iudas, & Beniamin, & Semeia, & Ieremias. 34. Et de filiis Sacerdotum in tubis, Zacharias filius Ionathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zecchur, filius Asaph: 35. & fratres eius, Semeia, & Azareel Malalai, Galai, Maai, Nathanael, & Iudas, & Hanani, in vasis cantici Dauid viri Dei: & Esdras Scriba ante eos in porta Fontis. 36. Et contra eos ascenderunt in gradibus Ciuitatis Dauid, in ascensu muri super domum Dauid, & vsque ad portam Aquarum ad Orientem. 37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso, & ego post eum, & media pars populi super murum & super turrim furnorum, & vsque ad murum latissimum, 38. & super portam Ephraim, & super portam antiquam, & super portam piscium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & vsque ad portam gregis: & steterunt in porta custodiæ, 39. steterúntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars Magistratuum mecum. 40. Et Sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioënai, Zacharia, Hanania in tubis, 41. & Maasia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Ælam, & Ezer. Et clarè cecinerunt cantores, & Iezraia præpositus: 24. & immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati sunt: Deus enim lætificauerat eos lætitia magna: sed & vxores eorum & liberi gauisi sunt, & audita est lætitia Ierusalem procul. 43. Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos principes Ciuitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas: quia lætificatus est Iuda in Sacerdotibus & Leuitis astantibus. 44. Et custodierunt obseruationem expiationis, & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius: 45. quia in diebus Dauid & Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum, in carmine laudantium & confitentium Deo. 46. Et omnis Israël, in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies singulos, & sanctificabant Leuitas, & Leuitæ sanctificabant filios Aaron.

COMMENTARII.

1. Nomina Sacerdotum ac Leuitarũ qui à tempore Iesu vsque ad Darium, recensentur.

VERS. 1. vsque ad 27. *Hi sunt, &c.*] Profectò Sacerdotes ac Leuitæ, qui cum Zorobabele filio Salathiel, & cum Iosue filio Iosedech qui erat Pontifex Zorobabelis tempore, è captiuitate Ierosolymam ascenderunt, hi fuere; Saraia, Ieremias, Esdras, Amaria, Melluch, Hattus, Sebenias Rheum, Merimuth, Addo, Genthon, Abia, Miamin, Madia, Belga, Semeia, Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, & Idaia. Hi quidem & alij eorum *fratres* seu contribules extitere in diebus Pontificis Iosue Principes Sacerdotum, seu inter Sacerdotes primarij. Principes enim Sacerdotum vacabuntur, qui in quoque ordine vel vice primi, vel primarij erant. At cum eiusmodi ordines essent viginti quatuor, vt habes 1. Paral. 24. etiam Principes Sacerdotum viginti quatuor erant. Quorum viginti duo nomina hic exprimuntur, duo verò quæ reticentur illa particula, *& fratres eorum* exprimuntur. * Verùm ideò fortassè duorum Principum Sacerdotum nomina prætereuntur, vt aduertant Principes facillimè temporum decursu eorum nomina obliteranda: ne temporariæ studeant famæ æternitati.] Certè Leuitæ Iesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias & alij ex eodem ordine *super hymnos* constituti erant, id est Cantorum munus obibant: Becbecia verò, Hanni, & alij Leuitæ, reliquis sacris ministeriis addicebantur. *Vnusquisque* (ait) *in officio suo.* * Tunc ministeria rectè geruntur, cum singuli ministri proprio officio addicuntur, nec vllus aliorum sese ingerit ministerio. Multi apud Regulares suo muneri non satisfaciunt, quia suscipere gestiunt alienum.] Iam verò series aliquot Pontificum filiorum ac nepotum Iosue filij Iosedech exponitur, hoc quidem ordine genitorum: A Iosue Ioacim, à Ioacim Eliasib, à Eliasib Ioiada, à Ioiada Ionathan, à Ionatan Ieddoa. Sex itaque summi Pontifices recensentur, quorum primus *Iosue* vel *Iesus* præfuit tempore Cyri Persarum

Vel Principum nomina facillimè temporum decursu obliterantur.

Tunc rectè geruntur ministeria, cum singuli proprio officio addicuntur, nec vllus aliorum sese ingerit muneri.

primi Monarchæ : vltimus *Ieddoa* vel *Iaddus* tempore Darij Codomanni vltimi Persarum Monarchæ.* Quàm aptè Hebræorum captiuitas soluitur dum Iesus præest, vt typum gerat melioris Iesu, qui è diriori captiuitate totum mundum redemit.] Portò quando præfuit Ioacim filius Iosue erant Principes familiarum Sacerdotalium hi, quòs iam recenseo: In vice seu ordine, qui à *Saraia* nuper familiæ seu ordinis illius Principe nomen habuit tempore Iesu Pontificis, iam tempore filij eius Ioacimi Princeps, seu primarius erat *Maraia*. In vice vel sorte *Ieremiæ* primarius erat *Hanania*. In vice Esdræ *Mosollam*. In vice *Amariæ*, *Iohanan*. In vice *Milicho*, *Ionathan*. In vice *Sebeniæ*, *Ioseph*. In vice *Haram*, *Edna*, In vice *Maiaroth*, *Helci*. In vice *Addaiæ*, *Zacharia*. In vice *Genthon*, *Mosollam*. In vice *Abiæ*, *Zechri*. In vice *Miamin*, & *Moadiæ*, Princeps erat *Phelti*. In vice *Belgæ*, *Sammua*. In vice *Semeiæ*, *Ionathan*. In vice *Ioarib*, *Mathanai*. In vice *Iodaiæ*, *Azzi*. In vice *Sellai*, *Cellai*. In vice *Amoc*, *Heber*. In vice *Helciæ*, *Hasebia*. In viceque *Idaiæ*, primatus aderat Nathanaël. Verùm nomina eorum, qui è Leuitico ordine primarij erant familiarum temporibus Eliasib, Ioiada, Iahanan, & Iedoa Pontificum scripta fuére in Libris genealogiarum suarum, licèt hîc non recenseantur. Sicut & quorundam aliorum Principum aliarum familiarum Sacerdotum etiam hîc nomina prætereuntur illo tamen genealogiarum exarata Volumine. Qui quidem tam Sacerdotes quàm Leuitæ *in Regno* Hebr. *vsque ad Regnum* Darij Persarum Monarchæ Codomanni scilicet, qui septimo Monarchiæ suæ anno ab Alexandro magno pluribus prælijs deuictus ac tandem etiam captus fuit, floruerunt. Cæterum Leuitæ primarij inter sui ordinis viros, qui vsque ad dies seu tempus Ionathan filij Eliasib sacro muneri seruierunt, nominatim annotati sunt *in Libro verborum dierum*, id est, in annalibus Pontificum Iudæorum. Nàm annales suos accuratissimè semper conscripsisse Iudæos ex Iosepho constat, & ex Libris Paralipomenon, vbi passim ad illos annales Scriptura remittit.* Haud nimium solicitus sis de tui nominis apud annales temporis inscriptione: sed obnitere, vt opera tua in æternitatis Libro inscribantur.] E quidem Hasabia, Serebia, Iosue filius Cedmihel & alij Leuitæ erant primores eorum, qui per vices suos cantu Dominum collaudabant, iuxta Dauidis viri Dei præscriptum, quod extat 1. Paral. 25. Præterea diebus Ioacim filij Iosue, filij Iosedec, & temporibus Nehemiæ Ducis, ac Esdræ Sacerdotis & Scribæ munus custodum Portarum Templi gessere Mathania, Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, & Accub.

Pontifex Iesus Christum adiibrat mundi Redemptorem.

Non curandū de nominis inscriptione in Libro temporis; sed de inscriptione operum in Libro æternitatis.

2. Dedicatio nouæ Vrbis Ierosolymæ describitur.

Vers. 27. vsque ad 46. *In dedicatione, &c.*] A confectis mœnibus totus incubuit Nehemias (vt colligo ex Cap. 7. 4. & 70.) instaurandis muris, seu parietibus ædium palatiorum, reparandis plateis, ac vicis Vrbis Ierosolymæ. Igitur *in dedicatione muri*, id est, vt dedicationis muri ac Vrbis festum celebraretur, ciues Ierusalem requisierunt Leuitas in omnibus locis, vbi commorabantur, eosque ad Vrbem adduxerunt, vt muficorum instrumentorum canticorumque lætitia *in actionem gratiarum* expressa, festum dedicationis agerent, Scio, Salianum assensuisse, solemnem hanc dedicationem factam statim ab instaurationis mœnibus; sed eius haud probarim sententiam. Cur enim Nehemias, qui longè minutioratum temporis acta commemorat, tam celebrem dedicationem, si tunc contigit, prætermisisset. Factam itaque demum opinor, cum reliquæ etiam Vrbis munitiones, propugnacula, turres, publica fora, plateæ, & vici cum palatiis, aliisque ædibus ad excipiendum incolas necessariis, saltem maiori ex parte instauratæ essent: cui rei biennium aliud cum tribus mensibus. Iosephus l. 11. Antiq. c. 5. scribit. At particula illa, *In dedicatione muri*, pro totius Vrbis dedicatione apponitur, vt edoceamur, murum & Vrbem eodem signari vocabulo.* An Ciuitas sine muro, sine custodia potest Vrbs appellari? Minimè. Ergò aptè hoc vocabulum *Murus* apponitur, vt & *Ciuitas* exprimatur.] Crediderim verò dedicationem hanc factam fuisse mense Tisri, quo eodem & Salomon olim dedicarat Templum suum, & nuper Salatstiel nouum altare Domini. Colligo ex capitis sequentis initio, vbi dicitur, *In die illo lectum* fuisse *in Volumine Moysi audiente populo.* Quod fieri debebat in festo scenopegiæ, vt præscribitur Deut. 31.* Hinc collige quantæ vtilitatis, sit, maiores pietatis exempla relinquere posteris imitanda. Quæ quidem Nehemias & cuncti Hebræi non solùm ex substantia sed ex circunstantiis nempe temporis æmulari conantur.] Ædificauerant sibi Cantores villas in circuitu Ierusalem, vt facilius possent ad Templum celebraturi festa ventitarent. Igitur de campestribus Ierusalem, scilicet de villis Nethuphati, de domo Galgal, de regionibus seu vicis Geba, & Azmaueth ad Ierosolymam confluxére cantores. Portò Sacerdotes & Leuitæ mundati sunt certis videlicet ablutionibus, aspersionibus aquæ, & expiationibus, de quibus Num. 19. 20. moxque & populum & portas, & murum mundauerunt.* Nec enim Sacerdos debet mundandi alias officium exponere nisi prius propriæ det operam expiationi.] *Ascendere autem feci* (ait Nehemias) Principes Iuda supra murum, & duos choros constitui, qui in supplicationis morem hinc inde per muros deambularent, donec sibi, circundata iam Ciuitate, occurrerent. Initium autem profectionis duo illi chori cantorum & muficorum sumpsere à porta sterquilinij, quoniam illa à parte occidentali directò respondebat portæ custodiæ, quæ etiam porta Iudicialis dicebatur, in qua sibi occursuri erant chorus vterque.* Quàm aptè porta *custodiæ* etiam *Iudicialis* dicitur; quia iudicare, siue iura decernere, est Vrbes custodire. Iudicia desunt? Ciuitas sine custodia peritura protinus ostentatur.] Certè Osaias, & media pars Principum Iuda post vnum chorum processére, post alterum verò Azarias, Esdras, Mosollam, Iudas, Beniamin, Semeias, & Ieremias incessérunt. E Sacerdotibus verò Zacharias filius Ionathan, & nepos Semeiæ, Mathaniæ, Michaiæ, Zechur, & Asaph, & alij Sacerdotes tubis clangebant; & Semeia, Azarael, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, Iudas, & Hanani *in vasis cantici Dauid viri Dei*, siue muficis instrumentis, quibus Psalmi Dauidis canebantur, personabant. Præcedebat verò Esdras primum chorum in porta *Fontis*. Quia scilicet à porta sterquilinij progressi sunt ad portam

Sine custodia Ciuitas non extat.

Magnæ vtilitatis, est maioris pietatis exempla relinquere, quæ posteri imitentur.

Sacerdos alios mundaturus, prius curet mundari.

Iudiciale tribunal Vrbium custodia.

tam Fontis: inde iuxta gradus, quibus aſcenditur ad Arcem Dauid, & piſcinam operoſam & domum fortium, & domum Eliaſib Pontificis, & Azariæ vſque ad portam fictilem, & portam aquarum, & equorum ad portam cuſtodiæ ventitarunt. Porrò chorus ſecundus eorum gratias Deo canendo referebant, ex aduerſo progrediebatur, & ego poſt eum: media autem altera pars populi ſupra murum procedebat ad turrim furnorum, vſque ad portam *anguli*, vbi latiſſimus erat murus. Et permeantes per portã Ephraim, per portam antiquã, per portã piſciũ, per turrim Hananeel, & per turrim Emath vſq; ad portã gregis, in porta cuſtodiæ ſtetimus, vbi vterque chorus ſibi circundata iam ciuitati occurrit. Et in Templo duo illi chori, ego, & dimidia pars Magiſtratuum mecum fuimus commorati. Inibi Sacerdotes Eliachim, Maaſia, Miamin, Michea, Elioënai, Zacharia, Ananiaque hinc: illinc autem Maaſia, Semeia, Eleazar, Azzi, Iohanan, Melchia, Aelam, & Ezer feſtiuis tubis perſonabant. Quod autem Sacerdotes ſubobſcurè modulabantur muſicis illis inſtrumentis, Cantores, quorum Magiſter erat Iezraia, clarè vocibus expreſſerunt. Ne autem tota ſolemnitas, præcordiorúmque deuotio voce ſolummodò exponeretur, opera ſucceſſere; die enim illa Hebræi maximam victimarum vim Domino litauere. * Laus enim perfecta eſt, cum vocibus opera copulantur.] Lætitia magna Iſraëlitæ affecti illa fuerunt in die, *Deus enim eos lætificauerat.* * Fictum profectò id reputa gaudium, quod à Deo non procedit.] Non ſolum autem viri lætitiam concepére, ſed & vxores eorum, ac liberi ingenti gaudio affecti conclamauerunt, & communis lætitiæ documenta, voces ſcilicet procul ab abſentibus fuére exanditę. * Deus lætitiæ donũ immittens, curat eſſe commune. Vnde non ſolum viros voluit gaudere, ſed & vxores ac liberos fecit exultare. Ne mœrore cruciarentur vxores, cum viri lætitia afficiantur.] * Lætatur maritus, vxore iuſtè mœrore confecta? Haud gaudium illud à Deo procedit.] * Curat non ſemel coniux coniugi communicari incommoda, non felicia: iniuſtè tamen, nam qui particeps eſt mœroris, conſors debet eſſe lætitiæ. *Lætati ergo ſunt viri, ſed & vxores eorum gauiſæ ſunt.*] *Recenſuerunt quoque*, LXX. *Conſtituerunt*, ſeu conſtituti ſunt in die illa viri ſuper cubicula, ſuper theſauros, ſuper donata, ſuper primitias, & ſuper decimas, vt coaceruarent, ſeu excipérent in gazophilatio ex agris Ciuitatis partes à lege præſcriptas Sacerdotibus, ac Leuitis. Sic ex Hebræo Pagninus. Hi igitur colligebant, quæ Sacerdotibus & Leuitis partim ex legis præſcripto debebantur, partim liberaliter donabantur à populo, præcipuè à Principibus Ciuitatis *in decore gratiarum actionis*, id eſt, conuenienti, & decora actione gratiarum. * Et quando gratiarum actio decora non eſt? Certè ſi vocabulum illud *Decore* ſignificet honorem, nihil homini honoratius, quàm pro acceptis beneficiis gratias Domino reddere. Si verò *Decore* ſignificet pulchritudinem, quid pulchrius actione gratiarum? Igitur & decus & decor in gratiarum actione reperitur.] Aliter totam clauſulam difficilem planè facilius expendam. Aſſignauerunt Duces in die illa viros fideles ad cuſtodiam arcarum ſeu receptaculorum, in quibus colligebantur, quæ pro ſuſtentatione Sacerdotum ac Leuitarum offerebantur *ad libamina*, id eſt, ad recipiendum ibi liquida offerenda, quæ in vſum miniſtrorum Templi obuenerant: & *ad primitias*, quæ Sacerdotibus ſoluebantur: & *ad decimas*, quæ Leuitis: *vt introferrent per eos* præparatos ſumptus *Principes Ciuitatis*, ſiue vt induerent *Sacerdotes, & Leuitas*, ad miniſtrandum in Templo, & ad commorandum in eius circuitu, habita inibi competenti prouiſione, *in decore gratiarum actionis*, hoc eſt, cum deuota, ac pulchra laude diuina, *quia lætatus eſt Iuda*, id eſt, populus Tribus Iudæ ac Beniamin *in Sacerdotibus ac Leuitis aſtantibus.* hoc eſt, ex obſequio aſtantium Sacerdotum ac Leuitarum. Cauſa ergò augendæ in Sacerdotes & Leuitas liberalitatis fuit, aſpectari à populo ſuo miniſterio deuotè ac ſtudiosè addictos. * Tunc enim fideles afficiuntur ad agendos Eccleſiaſticorum prouentus, cum eos vident ad ſacra miniſteria obeunda promptiores.] Obſeruauerunt itaque ſacti miniſtri Dei præſcripta circa expiationem; ac purificationem. Cantores, autem ad laudes diuinas modulandas, & Ianitores ad portas Templi cuſtodiendas, Dauidis & Salomonis legibus ſeu præſcriptionibus ſeſe accommodarunt, de quibus 1. Paral. 25. & 26. Quia in diebus Dauid, & Aſaph Cantorum eo tempore Principis erant conſtituti Cantorum præpoſiti ad hymnos ſacros modulandum. Porrò tempore Zorobabelis, & Nehemiæ omnis Iſraël Cantoribus ac Ianitoribus per ſingulos dies prouidebat annonam, & *ſanctificabant Leuitas*, hoc eſt, dabant eis decimas, quæ ſanctæ, & Deo dicatæ erant: & *Leuitæ ſanctificabant filios Aaron*, ſeu dabant eis decimas ex decimis iuxta legem Num. 18. 26. Premie verbum *Sanctificabant. Sanctificaréne* idem eſt, ac decimas ſanctas tribuere? Ergò decimæ ab ipſa fructuum tuorum natiuitate. Deo iam ſanctæ ſunt, & dicatæ. Igitur ſacrilega rapina retines, quod ipſa Deo natura litauit.]

Laus perfecta eſt, cum vocibus opera copulantur.

Fictum eſt gaudiũ, quod à Deo non procedit.

Sit commune cuiuſuis domus gaudium, nempe viri, & vxoris.

Non eſt à Deo lætitia viri, dum iuſtè vxor triſtatur.

Iniuſtè vult coniux, coniugi communicari incommoda, non felicia.

Decus, & decor homini, ob actionem gratiarum ob beneficia reddita, & addicta.

Fideles afficiuntur ad agendos Sacerdotum temporarios prouentus, cum eos vident promptiores ad ſacra miniſteria obeunda.

Sacrilega rapina decimas retines, quaſi ipſa Deo naturalitatis.

CAPVT XIII.

Post lectum de more Deuteronomium, rursum à Iudæis alienigenæ separantur: etiam Tobias licet Pontifici esset affinis. Instaurantur Leuitis Decimæ. Sabbati violatores, & qui Gentilibus matrimonio iuncti erant, à Nehemia puniuntur.

1. IN die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo: & inuentum est scriptum in eo, quòd non debeant introire Ammonites & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum: 2. eò quòd non occurrerint filiis Israël cum pane & aqua: & conduxerint aduersum eos Balaam, ad maledicendum eis: & conuertit Deus noster maledictionem in benedictionem. 3. Factum est autem, cùm audissent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israël. 4. Et super hoc erat Eliasib Sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ. 5. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias Sacerdotales. 6. In omnibus autem his non fui in Ierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, & in fine dierum rogaui regem. 7. Et veni in Ierusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. 8. Et malum mihi visum est valdè. Et proieci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio: 9. præcepíque, & emundauerunt gazophylacia: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus. 10. Et cognoui quòd partes Leuitarum non fuissent datæ & fugisset vnusquisque in regionem suam de Leuitis, & cantoribus, & de his qui ministrabant. 11. Et egi causam aduersus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis. 12. Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei, in horrea. 13. Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc Scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 14. Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cæremoniis eius. 15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die Sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua vendere liceret, venderent. 16. Et Tyrij habitauerunt in ea, inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in Sabbatis filiis Iuda in Ierusalem. 17. Et obiurgaui Optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbati? 18. Nunquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum. 19. Factum est autem, cùm quieuissent portæ Ierusalem in die Sabbati, dixi: & clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsque post Sabbatum: & de pueris meis constitui super portas vt nullus inferret onus in die Sabbati. 20. Et manserunt negociatores, & vendentes vniuersa venalia, foris Ierusalem semel & bis. 21. Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerso muri? Si secundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato. 22. Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundùm multudinem miserationum tuarum. 23. Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. 24. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi & populi. 25. Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decaluaui

caluaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias ſuas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis ſuis, & ſibimetipſis, dicens: 26. Nunquid non in huiuſcemodi re peccauit Salomon rex Iſraël? & certè in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus regem ſuper omnem Iſraël: & ipſum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo noſtro, & ducamus vxores peregrinas? 28. De filiis autem Ioiada filij Eliaſib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugaui à me. 29. Recordare Domine Deus meus, aduerſum eos qui polluunt ſacerdotium, iuſque Sacerdotale, & Leuiticum. 30. Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & conſtitui ordines Sacerdotum, & Leuitarum, vnumquemque in miniſterio ſuo: 31. & in oblatione lignorum in temporibus conſtitutis, & in primitiuis: memento mei Deus meus in bonum. Amen.

COMMENTARII.

1. Rurſum à Iudæis cuncti alienigenæ ſeparantur.

ERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *In die, &c.*] Dum abſens Nehemias apud Perſidem moraretur, plura vitia fuére perpetrata, quæ à redeunte Duce correcta, & correpta ſunt. * O quanta ſpiritualia incommoda ex Præſulum obuenium abſentia!] *In die autem illo,* ſeu tempore illo (dies enim pro tempore frequenter ſumitur in Scriptura) lectum eſt ab Eſdra, ſeu ab alio Scriba in volumine Moſi ſiue in Deuteronomio præſcriptum illud, quod Ammonitæ ac Moabitæ non debeant æternùm *Dei in Eccleſiam introire*, ſiue ſacra matrimonia cum Hebræis celebrare, aut populo fideli colligari cum iure ciuium ad officia publica & honores ſuſcipiendos: (Alioqui poterant ad Iudaiſmum conuerti, ac proſelyti fieri.) eo quod Iſraëlitis ex Ægypto aduentantibus panem & aquam ſeu cibum ac potum non impertiére, ſed hariolum Balaam ad eis maledicendum adduxerunt, Domino quidem maledictione in benedictionem de more conuertente. * Ne afflicterur filius, cum iniuſtè à parente affectus fuerit maledictione: non ſolùm enim ea non vulnerabitur, ſed potius pro patientia exhibita donabitur à Deo benedictione.] Audientes autem proceres illam legis clauſulam, protinus curauerunt omnem alienigenam & a prohibito coniugio, & à iure ciuium ad honores & publica officia, ab Iſraëlitis ſeparari. * Tam efficax eſt Voluminis legis ſacra lectio.] Hinc commendatim Societatis Ieſu inſtitutionem, qua iubemur, ſingulis menſibus Regularum volumen relegere, qua lectione & ad errata corrigenda, & ad leges ſtudioſiùs aſſeruandas accendamur.] Non ſolùm autem exturbauére ab Iſraëlitarum conſortio omnes Ammonitas, ac Moabitas: ſed alios etiam, qui non pertinebant ad populum Iſraël, vt experres eſſent coniugiorum cum fidelibus, & iure illo ciuium Hebræorum, carerent. * Si lex de Ammonitis ac Moabitis, expreſsè loquitur, (*Quod non debeant introire Ammonites, & Moabites in Eccleſiam Dei*) cur ad alienigenas omnes extendunt. (*ſeparauerunt omnem alienigenam*) Quia (præterquam quod alibi præceptum) in iis, quæ ad conſortium cum impiis pertinent, debet lex non mitiùs, ſed ſtrictiùs interpretari.] Similis ſeparatio facta fuerat iam alibi (cap. 7.) præſente Nehemia, & *ſuper hoc*, id eſt, ad huius executionem ſeparationis, & præſcripti tuitionem, erat Eliaſib ſummus Pontifex, præerat ex officio qui quidem iam pridem fuerat Præpoſitus in gazophylacio Templi, & ipſius erat adminiſtrationem illius gazophylacij committere, cui committi debebat. Sed in hoc ipſo præ aliis ipſe quoque peccauit, plus fauens carni & ſanguini, quàm legi diuinæ. Cum enim eſſet *proximus*, ſeu affinitate coniunctus *Tobiæ* Ammonitæ, primarium officium contra legis præſcriptum ei detulit. Nam fecit *ſibi*, Hebraicè *illi* habitationem, ſeu palatium in veſtibulis Templi, (quod v. 7. vocatur *Theſaurus*) ſeu theſaurorum receptaculum, nempe *gazophylacium grande*, in quem reconderentur varia munera, & decimæ, non ſolùm quæ Pontifici obueniebant, ſed quæ Leuitis, cantoribus, ianitoribus, cunctiſque Sacerdotibus debebantur. Hiſce ergo donariis, decimis, ac primitiis Eliaſib præfecerat Tobiam propinquum ſuum ex affinitate, qui cum eſſet hoſtis Iudæorum, quæ ad ſacrorum miniſtrorum ſuſtentationem pertinebant, inuertebat, aut retinebat, aut malignè diſtribuebat nixus Eliaſib auctoritate. Profectò hîc plura annotanda occurrunt. * *Super hoc* (inquit, textus) *erat Eliaſib Sacerdos*, id eſt, his alienigenis arcendis ab omni munere publico præerat Eliaſib Pontifex non ex ſpeciali commiſſione, ſed ratione officij. Ad Præſules enim attinet ſtudere, vt leges à ſubditis obſeruentur.] * *Proximus Tobiæ* alienigenæ Pontifex vocitatur. Dedecet Pontificem, ſeu Præſulem aliquem aliquo munere donare, aut alicui officio præficere ex eo quod ſit illius *proximus*. * Certè ſi meritis proximus eſſet ſuperior reliquis, non deberet à Præſule eo titulo quod proximus ſit aut propinquus poſthaberi; tunc enim merita, non propinquitas, munerantur.] * *Fecit ſibi gazophylacium.* Hebraicè, *Fecit illi*, id eſt, Tobiæ proximo receptaculum diuitiarum. Cum enim Præſul propinquo committi huiuſmodi munera iniuſtè *ſibi* arare, *ſibi* oceare ab omnibus exiſtimatur. Vide dum *illi* Eliaſib gazophylacium parat, *ſibi* paraſſe dicitur; quia omnes credunt, ideò propinquo id munus Præſulem comiſiſſe, vt ſibi vberiùs iniuſtè planè diuitias acquirat.] * Moneantur hinc Epiſcopi, ſæculares, ſpeciatim, propinquos à prouentuum ſuorum adminiſtratione arcere, ne iudicent ſubditi ſæculari addici theſauro, quod pauperibus deberet erogari.] Hic quidem alienigena infideliter Eccleſiæ prouentus adminiſtrabat. Et quando alienigena apud fideles fuit iuſtus ac fidelis ſubſtatiæ diſpen-

Multa ſpiritualia incommoda ex Præſulis obuenirit abſentia.

Iniuſtè maledictione parétis affectus, accipit pro patientia exhibita, benedictionem.

Efficax eſt Voluminis legis ſacra lectio.

Laudabilis mos Societatis Ieſu legendi Volumen Regularū ſingulis menſibus.

In iis, quæ ad Societatem ſpectant impijs ſtrictiùs debet lex interpretari.

Ad Præſules attinet ſtudere, vt leges à ſubditis obſeruentur.

Dedecet Præſulem, donare aliquē officio ex eo, quod propinquus ſit.

Si ſubſint in propinquo meritā, non debet poſthaberi à Præſule eo quod propinquus eiuſ ſit.

Cùm Præſul propinquū ad miniſtrationē alicuius officij utilis præficit, ſubditis ſuſpectus de auaritia redditur.

Episcopi cauent administrationem reddituũ suorũ fratri, aut propinquo seculari exhibere.

dispensator alienæ. Caueant Reges, ne apud nos alienigenis committant regalium prouentuum administrationem.] * Quomodò enim alterius (v.gr.) Prouinciæ agnatus Castellæ hostis se fideliter exeret. Annon hinc alienigenæ ditantur familiæ, Rege inope effecto?] * Dixi, Tobiam nixum Eliasib auctoritate infideliter munus gessisse. Vt hinc corripiam exactores, qui ad Oppida immissi Regia auctoritate tyrannicè expressa (*llenando vn Rey en el cuerpo*) miseros expillant agricolas.] Profectò dum hæc & alia Rempublicam incommoda pressêrũt, absens fuit Nehemias) eram à Ierosolyma, quia anno trigesimo secundo, Artaxerxis Regis Babylonis eius ad curiam aduocatus planè me contuli. At de quibus derelictis solicitus, *in fine dierum*, quos in conspectu Regis decreueram insumere, sufficientes quidem ad satisfaciendum pristino officio meo, & placendum Regi, *eum erogaui*, vt mihi liceret in Iudæam redire, & simul atque de Persidè reuersus fui tanto hui obuiam incommodo. Aderat Eliasib summus Pontifex, aderant Sacerdotes & Leuitæ, aderant Principes, ac Magistratus: sed vnius viri sancti ac zelo succensi absentia legis præscripta violantur.

Reges non debent alienigenis fidere regalium prouentuũ administrationem.

Castella inimicus quomodò eius diuitias fideliter administrabit?

Commissionarij solent agricolas expillare, auctoritatis regalis praetextu.

Magni momenti est, apud communitatẽ, vel vnũ perfectum virũ adesse.

* Magni momenti est apud communitatem vel vnum perfectum virum commorari, cuius zelo, & exemplo audacioribus frænum iniicitur.] Redij ergo Ierosolymam, & certior factus sum de Eliasib transgressione, qui contra præscriptum legis eum decimarum administrationi præfecerat. Preme textus verba. *Veni in Ierusalem, intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ.* Quodnam malum fecerat Tobiæ Pontifex? An non aptiùs dixisset textus: *Intellexi bonum, quod fecerat Eliasib Tobiæ*, siquidem munus illud in honoris & substantiæ redundabat augmentum? * Certè ei malum facis, quem indignum dignitate, seu illustri munere donas. Cogis enim eum munus habens ab omnibus inueniri.] * Addo, malum irrogari infideli pecuniarum administratori, cum ei traditur, quod animi damnatione assolet simul corpus vacuum diuitiis reddere. Nam quod furto acquiritur non solùm non proficit arripienti, sed & cuncta alia bona iustè acquisita omninò perdit.] Intellexi inquam Eliasibi delictum facientis *ei thesaurum*, siue domum in vestibulo Templi extruentis, *& valdè* iniquum mihi visum est. * Præsulum enim peccatum non vulgariter malum, sed *malum valdè* ostenditur fideli aspectatori ob maiorem muneris obligationem.] Et iusta irâ concepta, supellectilem omnem domesticam illius foras eieci: (non enim poterat alienigena vsque ad Templi gazophylacia penetrare; sed vix ad atrium Gentium admitti) Et mundatis gazophylaciis imperio meo, à prophanorum supellectilium sordibus, pristinis illa vsibus restitui, asseruandis scilicet vasis sacris Templi, sacrificio, & thure. Loco illius nominis *Sacrificium* est in Hebræo מנחה *Mincha*, far, vel simila, ad sacrificium; erat enim *mincha* sacrificium ex simila, vel ex spicis, vel ex panibus coctis siue clibano, siue sartagine, siue craticula. Leuit. 2.

Ei malum facis, quem indignum illustri officio donas.

Bona furto acquisita surripienti non proficient, & bona iustè acquisita perdunt.

Peccatum Prasulis non vulgariter malum, sed valde malũ æstimatur.

2. Decimæ Leuitis instaurantur.

Vers. 10.11.12.13.14. *Et cognoui, &c.*] Præterea dignoui, Leuitis decimas non impendi, quare Leuitæ, cantores, aliique sacrorum ministri ad suam quisque regionem aufugerant, sacro relicto ministerio, vt sibi ad victum necessaria possent comparare propinquorum contributúmque subsidio. * O quanta ministrantium sacros redditus iniquitate Ecclesiasticis necessaria debita abnegatur annona! Nam si corpori necessaria subsidia desint, ad sacra munia præstanda non semel languescit spiritus.] Et *egi causam aduersus Magistratus*, id est, capita criminis rei non rectè gestæ Magistratibus obieci. * Non expressè de Pontifice queritur, sed Magistratus in communi accusat; quia Præsulis Ecclesiastici piacula occultè sunt corripienda, ne sæculares pungantur scandalo.] Et dixi: Quare Templi Dei cultum despicimus, dum cogimus Leuitas se se alio conferre; Et congregaui Leuitas & Cantores, eósque in pristinum ministerium restitui. * Modestissimum corripiendi morem adnota: *Quare* (inquit) *derelinquimus domum Dei?* Quasi se ipsum simul taxans. Non poterit queri de Concionatoris aut Prælati correptione auditor, aut subditus, cum qui corrigit, se quodammodò reum simul esse profiteatur.] Magistratibus itaque conuictis, curaui à cunctis Iudæis deferri ea, quæ ex lege Leuitis, Cantoribus, reliquisque sacris ministris debebantur. Omnes igitur frumenti, vini, & olei decimas apportabat in horrea. Quorum curam commisimus Selemiæ Sacerdoti. Sadoco Scribæ, & Phadaiæ Leuit: adiicientes eis vti Præpositum Hanan, filium Zachariæ, ac Mathaniæ nepotem; quoniam experimento iam olim compertum erat, illos esse *fideles*, quæ is meritò iuncta est sacrorum cura prouentuum ad Sacerdotum, ac Leuitarum necessaria subsidia. * Illud pondera: *Quoniam fideles comprobati sunt.* Ad huiusmodi ministeria gerenda non eligendus est qui vtcumque fidelis appareat, sed qui probatus sit, fideliter ministerio dare operam.] Tres quidem ad munus illud viri ex diuerso ordine eliguntur, nempe *Sacerdos, Scriba, & Leuita*, ne in distributione prouentuum acceptionis personarum suspicio possit ingenerari, si Sacerdos vnicè ministrans magis faueat Sacerdotibus, quàm Scribis & Leuitis: Si Scriba plus, & commodius Scribis deferat: si Leuita plus Leuitis fauere contendat. Pia opera tua testamento relicta, cura non vni, sed pluribus committi patronibus: plures enim vtiliori bonorum studebunt distributioni. His verò tribus quartus aptiùs quasi Rector addicitur, vt videat an Sacerdos, Scriba, & Leuita suum rectè adimpleant ministerium. * Assolent enim vel plures assignati administratores conuenire, vt vel propriis vsibus illi annui prouentus addicantur, aut non iustè iuxta testatoris placitum impendantur? Vndè operæpretium est alium Præpositum assignari, qui iniustè gesta reformari curet.] Memento mei Deus *pro hoc* merito huiusce obsequij mei, & has miserationes, quas in Sacerdotum, ac Leuitarum commoda expressi, nè permittas beatæ remunerationis effectu priuari, nec eas acceptare despicias. * Proprium est sanctorum de suis vel rectis operibus suspicari gratos cœlesti Numini non esse. Vnde curat Nehemias vi orationis consequi, quod operum virtute assequi non putabat.] * Et quidem oratio iustas operationes persequens eas facit Domino gratiores.]

Iniquè sacra ministris necessaria abnegatur annona.

Ecclesiasticorum delicta occultè sunt corripienda, ne scandalo sæculares pũgantur.

Non potest subditus queri de Concionatoris, aut Præsulis correptione, cum qui corripit, se quodammodo simul reũ esse profitetur.

Eligendus ad sacra ministeria ille, qui comprobatus iam sit, esse fidelis.

Pijs operibus qua moriturus relinquis, non assignes patronum vnicum.

Proprium est sanctorũ, suspicari sua opera Numini non placere.

Oratio recta opera Deo gratiora efficit.

Vers. 15.16.17.18.19.20.21.22. *In diebus illis, &c.*] Cæterùm postquam ex Persidè ventraui,

3. Sabbatum

tani, vidi in Iuda diei Sabbati variis ex muniis violatores; nam & exprimendis ouis in torcularibus operam dabant, & apportabant onera vuarum ac tritici, vt aceruos efficerent calcandos, triturandos: & asinorum humeris addicebant vinum, ficus, ligna &c. & in Ierosolymam inferebant. *Et contestatus sum*, id est, rogaui obiurgaui, Numinis, vindictam minatus sum, si apportarent, si venderent, quæ non licet die Sabbati vendi, & apportari. * Crediderim planè, in Catholica Regna plurima incommoda ab irato Numine inflicta esse ob facilem festorum dierum violationem.] *Contestari* igitur oporter Concionatores, seu Dei intonare vindictam, si fortè tam inueteratæ consuetudini medicamen possit adhiberi.] Scio, à Tyriis infidelibus, qui Ierosolymæ habitant in Vrbe vel in eius viciniis, hanc noxiam consuetudinem dimanasse, causámque Sabbati violationi eos dedisse. * Infidelium namque societas infert fidelibus facilem prauorum morum imitationem.] Hi quidem in vrbem inferebant pisces, & omnia venalia, filiisque Iudæ in die Sabbati vendebant. Ideò Optimates nostros obiurgaui dicitans: *Quæ est hæc res mala, quam vos facitis* diei Sabbati violatores? Cur Tyriorum nequitiam Optimatibus Iudæorum attribuit? * Annon Optimates permittebant, Tyrios onera apportare venalia ad vrbem, vt Iudæi emerent? Ergo & ipsi *faciebant*. Quod enim permittunt geri ij, ad quos attinet Reipublicæ gubernatio, id ipsos gessisse deputantur.] Certè patres nostri temporibus Ieremiæ eodem delicto inficiebantur, eosque Propheta curabat minis ingentibus, promissisque retrahere: & quia noluerunt ab huiusmodi impietate recedere grauissimis incommodis fuit hæc Ciuitas diuerberata, vos autem *additis* super Israël *iracundiam* diriùs flagellaturo Numine Ciuitatem. * Iterum enim in eundem incidere morbum grauiori obnoxium est supplicio. Ideò apposuit Nehemias illud verbum, *Additis iracundiam*.] Profectò cum portæ Ierosolymæ *quieuissent*, seu tempus illas claudendi aduentasset, quiescentibus portis ab officio suo diurno emittendi ex Vrbe, & immittendi in Vrbem transeuntes: seu cum vesperà iam aduenisset die quodam Sabbati iam appetente, LXX. *Ante Sabbatum*, nec reserari nisi post transactam Sabbati solemnitatem. Illa particula *Dixi*, idem est, ac *Iussi*, *imperaui*. * Simplex enim Præsulis dictio debet subdito esse præceptum.] * Preme particulam, *Cum quieuissent portæ*. Vel inanimata quæque humanæ auaritiæ solicitudine contunduntur, ac fatigantur. Vnde quiescendi eis datur locus, cum hominum auaritiæ suspenduntur actiones.] Sed & de famulis meis aliquos portis adesse iussi, vt prohiberent, ne vllus in die Sabbati onus in vrbem inferret. Si portæ erant clausæ, cur pueri, seu famuli portis addicuntur, ne onera in vrbem apportarentur? An obseratis ianuis possent apportatores ingredi Ciuitatem? Certè ideò iubentur famuli portis addici vt prohibeant conatus eorum, qui intendunt Sabbatum violare. * Vel conatus enim ad violandum festa remotis admodum est reprehensibilis. Liceat vulgariter explicare: *Ni deciem mil lequas Seha de tratar de violar la fiesta.*] At non omninò ad vitandum malum id sufficit indicta à me portarum obseruatio, ac famulorum addictio; semel enim & iterum negotiatores, & venales merces extrà muros remanserunt. Vt ab iis qui extrà Vrbis muros habitabant emerentur. Acriter autem negotiatores reprehendi profatus: Quare ex aduerso murorum merces venales contra Sabbati immunitatem exponere non veremini? Si post hanc meam admonitionem id egeritis, puniam vos, & fisco merces addicam. Itaque à tempore illo rursum in Sabbato non *venerunt*. * Supplicij enim minitatio vel effrænatos continet transgressores.] Monui quoque Leuitas, vt mundarentur de more ad sacrum quoddam ministerium obeundum, addixi enim eos Vrbis, portarum custodiæ, vt tantorum custodum reuerentia populus non auderet eas aperire, vel ne iis apertis, quidquam introduci permitterent, quod ad Sabbati violationem aliquo modo pertineret; hoc enim videtur esse quod additur: *Et sanctificandum diem Sabbati*. Quæ sieris, cur ad custodiendas Vrbis portas Leuitæ sanctificari iubentur, ac si sacro munio essent operam daturi? * Quia quidquid ad Dei cultum, legisque obseruationem pertinet sanctum est, sanctè ac pùrè tractandum.] * Innuitur interim Leuitis, dignè clauibus portarum addici, siquidem ad portarum custodiam eis indicitur sanctificatio, seu purificatio, ac si altari debuissent ministrare.] * Ediscant hinc Religiosi, quibus officia viliora committuntur, in communitate nullum ministerium esse despicabile. Præfici portis vti munus augustum debet reputari.] * Adhuc pondero verba, *Dixi quoque Leuitis, vt mundarentur*, aliter, *vt sanctificarentur*. Certè dum Leuitæ portis (officio humili) addicuntur sanctificari iubentur, idem enim assolet esse huiusmodi ministeriis operam dare, ac sanctitate præfulgere. Apud communitatem namque Religiosorum frequenter iis, qui officia huiusmodi gerit, maiori illustris sanctitudine exponitur.] Et pro hoc à me exhibito obsequio quæso Domine, mei recorderis, tua ex miseratione.

Verſ. 23.24.25.26.27.28.29.30.31. *Sed & in diebus, &c.*] Reperi denique, Iudæos, qui duxerant contra legis præscriptum vxores Azotidas, Ammonitidos, ac Moabitidas duxerant. Et filij eorum *ex parte* loquebantur *Azoticè*, idiomate scilicet Azoti Palestinæ Vrbe vtebantur, ex parte verò Hebraicè loquebantur, *& nesciebant loqui Iudaicè*. * Quomodo nesciebant Iudaicè loqui si ex media parte solum loquebantur Azoticè, & ex media parte Iudaicè? Quia quod perfectè non scitur, quodammodò penitus ignoratur.] Et loquebantur iuxta linguam *populi & populi*, id est, singulorum populorum, vnde matres erant oriundæ, lingua filij loquebantur. * Si ex media parte solùm loquebantur Azoticè, Ammoniticè, ac Moabiticè, sicut ex media parte Iudaicè: quare dicitur eos loqui scire Azoticè Moabiticè & Ammoniticè, & assertur nescire loqui Iudaicè? Quia bonum debet integra ex causa constare, malum verò sufficit ex parte coalescere.] * Matrum dicuntur illi filij lingua loqui, non patrum, quia frequentium filij matrum & ex lacte & ex consuetudine loquelam & mores imitantur.] Et obiurgaui eos, *& maledixi*, id est, execratus sum, seu anathema dixi; & excommunicaui tales parentes. Quosdam etiam ob enormem legis sat notæ contemptum & transgressionem, flagellis cæ-

4. Qui Gentilibus matrimonio coniuncti erant à Nehemia puniuntur.

cidi,

Multa in tomoda Regnis Catholicis à Deo infliguntur ob facilem festorum violationem.

Ex infideli, ac prauo socio facilè impietatem edocetis.

Quod malum permittis geri Magistratus, hoc ipsum gessisse reputandus est.

Iterùm in eandem incidere culpam, grauiori est obnoxiæ supplicio.

Simplex Prælati dictio debet subdito esse quasi præceptum.

Vel inanimata quæque nostræ auaritiæ fatigatur instantia.

Vel remotus conatus ad festi diei violationem est prohibendus.

Supplicij minitatio vel effrænatos continet transgressores.

Quidquid ad Dei cultu pertinet, sanctè tractandu est.

Dignè vir quisque vilis ministerio ex obedientia addicitur.

Nullum ministerium in communitate Religiosorum despicabile.

Qui officijs despicatioribus in communitate Regularium curâ impêdit, frequenter sanctitate prafulgent.

Quod perfectè nō scitur, quodammodo penitus ignoratur.

Vtrius debet integra ex causa constare, vitium sufficit ex parte coalescere.

Filij matrum frequentiùs mores, quàm patrum imitantur.

cidi: quosdam impudentiores etiam *decaluauit*, seu depilaui, (quod extremæ ignominiæ erat apud Iudæos. * Quidam grauis Interpres ex Hebræo illo, *Capillos eorum euulsi*, asserit, Nehemiam diuino zelo actum in eos inuolasse, pugnis cecidisse, cæsariémque eorum laceraſſe. Sed non crediderim, sanctum ac prudentem Præsulem propria manu subditos vulneraſſe; id enim Præsulem dedecere quis addubitet?] * Fateor, posse id aliquandò diuino ex zelo ortum habere. At aspectantes afficiuntur scandalo, vindictæ feruori tribuentes. Christus semel & iterum zelo diuino accensus Templi profanatores vulnerauit, sed non pugno quidem, sed flagello. Vnde Præsules iram contineant, nec zeli prætextu subditos propria manu vulnerare exsurgant.] *Et adiurauí in Deo*, seu eos iureiurando adstrinxi, ne deinceps auderent suas filias alienigenarum illorum filiis traderent nec de filiabus eorum filiis suis accipere, aut sibimet ipsis colligare. Eosque volui, exemplo exhibito, deterrere, fatus: Certè simili delicto Salomon Rex Israël fuit olim infectus. Quonam, quæsierim fructu? Rex ille tot Regum augustissimus, sapientissimus adeò dilectus Deo, ab eoque obæratus, vt eum toti Israëli præposuerit, à mulieribus alienigenis corruptus, thura earum libauit idolis. * Non dubium, quin sæpè exempla efficaciora sint quàm dogmata ad peccatorum reductionem. Vnde commendarim Societatis Iesu morem: dum exemplorum enarratione tot è peccatores inueteratos Deum pœnitentes adduxit.] Salomonis igitur exemplo ad memoriam reducto, numquid deinceps audebimus *omne malum grande hoc* perpetrare, ducentes peregrinas vxores? * Cur peccatum illud *omne malum grande* vocitatur; Certè quia impiam vxorem ducere, omnium malorum epilogatio est.] Vnus autem ex filiis Ioiada (filij Eliasib), qui quidem tunc erat summus Pontifex gener factus erat hominis Gentilis & Iudæis infensissimi, nempe Sanaballat Horonitæ (est genitiui casus, vt patet ex Græco) Hunc quoque Sacerdotem *fugaui à me*, simulque munere Sacerdotali priuaui. Vocatur autem Sanaballat *Horonites* ex Horonaim Ciuitate Moabitarum, cuius mentio fit Isa. 15. 15. & Iere. 48, 3. 5. *Recordare*, ô Domine, vt ad aliorum exemplum punias eos, qui Sacerdotium polluere non verentur, iusque Sacerdotale ac Leuiticum violare. * Non dedecet Sanctos à Deo peccatorum imprecari supplicium ad aliorum exemplum.] * Preme autem verbum *Recordare Domine Deus meus aduersum eos, &c.* Certè Deus adeò abstractus assolet esse à puniendi peccatores affectu, vt quodammodò obliuiscatur, & necessarium sit id ei ad memoriam reuocare. Liceat exprimere vocabulo vulgari. *Es necessario acordarselo.*] Igitur profanis connubiis dissociatis, Iudæos mundaui, seu abstraxi ab alienigenarum societate; & *constituí*, seu instauraui ordines Sacerdotum, ac Leuitarum singulos proprio addicens ministerio. * Reformare enim quod deformatum erat, idem quodammodo est, ac de nouo constituere.] Denique procuraui, vt quæ circa lignorum, ad ignis interminabilis escam, oblationem,) & quæ circa primitiua erant constituta (cap. 10. 34. & 35.) ad vnguem seruarentur. Memento Deus meus seruí tuí *in bonum*, nempe vt misereris, & præmio dones æterno, Amen.

Dedecet Præsulem propria manu subditos vulnerare.

Nec zeli prætextu Præsules vulnerent propria manu subditos. scandalo enim videntes compungantur.

Impiam ducere vxorem, omnium malorum est epilogatio.

Non dedecet Sanctos, à Deo peccatorũ imprecari supplicium, ad aliorum exẽplum.

Tam immemor Deus punièdi, vt quodammodò necessum sit, id eius ad memoriam adducere.

Exemplorum enarratione Societas innumeros ad Deum peccatores adduxit.

Reformare, quod deformatum erat, idem est, ac de nouo constituere.



LIBER QVINTVS.

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD TOBIAM.

PROLVSIO.

Tobias senior suammet Historiam vsque ad Caput decimum quartum, iunior verò illud Caput decimum quartum vsque ad versum 16. & 17. scripsit. Quod reliquum est Capitis ab alio auctore, quem ignoro, suppletum. Porrò à Domina mea Deiparente felicissimum concipiam omen aptæ huius libri Commentarij, Saram video Tobiæ iunioris coniugem Mariæ typum retulisse, quæ quidem virga ab Isaia cap. 11. vocitatur. *Egredietur virga de radice Iesse.* Adque Richard. Laur. l. 12. *Duo sunt in virgula, cortex exterior, & lignum interius. Fuit Maria quasi cortice tecta per amorem secretæ ac solitariæ vitæ designata per Saram, quæ dixit: Nunquam cum ludentibus miscui me. Tob. 3.*

CAPVT I.

Genus, patria, iuuenilis ac virilis ætas, virtutésque Tobiæ senioris: & gesta in Niniue, ac aula Regis Assyriorum.

1. TOBIAS ex tribu & ciuitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in finistro habens ciuitatem Sephet) 2. cùm captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit: 3. ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret. 4. Cúmque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. 5. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium: 6. sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens: 7. ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem. 8. Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat. 9. Cùm verò factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuítque ex ea filium, nomen suum imponens ei: 10. quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. 11. Igitur, cùm per captiuitatem deueniſſet

cum vxore sua,& filio, in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua, (12. cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum. 13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis: 14. & dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. 15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. 16. Cùm autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti: 17. & cùm in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti. 19. Post multum verò temporis, mortuo Salmanasar rege,cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israël exosos haberet in conspectu suo : 19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebátque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis: 20. Esurientes alebat, nudísque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. 21. Denique cùm reuersus esset rex Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israël, Tobias sepeliebat corpora eorum. 22. At vbi nuntiatum est regi,iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius. 23. Tobias verò cum filio suo & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. 24. Post dies verò quadragintaquinque occiderunt regem filij ipsius, 25. & reuersus est Tobias in domum suam, omnísque facultas eius restituta est ei.

COMMENTARII.

1. Tobiæ adolescentis admirabilis pietas.

VERS. 1.2.3.4.5,6.7.8. *Tobias ex Tribu,&c.*] Tobias Hebraicè dictus טוביה, id est, *Bonus dominus*, aut *Bonitas Domini*,) vt vel nomen esset viri huius ænygma iustitiæ) processit ex Tribu Nephthali, & ex Ciuitate eodem nomine insignita. Hæc Vrbs à Lxx. *Thisbe* vocitatur,ex qua videtur etiam Elias fuisse,qui in sacris literis Therbites appellatur. Adiacet Ciuitas hæc Nephthali,seu Thisbe in superioribus Galilææ supra Naason, post viam quæ ad Occidentem ducit, in sinistro latere attingens Ciuitatem Sepher. Duplicem enim Galilæam inuenio, alteram superiorem,inferiorem alteram. Superior illa dicitur, quæ magis vergit ad Septemtrionem, & Libanum montem,quæ etiam situ altior est, siquidem ex ea Iordanis decurrit.Naasson autem Oppidum est eiusdem Tribus, dicitur verò Nephthali Ciuitas,esse supra Naasson, quia tribus fere milliaribus orientalior est, iuxta, vel post viam,quæ ad Occidentem ducebat.Porrò Ciuitas Sepher vno ferè milliario à Nephtali distabat, iuxta tabulam Adrichomij n.88. Tobias igitur cum captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum, (de quo 4.Reg.17.3.& 18. 9.) addictus vili captiuitati *viam veritatis non deseruit.* * Mirum planè,status enim vilitas assolet vel nobili animo morum suggerere vilitatem.] * Præcipuè veritas à mancipiis vilibusque homuncionibus assolet exulare. Vnde admodùm hoc laudabilis ex capite Tobias, quod abiectam gerens vitam,ab abiectis non disceret iter amplecti.] Tam firmus hæsit veritatis ac iustitiæ viæ, vt omnia, quæ acquirere poterat ad cibum vel indumentum concaptiuis fratribus Hebræis impertiret. * Mirabilis quidem ad eleemosynam gerendam affectus, vel inops captiuus nosci ad gerendam pauperi stipem subsidia inuenire.] * Nec mirum, nam si semel Tobias quid vel exiguum, admodum quod pauperibus daret, inuenit, nunquam ei quod posset elargiri, deficeret propter incredibilia eleemosynæ incrementa.Ideò addidit textus illam particulam *Quotidie*, vt innuat factæ redditus eleemosynæ,quæ ex manu inopis captiui Tobiæ non semel aut iterum in anno aut mense, sed quotidie vbertim præstatur, siquidem non concaptiuo vni, sed *concaptiuis fratribus* eam ille exponebat.] * Preme obsecro particulam, *Ita vt omnia,quæ habere poterat,quotidie concaptiuis,&c.* Haud verax excusatio ad eleemosynam non præstandam est paupertas, quandoquidem vides captiuum Tobiam habere posse, quid quotidie concaptiuis fratribus elargiretur. Nullus ergo dicat, Habere non possum quid vel aliquando elargiar, si captiuus habere potuit quod quotidie præstaret.] Cumque ante captiuitatis tempus, esset iunior omnibus in Tribu Nephthali,imò puerulus adhuc (vt constat ex vers.8.) nihil tamen gessit, quod puerilem suboleret ætatem. * Multum (fateor) ætati puerili parcendum, vnde præcelsior puerilis ætatis laus, nihil, quod ei parcatur, habuisse.] Hinc mei Ludouici à Gonzaga, & Stanislai Koska meram indolem commendarim, quorum puericia senili decorata fuit grauitate, vnde *nihil puerile* gesserunt *in opere*. Denique cum omnes pergerent ad adorandos aureos vitulos, quos Ieroboamus Rex Israël conflari fecerat, *solus* Tobias eorum consortium aufugiens, ad Ierosolymam sese conferebat, & Dominum Deum Israël fideliter adorabat. * Mirabile planè, solùm Tobiam inter tot idololatras sine crimine commorari; sed prudens illorum consortia omnino fugiebat. Cum impiis enim obuersari, & non pollui penè est impossibile.] Porrò Tobias non se vacuum gerebat adoratorem, nam primitiua quæque sua, ac fructuum decimas adeò *fideliter* offerebat,vt in tertio anno proselytis,& aduenis(vti præscribitur Deut. 14.18. omnem decimationem ministraret.

Status vilitas efficit animum vel nobilem vilescere.

Mendax mancipiorum, ac vilium homuncionum ingenium.

Vel inops nosci eleemosynam erogare.

Mira eleemosynæ incrementa.

Nullus à præstanda eleemosynæ rè excusatur, vel pauper potest inuenire,quod præstet.

Ætati puerili multum parcendum.

Gonzaga & Stanislaus Iesuita, cum essent pueri, nihil puerile gesserunt.

Cum impiis obuersari, & non pollui, fere impossibile.

* Tunc

Substantia asseruatur, & proficit, cum eius portio egeno impertitur.

* Tunc enim asseruatur, proficit, ac increscit substantia, cum eius portionem subleuando exponis egeno.] * Adnota particulam *Decimas suas fideliter offerens*, Templo videlicet. Meritò Tobiæ fidelitas in soluendis decimis commendatur, ratus enim est, qui fideliter reddat, quod non externa exactione exquiritur, sed vltronea manifestatione assolet exhiberi.] Hæc & his similia iuxta legis præscriptum Tobias adhuc puerulus obseruabat.

Pauci fideliter decimas Deo soluunt.

2.

Verſ. 9.10. *Cum verò, &c.*] Verum cum Tobias virilem iam iniret ætatem, Annan de Tribu sua speciosam virginem duxit vxorem. * Aptè coniugium Tobias iniit, *cum factus esset vir*; virilis enim ætas difficilis huius status scit onera pensare quæ adolescentia solummodò addicta voluptati non pensat.] Progenuítque Tobias ex Anna filium, quem proprio suo nomine insigniuit futurum planè morum imitatorem, vt alter Tobias perfectus exurgeret. * Premenda clausula, *Accepit vxorem Annam, genuitque ex ea filium.* Mox fructus sancti coniugij exponitur, quia non ob voluptatem initur, sed ad captandam solummodò prolem colligatur.] Porrò Tobias filium suum ab infantia Deum timere edocuit, & ab omni crimine abstinere. * Illa enim firmiùs probitas retinetur, quæ cum lacte epotatur.] * Recole illa verba: *Hæc & his similia secundùm legem puerulus obseruabat.* Vnius enim virtutis exercitatio ad alterius similis exercitamentum excitat animum, sicut vnius perpetratio delicti ad aliam similem inducit actionem.]

Tobiæ iam viri coniugium.

Ineatur contingium ea in ætate, qua noverit status difficilis pensare onera.

Matrimonium sanctè initum assolet mox esse fœcundum.

Sanctitas, quæ cum lacte ebibitur, firmiùs retinetur.

Vna virtutis actio ad aliã similem actionem inducit.

3.

Verſ. 11.12.13.14.15.16.17. *Igitur cum, &c.*] Itaque cum occasione captiuitatis communis Hebræorum cum vxore, filio, ac contribulibus suis Tobias deuentasset in Niniuem nobilissimam Assyriorum Ciuitatem, quæ etiam Minus à Plinio, Ptolomæo & aliis vocitatur: dum omnes captiui Hebræi ex cibis gentilium sacra à lege prohibitis edere non vererentur, ipse se custodiuit, nec vnquam edens carnes idolis sacrificatas fuit contaminatus. Et quoniam gentilis Regis spreto timore, fuit perfectus diuinæ legis obseruator: Dedit Deus illi, apud Regem Salmanasar adeò valere, vt obtineret potestatem, quocumque vellet, pergere: & libertatem pro libito operandi. Reliqui enim captiui vt mancipia habebantur. Tobiæ verò libertas concessa ita vt Regnum posset pro libito peragrare. * En Hebræos, qui vt Regis gratiam aucuparent, contra Dei legis præscripta cibis idolorum vescuntur, à Rege despectos: Tobiam verò, qui Regis contemnit gratiam, ne cœlestem amittat, à Rege honoratum.] *. Nullum enim vel temporarium commodum potest cum crimine coalescere.] Porrò vel apud iniquos Principes magno ille habetur in pretio, qui spreta adulatione, solùm est pietatis cultor, veritatis assertor.] Potestate itaque ac libertate sibi à Rege tradita vtens Tobias, eam exercendis pietatis operibus impendebat. Pergebat enim ad omnes concaptiuos, eísque salutaria monita exhibebat, vt à gentilium conuictu fugerent. Deique præscripta seruarent. * O felix potestas Tobiæ! ô beata libertas! Dedit illi Rex *potestatem, quocumque vellet, ire, habens libertatem, quæcumque facere voluisset*, ille autem *pergebat ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.* Si laudabilis admodum *qui potuit transgredi, & non est transgressus*, quàm commendabilis, qui potestatem, ac libertatem totam promouendæ apud proximos virtuti litauit!] Cum autem plura Tobias lustraret loca, vbi Hebræi captiui commorabantur, ad ciuitatem Medorum peruenit, Rages appellatam. Certè Vrbs hæc est in Regno Mediæ, quæ si credendum Diodoro l. 29. & Straboni l. 12. à ruptoris, & labibus, quas terræ motus excitarant, nomen accepit. Nam ῥηγνυμι apud Græcos *frango*, aut *scindo* significat. Profectò Tobias donatus fuit à Rege functione quadam Palatina, nam versu 14. ex textu Græco ait ipse, se fuisse Regis ἀγορασην, hoc est, emptorem, cum autem multa emantur à Regibus amplum, & honestum hoc officium fuisse crediderim. Cum igitur ex his emolumentis, quæ perceperat ille ex officio, *quo honoratus fuerat à Rege*, decem talenta argenti acquisisset, (vnum talentum argenti tria siclorum millia continebat, siclus verò vnus quatuor Hispanicos regales) & cum in multa turba captiuorum Hebræum Gabellum suum contribulem egestate pressum aspiceret, ei sub Chirographo illud argenti pondus tradidit, prosperiori fortuna aduentante reddendum. * *Dedit illi* (ait textus) *memoratum pondus argenti*; non commodauit, quia quasi datur id, quod egenti tempore commodatur opportuno.] & si liceat vulgariter explicare, *Es como dabo, loque se presta à tiempo.*] * Textus autem opportunè addidit, Qui erat ex Tribu eius postquam dixerat esse Hebræum, *Generis sui.* Quia licet acceptabilis sit eleemosyna cuilibet egeno erogata, præcipuè est commendabilis, quæ propinquis indigentibus impertitur.]

Tobiæ captiui apud Regem gratia, eíque talentorum Gabello traditio.

Qui vt Regi placeant, Deũ despiciunt, despiciuntur à Rege: secùs qui vt placeant Deo, despiciunt Regem.

Nullum ex crimine commodum.

Vel profani Principes æstimant virum sua legis obseruatorem.

Laudabilis qui potuit transgredi, & non est transgressus; sed laudabilior, qui potestatẽ promouendæ virtuti impendit.

Dat, qui opportuno tempore commodat.

Commendabilis admodũm eleemosyna, quæ propinquis impertitur egẽnis.

4.

Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Post multum, &c.*] Multo quidem tempore elapso, Rex Salmanasar diem suum obiuit, & Sennacherib filius eius Regni fuit hæres, sed non in Hebræos humanitatis, eos enim admodum habuit exosos. Vnde iam Tobiæ vitio vertebatur, quod prius eius personabat in laudem. Quotidie vir egregius ad omnes pergebat agnatos, ex Regis noui impietate afflictos, vt eos verborum afficeret solatio, & de facultatibus suis provt poterat, subsidia præberet. * Nec sufficit diuiti verbis amicis inopem compellare, si non addat pecuniæ elargitionem. Friuola planè verborum eleemosyna, exigua consolatio ei, qui potest & operibus egentem consolari, eique subuenire.] Esurientes alebat, nudis indumenta aptabat, vita functis ex ægritudine, occisísque vel iussu Sennacherib, vel Assyriorum iniuria, qui Iudæos Regi exosos impunè diuexabant, sepulturam piè solicitus exhibebat. * Dum Salmanasar imperat cui grati Iudæi, nulla eis ab Assyrijs paratur iniuria, regnante verò Sennacherib, cui Iudæi exosi, impunè ab eis innocentia diiudicatur. Quàm potens probus, aut prauus ad subditorum pauperum commoda, vel incommoda Regis affectus.] Denique cum Sennacherib apud Iudæam affectus esset horribili illa plaga, quæ 4. Reg. 19. 35. eò quod in Deum blasphemus exisset, (de quo 4. Reg 18. 19.) in Assyriam aufugit, & vt à Deo Israël se percutiente malesanus vindictam assumeret, fratres multos comminuit Hebræos. * Diabolica plane rabies, in Dei seruos irruere, quum nequit in Deum vindicatrix assurgere.] Cum autem Tobias de more occisorum cadauera sepulturæ

Friuola diuiti verborum eleemosyna, si opere non sit misericordi indigenti subueniat.

Potens Regis probus, aut prauus affectus, ad paucorum commodum, aut incommodum.

Diabolica rabies. Dei seruos persequitur, cum nequit in Deum vindicare.

committeret, iussus est à Rege cuiid nunciatum fuerat, trucidari, omnique spoliari substantia. At Tobias cum vxore ac filio aufugiens, *nudus* latere maluit, quàm subire martyrium. * Denudari enim propter Deum, & fugæ committi, illustri quidem martyrij locum obtinet.] Latere autem haud difficilè potuit, *quia multi* ex Assyriis *diligebant eum.* Ideóque Assyrij quem diligebant, seruarunt, non Iudæi, queis tantam facultatem eo rerum statu fuisse non putarim, cùm calumniatoribus, satellitibus, & carnificibus omnia ipsorum tunc essent obiecta. * Tam amabilis est iustitia, vt vel apud impios locum nouerit obtinere.] Cæterum diebus quinquaginta quinque prælapsis, Rex Sennacherib fuit à filijs occisus, vti Regum lib. 4. c. 19. 37. enarrat historia, & Tobia in domum reuerso, omnis eius facultas est restituta.

Denudari, ac fugæ tradi propter Deum, illustre est martyrij genus.

Iusti vel impijs amabiles.

CAPVT II.

Tobias ex sepultura cadauerum fatigatus obdormit, hirundinum excæcatur stercore.

1. POST hæc verò, cùm esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, 2. dixit filio suo: Vade, & adhuc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum. 3. Cúmque abisset, reuersus nuntiauit ei, vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in platea. Statímque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus: 4. Tollénsque illud portauit ad domum suam occultè, vt, dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum. 5. Cúmque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu & tremore, 6. Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus: per Amos propheram: Dies festi vestri conuertentur in lamentationem & luctum. 7. Cum verò sol occubuisset, abiit, & sepelijit eum. 8. Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos. 9. Sed Tobias plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea: 10. Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, 11. & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fierétque cæcus. 12. Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius: sicut & sancti Iob. 13. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei: 14. Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. 15. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: 16. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas? 17. Tobias verò increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: 18. Quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. 19. Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat. 20. Vnde factum est, vt hœdum caprarum accipiens detulisset domi. 21. Cuius cùm vocem balantis vir eius audisset, dixit: Videte, ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. 22. Ad hæc vxor eius irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt. 23. Atque his & aliis huiuscemodi verbis exprobrabat ei.

COMMENTARII.

1. Sepeliendi cadaueta exercitio Tobias dat operam periculà despiciens.

NERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Post hæc verò, &c.*] Post hæc igitur cum dies festus Pentecostes aduentasset, & conuiuium *bonum*, siue vndequaque licitum institueretur in domo Tobiæ, filio suo dixit seniori: Perge fili, & nonnullos è Tribu nostra adfer, vt nobiscum epulari possint. * In Græco est. *Adhuc quemcumque inueneris fratrem nostrum egentem*, vt idem *egens* ac *timens Deum* esse videatur. Plerumque enim paupertas componit animos, ad Dei timorem, vnde magnum à Deo beneficium debet reputari.] * Cur autem hoc conuiuium *prandium bonum* vocitatur? Quia pauperes inuitantur ad epulum. Non sit tibi bonum

Pauperi agnatum debet esse Deũ amplius timere. Vnde paupertas debet inter Dei beneficia computari.

Bonum conuiuii, vbi pauper inuitatur.

bonum illud conuiuium, à quo exulat inops. Diebus solemnibus conuiuia ineantur, sed pauperi, vt bona sint, sua adscribatur portio.] Abiit iunior Tobias, & post inuitatos propinquos reuersus patri nunciauit, quendam ex Hebræis iugulatum in platea prouolui. Mox ac senior audiuit, de accubitu conuiuali, vbi iam cum propinquis egenis aderat, exiliens, prandium relinquens ieiunus peruenit (cœlestis quidem aquila) ad cadauer: attollénsque illud occulto domus suæ reposuit in loco, vt abscedente sole, cautè traderet sepulturæ. Cautè enim agendum propter Assyrios Æbræis infestos. * Vel propter Tobiæ iustitiam, cui agnatum est egregia facta tenebris operire, ne ab hominibus laudentur inaniter.] Cumque occultasset corpus, ad inuitatos expectantes rediit, & *cum luctu ac tremore* fuit epulatus, mente versans illam Prophetæ Amos sententiam: *Dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum.* * Cur dies festi peccatorum in luctum conuertendi, nisi quia festa instituta à Domino vt charitatis opera gerantur, litantur vanitati, & actionibus iniustis deturpantur?] Dies festus Tobiæ sepelientis defuncti cadauer in lætitiam erat vertendum, sed tamen *cum tremore* conuiuio aderat, quia agnata iusto humilitas nunquam sibi persuadet se præscripta complere.] Cum igitur sol occubuisset, cadauer absconditum deportans de more sepeliuit. Cæterùm propinqui eius, qui fuerant inuitati, queisque non potuit opus illud abscondi, arguebant eum, profantes. Iam similis rei causa iussus es iugulo tradi, & cum vix ab internecione es à Deo misericorditer ereptus, iam rursum sepeliendi cadauera muneri instas? Cur non prudenter curas tuo ex capite charitatem ducere exordium? Ast Tobias plus Deum timens, quàm Regem, occisorum cadauera rapiebat interdiu, sua occultabat in domo, & aduentantibus noctis tenebris sepeliebat. *Rapiebat* inquam *corpora*, siue rapientis, aut latrocinantis in morem curabat, opus illud egregium à nullo aspectari. * Virtutis opera furtim gerenda sunt, si velit iustus à Deo videri in abscondito, ac muneratri.]

Agnatum iusto, egregia opera operire, ne ab hominibus videantur.

Festi dies ad opera misericordiæ gerenda instituuntur.

Iustus nunquã sibi persuadet, se à Domino præscripta complere.

Virtutis opera quasi furtim gerenda, vt à solo Deo videantur.

2. Tobias plaga cæcitatis affectus, Deũ laudat.

Vers. 10.11.12.13.14.15.16.17.18. *Contigit autem, &c.*] Accidit verò, vt quadam die defatigatus à sepeliendi officio, quia plura occurrerant humanda cadauera: rediens domum, nec ingressus, quod propter cadaueris contactum ex lege (Num. 19.11.& 16.) erat immundus; se iuxta murum iactasset, & obdormisset; ex nidulo hirundinum calida stercora dormientis oculos contigerunt, quæ eos luce priuarunt vel ex occulta quadam vi, vel quod cum calida essent, & sordida in oculos illapsa sua impuritate & calore delicatissimæ partis humori noxam potuerunt afferre. Sed quonammodò passerum (sic Græcè) calidum illud dormientis clausos oculos offundere potuere? Num leonis in morem oculis dormiebat apertis? * Assolet in iustum dormientem hostis insurgere curans phantasia immunda animum aliquo modo defœdare. Vnde oculis obdormiat oportet apertis, vt iacula repellat.] * Hinc Diuum mem Franciscum Xauerium commendarim, qui aliquandò impuram phantasiam vel dormiens profuso ex ore sanguine superauit. Gad vere præcinctus & *vt leo* fortissimus apertis oculis requiescens.] Scio, in Græco esse, *& non vidi, quia passeres in muro erant.* At vox ὀρνέων omne auicularum genus amplectitur. * Non dedit Tobias, quod essent in muro passeres, indicans, ab occultis, hostibus iusto timendum.] Ideò autem Dominus disposuit Tobiæ cæcitatis euenire tentamina, vt posteris patientiæ exhiberet exemplum, vti D. Iob patientissimus exhibuerat. * Nam cùm cœlestis via tot conspinatur spinis, oportet iustos multis patientiæ exemplis obarmari, ne vulnerati corruentes, viam ineant floridam iniustitiæ ducentis ad tartarum.] Verùm tanta Tobiæ patientia, vt cum Deum semper à sua timuisset infantia, & eius præscripta custodisset. Haud contristatus in Deum querelas excitauit, quod plaga cæcitatis affectus esset, sed immobilis in Dei timore permansit, omnibus vitæ suæ diebus pro labore actionem referens gratiarum. * Agnoscebat enim labores non esse iusto flagella, sed munera, pro quibus paranda gratitudo.] * Ponderabat illud: *Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, non est contristatus contra Deum.* Certè iustitia ab infutia ducens initium iusti senectam reddit ad tentamina fortiorem.] * Ideò autem senes assolent facillimæ tentationi cedere, quos in infantia hostes nouerint superare.] Profectò sicut beato Iob Reguli illi insultabant, ita Tobiæ *parentes* seu seniores propinqui, ac cognati irridebant, ei vitam miseram obiicientes, ac profantes: Vbinam spes tua, pro qua pauperibus subsidia præstabas, ac cadauera sepulchro tradebas? At Tobias eos subtaxans respondebat: Nolite huiusmodi verba proferre, quoniam filij Sanctorum Abraham, Isaac, & Iacob sumus, quorum exempla virtutum debemus æmulari: & vitam illam expectamus, quã à Deo donandi sunt illi, qui à recta fidelium via non recesserint. * Preme illud: *Nolite loqui ita, quoniam filij Sanctorum sumus.* Te enim ex probis ortum esse parentibus, cogit modestè ac iustè loqui. Dedecet namque eum, qui proborum est filius, verba iniusta proferre.] Obiiciunt imprudentes illi, *vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?* Tobias autem respondet, *Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Ac si diceret, non adest spes mea, vbi vos cogitaris, nempe in præsentis vitæ commodis, sed cœlestem aduolat ad æternam. * Nec enim eleemosynæ, ac alia iusta opera gerenda sunt, vt temporariis cumulemur bonis, sed vt muneremur æternis.]

Ab occultis hostibus iustus timeat.

Arctam cœlestem viam iusti ineuntes, patientiæ Dinorum confortantur exemplis.

Iusti labores non flagella, sed munera.

Qui ab infantia hostes vincere norit, facilius senex debellat.

Qui in infantia facilè vincitur, faciliùs in senecta superatur.

Dedecet à probis parentibus natum, immodestia ac iniusta verba proferre.

Vers. 19.20.21.22.23. *Anna verò, &c.*] Verùm Anna Tobiæ vxor quotidie ad aliena pergebat gynæcea vt telis texendis deseruiret, vt de labore manuum suarum victum, quem poterat muliebri leui opera consequi familiæ deferret. Vnde accidit, vt hædiculum nondum à lacte depulsum supra mercedem acceptum (sic ex Græco textu) deferret in domũ. Cum autem vir sanctus animalculi balantis vocẽ audisset, dixit: Videte, ne fortè hædus furto sit acquisitus, domino reddite; quia illicitum nobis est ex furto edere aliquid, *aut contingere.* * Aptè ait illicitum esse ex furto edere: cur autem *& contingere* adiecit? Quia quod ex furto acquiritur, talis est inhærentiæ, vt vix possit ab attingentis manu separari. Vndè oportet id non attingere vt manui de more adeò pertinaciter non adhærear, vt vix possit ad restitutionem gerendam auelli.]

3. Vxoris Tobiæ imprudens expostulatio.

Operari iustè debemus non ob temporaria commoda, sed ob æterna.

Quod ex furto acquiritur difficile restituitur.

Fuítne hæc temeraria senis suspicio? Minimè; quia sciebat domi pecuniam non esse, quia hædus comparari potuisset: eratque ipse paterfamilias, cui curæ esse debebat, ne quid domestici piaculum perpetrarent. * Certè suspiciones quæ vix sine veniali piaculo ab extraneis fouentur, à patrefamilias iustè geruntur, ad quem pertinet, à futuris piaculis familiares abstrahere.] Ad hæc vxor respondit irascens: Manifestè vana est spes tua quam locabas in Deum, & eleemosynæ tuo modo inanes & infructuosæ omninò apparuere; siquidem Deus nos cum paupertate conflictari finit, addicto tibi cæcitatis infortunio. * Hinc quidem quàm laudabilis Tobias sit, edocemur, quem exacta substantia à via iustitiæ ac veritatis non auertit. Necessitas probat iustum, in egestate seruate æquitatem, vera ac perfecta iustitia est.] * Dauidi imputatum fuit adulterij, homicidij, &c. crimen; propositum verò quod gessit occidendi Nabal non ei imputatur, fortè quia pressus egestate deliquit: quasi aliqualem quodammodò prætendat peccandi excusationem qui in necessitate seu inopia præscripta transgreditur. Magnum ergo sanctitudinis Tobiæ documentum, ansam ex egestate non solùm non arripuisse ad delinquendum, imò verò altiora perfectionis præbuisse documenta.] His itaque Anna, aliisque huiusmodi fatuis verbis marito sanctissimo exprobrabat.

Suspiciones circa subditos iustè possunt patrifamilias inesse.

Magnæ sanctitatis est documentum,

hominem egestate pressum virtutem seruare.

Quonammodo non imputatur delictum ei, qui ob egestatem peccat.

CAPVT III.

Tobias ob vxoris Sara, ob ancillæ suæ conuitia mori exoptant, confugiunt ad preces, quæ mox à Deo exaudiuntur; & mittitur Raphaël curaturus vtrumque.

1. TVNC Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, 2. dicens: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & iudicium. 3. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. 4. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. 5. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te. 6. Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere. 7. Eadem itaque die contigit, vt Sarà filia Raguelis in Rages ciuitate Medotum, & ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui, 8. Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam. 9. Ergo cùm pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. 10. Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: 11. Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam. 12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum, 13. dixit: Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te. 14. Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo, 15. Peto Domine vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. 16. Tu scis Domine, quia nunquam concupiui, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. 17. Nunquam cum ludentibus miscui me: 17. neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. 18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. 19. Et, aut ego indigna sui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan vire alij conseruasti me. 20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. 21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. 22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem

tranquillum facis: & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis. 23. Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in sæcula. 24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: 25. & Missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

COMMENTARII.

Tobiæ plorantis oratio.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Tunc Tobias, &c.*] Auditis imprudentis vxoris opprobriis Tobias cœpit cum lacrymis exorare, fatus: *Iustus es Domine, &c.*] O quàm salutare coniugibus consilium exhibetur; * Maritus in coniugem iratus insurgit? Coniux taceat: coniux marito fatuis exprobrat verbis, maritus silentio ac patientia respondeat. Illicò enim coniugum iurgia debellantur, si irato coniugi patiens coniux affectauerit non respondere.] Iustus es (inquit ille) Domine, omnia tua iudicia iustissima sunt, omnesque *viæ tuæ misericordia & veritas, & iudicium*, sunt *misericordia*, quia semper ad intelligentis naturæ commodum, ac vtilitatem agis. Sunt *veritas*, quia nunquam à se ipso, qui summa veritas est, dissidet: sunt *iudicium*, quia quod cuique debetur, id ei tribuit. * Quid mirum, hominibus præscribi à Domino, vias terere rectas ad diuinum tendentes obsequium, si *omnes viæ*, per quas graditur Dominus ad hominum commoda diriguntur?] Et Et nunc ô Domine *memor esto mei*, & ne *vindictam de peccatis meis sumas*. * Ac si diceret, recordare naturæ, non criminis: præscinde à crimine naturam, & natura incolumi, crimina flagellentur. Ne igitur vindictam de peccatis meis in me sumas *mei* vtique à te conditi recordatus. Nec reminiscaris delicta mea, vel *parentum meorum*. Non orat Tobias hoc loci pro mortuis, sed tantùm petit, ne maiorum etiam vita functorum scelera viuis posteris noceant. * Assolet enim Deus in filiis, in nepotibus, qui plerumque prauæ maiorum exempla sequuntur, eorum piacula vindicare.] Quia non obtemperauimus, præceptis tuis, ideò traditi sumus in direptionem, in captiuitatem, *in fabulam*, & improperium cunctis nationibus ad quas nos dispersisti, Ac si diceret, viles effecti sumus, quibus nemo non audeat insultare, & improperiis ac contumeliis impetere. Rectissimè ô Domine iudicasti nos tradens exilio, ac direptioni; quoniam tua præcepta violauimus, & nos sinceriter coram te non gessimus.* Omnes enim peccatoris calamitates à criminibus exoriuntur.] Et nunc ô Domine, si placeat tibi, iube in pace meum ab Abrahamí sinu spiritum recipi; *expedit enim mihi mori magis, quàm viuere*. In textu Græco additur ratio, *Quoniam improperia falsa audiui, & tristitia multa est in me*. * Et quidem falsa audire improperia, vel patientissimo viro dirius est morte.] * Vnde falsum proferens in proximos testimonium, sibi persuadeat dirioris se reum esse homicidij.] Illud adnota: *secundùm voluntatem tuam fac mecum*. Omnis enim petitio nostra nè errori sit subiecta diuinæ debet subiacere voluntati.

Coniugum iurgia quiescunt, si coniugi irato cõiux patiens non respondeat.

Omnes viæ hominis diriguntur ad Deũ, quia omnes Dei viæ ad salutem hominum diriguntur.

Deus peccatis flagella immittit, non naturæ.

Assolet Deus in filijs, ac nepotibus maiorum peccata vindicare.

Omnes peccatoris calamitates à criminibus oriuntur.

Falsa improperia audire morte est dirius.

Qui falsum testimonium profert, quodammodò est dirioris homicidij reus.

19.20.21.22.23. *Eadem itaque die, &c.*] Duæ erant in Media Vrbes, quæ Rages dicebantur, altera, in qua habitabat Sara Raguelis filia, de qua in præsenti *Ecbactana* etiam nuncupata, ideò in textu Græco *Ecbactanis* dicitur; altera, in qua Gabellus alter Tobiæ debitor morabatur. Diuina itaque prouidentia factum, vt eadem ipsa die, qua Tobias Annæ vxoris improperiis actus orabat, Sara filia Raguelis in prima illa Rages Ciuitate Medorum ab vna ex patris sui, ancillis improperiis afficeretur: quoniam tradita fuerat successiuè septem viris in coniugem, & dæmonium nomine Asmodæus cos dum conaretur ad thalamũ ingredi, interemerat. Erat hic Asmodæus, quem Hebræus textus Regem dæmonum vocat, Princeps in ea Prouincia omnium dæmonum, qui mortales ad libidinem inflammarent; vnde ab igne nomen eum habere quem in Media suscitarent, nonnulli asseruere. * Ille ergo qui septem illos coniuges ad libidinem excitauit, matrimonium præcipuè ob voluntatem ineundo, eos diriter interfecit. Vt edoceatis, te procul dubio adducere ad interitum, qui excitat ad libidinem.] * Dum autem vides illos ante expletam interimi voluptatem, dæmonis miseram seu anaram adnota conditionem, Te curat sine palleis conficere laterum operam, hoc est, sine voluptate libidinis maculis defœdari, dirior equidem Pharaone.] Non cadat fine pondere illa particula: *Eadem itaque die contigit*. Eadem die Tobias actus improperiis precatur, & Sara affecta improperiis exorat, vt Tobiæ improperium Saræ improperia curaret, & improperium Saræ Tobiæ improperiis mederetur. * Et quando non ex improperiis patienter toleratis ipsorum medicina profluxit.] Igitur cum pro quodam errato Sara ancillam (Græcè *ancillas*) diuerberaret, illa ei procaciter respondit: O interfectrix virorum tuorum, (Græcè dicitur, *suffocans tu viros*, ex quo intelligitur, quonam mortis genere fuerint Sara mariti interfecti.) minimè ex te filium, aut filiam fructum coniugij videamus. Numquid & me curas occidere, sicut iam septem viros de medio sustulisti? Certè particula, *Num me vis occidere, &c.* innuit, Saram non solùm increpasse, sed etiam diuerberasse ancillam. In Græco enim legitur, *Quid nos flagellas?* * Si sola vna flagellatur ancilla, cur omnes clamitarunt. Quid nos flagellas? Quia omnis seruilis status semper contra dominum colligatur. Ideò plures seruos, seu mancipia domi fouens tibi persuade tot hostibus alimenta præbere.] * Si verò sola ancilla percussa est, quare numero vtitur multitudinis, *Quid nos flagellas?* Certè quia serui dominorum res, quas iniustas existimant, referentes, semper addunt, nunquam non mentiuntur.] Huiusmodi ancillæ voce exaudita, non vltrix Sara assurrexit, sed superius ascendit cubiculum in morem Iudith, cap. 8. 5. abstinénsque tribus diebus totidemque noctibus à cibo precibus insistens, Deum obortis vbertim lacrymis exorabat, vt eam ab illo improperio liberaret, sterilitatis

Saræ filiæ Raguelis afflictæ ex ancillarum improperiis oratio.

Te ad interitum adducit, qui ad libidinem excitat.

Diabolus curat, homines sine voluptate maculari libidine.

Ex improperijs patienter toleratis ipsorum profluxit medicina.

Quot mancipia habes; tot hostes te nutrire puta.

Seruire ferentes dominorũ actiones, quas iniustas putant, semper mentiuntur exaggerando.

litatis scilicet, quam illi ancilla fuerat imprecata,& homicidij,quod ei affingebat. * O quàm validas ex ieiunio vires concipit oratio.] Porrò de tertia vt perficeret orationem, sic exclamauit: Benedictum sit nomen tuum Deus parentum nostrorum Abrahami, Isaaci, ac Iacobi, qui cum peccatis nostris prouocatus ad vindictam iratus assurgis, memor misericordiæ parcis : & in *tribulationis tempore* te inuocantibus peccata dimittis. * Ergo bonum est, peccatorem tribulationibus agitari, si tribulatio, ad iracundiam diuinam vitandam, potest esse præsidium.] Ad te Domine faciem conuerto,quam rubore suffudere improperia;ad te oculos meos quorum calumnia lacrymas excitauit, dirigo. Vt facies rubore perfusa & lumina offusa lacrymis, te exorabilem reddant. * Improperia enim patienter tolerata ad Deum persuadendum,fortes proferunt voces.]Id à te peto,ô Domine,vt me ab huiusce modi improperij vinculo soluas, aut me è viuis eripias. Grauium malorum concursus etiam sanctis hominibus affert nonnunquàm mortis quasi minoris mali desiderium. Sic affecti erant Moses Exo. 32. Elias 3. Reg. 19. Iob c. 3. Paulus 2. Cor. 1. * Præcipuè verò calumnia qua iusto delictum imputatur adeò est amara vt mitiorem reddat mortis amaritudinem.] Tuscis Domine, me nunquam profano virorum amore fuisse irretitam, sed animam meam ab omni concupiscentia immunem seruasse.Hinc admodùm Sara laudabilis, siquidem Salomon scripsit: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Prou. 20. 9. * Id autem Sara non ex superbia iactitat, sed ex filiali in Deum confidentia Deo testi profert. Cuius equidem ope facilis redditur incorrupta puritatis animi integritas, quæ tam difficilis Salomoni fragilitatis humanæ memori apparuit.] Nunquam cum ducentibus choreas me *immiscui.* * Vbi ex manuum attrectatione assolet animo leuitatis obuenire contagium.] Nec cum iis, qui leuitati indulgent verbis aut indumento vnquàm gessi commercium. * Fortis enim stimulus ad libidinem, impudentium inire societatem.] Patri, fateor, assensum exhibui, vt coniugio aptarer; sed viro tuo ex timore, ne patris violarem imperia, non mea ex libidine manum protuli. Viris septem successiuè fui colligata: attamen aut illis digna non fui, aut illi tua miseratione me indigni extitere:quia forsitan viro alij me virginem conseruasti.Neque enim consilium tuũ,quo sapientissimè modis tamen arcanis nos mundúmque regis haud in hominis est *potestate*, id est, omnino hominibus est incognitum. Hoc autem omnibus est compertum hominibus, qui te colunt, quod eius vita laboribus acta coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, donabitur illicò libertate seruiture piaculi excusa,præscisis ansis ac occasionibus delinquendi. At *si in correptione fuerit*, id est, si cum ærumnis ad correptionem immissis conflictetur, licebit ad tuæ misericordiæ venire tribunal,& illam nobis conciliare, & si liceat vulgariter exprimere, *Licito nos sora apelar del tribunal de tu Iustitia,al de tu misericordia.* Non enim nostra in perditione delectaris, sed potius labores immittis, vt post tempestatem tranquillum mare reddas: & post fletum exultationem animo infundas,Ideò nomen tuum in sæcula decet benedictio. * Si ergo tranquillitas placeat, si exultatio homini sit iucunda non displiceat tempestas, non sit iniucunda illactymatio; nec enim sine tempestate serenitas, nec sine lactymis lætitia recurrit.]

Verſ. 24.25. *In illo tempore, &c.*] Dum igitur Tobias exorat in Ninive, & Sara in Rages precatur: amborum preces in conspectu gloriæ summi Dei, siue cœlestis Curiæ fuére exauditæ : & sanctus Raphaël Archangelus Domini fuit immissus, vt *curaret eos*, seu eorum malis medicinam afferret, Tobiam à cæcitate liberando, Saræ verò improperia in gloriam conuertendo. Aptè missus est Raphaël, cuius nomen *Dei medicinam* significat. * Qui igitur tot premimur spiritualibus, temporariisque ægritudinibus,Raphaëlẽ aduocemus oportet præsentissimo donandi medicamine.]Missus, inquam, est Raphaël,vt curaret eos ambos,quorum vno tempore orationes fuere in conspectu Domini per Angelos præsentatæ. Sic infra cap. 12. 12. dicit Angelus: *Ego obtuli orationem tuam Domino.* * Nec enim dedignantur Angeli nostros agere nuncios, vt perspectum sit quam simus cœlestibus spiritibus debitores.]

Oratio ex ieiunio fortior ad Deum alliciendum.

Peccatorem tribulatione affici,præsidiũ est, ad iram diuinam vitandam.

Improperia patienter tolerata, ad Deum persuadendum, fortes proferant voces.

Calumnia, qua iusto imputatur peccatũ,est morte dirior.

Humili animo Dei protectioni hærenti facilis est castitatis integritas.

Ex choreis assolet excitari lasciuia.

Ad libidinem fortis stimulus, impudentium societas.

Si placeat animi tranquillitas, & exultatio : tempestas, & illacrymatio non displiceat.

3.

Raphaël immittitur Tobiam & Saram curaturus.

Tot ægritudinibus affecti, oportet Raphaëlem, Dei medicinam, aduocemus.

Angeli non dedignantur nostros agere nuncios.

CAPVT IV.

Tobias moriturus, vt putabat, & sperabat, filium suum pijs monitis instruit.

1. IGITVR cum Tobias putaret orationem suam exaudiri vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum, dixítque ei: 2. Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe. 3. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: 4. memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. 5. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ,sepelias eam circa me. 6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & præterimitras præcepta Domini Dei nostri. 7. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur

auertatur facies Domini. 8. Quomodò potueris, ita esto misericors. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri, stude. 10. Præmium enim bonum tibi thesaurisans in die necessitatis. 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam. 13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. 15. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat. 16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. 17. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. 18. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere eum peccatoribus. 19. Consilium semper à sapiente perquire. 20. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. 21. Indico etiam tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo: 22. Et ideò perquire quo modo ad eum peruenias, & recipias ab eo suprà memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum. 23. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

COMMENTARII.

1. Spiritualia testamenti Tobiæ documenta.

VERS. 1. vsque ad 20. *Igitur cum, &c.*] Cùm igitur Tobias sibi persuaderet, feruida sua oratione, quæ assolet à Domino exaudiri, impetraturum probabiliter, vt è viuis discederet, quod enixè rogauerat: filium suum Tobiam ad se aduocauit, eique suam vltimam voluntatem manifestans, gerensque testamentum indixit. * O quàm prudens, qui valens ordinat testamentum, nec ad vltimam differt ægritudinem, quando necessitas, non voluntas assolet operare!] Et quam laudabilis ex probitate filius, cui simplex paternæ voluntatis manifestatio vires firmi exerit instrumenti: cum aliis filiis vix instrumentum sufficiat, vt præscripta paterna executioni tradant.] Audi fili mi, nouissima oris mei verba, eaque in corde tuo *quasi fundamentum construe.* * Documenta enim, quæ à iusto parente filius capit obediens, sunt futuri spiritualis profectus fundamentum. Quasi sine fundamine ædificat, qui documenta patris probi in corde non ferunt.] Cùm è viuis excessero, meum cadauer trade sepulchro: & viduam matrem tuam mei exerens vices honora, dum fuerit superstes, memor vtique tot incommodorum, quæ te gestans in vtero, ac enixa sustinuit. Nouem etenim illorum mensium matris sustinentia filium reddit ad præstandum ei obsequium *omnibus diebus vitæ eius*, debitorem.] Cùm autem & ipsa vitæ suæ cursum expleuerit, eodē meo fac requiescat in tumulo. Vt dum animum vtrumque patris Abrahæ idem excipit sinus, corpus vtrumque idem capiat Sepulchrum. * Pij coniuges qui se inuicem amarunt ex lege, vel in morte renuunt separari.] Cunctis vitæ tuæ diebus mens cœlesti Numine non auertatur cauens ne aliquando peccato consentias, Domini Dei nostri præscripta transgressus. *Tua ex substantia* egenis succurre, nec faciem vllo auertas à paupere. * Ex alienis enim bonis præbere subsidia, non est eleemosyna, sed rapina.] * Et dum oculi miserorum aspectant inopiam, ad largiendum vel parum pius afficitur animus.] Ita enim procul dubio fiet, vt à te Dei facies minimè auertatur. Iuxta substantiæ vires egenis expende subsidia: si abundaueris bonis, abundanter impende: si autem stricta fortuna fuerit, etiam exiguum stude *libenter* impertiri. * Exigua enim eleemosyna erogata libenter pro magna à Domino reputatur.] Nec sine mercede fies inopum sublenator, nam dum exiguam elargiris stipem, ad spiritualis necessitatis diem reponis thesaurum, quoniam eleemosyna ab omni piaculo liberat, à morte præseruat, & animam æternas ire haud patietur in tenebras. * Dummodò cætera, quæ alibi Scriptura requirit, non omittantur, fides scilicet, pœnitentia, charitas. Sic enim eleemosyna disponit ad mortalium peccatorum veniam, ab eorumdem pœnis liberat, à futuris custodit piaculis, quia maiorem Dei gratiam accessit.] Coram summi Dei tribunali facientibus eleemosynam magna erit fiducia, Meritò enim qui sunt in pauperes misericordes considere possunt, se à Domino misericordiam consecuturos, iuxta illud: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth. 5. Ab omnis fornicationis macula, fili, aufugere inuigila, & propria contentus vxore, alieno nolis thalamo insidiari. Preme patriculas, *Attende tibi ab omni fornicatione, &c., præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* * Sibi ipsi attendit, proprioque inuigilat commodo vel temporario, qui ab omni fornicatione fugit, cum tot tantaque sint voluptates amantium incommoda, mens heberatur, perit valetudo, fama obscuratur, diuitiæ absumuntur.] * Licet autem ab omni fornicatione sit recedendum, præcipuè coniuges nec *scire* debent, *crimen* adulterij posse perpetrari; imò adulterij nomen scire, eis deberet

Quàm prudens quidem valet, ordinat testamentum.

Pius filius nō indiget instrumento, vt patris testamentum mādet executioni.

Patris probi documēta seruare, est magni profectus fundamentum.

Matris nouem mensium sustinentia, filium reddit, ad præstandū ei obsequium omnibus diebus vitæ eius, debitorem.

Pij coniuges qui se inuicē viuētes amarunt, vel in morte separari renuunt.

Ex alienis bonis, pauperi dare, non est eleemosyna, sed rapina.

Dum pauper afficitur, animus afficitur ad ei succurrendum.

Exigua eleemosyna data libenter, pro magna à Deo reputatur.

Quomodo eleemosyna liberat à peccatis.

Suis attendit vel temporarijs commodis, qui à fornicatione fugit.

Coniuges vel adulterij nomen scire non deberent.

beret esse piaculum.] Nunquam, *in sensu*, seu corde tuo permittas dominari superbiam: ex ipsa enim omnis humani generis perditio duxit initium. Testor Adamum boni ac mali scientiam affectantis. * Preme illud, *superbiam nunquam dominari permittas.* Alia vitia animum incunt, vt aliquando seruiant seu auaritiæ, seu voluptati: Superbia autem semper domina mentem ascendit, vt miserum te semper reddat illa mancipium.] Mercenariis tuis statim retribue mercedem, integram vtique, nec apud te particula *omnino* remaneat. Debita enim mercenario vel modicissima portio, & non reddita, facit planè cunctam tuam imminui substantiam.] * Aptiùs posueris, *statim* redde mercedem operario, *&*, seu *vt* apud te non remaneat *omnino*. Nam qui statim debita non soluit, plerumquè assolet *omnino* retinere.] * Pondera verbum, *statim ei mercedem restitue.* Quasi enim mercedem illam ex furto acquisiisses, instat mox restitutio.] At quia vsus est Tobias restitutionis metaphora, Ideò positquam dixit, *statim ei mercedem restitue*, opportunè adiecit: *Et merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.* Nam quod mox post iniustam acceptionem non restituitur, semper iniustè assolet retineri: *Por que se hace carne y sangre.*] Quod tibi ab altero geri renuis, vide, ne tu aliquando alteri geras. * Ex tua enim causa debes colligere, alterum non velle sibi irrogari à te incommodum, quod tibi ab illo irrogatum molestiam afferret.] Panem tuum cum esurientibus partire, eis dando eleemosynam: & tuis nudos tege indumentis. Panem & vinum super *iusti* sepulturam de more constitue: & noli ex eo cum peccatoribus manducare, scilicet eorum peccata tua fouendo eleemosyna. * Vt si fœmina (verbi gratia) subsidia recipiat ad profana indumenta, qua pelliceat ad crimina.] Alioqui omnibus eleemosyna faciendæ est. Porrò olim solebant epulæ sepulchris imponi, vt pauperes & mendici illa erogatione alerentur, & ad preces pro mortuis fundendas posset excitari. * Vt edoceantur, qui oblationes quotidie in Templis accipiunt, ne ingratitudinis incusentur, debere preces pro defunctis offerre.] * Simul inopes stipe donatos admoneo, subsidium accipere esse debere quoddam ad orandum pro largitore incitamentum.] Cur autem Tobias speciatim de iusti sepulchro fuerit locutus? *Panem tuum*, ait, *& vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* Quasi dicat, eius, quem putas in Dei gratia obiisse, in sepulchro oblationem appone, aliis enim non prodest eleemosyna, qui scilicet cum peccato mortali decesserit. * Illa autem particula *Iusti* omnes Dei cultores complectitur, solùm infideles excludit; quia cum nemo sciat sine reuelatione, num quis sit dignus amore, an odio, præsumere debemus, omnes Christicolas in gratia decessisse.] Consilium ô fili, *semper* à sapiente perquire; & nunquam sine consilio arduas res aggrediaris. * Nam vel errata ex consilio vertentur in bonum: & sine consilio vel probè gesta fortasse tibi vertentur in malum.] Perquirendum autem consilium non à quocumque, sed *à sapiente.* * Nec enim insipiens aptum præbebit consilium, quod necessum est ipsi à sapiente quærere.] Deum omni tempore benedicas, ab eo petens, vt vias tuas dignetur dirigere, *& omnia consilia tua in ipso permaneant.* Græcè sic, *Et omnes semitæ tuæ, & consilia tua prosperentur.* * Tunc consilia nostra in Domino permanent, cum nec boni alicuius consequendi desiderio, nec mali imminentis metu à diuinæ voluntatis præscripto discedimus. Hoc autem idem est, ac omnes vias nostras, & consilia nostra prosperari. Dum enim diuinæ hæremus voluntati, Deus de nostra prosperitate curat.]

Superbia semper animum domina ascendit, hominem redditura mancipium.

Debita mercenario modicissima portio, & non reddita, faciet tuam communi substantiam.

Qui statim debita nō soluit, plerumq; assolet omnino retinere.

Vel modico tempore retinere operarij mercedē, quasi furtum est.

Quod statim non restituitur, nunquam restitui assolet.

Quod tibi ab alio geri non vis, ei minimè geras.

Non est danda eleemosyna ad peccandi subsidia.

Clerici, qui mortuorū excipiunt oblata, pro illis exorent.

Pauperes stipe donati, pro largitore profundant.

Præsumere debemus, omnes fideles in gratia decedere.

Vel errata ex consilio in bonum vertuntur, & probè gesta sine consilio gerenti vertuntur in malum.

A sapiente perquirēdum consilium, nō ab insipiente.

Idem est, nos diuinæ voluntatis prescriptus hæresce re, ac cuncta nostra prosperari.

2.

Ad talenta recuperanda iubetur Tobias iunior Rages ire.

Verſ. 21.22.23. *Indico etiam, &c.*] Denique ô fili etiam tibi indicarim, me decem talenta argenti, dum adhuc infantilem gereres ætatem apud Rages Medorum Vrbem Gabelo tradidisse, cuius chirographum apud me habeo. Hæc tua hæreditas, hoc senectutis matris tuæ subsidium, hoc mei adornatio sepulchri. Ideò perquire, quæso, quonammodo ad eum possis pergere, recipiens præfatum argenti pondus, tuum ei chirographum restituas. * O quàm commendabilis hoc ex capite senex! * Prius de informando animo filij salutatibus egit documentis, quàm de repetendo Gabeli debito verba faceret. Quia temporaria cuncta spiritualibus sunt bonis posthabenda.] * Cum autem tot verba circa spiritualia dogmata fecerit, dum de nummis mutuò traditis Gabelo vellet gerere mentionem, his vtitur verbis: *Indico etiam tibi fili mi, dediſſe me decem talenta, &c.* Non præcipit, vt repetat, sed solummodo indicat, quasi nihili temporaria faceret, qui spectaret æterna.] Licet autem ô fili, talenta hæc recuperare non valeas, noli timere: pauperem enim vitam gerimus, sed multis vel temporariis bonis donabimur, si Deum timuerimus, & recedentes ab omni piaculo, recta opera gesserimus. * Dum enim iustus temporariorum bonorum curæ immemor, solum spiritualibus intendit, Deus & temporaria bona ei adiici curat.]

Temporaria cuncta sunt spiritualibus posthabenda.

Nihili temporaria facit, qui spectat æterna.

Dum iustus immemor temporalium bonorum, spiritualibus intendit, Deus & temporaria ei adijci curat.

CAPVT

CAPVT V.

Quærenti Tobiæ iuniori ducem itineris ad Rages Raphaël Angelus occurrit, cui pater committit filium, matre eius absentiam deflente.

1. TVNC respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater. 2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro, ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui. 3. Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet. 4. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt, dum adhuc viuo recipias eam. 5. Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. 6. Et ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis. 7. At ille respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? 8. Cui respondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. 9. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo. 10. Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introiret ad eum. 11. Ingressus itaque salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper. 12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? 13. Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris. 14. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatum Medorum? & cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. 15. Et dixit ei Angelus: Ego ducam & reducam eum ad te. 16. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribus es tu? 17. Cui Raphaël angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? 18. Sed nè fortè sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. 19. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne iratscaris quod voluerim cognoscere genus tuum. 20. Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. 21. Respondens autem Tobias, ait: Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum. 22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul. 23. Cúmque profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. 24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum. 25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum. 26. Dixitque ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. 27. Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. 28. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

COMMENTARII.

1. Raphaël sese offert iuniori Tobiæ itineris Comitem.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Tunc respondit, &c.*] Tobias tunc suo patri respondit: Quæcumque ô pater, mihi tradidisti documenta, executioni dabo. Quod autem adiicis de pecunia à Gabelo recuperanda, nescio, quonammodò exequi valeam. Gabelus enim me filium tuum nescit, egoque illum nunquam à me visum penitus ignoro. Quodnam ei signum exponam, vt me vti ignotum non reiiciat. Imò licet signum exhibeas: quomodo perficiam istam expeditionem, si viam qua ad Rages pergendum sit, omnino non teneo. Dixit illi pater, signum ô fili, tibi euidens, vt non repellaris exhibebo, nam chirographum Gabeli penes me habeo, quod mox ac illi ostenderis, *statim* talenta *restituet.* * Hinc sanctitas Gabeli manifestè probatur, cum agnatum sit debitoribus fero, aut nunquam creditoribus soluere.] * Cur autem

Viri iusti præcul dubio est, statim soluere debitum.

Qui debitum retinet, cùm soluere potest, quasi acquisitum habet ex furto.

vsus est verbo restituendi, si futura erat solutio pecuniæ creditæ, non iniustè ablatæ? Certè quia qui accepit pecuniam reddendam, & non illicò reddit cum potest, quasi furto retinet acquisitâ, vnde non soluenda, sed restituenda aptè dictitatur.] Quia autem cæcus te ducere non possum ad Vrbem Rages, ad te spectabit aliquem fidelem quærere virum, qui, ex assignata iusta mercede, tecum pergat in Mediam: vt dum adhuc ego superstes sum, talenta recipias. Tum egressus Tobias ad forum, vbi mercenarij assolent expectare, vt ad seruilia opera conducantur, inuenit iuuenem elegantem præcinctum seu paratum ad iter peragendum. Ignorans autem; quòd Angelus Dei esset, eum salutare iussit, fatus: Bone adolescens, quæso, te quo ex genere processeris indicare? At ille respondit. Ex filiis Israël me processisse existima.

Angelus custos quasi idē est cum eo, quem custodit.

* An verè potuerit Raphaël dictitare, se è filiis Israël esse? Ita planè, qui custodes Angeli ita cum suis identificantur alumnis, vt idem cum eis prorsus esse videantur.] Nostine (Tobias ait) viam, qua ad Medorum regionem pergendum? Respondit Angelus, noui, cuncta Mediæ itinera, *frequenter* percurri. * Vndenam Raphaëli tam frequens per illa itinera transmeatio? An quia in Medorum Vrbibus captiui Dei serui detinerentur, propriumque sit custodis Angeli solicitè hûc illûc pergere, vt alumnorum causas gerat?] * An quia cum Raphael sit *Dei medicina*, ad loca illa *frequenter* properat, vbi adest laborum ægritudo?] Addit adolescens, Imò si fortè nobilem Hebræum Gabelum nomine nosti, fratrem nostrum, qui in Rages Medorum Vrbe in monte Ecbatanis collocata cómoratur, ego apud illum aliquando mansi.* Quandónam precor Raphaël mãsit apud Gabelẽ? Crediderim Dei medicinã ingressum fuisse domũ Gabeli eũ Tobia seniore, cum argenti talenta illa ei egenti tradidit. Duxit Raphael procul dubio Tobiam ad Gabelum egentem, quia Angeli custodes suis alumnis non solùm spiritualia, sed etiam temporaria curant subsidia prouideri.] Tobias ad hæc: Expecta obsecro, donec patri me possim referre, quæ audiui. * Obediens enim filius ne erroris periculo subiaceret, nihil voluit nisi de parentis consilio peragere.]

Angelus custos solicitè alūni sui causas gerit.

Vbi adest hominum ægritudo laborū, ibi per custodem Angelū præsens est medicina Dei.

Angelus custos suo alumno non solùm spiritualia, sed temporaria etiam subsidia curat prouideri.

Filius, ne errori subiaceat, omnia de parentis consilio gerat.

2. Tobias filiũ Raphaëli ducendum, ac reducendum tradit.

Vers. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Tunc ingressus, &c.*] Tobias igitur domum ingressus patri, quæ sibi acciderant lætus enarrauit; pater verò admiratione affectus, quod tam citò tam aptum comitem filius inuenisset, ei iussit, vt adolescentem rogaret, domum inire. Recurrit itaque Tobias iunior ad adolescentem, ad domum adduxit, illeque ingressus seniorem salutauit, dicens: Gaudium tibi sit semper, ô bone Israëlita. At Tobias, Quale mihi gaudium, sedenti in tenebris, qui lumen cœli, è qua animi hilaritas, aspectare non possum? Cui iuuenis, Forti animo est, *in proximo est*, vt à Deo doneris medicamine. * Nam cum dirius iustus calamitate afficitur, tunc velocior sanitas aduentabit.] Dixitque illi Tobias, Poterisne filium meum in Rages Ciuitatem Mediæ perducere? si placeat tibi hoc iter peragere, condignam mercedem eum rediens exhibebo. Respondit Angelus: eum ad Rages ducam, & ad te reducam incolumen. * Hinc quidem poterat Tobias colligere, inuenem illum non esse mercenarium; nam si vulgaris mercenarius esset & de mercedis quantitate diu pertractaret auarus, & de eius futura exhibitione aut incredulus, aut rusticus addubitaret.] Instat senex, Rogo te bone iuuenis, mihi indices, è qua Hebræorum domo, aut è qua Tribu originem duxeris? Cui Raphaël Angelus respondit: Quidnam refert, quonam ex genere mercenarius sit? annon sufficit scire me id posse opus præstare, ad quod sim conducendus? Sed ne fortè silentium meum te solicitum reddat, *ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* An Angelus mentitus est? Minimè, nam *Azarias diuinum auxilium* significat. Quamquam rectè potuit se appellare Azariam, si Azariæ personam, ac formam præ se ferebat: siquidem Beatissimæ Virginis imago assolet Maria Deipara vocitari. * Illum existima te esse, cuius geris personam. Vnde venerabilis tibi sit non solùm imago cœlicolæ, sed & virorum illustrium imagines veneratione esse debent excitamẽta. Imibi enim Deum, cuius ope viri illi claruerunt, recognoscis. Quæquidem veneratio non debet reuerentiam vbinitatis excedere, altior enim submissio sacris solummodo imaginibus est reseruanda] Præterea verè potuit Angelus dictitare, se Ananiæ magni esse filium. Nam *Ananias Dei gratiam significat.* Angeli verò Dei munere existunt, eumque quasi parentem habent. Tobias respondit, *Ex magno genere es tu.* An senex crediderit, mercenarium verè ex illustri stirpe processisse? * Credidit planè? prudens enim sciebat sæpissimè nobilitatem cum paupertate colligari: imò rarò à Domino nobilitati adiici diuitiarum incrementa. Affatim namque cumulatur à Deo, qui accepit è præclara stirpe procedere.] Parce autem (addit Tobias) ô nobilis adolescens; me genus tuum recognoscere voluisse. Te enim sciens pollere nobilitate, periculum simul de tua facio fidelitate * Nobilibus namque sponsionum est agnata fidelitas.] Dixit verò seni Angelus: Filium tuum ego, vt promisi, ducam, ac reducam incolumen, cœlesti dante Numine. Dixit demum Tobias, Prosperè procedatis, Deo ducatum exhibente, & Angelo eius vobiscum inambulante.* Quàm obnoxius periculis agit iter, qui non curat Deum comitem ádhibere. * Vndè qui expeditionem parat, deberet confessione aut contritione præmunire conscientiam. Varia etenim itineris solent esse discrimina, quæ gratia comite superantur, si vel ipsa nex ex grassatorum vel hostium insidiis, vix iusto potest esse timori.] Prius autem senex dixit: *sit Deus in itinere vestro*, quam adiiceret, *& Angelus eius comitetur vobiscum.* * Quia ægrè custos Angelus viatorem defendit, à quo videt Dominum longè separari.] In Græco adiici scio, mercedem à Tobia fuisse adolescenti constitutam ob filij ductionem, scilicet drachmam, & ad victum necessaria in singulos dies, addita etiam alicuius auctarij promissione; nam ait: *Et adhuc adiiciam tibi super mercedem, si sani reuerteritis. Reuerteritis*, aut *sani*, non *Reuersus fuerit*; curam agens de mercenarij incolumitate æquè ac de sanitate filij. * Nobilium enim est, famulos vti filios habere, eorumque vti filiorum commoda procurare.] Drachma est quarta pars sicli: si sermo esset de siclo aureo, drachma esset aureus nummus vnus ex Hispanicis, quæ summa maior videtur, quam vt pauperi conueniat, præsertim

Velox aduentus sanitas dum iustus diriùs patitur.

Mercenarijs rusticis agnata auaritia in conductionibus.

Venerabiles debent tibi esse virorum illustriū imagines.

Plerumque sanguis illustris cum paupertate colligatur.

Nobilibus est agnata sponsionum fidelitas.

Quàm obnoxius periculis agit iter, qui Deum comitem non adijcit.

Qui expeditionem parat, se confessione, aut contritionis actu munit.

Angelus custos quomodo eum defendat, à quo videt Deum separari.

Nobilium est, famulos vti filios habere,

præsertim cum reliqua ad victum necessaria subministraret; vnde intelligendum de Drachma argentea, quæ vnico Hispanico regali respondet.

3. Proficiscitur Tobiæ filius, mater plorat, & solatio afficitur.

Vers. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. *Tunc paratis, &c.*] Paratis itaque quæ ad viam necessaria vibantur, parenti vtique valedicto, Tobias iunior & socius Angelus perrexére. Mox verò post recessum filij, mater eius cœpit flere, profata: Baculum (proh dolor) senectutis nostræ abstulisti tibi ac mihi immisericors, cum filium iussisti nostro ab aspectu separari. Vtinam non fuisset nobis illa pecuniæ recuperandæ spes: satius enim nobis esset premi paupertate, satis diuites, si filij dilecti conspectu frueremur.

Filij debet esse senum parentum baculus fulciens, non virga percutiens.

* Ediscant hinc filij, se à Deo in senectæ parentum baculum prouideri; baculi ergo fulcientis, sustinentis debent gerere munia, non virgæ. O quot filij è baculo fulcienti, diuerberantem conuertuntur in virgam!] * Aptè illa dicitauit, *Sufficiebat paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.*

Probus filius vel inopis diuitiæ parentis.

Probus enim filius pauperi diuitiæ parenti. Illum prædiuitem parentem puta, qui nato fruitur virtutis alumno; at vel Regem existima pauperem, si nactus est filium vitiis addictum.] Porrò senex, vt coniugem solaretur, aiebat: Noli fletum producere inaniter, incolumis filius noster Gabelum inuisset, & incolumis ad propria reuerteretur, tuoque sistetur aspectui; *oculi tui videbunt illum*, cæcus ego eius vocem exaudiens exultabo. Nec temeraria nitor spe; *credo* enim, Angelum bonum ei itineris comitem adhiberi, vt prosperè omnia in Rages gerat, & alium demum incolumen reducat in patriam. Vndenam hæc seni credulitas? Ex diuinane inspiratione didicerat, Azariam illum Angelum esse? Ita aliquis exponit. * Ast ego putarim, senem ex filij probitate ob patris obedientiam pergentis collegisse, ab Angelo custode specialiter protegendum. Angelus namque qui ob obedientiam homines custodit, eos speciatim diligit alumnos, qui obedientiæ virtute præfulgent.] * Addiderim eis, qui ex parentum aut Præsulum præscripto proficiscuntur, nihil solere incommodi accidere. Vt ediscant Religiosi, qui ex obedientia ab vno ad alium locum pergunt, non ex propria voluntate, cuncta eis prosperè præparanda.] Ad Tobiæ vocem coniux solatio affecta continuit lacrymas, *& tacuit*, * Tam nouum, fœminam querulam de marito, tacere, vt sacer textus non solum flere cessasse Annam, sed & tacuisse asseruerit: *cessauit mater eius flere, & tacuit.*]

Angelus custos eum præcipuè alumnum protegit, quem parenti, aut præsuli videt obedientem.

Omnia prosperè eueniunt Religioso, qui ex obedientia, non ex voluntate propria ab vno in alium locum pergit.

Mirum est, fœminæ querulam de marito tacere.

CAPVT VI.

Insilientem in se piscem Tobias iunior apprehendit, exenterat fel, & recur ad medicamenta seponit, Saram filiam Raguelis petit in coniugem.

1. PROFECTVS est autem Tobias, & canis secutus est eum; & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris. 2. Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. 3. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. 4. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes. 5. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter. 6. Quod cùm fecisset, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via: cætera saliérunt, quæ sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. 7. Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista: quæ de pisce seruare iussisti? 8. Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos. 9. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. 10. Et dixit ei Tobias: Vbi vis vt maneamus; 11. Respondensque Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam. 12. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem. 13. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem. 14. Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos. 15. Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eueniant: & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. 16. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus præualere potest dæmonium. 17. Hi namque, qui coniugium

iugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. 18. Tu autem cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea. 19. Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmonium. 20. Secunda verò nocte, in copulatione ſanctorum Patriarchatum admitteris. 21. Tertia autem nocte benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes. 22. Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.

COMMENTARII.

1. Iunior Tobias ſe inuadentem extrahit ex vndis piſcem cibum, & medicinam.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Profectus, &c.*] Angelo itaque comite profectus eſt Tobias, domeſticus autem *canis eum ſecutus eſt*, fidelis de more animantis, & non ſine diuinæ prouidentiæ diſpoſitione. Nam redeunte Tobia canis erat præceſſurus, vt parentibus expectantibus aduentum iuuenis annunciaret. * Fidelis ſeruí ſolatio tam inuigilans Deus, vt efficiat canem viæ filij comitem, vt velox poſtea valeat præcurrere, & triſtibus filij aduentum indicare.] Exacto verò primi diei itinere, apud hoſpitium, iuxta fluuium Tygris adiacentem, requieuére. Cum autem ex domo, in qua erat pernoctaturus, adhuc luce paululum vigente, exiret, vt pedes fluuij vndis ablueret, piſcis immanis ad illum vorandum ex profundo proſilijt. Crediderim, piſcem hunc fuiſſe Callionymum, (de quo Plin. l. 22. c. 7.) corpore quidem vaſtum, carniuorum, horribilem aſpectu, ac ſerratum dentibus. Tunc Tobias affectus pauore, voce magna clamauit: *Domine, inuadit me*, opem afferas quæſo. Cur mercenarium ſuum Tobias dominum vocitauit? * Quia ex modeſta illius collocatione conceperat, illum eſſe pluſquam vulgari reuerentia dignum.] * Hæris nobilibus ſemper agnatum, fideles famulos honorare.] * Præcipuè famuli, qui ductoris, aut Pedagogi gerunt officium, maiori ſunt reuerentia efferendi. Ille tibi dominus eſt, à quo duceris, vel edoceris.] Et dixit ei Angelus: Apprehende *branchiam* piſcis, & extrahe è flumine. Branchiæ in piſcibus ſunt partes iuxta ceruicem in modum folium hiantes, quibus anhelitum reddere, ac per vices recipere exiſtimantur. Angelico monito animum reſumens adoleſcens piſcem traxit in ripam, & ante pedes eius palpitare in aliena regione cœpit. Tunc dixit Tobiæ Angelus: Gladiolo exenterato piſcem, & cor, fel, ac iecur eius aſſerua; hæc enim ad certa medicamina præparanda ſunt admodum vtilia, & aliquandò erunt neceſſaria. Quod cum Tobias geſſiſſet, corporis piſcis partem prunis addixit nocturnam in cœnam, & proximæ diei in cibum: ſaliens ex reliquis, quæ eis ſufficerent, quo vſque in Rages Medorum peruenirent ad Vrbem. Cur autem Angelus iuſſit Tobiæ exentare piſcem, & non potius ipſe, miniſtri, cuius perſonam gerebat, more exenteraui. * Quia quæ ad noſtram pertinent vtilitatem, noſtra ſunt manu peragenda. Mihi ſpirituale commodum præparatur, & curabo manu aliena adhiberi? Eſſem planè miſeri Epulonis æmulator, qui proptiæ flagrantis linquæ curabat Lazari digito addici refrigerium.] Geſtis hiſce, Tobias rogitauit: Obſecro te Azaria frater, mihi vt exponas, cuinam medicamini præparando apta erunt hæc, quæ de piſce aſſeruari iuſſiſti? queis namque ægritudinibus erunt apta medendis? Porrò Angelus reſpondit: ſi ſuper carbones ignitos cordis, aſſeruati illius apponas particulam, fumus exurgens omne dæmonum genus ſiue à viro, ſiue à fœmina fugat; ita, vt vlterius ad eos non audeant aduentare. Fel apta eſt, ad inungendos oculos ſuffuſos albugine, quo quidem colyri clareſcent. Vndenam fumo illi ad pellendos dæmones efficacia? An fumus ſignum erat temporis, quo dæmon expellebatur, & efficaciæ precum aſcendentium ad Dominum? * Certè fumus ille efficaciam ad id munus ex aſcendentis thuris ſeu orationis Tobiæ fumo capiebat.] Probabile reor, fumum illum efficaciam quandam habuiſſe ab ipſo naturæ Auctore cordi ac iecori piſcis impreſſam, ad dæmones effugandos. Deo ſuperbos ſpiritus rebus corporeis ſubiiciente. * Agnatum enim ſuperbo eſt ſupplicium ad ima deprimi, rebus vilibus ſubiectari.] * Quid muliercula impudica vilius? Videris non ſemel ſuperbiam luxurie vindicari, vt qui ex elatione auolabat ad ſuperos, rebus viliſſimis ſubmittatur.] Porrò ad extergendas albugines nihil magis à medicis celebratum eſt, quàm fel, & inter omnia eius genera maximè commendatur fel Callionymi piſcis, vti ait Valles de ſacra Philoſ. l. 42.

Quàm inuigilans Deus iuſtorum laborantium ſolatio adhibendo.

Orationis fumus effugat Diabolum.

Agnatum ſuperbi ſupplicii rebus vilibus ſubiectari.

Superbia ſupplicium ſolet eſſe luxuria.

Nobilis herus familios honorat.

Pedagogus tutus licèt vilis, tibi ſit dominus.

2. Tobias ab Angelo accipit, quonammodò coniugium cum Raguelis filia gerat incolumis.

Verſ. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Et dixit ei, &c.*] Hæc, iter agentes Tobias & Azarias dictitabant, cum autem ad illam Rages Medorum Vrbem, quæ appellatur Ecbatanis, aduentarent, Tobias Azariæ profatur: Vbinam vis, vt maneamus? Tibi enim ſæpe ad hanc Vrbem ingreſſo aliquod notum erit hoſpitium. Et Angelus reſpondit: Adeſt hac in Vrbe vir Hebræus Raguel nomine tua ortus è Tribu. Hic habet filiam appellatione Saram, vnicam quidem cui neceſſariò paratur hæreditas. Tibi omnis eius ſubſtantia debetur ex lege, oportet que te eam tibi in coniugem propinquiori cæteris colligare. Cautum enim cum lege Moſis ſit, ne extra ſuam Tribum vitos accipiant mulieres paternorum bonorum hæredes, vt hæreditas maneat in familiis proximiori: ob eandem rationem debet nubere Sara filia vnica Raguelis. Pete ergo eam à patre eius, eámque tibi in coniugem aptabit. Cui Tobias, Audiui ô frater, Saram propinquam meam ſeptem viris ſucceſſiuè traditam eſſe in coniugem, cunctóſque à dæmone fuiſſe extinctos mox ac thalamum conarentur aſcendere. Timeo igitur, ne mihi

Quæ ad noſtram ſaluteni attinent, non aliena, ſed propria manu ſunt exercenda.

mihi Saram ducenti in coniugem idem eueniat, & cùm sim parentum vnicus, eos vnico filio orbatos eorum senecturem cum tristitia ad sepulchrum adducam. * O illustre probi filij documentum: Nihil filio magis curandum, quàm placidæ parentum senecturi prouidere: nihilque exerere, è quo eorum senectus patiatur, incommoda, siquidem baculus senectutis parentis est filius.] Porrò causa, quæ vulgò iactabatur, cur dæmon septem illos occidetit viros, in Græco textu habetur: *Quoniam*, (inquit Tobias) *dæmonium diligit illam; quod non nocet cuiquam nisi accedentibus ad eam.* * Nunquam non vulgaris opinio à veritatis aberrat scopo.] Minimè existimandum est, vllum à dæmone cum Sara commercium habitum fuisse, nam & animus puellæ castissimus erat, quod ille oderat, & corpus attingere, à Deo non permittebatur. * Vt temeritatem stultissimæ vulgaris opinionis aduertas. Semper proximi euentus in eorum detorquent iniuriam, cum puellam castissimam iam dæmonis confingit amasiam.] Causa vera occisionis virorum mox profertur ab Angelo Tobiæ respondente: Me audi, & tibi ostendam, quinam sint, quibus valeat dæmon præualere. Super illos nanciscitur diabolus potestatem, qui ineuntes coniugium, Deum omnino sua excludunt è mente præscribentem, quonam affectu sit matrimonij colligãdi: & solùmodo expetũt, effrenatæ inseruire libidini irrationabilium animantum æmulatores. *Sicut equus*, inquit, *& mulus, quibus non est intellectus.* Alludit ad illud Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus &c.* Comparantur aptè intemperantes animantibus hisce, quia admodum hæ bestiæ libidinosæ, ac salaces existunt. * Vt huius vitij pudeat sectatores, qui quidem, dum sectantur libidinem humanam exeunt naturam bestialem prorsus ineuntes.] Si dæmon, ais, *habet potestatem*, super huiusmodi homines, quomodo omnes non occidit? * An quia Deus eorum peccatis irritatus, cursum vitæ, quem eis natura concedit, conficere patitur, vt futurum crimen præterito sit in supplicium? Certè pœna hu-

Nihil gerat filius, è quo parentum senectus incommodum vllũ patiatur.

Opinio vulgaris semper à veritatis scopo aberrat.

Semper opinio vulgi in proximorum iniuriam solet iudicare.

Vitium impudicitiæ homines communicat in bestias.

Diuinus supplicium. quã nex est, permitti peccatorem, alio iusmodi dirior est quàm à diabolo suffocatio.] * An, quia spatium vitæ ad pœnitendum indulgens, innuit, se horribilius vindicaturum cum segniùs expectauit? Quàm verum vulgare illud: *Deus tarditatem supplicij grauitate compensat.* Tu autem ô pudice iuuenis, cum Saram in coniugem acceperis, ingressus cubiculum, haud thalami potire licentia, sed ambo precibus solummodò operam exhibete. * Nec difficilè vacantes orationi à libidine contineri, quia libidinis extinguit faces oratio.] Porrò prima coniugij nocte, incenso corde ac iecore piscis, dæmonium effugabitur. Secunda autem nocte in *copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris*, hoc est, in societatem. Quasi dicat, eris particeps meritorũ, seu sanctitatis Patriarcharum. * Nam qui fugato iam dæmone ac recedente periculo à licitis voluptatibus vitroneus abstinet, adeò sanctus obiicitur, vt valeat eam perfectissimis comparari.] Tertia demum nocte benedictionem à Domino consequeris, vt valeas ex benedictione filios *incolumes* procreare. * Preme quæso particulam, *Benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.* Ad filiorum incolumitatem necessariò parentes à Domino benedici. Nam filij qui ex benedictione non prodeunt, sed ex maledictione fornicationis, aut ex mera libidine, multis postea assolent agitari laboribus, Deo sic vel in parentes vindicante, qui videntes filiorum incommoda, diriter excruciantur.] Cæterùm tertia nocte transacta, virginem cum timore Domini accipies, ductus magis filiorum affectu, quàm libidinis: vt inter filios Abrahæ fœcundissimus sis, & multiplicis prolis consequaris benedictionem. * Vides trium dierum orationem præcessisse, ad consequendam primam matrimonij benedictionem; vt colligas necessarium esse coniugibus continuum orationis exercitamentum ad innumeras, quibus matrimonium eget, benedictiones à Domino impetrandas. Pacem tueri assiduam, parientia donari, vt alter alterius onera portet, &c. multiplicatas Dei benedictiones requirit multis precibus assequendas.]

crimine defœdari.

Deus tarditatem supplicij grauitate compensat.

Oratio libidinis flammas extinguit.

Qui à licitis voluptatibus abstinet, possit cum perfectissimis cõparari.

Filij, qui ex benedictione non nascuntur, sed ex fornicationis maledictione, assolent postea multis incommodis excruciari.

Continuum orationis exercitamentum requirit matrimonij status, ad multiplicia onera comportanda.

CAPVT VII.

Tobias iunior Saram à Raguele sibi in vxorem tradi deposcit, & impetrat, & scriptis coniugij tabulis, nuptiæ celebrantur.

1. INGRESSI sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio. 2. Intuénsque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quàm similis est iuuenis iste consobrino meo. 3. Et cùm hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captiuitate Niniue. 4. Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus. 5. Cúmque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. 6. Et misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans supra collum eius, 7. dixit: Benedictio sit, tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es. 8. Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt. 9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cúmque

horrare

hortaretur eos discumbere ad prandium, 10. Tobias dixit: Hîc ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam. 11. Quo audito verbo, Raguel expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne fortè & huic similiter contingeret: & cum nutaret, & non daret petenti vllum responsum, 12. dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua, propterea alius non potuit habere illam. 13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admiserit. 14. Et credo quoniam ideò fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundùm legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. 15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. 16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugi. 17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. 18. Vocauitque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei vt præpararet alterum cubiculum. 19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est. 20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

COMMENTARII.

1. Iunior Tobias ad domum Raguelis ingressus agnoscitur ab auunculo, & cum gaudio suscipitur.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Ingressi, &c.*] Instructus itaque Tobias Angeli monito, ipso comite domũ est Raguelis ingressus, piusque Hebræus vt ex salutatione Hebræos esse dignouit eos cum gaudio suscepit. * Vt Christicolæ edoceantur, peregrinos solo ex communis Religionis titulo cum exultatione esse excipiendos.] Cum autem Raguel attentè Tobiam intueretur, Annæ dixit vxori: O quàm similis est iuuenis hic consobrino meo! *Consobrini* sunt duarum sororum filij, vt *patrueles* filij duorum fratrum. Addidit Raguel, Iuuenes fratres nostri, siue ex Hebræo genere orti, quæso indicetis mihi, *vndenam estis?* At illi dixere: Ex Tribu Nephthali sumus, orti à parentibus, qui captiui apud Niniue commorantur. * Quonammodò Raphaël potuit asserere, se ex Nephthali processisse? Certè Angelus custos ita se suo alumno similem profitetur, vt eandem essentiam induere videatur.] Raguel verò, Nostisne (ait) Tobiam fratrem seu consobrinum meum? Qui responderunt, Nouimus. Postquam autem de eius pietate, ac sanctitudine ex cæcitatis patientia longum sermonem texuissent, dixit Angelus Rageli: scito, illum Tobiam nobilem senem, de quo interrogasti & tot pietatis documenta nostro ex ore exaudisti, huius adolescentis esse parentem. Tunc Raguel *misit se* (Græcè *prosiluit.*) & obortis lætitiæ lacrymis, eum est osculatus, & suprà collum eius teneriorem adhuc exponens ex abundantia lacrymarum affectum, ait: *Benedictio* tibi à Domino fili mi, quia *boni, & optimi* viri *filius es.* Non dixit, Benedictus à Domino sis, sed *Benedictio sit tibi*, quia *boni & optimi* parentis es filius. * Vt innuat, filios minore, aut maiore Dei benedictione donari iuxta minorem aut maiorem parentum sanctitatem. Filius *boni* parentis à Domino cõmuniter benedicitur; at filius *optimi*, præcelsiori benedictione donatur: filius verò *boni & optimi* quasi totam Dei acquirit benedictionem, *Benedictio sit tibi.*] Verùm Anna Raguelis vxor, & Sara eorum filia, hisce auditis lætitiæ lacrymas simul profuderunt.

Angelus custos quasi eãdem essentiam alumni sui induit.

Iuxta parentum sanctitatem filij à Deo præcelsiorem accipiunt benedictionem.

Vers. 9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20. 2. *Postquam autem &c.*] Post initum itaque colloquium eiusmodi, Raguël præcepit arietem occidi, conuiuiumque apparari. Cumque Raguel suos hospites consultò renitentes conuiuali mense hæresce re hortaretur, Tobias iam à comite instructus ait: Tuo hodie conuiuio non fruar, nisi prius meæ annueris petitioni. Saram namque filiam tuam mihi expeto, non vt digno, sed vt propinquiori in coniugem aptari. Qua petitione audita Raguel pauore correptus est, memor tragici euentus septem virorum, qui plus dantes libidinis, quàm prolis affectui, eius ascendere curarunt ad thalamum: & timere cœpit, ne Tobiæ idem obueniret incommodum: cumque nutaret, & nullum petenti responsum exhiberet, dixit ei Angelus: Noli timere huic filiam tuam adolescenti coniugem colligare, *quoniam huic timenti Deum debetur coninx filia tua*, id est, quoniam & timens Deum thorum ascendet fœtus amore non solius voluptatis affectu: & propinquior cum sit, ei Sara aptari. Debetur in coniugem. * Vel dixeris, Tobiæ Deum timenti debetur sanctæ puellæ coniugium. Dum ergo Deus debitum iusto soluit, nulla supplicij debet esse formido.] Non dubito quin Dei timor in iuuene ad sanctum placidumque coniugium fit præparatio.] Certè quia Tobiæ propinquiori ac Deum timenti tua filia debebatur, noluit Deus alij coniugi aptari, cœlestis enim Iudex quonammodò poterat, quod alienum erat extraneo domino adiudicare: Tunc Raguel respondit: Fateor ingenuè ô iuuenis, me verba tua animo quiotem reddidisse, nec dubito, meas lacrymas in Domini esse admissas aspectu. Imò crediderim, ideò vos, ducente Domino, ad me ventitasse, vt filia mea propinquo suo iuxta Mosis præscriptum coniux alligaretur; ideò ô Tobia non dubites, quin tibi Sara sit charissima, sit tradenda in vxorem. Hinc colligo priores illos septem viros ad Raguelis non pertinuisse cognationem? difficilè enim admodum captiuitatis tempore inter eiusdem Tribus personas colligare connubia

2. Petenti Tobiæ vxor Sara à Raguele conceditur, coniugium initur.

Adolescenti timenti Deũ quasi debetur sancta coniux.

nubia, cùm essent permixti, & confusi variisque locis distracti. Nec erat necesse, cessabat enim omnino legis ratio, quæ institutra fuerat, ne sortes, ac hæreditates miscerentur, quæ ratio in iis, qui degebant in captiuitate, locum non habebat. Addo, eos fuisse pauperes, nec nisi rerum mobilium habuisse possessionem, vt coniicio ex iis, quæ in dote Saræ annumerantur. Apprehendens itaque Raguel Saræ dexteram dexteræ Tobiæ innexuit, profatus: Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Iacob vobiscum adsit, ipse *coniungat vos* mutuò in ipsum timore, suamque benedictionem in vos plenam profundat. * Verùm non omnes coniuges Deus coniungit, ideóque post coniugium multi diuisi manent. Illi coniunguntur à Domino minimè diuidendi, qui timoris Domini vinculo colligantur. Certè coniugum concordia ex eorum virtute procedit.] Ad hæc, accepta charta, coniugij gesserè conscriptionem. Postmodum verò epulati sunt Deum *benedicentes*, de inito scilicet ex eius prouidentia coniugio, Aut certè illud, *Benedicentes Deum*, conditionem conuiuij iustorum significat. * Quasi dicat sacer Historicus, nihil fuit in conuiuio à Dei timore alienum; sed honesta tantum hilaritas, ac honesta lætitia.] * Hac quidem conditione in conuiuiis asseruata Deus benedicitur. Immodesta verò hilaritas, ac inhonesta lætitia in Deum maledictiones imprecatur.] Postmodum Raguel Annam vxorem suam ad se vocitans ei præcepit (* Mariti est præcipere, vxoris obedire.) vt alterum cubiculum diuersum scilicet ab eo, in quo prius Sara cubuerat, cum ad ipsam septem illi accederent, præpararet; ne locus toties cruentatus à dæmone coniugibus sanctis esset horrori. * Horribilis debet esse homini locus, qui humano fuerit sanguine cruentatus.] * Et quia Dei seruus ab eis locis debet recedere, vbi alij sunt experti pericula.] * Præcipuè Ragueli cubiculum illud apparuit inuisum, quia fuerat septem coniugum libidine maculatum. Vtediscas ab eis locis speciatim tibi fugiendum, vbi aliquādo impudicitia locum obtinuit.] Cæterùm Raguel in nouum apparatum cubiculum Saram filiam suam introduxit, quæ *lacrymata est* ob memoriam necium præteritarum ac futuræ metum. * Nec enim fœmineæ infirmitatis est timere, vbi tot suppetunt documenta timoris: imò non timere potius esset temerarij animi documentum.] Dixítque ei pater: Noli timere filia, forti animo esto, Dominus cœli te gaudio donet, *pro tædio, quod perpessa es.* * Si quidem, quàm affici tædio futuræ proximæ lætitiæ solet esse præsagium.]

Coniuges, quos Dei timor non vnit, & post vniuersum coniugiū diuisi manent.

Coniuuij iustorum conditio, casta hilaritas, modesta lætitia.

Deum maledicit, qui conuiuium gerit immodesta lætitia.

Mariti est præcipere, vxoris obedire.

Horribilis sit homini locus, qui fuerit humano sanguine cruentatus.

Locum fuge, in quo alius expertus est periculum.

Inuisa tibi sit impudicorum domus.

Non est infirmitatis, timere, vbi suppetunt causa timoris.

Affici tædio, solet esse præsagium.

CAPVT VIII.

Iecore piscis à Tobia prunis imposito, Asmodeus fugatur. Tobias cum Sara nuptias consummat, & hæres omnium bonorum Raguelis scribitur.

1. POSTQVAM verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam. 2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuítque eam super carbones viuos. 3. Tunc Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixítque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundùm cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. 5. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. 6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis. 7. Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terræ, maréque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistíque ei adiutorium Heuam. 9. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. 10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & conseneſcamus ambo pariter sani. 11. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter vt foderent sepulchrum. 12. Dicebat enim: Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam. 13. Cúmque parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei: 14. Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies. 15. At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes, secum pariter dormientes. 16. Et reuersa, nuntiauit bonum nuncium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius, & dixerunt: 17. Benedici-

mus te Domine Deus Israël, quia non contigit quemadmodum putabamus. 18. Feciſti enim nobiſcum miſericordiam tuam, & excluſiſti à duobus inimicum perſequentem nos. 19. Miſertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: & ſacrificium tibi laudis tuæ & ſuæ ſanitatis offerre, vt cognoſcat vniuerſitas gentium, quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra. 20. Statimque præcepit ſeruis ſuis Raguel, vt replerent foſſam, quam fecerant, priuſquam eluceſceret. 21. Vxori autem ſuæ dixit vt inſtrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus neceſſaria. 22. Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſque amicis. 23. Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud ſe. 24. De omnibus autem, quæ poſſidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia quæ ſupererat: poſt obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

COMMENTARII.

I. Tobias ad Saram coniugem introducitur.

VERS. 1.2.3.4.5. *Poſtquam, &c.*] Igitur poſtquam Tobias cum Raguele & Anna epulatus eſt, eum ſoceri introduxére ad Virginem iam cubiculo incluſam, quæ quidem non interetat prandio ſtudioſa modeſtiæ. Prius enim virgo tradenda eſt ſponſo quàm cum illo commercium vllum habere videatur.] Ingreſſus autem Tobias cubile, vbi Sara thalamo adiacebat, memor ſermonum Angeli, de *caſſidili* ſuo, ſeu pera, vel ſacculo iecoris particulam. (Porrò cordis tantum fuerat prius facta mentio, nunc additur iecur, haud cordis acta mentione, vt ſignificetur, vtrumque fuiſſe adhibitum.) Eamque ſuprà carbones ignitos appoſuit. Tunc Raphaël Angelus dæmonium *apprehendit* non manibus in aſſumpto illo corpore, ſed virtute, imperióque ſuo, (quæ vincula ſpiritualia ſunt; ſicut & ſpiritualis fuit apprehenſio) & illud in deſerto ſuperioris Ægypti religauit, ſeu illi ſitui addixit, ne amplius Saræ thalamum cruentaret. * Angeli cuſtodis officium eſt, diabolum religare, ne noceat alumno.] Fumo quidem iecoris effugatus dæmon ab Angelo religatus eſt, ne rediret. Non ſufficit, à ſe ſemel dæmonem expuliſſe, muſcæ enim in morem ad Belzebub Principis muſcarum ditionem attinens reddit importunus.] Si dæmonium ab Angelo religandum erat, quid neceſſum fuit, ignitis carbonibus iecoris particulam addicere? * Vt edoceamur, non omne ſaluris noſtræ negotium miniſterio Angelico remittendum, ſed è noſtro aliquid penu addendum eſſe. Ope cuſtodis Cœlicolæ potiemur, ſi ſimul operari nitamur.] Tunc virgini Tobias hortator ait: Sara, è lectulo exurge, & Deum hodie, ac duplici ſequenti die deprecemur: his namque tribus noctibus nos oportet Domino orationis exercitamento iungi prius quàm ipſi coniungamur. O quàm impiè coniuges colligantur, qui non prius curant (ſi peccato defœdantur lethali) Deo coniugi.] * *Exurge* ait, à lectulo, vt oremus. Nec enim in lectulo iacentis habitus aptus ad preces profundendas. Reuerentia enim mentis & corporis decet orationem.] Tertia autem (addit Tobias) tranſacta nocte, in noſtro coniugio erimus. Nam cum filij ſanctorum ſimus, haud poſſumus ſalua pietate, coniungi vti gentes, quæ Deum non norunt, ſolummodò ſcilicet voluptati brutali ſtudentes. * *Filij*, inquam, *ſanctorum*, ſeu fidelium ſumus, (non gentilium) quos vrget præmiſſis precibus inire coniugium. Quaſi gentiles ſunt, qui Chriſticolæ ſine reſpectu ad ſuperos coniugij ſe dedunt voluptatibus.]

Virgo prius tradenda eſt ſponſo vxor, quàm vllum cum eo commercium habeat.

Angeli cuſtodis officium eſt, diabolum religare, ne noceat.

Non ſufficit, ſemel dæmonem effugare, redit enim importunus.

Non omne ſaluris noſtræ negotium cuſtodi Angelo committendum, aliquid debemus ſimul operari.

Non aptus ad orationem habitus, in lectulo iacere, cum non grauaris ægritudine.

Verſ. 6.7.8.9.10. *Surgentes, &c.*] Sara itaque è lectulo exurgente, ambo *ſimul* orabant, vt eis ſanitas, ſeu incolumitas à Domino daretur, ne dæmonis vulneri ſubiacerent. * Nam ſi Tobias ab illo percuteretur, Sara non poſſet à vulnere animi liberari. Dum enim corpus amati patitur, cor amantis tranſfigitur. Ideò ſacer textus ait: *Orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis.*] Hinc Deiparæ ditum vulnus ediſco animo inflictum, cum Natum dilectiſſimum vidit in corpore vulnerari.] *Orabant ambo ſimul*, vt moneamur, plurium preces velociùs aſcendere ad ſuperos, efficacius impetrare.] Dixit autem Tobias: Domine Deus patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Iacob, te cœli, terræ, mare, fontes, flumina, cunctæque in eis morantes creaturæ tuæ te benedicant. * Dum creaturarum rerum irrationalium pulchritudo ratione pollentibus ad perpetuas Dei laudes materiam exhibent.] Tu Adamum terræ è limo formaſti, eique Heuam adiutorium ſimile prouidiſti, qui quidem iuxta voluntatem tuam ad generis humani multiplicationem coniugij vſi ſunt iure, non vt indulgerent voluptati. Verùm ô Domine, tu ſcis, quod prothoplaſtorum imitator, non luxuriei cauſa *ſororem* ſeu propinquam meam in vxorem accipio; ſed ſola ex poſteritatis dilectione, in qua nomen tuum queat perpetuò benedici. Interim Sara profabatur: Miſerere nobis Domine, miſerere precantibus, vt ambo ſani vſque ad ſenectam valeamus perſiſtere, *ſani* ſcilicet & mente, & corpore, quæ ſunt omnium bonorum, quæ ex coniugio ſperantur, fundamenta. * Quid proſunt diuitiæ, & corporalis ſanitas, ſi animus ægrotat? Quid proſunt diuitiæ, ſi corpus ægritudine cruciatur. Quid proficit vni coniugi vſque ad ſenectam eſſe ſuperſtitem, ſi altero obeunte, ſenectus viduo ſit morte moleſtior? Ideò prudens Sara petit animi & corporis ſanitatem vſque ad amborum ſenectutem: *Conſeneſcamus ambo pariter ſani.*]

Quaſi gentilis eſt Chriſticola, qui ſine reſpectu ad Deum, ſe coniugij dat voluptati.

2. Oratio Tobiæ, & Saræ.

Dum amatus in corpore patitur, amàs ſauciatur in mente.

Vulnus Deiparæ cum vidit Filiũ vulneratum.

Oratio communitatis velociùs aſcendit, efficacius impetrat.

Creaturæ irrationales Deum laudant, dum nobis exhibent laudandi materiam.

Felicis coniugij fundamenta ſunt, animi & corporis ſanitas vſque ad vtriuſque coniugis ſenectutem.

Verſ. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Et factum eſt, &c.*] Poſtquam verò operam precibus humiliter, & affectuosè exhibuere prima illa nocte, thalamum ſcanderunt vti in morem fratris

tris & sororis summo indulgerent, minimè voluptati. Porrò circa pullorum cantum nempe post noctis medium Raguel suos aduocat famulos, qui cum Domino abierunt, vt Sepulchrum infoderent. Dicebat enim; Vereor, ne Tobiæ simile sit à dæmone vulnus inflictum, ac septem viris, qui ad Saram miseri fuerunt ingressi, & ideò oportet apparari sepulchrum, vt opprobrij mei productionem valeat terra operire. Fossa verò apparata, reuersus Raguel ad Annam coniugem suam, Mitte (ait) vnam ex ancillis tuis, & videat, num miser iuuenis fuerit suffocatus, vt eius cadauer telluri tradam antequam dies illucescat. Missa itaque ancilla cubiculum iniit formidine plena, sed mox timore locum lætitiæ exhibente, eos vidit incolumes eodem in thalamo *dormientes*. Reuersa autem ancilla *bonum nuncium* retulit. * Mirum planè, ancillæ, seu famulæ ex ore bonum ad dominos nuncium afferri, cum illis sit agnatum, ea hæris nunciare, quæ pacem exturbent, & amaritudini rixarum locum exhibeant.] Audientes verò Raguel & Anna vxor eius benedicentes Dominum huiusmodi verba protulerunt: Te ô Domine Deus Israël benedicimus, quia genero non accidit, quod pressi sollicitudine ob præterlapsa funera, timebamus. Nos tua miseratio protexit, à nobis inimicum nos persequendem ablegando. Misertus es autem *duobus vnicis*, vt frater noster Tobias eiusque coniux suo fruantur vnico filio, & nos simul nostra filia vnica potiamur. * Certè vnicum esse, siue orphanum, efficax ad impetrandum à Deo beneficium est titulus. Ideò Dauid *Quia vnicum sum ego.*] Ne autem ob ingratitudinem tuis se beneficiis reddant indignos, fac speciali auxilio, eos plenius te benedicere: & tibi sacrificium *laudis tuæ, & suæ sanitatis* offerre: vt gentium vniuersitas dignoscat, ad imperium tuum omnem terricolarum pertinere ditionem. Illud adnota, *Et sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre.* * Duplex Saræ parentes curant sacrificium Domino præparari, & laudis, & coniugum sanitatis. Quia sine respectu ad beneficium acceptum, seu recipiendum laudandus est Dominus: & quia acceptum est, specialia sunt libamina offerenda.] Vt autem illi post acceptum beneficium *plenius* Deum benedicerent, specialissimo à Deo indigebant auxilio. Ideò precantur parentes: *Fac, eos Domine, plenius benedicere te.* Quia post acceptum beneficium agnatum est homini, id obliuioni tradere. Vnde non solùm *plenius*, imò nec plenè laudant.] Igitur Raguel statim suis seruis iussit, vt prius quàm eluceseeret, replerent humo fossam, quam Tobiæ cadaueri præparauerant.

Mirum est, ab ancillis bonum nuncium dominis afferri.

Vnicum seu orphanum esse efficax est titulus, vt Deus misereatur.

Duplex sacrificium gratiarum actionis Domino ob beneficia quæque præparandum.

Post acceptum beneficium, agnatum est homini, id obliuisci.

Verſ. 21.22.23.24. *Vxori autem, &c.* Verùm triplici nocte transacta, iuxtà Angeli monitum modestissimus adolescens suæ hæsit vxori, Raguel autem post trium dierum de incolumitate generi experimentum, suæ imperauit vxori, vt conuiuium nuptiale instrueret, & postmodùm appararet omnia, quæ essent iter agentibus necessaria. Non est sermo de reditu ad Niniuem, sed de profectione ad Gabelum exigendæ causa pecuniæ. Iam enim socero suo Tobias dixerat, se ea gratia venisse. Duas quoque pingues vaccas, quatuorque occidi fecit arietes, vt omnibus vicinis suis, cunctisque amicis epulæ parentur. Est qui asserat, *vicinorum* vocabulo pauperes designari. * Quàm pium, quàm gratum Numini cœlesti conuiuium, vbi non solùm propinqui & amici, sed & pauperes aduocantur.] Porrò *amici* possunt è domo nostra alio in vico remoti: at *vicini* apud nos commorantur, inopes in epulis nostris primum locum acquirere debet. Ideò primum apponitur vicinus, quam amicus: Fecit parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis.] Cæterum post conuiuium nuptiale celebratum adiurauit Raguel Tobiam, vt apud se vna & altera hebdomade commoraretur. Duplicata enim lætitia nuptiarum, & expulsi dæmonis tempus etiam exultationis duplicari suasit, quod alioqui septem tantùm dierum esse solebat. Gen. 29. 27. * Quàm aptè expulsi dæmonis lætitia cum nuptiarum ingenti exultatione æquiparatur: supremum enim homini gaudium debet esse, confessionis dies, quo diabolus ab animo deturbatur.] Verùm ne Sara indotata abscederet, de omnibus, quæ Raguel possidebat, dimidiam partem Tobiæ pronus exposuit, facta scriptura, vt pars dimidia quæ superesset, post Raguelis ac Annæ obitum Tobiæ dominio adscriberetur. * Prudenter Raguel victui sufficientia bona reseruat nec totam genero tradit substantiam, Nam liceet Tobias recessurus ad parentes non fuisset, rarus est gener, qui memor acceptæ dotis soceris abundè succurrat egentibus.]

3. Nuptiale apparatur conuiuium, dos Saræ assignatur.

Gratum Deo conuiuium, vbi non solùm amici, sed & pauperes epulantur.

Pauperes vicini sunt nostri, ideò in conuiuio primum locum gerere debent.

Supremum homini gaudium debet esse confessionis dies, quo dæmon ab animo deturbatur.

Rarus est gener, qui socerus egentibus abundè succurrat.

CAPVT IX.

Rogatu Tobiæ Raphaël pergit ad Gabelum, & pecunia recepta eundem secum adducit ad Tobiæ nuptias, quibus ille benedicit.

1. VNC vocauit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat: dixítque ei: Azaria frater, peto vt auscultes verba mea. 2. Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. 3. Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia, siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddásque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas. 4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: & si tardauero vna die plus, contristatur anima eius. 5. Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum. 6. Tunc Raphaël assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, reddit ei chirographum suum, & recepit ab eo, omnem pecuniam. 7. Indicauítque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta sunt: fecítque eum secum venire ad nuptias. 8. Cúmque ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem: & exiliens, osculati sunt se inuicem: & fleuit Gabelus, benedixítque Deum, 9. & dixit: Benedicat te Deus Israël, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis: & dicatur Benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros: 11. & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, vsque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum à Deo Israël, qui regnat in sæcula sæculorum. 12. Cúmque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad conuiuium: sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

COMMENTARII.

1. Angelus rogatus à Tobia pergit ad aliam Ciuitatem Rages, vt repetat à Gabelo pecuniam.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Tunc vocauit, &c.*] Dum apparantur nuptiæ, vt adiuratus à Raguele Tobias posset apud eum vna & altera hebdomade commorari, Angelum, quem hominem esse existimabat, ad se accessit, eique profatur: Azaria frater, postulo à te vt verba mea dignetis exaudire. Fratrem appellat propter Israëlitici sanguinis communionem; non enim illum hominem solummodò esse credebat, sed putabat Hebræum. * Profectò si Raphaël se *Ananiæ magni* siue Dei filium verè esse dicebat, iusti viri frater veraciter appellatur, Angelus enim & homo iustus ex communi parente Deo feliciter oriuntur.] Si me (inquit) tibi ô Azaria, seruum mancipari curauero, inæqualis tuæ prouidentiæ merces existet. Licèt autem me tibi adeò obæratum esse videam, vt minimè valeam ab ingratitudinis nota liberari; tamẽ adhuc necessariũ est mihi, multiplicare debitum. * Sciens, animũ nobilem tunc recuperare, debita sibi credere, cum noua adiicit beneficia.] Te itaque obsecro animália in itineris seruitium assumere, & ad Gabelum apud alteram Rages Mediæ Vrbem commorantem proficiscaris, suum ei chirographum reddes, ab eoque pecuniam recipies, rogans, vti præsentia sua velit propinqui nuptias honorare. Ideò autem te rogaui vt ad Rages pergas, meoque nomine Gabelum inuisas, quia iam tibi constat, patrem meum annumerare dies; & si plus vna die tardauero, eius animus ingenti mœrore afficietur. Cum autem tibi etiam constet, me simul à Raguele fuisse adiuratum, vt vna & altera hebdomade apud eum maneam, eius adiuramentum spernere non possum, vnde necessum est, te ad Gabelum properare. * Cur non addidit Tobias, scis ipse, quoniam numerat mater mea dies, sicut dixit, *Quoniam numerat pater meus dies?* Quia maternus affectus non dies, instantia, seu momenta annumerat, cum filij absentiam lamentatur. Vt hinc Deiparentis mœstitiam liceat vestigare, quando puero Iesu triduo illo se vidit orbatam.] * Tenerior planè est matris quàm patris erga filium affectus. Ideò necessarium non erat, Tobiam matris solicitudinem explicare, quæ quidem iam supponebatur.] Tunc Raphaël quatuor ex seruis Raguelis assumens, ac duos camelos, qui vsui futuri erant, alter Raphaëli humanum habitum simulanti, alter verò Gabelo, ac pecuniis deferendis, in Rages Medorum Ciuitatem profectus est, Gabelum inuenit, reddidit ei suum chirographum, & omnem ab eo pecuniam recepit. * Ô quàm facilia Angelo cuncta! *Ad ciuitatem Rages perrexit, inueniens*

Angeli & homines iusti fratres sunt, Deo parente.

Deiparentis tristitia cum triduo illo se puero Iesu vidit orbatam.

Tenerior matris, quàm patris in filios affectus.

Cuncta Angelo custodi facilia, in alumni sui beneficium.

niens Gabelum reddidit ei chirographum suum, & recepit omnem pecuniam. Vt possit illud cæsarium iactitare, *Veni, vidi, vici.*]

2. Raphaël recuperata pecunia Gabelum ad Tobiæ nuptias addueit.

Pij animi est, facilè ad propinquorũ honorem deferri.

Quàm pium se ostendit esse, qui facilè debitam solvit pecuniam.

Vt debita solvant aliqui, vix Angelica sufficeret exactio.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Indicauitque ei, &c.] Post acceptum pecuniam, Angelus Gabelum de cunctis, quæ Tobiæ iuniori acciderant, fecit certiorem, eumque adhortatus, vt ad nuptiarum propinquicelebrationem aduẽtaret, impetrauit, vt protinus alacer deueniret. * Pij enim animi est, ad honorandos propinquos facilè deferri.] * Vndenam autem colligendum Gabelum pietate pollere? Cettè quod sine cunctatione pecuniam creditam exposuerit, quæ ab aliis vix potest multiplicata exactione recuperari.] * Nisi dixeris, ideò facilè fuisse recuperata talenta illa, quia Angeli præsentia exactoris efficacis gessit officium. Magna reddendi debita difficultas; quæ vt emolliatur Angelica indiget exactione. Crediderim, hodie ab aliquibus vel Angelis debitum abnegandum.] Raphaele igitur comite, Gabelus ad Raguelis domum aduenerat, Tobiamque inuenit discumbentem; quo exiliente, se inuicem osculati sunt. Fleuit autem Gabelus lætitiæ ex affectu Dominúmque exultans benedixit: Te (inquit ô iuuenis, Dominus Deus Israël larga donet benedictione, quia virum optimum, iustum, Deum timentem ac facientem eleemosynas es sortitus: & vxori tuæ, ac vtriusque coniugis parentibus bene omnes precentur: & filios vestros ac nepotes vsque in tertiam ac quartam generationem alac res videatis: posteritasque vestra à Deo Israël qui regnat in sæcula, benedictionibus oppleatur. * Pondera quæso verba illa: *Benedicat te Deus Israël, qui filius es optimi viri*: Iusti enim parentis respectu filius cœlestem acquirit benedictionem, vt felicitate potiatur.] * Addit Gabelus, *Quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum.* Cur sanctitatem Tobiæ senioris tot sinonimis verbis exponit, si sufficiebat dicere, *Quia filius es optimi viri.* Certè quia adiecit, *& eleemosynas facientis.* Faciens namque eleemosynas pletumque tanta poller sanctitate, vt vix possit vno vocabulo declarari.] * Vnde Dominus nouissima die solius eleemosynæ memoriam aget, vt sanctas ad cœlestia Regna aduocet; quia gessisse eleemosynam idem videtur esse ac ommimoda sanctitudine floruisse.] * Illud etiam adnota: *Videatis filios, &c. vsque in tertiam, & quartam generationem.* Viderunt verò vsque ad quintam, vt patet ex cap. 14. n. 15. Tam largus Deus ad munerandam parentum iustitiam in filiis, vt vel affectuosam hominum exaggerationem supergredi videatur.] Cumque demum omnes respondissent, *Amen*, accessere *ad conuiuium*, quod interim dum colloquerentur, paratum est hospiti. *Sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant*, id est, aduentante nuptialis epuli occasione, ei ita interfuere pij Israëlitæ, vt nihil in eo esset à Dei timore alienum. * Vt hinc subtaxentur mundialia conuiuia, vbi noxiæ saturitati, ac ebrietati haenæ laxantur, & simul cum cibis proximorum fama corroditur.]

Iusti parentis respectu filius cœlesti donatur benedictione.

Gerens eleemosynam plerumque omnimoda sanctitate pollet.

Vt Christus ostendat, diuas cũctis virtutibus floruisse, indicat fuisse eleemosynarios.

Tam largus Deus, in munerando parentum iustitiam in filijs, vt vel affectuosa desideria superet.

Taxantur sine Dei timore conuiuia.

CAPVT X.

Ob diuturnam filij absentiam Tobiæ parentes contristantur. Raguel generum cum vxore ac dimidia parte bonorum dimittit. Sara officium honestæ matrisfamilias edocetur.

1. CVM verò moras faceret Tobias, causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? 2. Putásne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam? 3. Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna vxor eius cum eo, & cœperunt ambo simul flere: eò quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos. 4. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu, heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. 6. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: saris fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. 7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem. 8. At verò Raguel dicebat ad generum suum: Manè hîc, & ego mittam nuncium salutis de te ad Tobiam patrem tuum. 9. Cui Tobias ait: Ego noui, quia pater meus & mater mea modò dies computant, & erúciatur spiritus eorum in ipsis. 10. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione, vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecunia multa: & saluum atque gaudentem dimisit eum à se. 11. Dicens: Angelus Dominí sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, &

inueniatis omnia rectè circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros priusquam moriar. 12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: 13. monentes eam honorare socrum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere.

1. Parentum Tobiæ ob filij moram sollicitudo.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Cum verò, &c.*] Profectò cum Tobias iunior causa nuptiarum & soceri adiurationis vt duplici apud Rages hebdommade remaneret, moras longiores faceret: pater eius sollicitudine afficiebatur, Annæ dicens vxori: An tuam venit in mentem, quanam de causa filij nostri retardatur aspectus? cur inibi moratur? Num forte Gabelus obierit, & *nemo* illi *reddet pecuniam*? Num non ab hæredibus reddetur, licet ille non extet? Annon proximus morti tibi reddi imperarit: Certè rarus est hæres, qui demortua parentis debita soluat. Vnde appositè Tobias, *Putasne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam?*] * Vnde periculosè differtur ad testamentum pecuniæ ablatæ, aut mutuò acceptæ restitutio.] Verum senex cœpit nimium cogitatione huiusmodi contristari, Anna comite: amboque lacrymarum voce cordis mœrorem exponebant, quod die statuta filius non fuisset reuersus. Irremediabilibus igitur lacrymis Anna flebat, affata: *Heu* me fili mi, *heu*, vt quid te peregrinari immisimus nostrorum *lumen* oculorum, vt perpetua afficeremur cœcitate? *baculum* senectutis nostræ, vt nostra corrueret senilis infirmitas? *solatium* vitæ nostræ, vt mœstitudine obruti deperiremus? nostræ *spem* posteritatis, vt simul cum germine nobilis nostræ stirpis radix exsiccaretur. Nullatenus debuimus cuncta *in te vno* habentes, à nobis dimittere recepturus pecuniam. * Nec enim id, quod est totum est pro minimo commutandum. O quotiens homo stultissimus planè, vt pecuniam paruam acquirat iniustè, contemnit totum, id est, Dominum amissionis discrimini exponere. *Omnia simul* ô Domine *in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.*] Cui Tobias ad inusitata ex cœcitate pronior, dicebat: Noli conqueri vlteriùs, teque à perturbatione hæc immunem cogitatio reddat: Sanus est filius noster. Satis enim fidelem reor esse virum illum, cum quo eum remisimus. *. Vndenam cœcus Tobias colligere potuit virtutem illius fidelitatem, vt assereret: *Satis fidelis est vir ille?* Non ex faciei modestia, & ingenuitate, quam videre non poterat, quam probabiliter coniiceret, si videret. Assolet enim modesta pulchritudo veritatem, fidelitatémque animi obfirmare?] * An collegerit, ex sermone? Certè lingua verus cordis assolet esse testis, animique fidelis aut fallacis occulta manifestat. Ex præcordiorum enim os loquitur abundantia.] * Crediderim tamen Tobiam sibi persuasisse virum illum *satis* esse fidelem, vel quia Angelum iudicarit esse custodem; vel quia agnatum est iustis, de nullius iustitia dubitare.] Anna autem nullatenus poterat solatium admittere, sed quotidie *exilens* seu è domo recedés ex editis locis circūspiciebat, illasque satagebat inire vias, per quas putabat filium potuisse redditum reparare, vt procul, si posset, eū ventitantē aspiceret.

Rarus est hæres, qui parentis mortui debita soluat.

Periculosè differtur ad testamentum debiti restitutio.

Deus, quia nonne bonum est, non est pro minimo mutandi bonis commutandum.

Pulchritudo modesta assolet esse modesti, fidelisque animi indicamentum.

Lingua verus cordis assolet esse testis.

Angelus custos satis fidelis alumno est.

Vir iustus de nullius iustitia dubitat.

2. Iunior Tobias, soceris

Vers. 8.9.10.11.12.13. *At verò, &c.*] Peregrinationis huius moram alij quadraginta dierum supra duos, alij triginta supra octo fuisse putant. Ego autē triginta quatuor fuisse credi- vale dicto, cū sponsa redit derim, quos ita lubet computare: Charra, vt initio capitis sequentis patet, est in medio itineris. Niniuem inter & Rages, Charra autem Niniuem vsque perueniri potest trium dierum spatio. Tobias ergo sexto die, postquam domo discessit, peruenit ad Raguelem. His adde quatuordecim, quibus apud eum commoratus est, & efficies viginti. In reditu cum multis nonæ familiæ impedimentis Charram vsque vndecim dies posuit, Charra domum vsque tres, qui omnes simul sunt triginta quatuor. Dum igitur Anna de filij mora afflictaretur, Raguel adhuc æternari eius afflictionis causam procurabat, suo genero dictitans: Mane hic diutius precor, & ego ad Tobiam patrem tuum nuncium immittam, qui eum de tua incolumitate, ac cunctatione ob nuptias certiorem faciat. Cui obediens filius, ego (inquit) quidem ex affectu quo me parentes prosequuntur, noui, eos nunc sollicitudine discruciari dies computando, moraſque meas alicui infelici euentui fortasse tribuendo. * Amor enim res est planè sollicito plena timore.] Cúmque verbis multis Raguel Tobiam rogaret, & ille nullatenus, tàm pia exposita excusatione, acquiescere precibus voluisset: Raguel ei Saram, & dimidiam substantia suæ partem tradere decreuit, scilicet seruos, ancillas, pecudes, camelos, vaccas, ac multam vim pecuniæ. * Pondera verba illa, *Cumque verbis multis rogaret Raguel* generum, vt remaneret. Pauci soceri tam enixè rogant generos, vt apud se remaneant, potiùs instare assolent, vt recedant, quia rarus est gener, qui soceris aptetur in filium. An socerum, an generi culpa sub lite quidem semper erit.] * Hinc autem Tobiæ pietas illucescit, qui inter nuptiarum gaudia de parentum cruciatu adeò memor existit. Saluum itaque, atque gaudentem socer generum suum tàm amabili sponsa, tot diuitiis stipatum abscedere permisit, affatus: Angelus Domini cœlestis vos ô filij, vestro in itinere comitetur, perducatque incolumes, & omnia, quæ ad vestros parentes spectant, felicia inueniatis, ac priusquam patris Abrahæ proficiscar ad sinum, vestros aspiciam filios, meoque sinu hilaris foueam. * Nihil Anna dixisse dicitur? qui mater in recessu filij totam vocem remittit ad oculos, vt ipsi obortis lacrymis plura loquantur.] Cæterum parentes amplexantes filiam, eam tenero deosculantur affectu, & abire permittunt, monentes primum, soceros honore prosequi, maritum impensè diligere, *familiam regere*, seruorum spiritualia curando, *domum gubernare*, temporaria prouidendo, & se ipsam *irreprehensibilem* cunctis exhibere. * Magna admodum Saræ perfectio indicitur dum monetur; vt se irreprehensibilem exhibeat; virum enim, aut fœminam à nullo reprehendi posse, sublimis est perfectionis argumentum.] * Hinc Zachariæ & Elisabethæ vxoris eius sanctitatem extulerim, de quo Lucas asserit. *Sine querela*; seu sine reprehensione vixisse. Querula enim semper est vulgaris aspectatio.]

Amor est sollicito res plena timore.

Rarus socer, qui generum roget, vt apud se remaneat; quia rarus est gener, qui & aptetur in filium.

Probus filius inter nuptiarum gaudia de parentum cruciatu memor est.

In filij recessu mater non labijs, sed oculis loquitur.

Magna perfectio illius, qui sine reprehensione vitiit.

Egregia Zachariæ, & Elisabetæ sanctitas, qui sine querela, aut reprehensione vixerunt.

CAPVT

CAPVT XI.

Raphaël & Tobias recurrunt in Niniuem, vbi lætè à parentibus Tobiæ excipiuntur. Felle piſcis viſus cæco reſtituitur, aduentanteque Sara, feſta nuptialia celebrantur.

1. VMQVE reuerterentur: peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die. 2. Dixítque Angelus: Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum. 3. Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu ſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum coniuge tua, & cum animalibus. 4. Cúmque hoc placuiſſet vt irent, dixit Raphaël ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim neceſſarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt. 5. Anna autem ſedebat ſecus viam, quotidie in ſupercilio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo. 6. Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit à longè, & illicò agnouit venientem filium ſuum: currénſque nuntiauit viro ſuo, dicens: Ecce venit filius tuus, 7. Dixítque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum. 8. Statímque lini ſuper oculos eius ex felle iſto piſcis, quod portas tecum. Scias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aſpectu tuo gaudebit. 9. Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuncius aduenies, blandimento ſuæ caudæ gaudebat. 10. Et conſurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero occurrit obuiam filio ſuo. 11. Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum vxore ſua, & cæperunt ambo flere præ gaudio. 12. Cúmque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt. 13. Tunc ſúmens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui. 14. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui, egredi. 15. Quàm apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatímque viſum recepit. 16. Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum. 17. Dicebátque Tobias: Benedico te Domine Deus Iſraël, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce ego video Tobiam filium meum. 18. Ingreſſa eſt etiam poſt ſeptem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia ſana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris: ſed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo: 19. Et narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa eum per hominem qui eum duxerat. 20. Venerúntque Achior & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus. 21. Et per ſeptem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

COMMENTARII.

1. Raphaël & Tobias præcedentes à lõgè ab Anna proſpectantur.

1. VERS. 1.2.3.4.5.6. *Cumque, &c.*] Profecti itaque Tobias, coniux ac familia, Raphaële ducente, Niniuem verſus, peruenerunt ad Charram, medio in itinere ſitam, die quidem à diſceſſione vndecima. Nam licet ad Niniuem è Rages poterat trium dierum ſpatio peruentari, ob multa tamen familiæ impedimenta Charram vſque dies vndecim exegere. Angelus autem Tobiæ dixit: Tobia frater, ſcis, quot preſſum curis patrem reliqueris, ſcilicet & de tua receſſione ſollicitum, & de ſua faucium cœcitate. Si itaque tibi placet, *præcedamus* greſſu vtentes celeriori, lento dum gradu coniux tua, familia, & animantia noſtrum iter inſequuntur. * O quomodò ex Angelorum miniſterio ſalus in pennis auolat!] Cumque Tobias annueret, Raphael addidit: Ex felle piſcis, quem te aſſeruare monui, partem aſſume futuram poſtmodum neceſſariam. Tulit itaque Tobias ex felle quod ſufficere Angelus dixit, & abierunt. Cur fel integrum aſſeruari Angelus præcepit, ſi particula ſufficiebat: ait enim, *Tolle tecum ex felle piſcis?* An quia non ſtrictè, ſed vbertim medicamina præparanda? * Certè edocemur, animi morbis non ſolum neceſſariam, ſed ſupereffluentem quærendam eſſe medicinam. Sufficit ſpirituali cœcitati vt medearis ſemel annis ſingulis confiteri,

Salus noſtra ex Angelorũ miniſterio in pennis auolat.

Animi morbis non ſolùm neceſſaria, ſed ſuperfluè ſpreparanda eſt medicina.

&

& Eucharistiam sumere, sanguis enim Christi efficax oculis illuminandis collyrium est; at sæpe sacramenta suscipere expedit ad medicaminis abundantiam.] Interim Anna Tobiæ mater secus viam anxia sedebat quotidie in montis supercilio, vnde poterat è longinquo prospectare, vt spe videndi filium redeuntem tantæ sollicitudinis cruciatum vel modico tempore consopiret. * Sæpè miratus sum, quonam modò fama, quæ tam velociter assoletauolare, tot decursu dierum, Tobiæ fælicitatem non vulgarit in Ninive. Sed mox subit occasio, nempè, nuncium esse fælicem. Nam si fuisset infœlix, illicò fuisset euulgatum.] Dum ergo eodem ex loco filij aduentum specularetur, *vidit à longè*, illicoque filium suum agnouit aduentare. *Vidit* inquam, *à longè* duos viatores incedentes, & agnouit filium suum, Azaria comite, redeuntem. * Vndenam tam à longè prospiciens potuit filium agnoscere? Certè parentum amor linceos oculos habet.] Vt autem proba coniux maritum suum gaudij illius participem efficeret, ad illum cucurrit, affata: En venit filius tuus. * Agnatum probis coniugibus debet esse, nullo solatio solatiè frui. Comportant pariter onera, solatiis pariter alleuentur.]

Infelix nunciũ cito euulgatur, tardè fœlix.

Parentum amor linceos habet oculos.

Cõiux nulli solatio sine participe coniuge debet potiri.

2.

Vers. 7.8.9.10.11.12.13.14.15.16. *Dixitque Raphael, &c.*] Dum igitur ad Vrbem accederent, dixit Tobiæ Raphaël: Dum paternam inieris domum, *statim* Deum adora, qui te incolumem perduxit, ei pro beneficio tanto gratias exponens. Mox ad patrem hilaris accede, cúmque humilis osculare. * Tot sunt pericula itineris, vt exsistat ingratus qui aduentans incolumis non illicò post reditum statim Deo gratiarum actionis non litat sacrificium.] * Quæ quidem gratiarum actio ob accepta beneficia *statim* gerenda. Genus enim est ingratitudinis post beneficia accepta tardum te gerere adoratorem.] Cùm verò patrem osculari acceſseris, illico eius oculos piscis apparato felle leniri cura; mox enim, tenebris ablegaris, senex cœli lumen aspiciat, & tuo in aspectu ineffabiliter exultabit. * Quàm appositè Angelus iubet, statim oculos deliniri, fidelis enim pietas moras non patitur, dum potest illicò patienti medicamen adhibere.] Tunc canis, qui simul fuerat comes in via præcurrit, & quasi nuncians felicem filij aduentum, suæ caudæ blandimento gaudebat. Miraris, minutiora diuinis in literis referri. Sed certè hæc, & alia referuntur, quia contigerunt, & quia audita, aut læta delectant. * Annon hilaritate spiritus afficitur canis notans fidelitatem. Num non homines subtaxantur, dum post redditum canis dominus demulcere curat, quando homines Deum cui debetur redditus felicitas, non adorant? Vadè ad canem ingrate.] Monitus ergo senex cœcus & vxoris clamore, & festiuo canis latratu cœpit, offendens pedibus, currere, & ne caderet, data manu puero, filio obuiam processit. Et *suscipiens*, seu eleuans caput, brachióque protendens, illum osculo & amplexu patens hilariter excepit vterque, lacrymis ex lætitia vbertim affluentibus. Cúmque Dominum adorassent, eique gratias peregissent, consederunt ac expeditionis actibus locuturi. Mox verò Tobias piscis felleo liquore cœci parentis oculos deliniuit, & quasi dimidiæ ferè horæ sustinuit *spatium*, id est appósito madefacto ex felle lino, curauit, id per dimidiæ horæ spatium minimè ab oculis dimoueri; post præfatum verò temporis interstitium cœpit albugo ex senis oculis velut oui membrana progredi. Quàm apprehendens filius à parentis luminibus extraxit, statimque, nubecula ablegata, respexit. Naturalis profectò fuit Tobiæ curatio, Plinius enim l. 32. c. 4. *Callionymi fel*, ait, *cicatrices sanat, & carnes oculorum superuacuas consumit.* Idem ostendunt huiusce curationis circunstantiæ, præsertim mora temporis, cum non in momenta facta curatio fuerit, sed quasi dimidiæ horæ spatio. Vndè salubria medendo animo documenta obiiciuntur. * Vt spirituali ab aliqua ægritudine liberemur, non omnia cœlesti Medico relinquamus gerenda, sed simul operari procuremus: ille præscribat sacramentorum rectorumque operum medicamina, nos propriis actionibus applicemus.] * Certè à cœcitate mentis rarò quis repentè liberatur, tempus prætereat necesse est, instet æger pietatis operibus orationis, eleemosynæ, memor, Dominum cœcum à natiuitate non protinus visu donasse; sed adhibito luti collyrio, eum ad Siloe fontem immisisse diluendum.] * Quàm appositè mentis cœcitati fel adhibetur! Videt enim cœcus, cum fellis recordatur, id est, cum mente perpendit quot ob vilem voluptatem hausit amaritudines,] Verùm post recuperatum visum, senex Tobias *& vxor eius* Deum glorificabant tanti beneficij largitorem. * Haud ineptè exprimitur vxoris ex viri recuperato visu gratiarum actio; multis enim vxoribus maritorum cœcitas non ingrata. Probis autem coniugibus vel lincea virorum aspectatio iucunda est; quia nihil gerunt, quod omnium conspectui non possint exponere.] Cæterùm omnes, quibus nota erat Tobiæ cœcitas, ex agnita visus recuperatione, diuinis laudibus decantandis studium addicebant. * Certè charitas lædetur, dum de proximi commodis non lætamur.] * Ille veraciter proximus dicitur tuus, qui de beneficiis tibi à Deo collatis gratias agit, ac si ipse accepisset: ex quo Christiana identitas explicatur.]

Domum init Tobias, patrísque ablegat cœcitatẽ.

Ingratus est, qui liber à periculis itineris, Deo gratias non exhibet.

Genus est ingratitudinis, post acceptum beneficium, esse Adoratorem.

Statim patienti medicamen exhibe, cùm potes.

Ex canis fidelitate hominum subtaxatur ingratitudo.

Vt ab spirituali liberemur ægritudine, non omnia cœlesti Medico relinquamus; sed ipsi simul operemur.

Rarò quis repentè à cœcitate mentis liberatur.

Vt à cœcitate mentis liberemur adhibe menti, voluptates felleas tibi extitisse.

Multis vxoribus haud maritorum est ingrata cœcitas.

Charitas lædetur, dum de proximi commodis non lætamur.

Qui verè est proximus, de beneficijs tibi collatis gratias Deo agit.

3.

Saræ ac familiæ omnis Tobiæ iunioris aduẽtatio.

Iustus sibi persuadet, labores sibi in peccatorũ obuenire pœnam.

Corporis ægritudo animo affert sanitatem.

Pars gratitudinis est omnia enarrare beneficia, nullum prætereũdo.

Vers. 17.18.19.20.21. *Dicebátque, &c.*] Tobias itaque tanto obæratus munere, vberiori clamabat affectu: Te ô Deus Israël humilis benedico, quia tu mea piacula cœcitatis flagello corripuisti, & tu vulnera sanitate donasti. Siquidem ab oculis meis auolante nubecula, Tobiam meum filium aspicio. *Tu*, inquit, *castigasti me.* O quàm agnatum iustis, sibi persuadere, cunctos labores in piaculorum sibi pœnam infligi, non iniustitiæ præmium!] * Addidit, *& tu sanasti me.* Corporis enim labores assolent animi morbis afferre sanitatem.] Vt autẽ parentum Tobiæ plenior esset lætitia, Sara vxor eius, & omnis familia accessit incolumis post dies septem, lentè enim progressi fuerant propter impedimenta pecorum. Accessére etiam pecora, ac cameli multa vxoris onusti pecunia, ac simul illa, quam à Gabelo Raphaël acceperat. Enarrauit Tobias parentibus *omnia* Dei *beneficia*, quibus à Deo donatus fuerat sui ductoris ex manu. Pars enim gratitudinis est, se æratum munere profiteri, & nullum beneficium silentio obuelare. Ideò Tobias *Narrauit parẽtibus suis omnia beneficia Dei, qua fecisset circa*

eum

eum &c.] Denique certiores de his effecti Achior & Nabath consobrini Tobiæ iunioris, exultantes ad senem aunnculum aduentarunt, vt ei de cunctis bonis, quæ à Deo acceperat, congratularentur. * Mirum, quod propinqui verè *gaudentes* ad propinquum de eius commodis aduentarent. Afflolet enim acrior inuidia à proprij sanguinis commodis deriuari.] Porrò per septem dies omnes ingenti gaudio affecti epulis interfuere. In Græco est, *Et factæ sunt nuptiæ Tobiæ cum lætitia diebus septem.* An non Tobiæ nuptiæ apud Rages iam fuerant celebratæ? Ita planè. * Sed coniugia iustorum continua nuptiarum celebritate quotidie instauran-tur. Probus namque coniux coniugem suam semper debet excogitare sponsam. Liceat mihi vulgariter exponere: *En el matrimonio del Iusto nunca se acaba el pan de la boda.*] Ita iusti coniuges post annos multos se diligunt, vt quotidie eorum nuptiæ instaurari videantur.]

Acrior est propinquorum inuidia circa propinqui fœlicitatem.

Iustorum matrimonia semper sunt nuptiæ, quia post annos multos ita se diligũt, ac si nunquã nõ nuptiæ celebrarentur.

CAPVT XII.

Tobias beneficia per Raphaëlem accepta recenset. Raphaël quisnam sit, manifestat, & post alia mysteria exposita redit ad superos.

1. VNC vocauit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum. 2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? 3. Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare; 4. Sed peto te pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt sibi assumere. 5. Et vocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant acceptam habere. 6. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. 7. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem, Dei reuelare & confiteri honorificum est. 8. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere: 9. quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. 10. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. 11. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem. 12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. 13. Et quia acceptus erat Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. 14. Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. 15. Ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. 16. Cumque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam. 17. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. 18. Etenim cùm essem vobiscum per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. 20. Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. 21. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà eum videre non potuerunt. 22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

COMMENTARII.

I. Cogitat Tobias senior, quid possit Raphaëli loco præmij exhiberi.

VERS. 1.2.3.4.5. *Tunc, &c.*] Tot senior Tobias de Raphaëlis Archangeli, quem Azariam virum esse putabat, meritis erga filium audierat, vt cogeretur ex debito gratitudinis affectu ad se filium secretò aduocare, eique dicere: Quidnam ô fili, possumus *viro isti sancto*, qui tui fuit comes itineris, pro tot officiis retribuere; Cur *sanctum* eum vocitat? * Multa quidem iunior Tobias de Raphaëlis erga se meritis memorauerat, sed præcipuè de eius in Deum religione, vitæ innocentia morumque sanctitate plura expresserat: & quia hæc potissima hominis laus, Tobias appositè non vocitauit eum solertè fidelem, prouidum; sed sanctum appellauit.] * Subtaxentur, hinc qui dum elogio heroïs alicuius proferendo student, illustre esse ferũt natalitium, pulchritudinem laudant, ingenium prædicant, &c. & de probitate morum aut nihil adiiciunt, aut ex transitu vix videntur attigisse: cum panegyridis sanctitas vitæ tota, aut præcipua saltem debeat esse materia.] Respondens filius, Pater, inquit, nescio, quãnam ei possimus mercedem exponere, quæ valeat vel vni ex eo acceptis beneficiis æquari. Me duxit, ac reduxit incolumem, pondus argenti debitum à Gabelo *ipse recepit*. * Certè vt debitum longi temporis à debitore recipiatur, Angelica solummodò exactio sufficeret.] Nobilem, pulchram, prædiuitem me acquirere fecit vxorem, & vt incolumis conscenderem thalamum, dæmonium à cubiculo relegauit, & dæmonem religando, measque cum illa conciliando nuptias ineffabili gaudio patrẽtum Saræ præcordia compleuit. Me ipsum ab irruentis piscis deuoratione eripuit, te à cœcitatis liberauit incommodis, *bonisque omnibus per eum repleti sumus*. Quænam, precor, illa omnia bona, quibus tota familia Tobiæ per Raphaëlem fuit repleta, præter illa, quæ iam memorauerat? * Crediderim esse pacem ex Saræ coniugis sanctitate. Socerum ac mariti domus prædiues omnibus vacua bonis obiicitur, si nurus rixosa sit, si immodestia laboret, At pauperum familia cunctis bonis abundat, si filius ad parentes pacificam ac pudicam ducat vxorem.] Iam Tobias parenti narrauerat cuncta à Raphaële accepta beneficia; cur ergo iterum omnia nunc exprimit sigillatim, si sufficeret in communi dicere: Multa ab eo, quæ retuli iam beneficia accepi? * Profectò grato nobili animo non sufficit semel beneficia accepta enarrare; pars enim gratitudinis est, illa semel, ac iterum recensere.] * Hinc corripiantur, qui post multa beneficia accepta, vix memorant vnum; ne cogantur pro singulis multiplices gratias exhibere.] * Cum Deo pro acceptis beneficiis gratias egeris, præcipua recole sigillatim, nec sufficiat tibi, generatim te obæratum profiteri.] Quidnam igitur tanto muneratori poterimus condignum exhibere. Sed quæso, pater mi, vt eum roges, si fortè dignetur, de cunctis, quæ allata sunt eo duce, sibi assumere medietatẽ. Quare ipse Tobias iunior, qui beneficia acceperat, non rogauit Azariam, sed parẽti id munus iniungi precatur. Annè gratus iuuenis pudore afficeretur, dum videret solutionem debitis valdè esse inferiorem. * Animus verè gratus post retributionem multam semper se se existimat debitorem.]

Precipua hominis laus sanctitas.

Elogij præcipua materia debet esse heroïs sanctitas.

Vt debitum diuturnũ recipiatur, Angelica, exactio requiritur.

Socerum domus, vbi nurus pacifica, ac modestia adest, cunctis bonis abundat.

Pars est gratitudinis, beneficia sæpè sigillatim recensere.

Ingratus est, qui accepta singula beneficia non exprimit.

Deo agens gratias pro beneficijs, præcipua recole sigillatim.

Animus verè gratus post retributionem multam, adhuc sese existimat debitorem.

2. Sese Azarias Raphaëlem manifestat.

Verſ. 5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15. *Et vocauit eum, &c.*] Profectò Tobias iunior, parentis iussu non potuit se à munere, quod solum senioremobire curauit, eximere. Ideò ambo Azariam aduocarunt, & *tulerunt in partem*, hoc est, abstractum à reliquis domesticis rogauerunt, vt pro officiorum præmio dignaretur dimidiam partem ex cunctis, quæ attulerant, sibi adscribere. Tunc Raphaël eis *occultè* seu voce submissa, quam illi solummodò, possent audire, dictitauit: Benedicite cœleste Numen, & coram cunctis viuentibus id confitemini; quia vos dignatus est suæ misericordiæ opplere diuitiis. *Etenim* quemadmodum Regum arcana tegenda sunt, nec in vulgus efferenda; ita è contrario opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est. O quàm salubris est *oratio cum ieiunio*! * Dum enim corpus cibo non pergrauatur, facilior animus auolat ad suprema. Ieiunium precibus indit alas.] Satius est, eleemosynæ actionibus pecuniam effundere, quàm *thesauros auri recondere*. Quia qui vt thesaurum multiplicet, eleemosynæ imminuit actiones, illum potius euacuat: & qui vt pauperibus elargiatur thesaurum imminuit, illum facit increscere, ex arcano eleemosynæ redditu.] Imò præter temporarios fructus, eleemosyna à morte peccati liberat, dum ex comite fide, pœnitentia, ac charitate disponit ad lethalium criminum veniam, & ab eorumdem pœnis abstrahit: & cœlestis Numinis misericordiam concilians, *vitam æternam facit* homines *inuenire*. * Qui ergo ob crimina vitam, seu salutem æternam perdidit, eleemosynæ impendat studium, si illam expetit inuenire.] * Porrò *Inueniendi* vocabulum, requirendi studiosè supponit actionem. Nam ille qui sine inquisitione rem acquirit, non eam inuenisse, sed reperisse dicitur. Reperire aliquid fortunæ est, non studij, inuenire laboris: illud rarò accidit, hoc nunquam non euenit. Sine eleemosyna fortè æternam reperies fœlicitatem, cum eleemosyna semper, inuenies si eius comites fides, pœnitentia, ac charitas non abscedant.] Verùm qui peccata perpetrant sui sunt spiritus hostes. At hostile huiusmodi exuent ingenium, si eleemosynæ gerant actiones, cuius effectu inflictis vulneribus parabunt medicamina. Vobis igitur refero veritatem, & rem occultam à vobis minimè abscondam, indicans scilicet, vndenam à Deo tot fueritis donis cumulati. Quando orabas ô Tobia, lacrymarum oborto rigatu, quando cadauera sepulchro tradebas, quando prandium derelinquebas, vt mortuos apud domum interdiu reconderes, & noctis eos sepeliebas instantia: ego *tuam orationem* Domino *obtuli*. Cur non addidit, *& illa charitatis opera* Dei oculis præsentaui? An sola oratio digna, quæ ab Angelo Domino offerretur? * Certè omnia iusti charitatis opera sunt vocalia, tunc iustus orat, cum rectas gerit actiones; quia ipsæ ad Deum clamorem emittunt.] * Nisi dixeris, cuncta illa pietatis opera ab oratione ortum duxisse, & ideò solius orationis meminisse Angelum vt huiusmodi causæ effectum.] Verùm quia gratus Domino eras, necessum fuit, vt tentaminibus

Orationi ieiunium indit alas.

Arcanus eleemosynæ redditus.

Gloria deperdita ab eleemosyna inuenitur.

Sine eleemosyna potest vita æterna reperiri, cum eleemosyna semper inuenitur.

Omnia iusti opera vocalia sunt.

Recta iusti opera ab orationis exercitamento ortũ habent.

nibus probareris, nùm tua præcordia verè essent argentum. *Necesse*, inquit, *fuit*, *vt tentatio probaret te*, quia videlicet *acceptus eras Deo.*

Labores in præmium virtutum obuenient iusto.

* Hinc apertè colligitur, labores non semper in supplicium vitiorum immitti, sed in virtutum præmium inferri. Sed quia tempestas proximam annunciat serenitatem, nunc me dominus immisit, vt te à cœcitate eriperem, & Saram filij tui coniugem à dæmonis insidiis liberarem. Nec miremini meo Dominum ad vestram sanitatem vsum ministerio; ego enim sum *Raphaël* Angelus, (seu *Medicina Domini*) *vnus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Idem spiritus à Ioanne memorantur Apoc. 1. 4. vocanturque septem spiritus, qui sunt in conspectu Dei cæteris quidem Angelis præstantiores, maiorique prædíti dignitate, quod hac vicinitate ad diuinum thronum significatur. Alioqui Angeli omnes, & quidquid creaturarum est, coram Domino adest, & ad nutum eius stant quodammodò expedita. * Cur autem tam sublimis cælicola ad Tobiæ domum speciatim descendit, cum Angelus custos ei inseparatus comes adstaret? Certè quia vbi iusti hominis ægritudo adest, ibi *Dei medicina* existit in promptu, *Raphaël* enim *Dei medicina* vocatur.] * Et quare ipse & non Angelus custos Tobiæ orationem Domino obtulit? Quia tam prompta est medicina Dei exoranti, vt non indigeat orans, suas preces auolare, seu præsentari Deo; sed illud ipsum ægrotantem orare, iam sit donari Domini medicina.] Verùm cum Tobias iunior, parens eius hæc audissent, ex rei nouitate, & tàm eximij Angelorum Principis præsentia commoti, turbati sunt, & affecti tremore supra *faciem* in terram concidere. Angelus autem vt animi quiores illos redderet, dixit. *Pax vobis nolite timere.* Prius pacem eis imprecatur, quàm à timore curet eripere. Nam sine pacis bono, haud potest penitus ablegari formido. Quomodò potest quis sine timore viuere, si hostis nondum insidiæ perierunt?] * Dum ergò cum inuisibilibus hostibus bellum gerimus, timor est necessarius, nimia enim securitas multos fortes admodum milites debellauit. Nolite itaque timere audientes, me præcelsum cœlestem Principem tam abiectum obiisse munus. Etenim cum vobiscum commoreter, *per voluntatem Dei eram.* * Nullum autem munus est vile, si Dei adsit præscriptio, quæ sordidiora munia reddit excelsa.] * Hinc Religiosum pudeat, cui ex obedientia aliquod officium aut munus iniunctum vile esse apparuerit, dum videt. Raphaëlem mercenarij officium dignè admodum obiisse; *etenim per voluntatem Dei* illud obibat. *Illum*, addit Angelus, *benedicite, & cantate illi*, id est, laudis, actionisque gratiarum dulces hymnos concinite. Ac si diceret, haud vos mihi gratos exhibeatis, sufficit mihi Dei præscripta exequutioni tradidisse; soli tot munerum largitori gratiæ reddendæ. * Minister Euangelicus fugiat ab auditoribus collaudari, vel donari muneribus. Ipsi deber sufficere, si Dei præscripta probè fuerit exequutus.] *Videbar* quidem (addidit) vobiscum manducare, & bibere: sed verè minimè manducabam, & bibebam: ego enim inuisibili cibo ac potu, qui ab hominibus haud potest aspectari, reficior. Certè Angeli in assumptis corporibus propriè non comedunt, neque bibunt; licet enim cibum dentibus molant, ac per guttur traiiciant, non tamen concoquunt, nec in suam substantiam conuertunt. Vtuntur autem spirituali illo cibo, quo beatæ mentes videntes Deum vbertim pascuntur. Tempus est igitur, vt, perfecto iam commisso munere, ad eum, qui me immisit, reuertar: vos autem Deum benedicite, & omnia eius mirabilia pio ore enarrate. * Nam de acceptis à Deo beneficiis optima est gratiarum actio, ipsa munera publicare; vt alij ad collaudandum Dominum excitentur.] Porrò loco verbi illius, *Et narrate omnia mirabilia eius.* in Græco est, *Scribite in libro omnia, quæ gesta sunt.* * Ne scilicet vlla beneficiorum circunstantia è memoria elabatur. Nam quod scribitur, altius memoria retinetur.] Cùm hæc Angelus dictitasset, ab eorum est ablatus aspectu, & vltra eum non potuerunt aspicere. Tunc illi in faciem prostrati per trium horarum spatium; Deum benedixerunt, & exurgentes omnia præfata mirabilia eius Hebræis fratribus enarrarunt. * Silentio enim comprimit beneficia, qui se curat ingratum exhibere, ne ab audientibus valeat subtaxari, si ob beneficia quæ publicè iam constet accepisse, publica non litat holocausta.]

Vbi iusti est ægritudo, ibi in promptu Dei medicina adest.

Promptissima est oranti iusto afflictionis medicina.

Vbi non est pax, necessariò debet adesse timor.

Nimia securitas multos fortes milites debellauit.

Ex Dei præscripto nullum est vile munus.

Nullum ex obedientia vile ministerium Religiosis.

Ministro Euangelico sufficiat pro laboris munere, si Dei præscripta probè gesserit.

Optima est gratiarum actio, publicare Dei beneficia, vt alij ad Deum laudandum excitentur. Scribe beneficia, quæ à Deo accepisti, vt altius memoria retineas.

Curat silentio obuelare beneficia accepta, qui se vult ingratum exhibere.

CAPVT XIII.

Senior Tobias Deum laudat, gratias agit. De instauratione ac gloria triplicis Ierosolymæ terrenæ spiritualis, ac cælestis vaticinatur.

1. APERIENS autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum: 2. quoniam tu flagellas & saluas: deducis ad inferos, & reducis: & non est qui effugiat manum tuam. 3. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum: 4. quoniam ideò dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum. 5. Ipse

castigauit nos propter iniquitates nostras,& ipse saluabit nos propter misericordiam suam. 6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum,& cum timore & tremore confitemini illi: regémque sæculorum exaltate in operibus vestris. 7. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. 8. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciet vobiscum misericordiam suam. 9. Ego autem, & anima mea in eo lætabimur. 10. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi. 11. Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum. 12. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum. 13. Luce splendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te. 14. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. 15. Nomen enim magnum inuocabunt in te. 16. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedictique erunt qui ædificauerint te. 17. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. 18. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua. 19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster. 20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. 21. Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. 22. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur. 23. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.

COMMENTARII.

1. Tobias senior gratias Deo pro beneficiis, & inflictis laboribus agit.

Efficax, & ardens est vocalis oratio, quæ à meditatione ortum habet.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Aperiens, &c.*] Senior autem Tobias tot oberatus muneribus post trium horarum illud silentium, quo animus mentali orationi dederat studium, *os suum* aperiens orationem vocalem instituit. * Capite præcedenti Tobias prostratus *per horas tres* in faciem Deum benedixerat. Nunc autem *aperiens os suum* quod mente fuerat meditatus, ore profundit. Efficax quidem, affectuosaque illa oratio vocalis, quæ à meditatione ducit exortum.] Dominum itaque senex benedixit proclamans: Magnus es ô Domine, in æternum, *& in omnia sæcula* Regnum tuum, seu tuum Regnum est sempiternum. Tuæ supremæ ditioni aut punienti, aut miserenti indifferens subest creatura. Nam pro libito laborum flagellis vulneras, & vulneribus adhibes medicamen: *reducis ad inferos*, ac *reducis*, id est, mortificas, & viuificas. * Non sis fratri tuo grauis mortificationis occasio, graue enim incommodum est, quod vt declaretur, mortis debet exponi vocabulo. Vndè te existima occidisse quodammodo eum, cui mortificationem intulisti.] Cùm autem ô Domine, cuncta tuo subdantur imperio, *non est, qui effugiat manum tuam.* Si enim cum vis mortificare, potes: si viuificare, nemo resistet. Confitemini, seu laudate Dominum filij Israël, & eum in conspectu Gentilium, apud quos habitatis, preconiis efferte. Ideò enim vos inter Gentes, quæ illum ignorant, dispergi prouidit, vt veri Numinis mirabilia enarraretis, quorum intelligentia dignoscerent, nullum esse alium Deum omnipotentem, qui debeat coli, & adorari. Ipse iustus nos propter iniqua gesta corripuit, ipse pius ob suam nos misericordiam saluos efficiet. * O quàm aptè post-quam dixit, *Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras*, addidit, *& ipse saluabit nos.* Castigatio enim, seu laborum inflictio ad morum incitant correctionem.] * Ne cadant sine pondere verba illa, *Ideò dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus.* Nec enim quis se se veri Dei cultorem ostendet, si quocumque perrexerit non curauerit ignorantes instruere.] * Diuinæ prouidentiæ hinc pulchritudinem commendarim. Vulnus inflictum peccatoribus ad supplicium, est Gentilibus medicamen.] * Vim etiam societatis bonorum adnota, dum captiui Israëlitæ Gentilibus immixti, in morem fermenti, eos possunt ad fidem addicere.] Perpendite ergo beneficia, quibus à Domino fuerimus donati, & cum timore, ac tremore confitemini illi: Regémque sæculorum *in operibus vestris exaltate.* * Captiuitas enim beneficium est, collyrium vtique ad cœcitatem mentis ablegandam. Ideò hoc cœleste munus decet hominum gratitudo, non querela. * Porrò gratitudo eiusmodi non tam verbis, quam bonis operibus est exhibenda. Ideò dixit: *Regem cœlorum in operibus vestris exaltate.*] Ego autem licet vos taceatis, haud reputantes beneficium esse captiuitatem: *in terra captiuitatis meæ* Dominum laudibus efferam, quoniam *in gentem peccatricem*, siue in populum Israëliticum ob peccata in captiuitatem abductum, suam ostendit misericordiam. * Magna enim Dei misericordia est, hîc peccatores corripere, vt afflicti resipiscant, & ne æternùm cogatur vulnerare.] Cum autem ideò Dominus labores infligat ad homines in pœnitudinem alliciendos: *Conuer-*

Quasi occidis illi, cui mortificationis occasio existis.

Labores nos ad vitæ correctionem alliciunt.

Quocumque perrexerit fidelis, debet ignorantes ad Dei cognitionem instruere.

Vulnus inflictum ad puniendum peccatores, est aliis medicamen, ad Deum agnoscendum.

Bona vis societatis.

Labores à Deo nobis inflicti beneficium est quod decet hominum gratitudo.

Magna est Dei misericordia, hîc corripere peccatores.

tinini

timini itaque peccatores, ac recta opera gerite, credentes, à Deo placato miseratione esse donandos. *Ego* quidem huic hærens spei, toto ex animo exulto. Quoniam verò ex ore peccatoris diuinæ dulciter haud insonant laudes, dum hi conuertuntur, Dominum omnes electi eius iustitiam sectantes, benedicite, dies lætitiæ instaurate, Deumque confitemini.

2. *Vers.* 11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23. *Ierusalem. &c.*] Iam Tobias de Ierusalem cœlestem ex oratione concipiens spiritum, vaticinatur. * Oratio enim assolet hominem prophetiæ spiritu quodammodò donare vt sciat futura præcauere incommoda, animi pericula vitare.] Verùm cum triplex sit Ierusalem, *terrena* scilicet illa Iudææ Vrbs: *cœlestis*, quæ est beatorum domicilium: & *mixta*, quæ est Ecclesia Dei militans, in terris commorans, & tamen spiritualis; quæ hîc dicuntur non vni omnia, sed alia aliis magis conueniunt, iuxta familiarem Prophetis loquendi modum qui ab vno ad aliud repentè transiliunt, vt eos spiritus, quo aguntur, abripit. *O Ierusalem*, inquit *Ciuitas Dei* te Dominus *in operibus*, seu propter opera iniqua, quæ patrasti castigauit. Imò ipsis puniuit te *in operibus*. Opera quippe mala te gerere permisit noua, in prætetitorum supplicium. * Magnum enim peccati vnius supplicium est, permitti hominem in aliud excidere.] *Castigauit* præterea *te in operibus manuum tuarum*. Ipsa enim piacula, quæ gessisti ad aucupanda tua commoda, tuam emersserunt in pœnam. * Assolet enim Deus gladio, quem peccator aduersus eum stultus stringit, eum fortiter vulnerare.] Confitere Domino, seu Deum lauda *in bonis tuis* siue propter bona tua, quæ iam memorabo, quibus te Dominus te est dignatus exornare. *Benedic Deum* Regem *sæculorum*, seu æternùm imperaturum, *vt reædificet in te tabernaculum suum* siue Templum, & omnes captiuos filios tuos ad te reuocet, & æterna afficiaris exultatione. Annon vt Templum instauraretur Hebræorum, & captiuitas soluerentur, aptiùs Iudæi orarent, quàm Domino benedicerent. Cur ergo ait *Benedic Deum, vt reædificet in te tabernaculum suum, &c?* * Certè quia dum homo actus laboribus Deum laudat propria non curans commoda, Deus apud se ipsum gerit eius procuratorem. Si ergo vis, vt laborum tibi captiuitas soluatur, actus eorum molestia, non petas terminati labores, sed Deum lauda.] Porrò illa particula, *& reuocet ad te omnes captiuos*, non de singulis capitibus, sed de Tribubus omnibus est intelligenda. *Luce splendida fulgebis*, veræ scilicet fidei ac veritatis: itéque famæ & gloriæ. Ideò fulgorem multiplicauit, *fulgebis, luce, splendida.** Nam virtutum fulgorem famæ ac gloriæ fulgor insequitur. Si peccatorum tenebris offunditur animus, quonammodò famæ claresceat hilaritas?] Omnes itaque fide ac veritate ornatam te *omnes* terricolarum fines adorabunt. Hyperbolicus sermo, si de terrena Ierosolyma accipiatur Ex diffitis ad te nationes locis ventitabunt: & onustæ muneribus, in te Dominum adorabunt, *& terram tuam in Sanctificationem habebunt*, eum scilicet vt sanctam suscipient, ac venerabuntur. Nomen enim Dei magnum tuo inuocabunt in Templo. Qui te contempserint, maledicti à Domino erunt, & *condemnati* erunt, id est, Dei, hominumque iudicio improbi, vt scelesti, ac damnationi addicti erunt, qui de te malè dictitarint, aut tibi malum fuerint precati. * Nam qui sanctæ communitatis immunitatem violat, eam despiciens, malè de ea dicens, damnationis æternæ exhibet documenta.] Benedicti autem erunt, qui tuæ reædificationi operam aliqualem impenderint. Tu verò ô Ciuitas augustissima, in ciuibus tuis exultabis, dum videris, eos à cunctis benedici, & ad Dominum congregari. Certè illa particula, *Tu autem lætaberis in filiis tuis, &c.* exprimit metaphoram matris exultantis de filiorum profectibus, præcipuè cum videt eos à cunctis laudari, & ad Dei obsequium pronos incedere. * Nihil enim fideli parenti debet esse iucundius, quàm videre filios ad Dominum deferri pietatis affectu.] Aptiùs exponam, *Et congregabuntur ad Dominum*, id est, ex captiuitate in Ierosolymam colligentur, ibique sub Domini tutela securi latebunt. Quasi à Domino recederent, dùm à Ierosolyma peregrinarentur. * Certè qui à Monasterio vltroneus, & non ex obedientiæ prætextu abscedit, quasi à Domino recedens ostenditur, tunc autem ad Dominum rursus congregari videbitur, Sacram ad domum cum redierit.] Beati omnes, qui diligunt te, & qui exultant dum vident te pace potiri. Hoc est, qui gaudii fuerint, cum, soluta captiuitate, te aspexerint stabili à Deo pace donari. * Preme particulam, *Beati qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua. vò & qui* superfluere videtur. Nam qui verè diligit, de commodis amati necessariò lætatur.] Anima mea benedic Dominum, *quoniam liberauit* (more prophetico præteritum pro futuro posuit) Ierusalem Ciuitatem suam à cunctis eius tribulationibus, quo quidem præcelso munere *Dominus Deus noster* ostenditur. * Nihil enim magis Dei Domini proprium, quàm subditos ab incommodis liberare. Nostra quidem piacula eum, vt infligat incommoda, cogunt.] Beatum me me vocitatim, *si reliquiæ seminis mei*, siue nepotes, ac posteri mei tanto à Deo fuerint donati munere, vt futuram aspectent Ierosolymæ claritatem. * Pij animi proprium est, de Patriæ incrementis exultare, de ruina dolere.] O quàm pulchram, quàm ornatam Ierosolymam matrem aspicient; Eius namque portæ ex sapphiro, & smaragdo construentur; quales scilicet portas cœlestis Ierusalem vidit Ioannes Apoc. 21.18. & omnis murorum eius circuitus ex pretiosis lapidibus apparabitur. Ex lapillis candidis ac perpolitis omnes eius plateæ sternentur, & per vicos eius ex cordis ciuium abundantia *Alleluia cantabitur*, siuè dulces hymni fidium concentu resonabunt. Hæc iam præcipuè pertinent ad Ecclesiam, cuius fulgorem ex virtutibus pretiosorum lapidum metaphora exprimitur. Benedictus Dominus, qui Ecclesiam suam sic dignatus est exaltare, *& sit Regnum eius in sæcula sæculorum super eam*, hoc est, populus hic electus, semper Dei imperio subiaceat, eius legum fidelis obseruator.

De Ierusalem Tobias vaticinatur.

Oratio assolet homines prophetiæ spiritu quodammodò donare.

Magnum peccati vnius supplicium est, permitti hominem in aliud excidere

Peccata, quæ gerimus ad nostra commoda, nostræ vertunt in pœnam.

Dum homo actus laboribus Deū laudat, Deus laboribus terminandis studet.

Virtutum fulgorem fama fulgor insequitur.

Damnationis est signum, de sancta communitate male loqui.

Nihil parenti debet esse iucundius, quàm videre filios in Deum assici pietate.

Qui vltroneus è Monasterio abcesserit, quasi à Domino recedit: ad quem cum redierit, congregetur.

Qui verè diligit, de commodis amati necessariò lætatur.

Agnatum D.o Domino, subditos ab incommodis liberare.

Pij animi est, proprium, de Patriæ incrementis exultare, de ruina dolere.

CAPVT XIV.

Mors vtriusque Tobiæ. Euersio Niniue prædicitur, & Ierosolymæ euersio, & instauratio. Filiis ac nepotibus pia traduntur monita. Excedit è Niniue Tobias iunior, & moritur.

1. ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum. 2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Niniue. 3. Quinquaginta namque & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius verò recepit. 4. Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. 5. In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem inuenes filios eius nepotes suos, dixítque eis: 6. Propè erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israël, reuertentur ad eam. 7. Omnis autem deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibíque reuertentur omnes timentes Deum, 8. & relinquent gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea. 9. & gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel. 10. Audite ergo filij mei patrem vestrum: Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita sunt illi: 11. & filiis vestris mandate vt faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua. 12. Nunc ergo filij audite me: & nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros vt exeatis hinc: 13. video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. 14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Niniue cum vxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reuersus est ad soceros suos. 15. inuenitque eos incolumes in senectute bona: & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit: vidítque quintam generationem, filios filiorum suorum. 16. Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. 17. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius, in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

COMMENTARII.

1. Tobiæ senioris mors.

VERS. 1.2.3.4. *Et consummati, &c.*] Cessauit Tobias ab illa Dei laude, ac vaticinio, quo futuram Vrbis Ierosolymæ Ecclesiæque gloriam expressit. Profectò postquam visum tenebris ablegatis ex cœlicolę medicamine accepit, quadraginta supra duos vixit annos, erat autem sexagenarius cum fellis collyrio illuminatus est, & ad secundum supra centesimum annum peruentauit: & filios nepotum suorum aspexit. * Collyrium felleam medicinam illam meritò vocitaui. Fel enim, seu amaritudo vitiorum assolet pellere animi cœcitatem. Quis tam cœcus, qui memor amaritudinum, quibus affectus est, dùm libidini seruiit, deperditam non recurrat ad lucem?] Completis itaque annis centum duobus, honorificè vt tam sanctum decebat virum sepelitur in Niniue. * Illud aduerbium; *Honorificè* non tàm innuit funereum sepulturæ, aut pompæ apparatum, quam deuotum piorum ciuium obsequium. Assolet enim Deus eorum, qui dum viuebant, curabant suarum virtutum fulgorem aperire, morte honorare, fidelium plausu ornare sepulchrum.] Quinquaginta enim supra sex dum numeraret annos, passus est luminum suffusionem, sexagenarius verò lumen recepit. * Quid mirum anni, quibus iustus patitur à Domino numerentur, si vel instantiâ temporis computantur, ne vllum sine speciali munere dilabatur?] Reliquum verò vitæ suæ tempus *in gaudio fuit.* * Vberior enim Dominus ad gaudia immittenda, quàm ad infligendam afflictionem. Ideò quatuor annorum molestiâ quadraginta duorum annorum exultatione compensatur.] Et cum felici timoris Dei *profectu*, seu plenus sanctitatis operibus, obiuit in pace.

Memoria amaritudinis voluptatum animi cœcitati medetur.

Deus solet iustorum, qui se dum viuerent, despexére, honorare sepulchrum.

Deus annumerat annos, imò instantia, quibus iusti patiuntur.

Vberior Deus ad gaudia immittenda, quàm ad infligendam afflictionem.

* Preme verba, *& cum bono profectu timoris Dei perrexit* *Qui dum vi-*

Vir ob Dei timorem scrupulis pungit, & Deo pacifica morte donari.

perrexit in pace. Qui Dominum timet, dum vixit, seu timoratæ conscientiæ adeò est, vt scrupulis pungatur, assolet pacifica morte ablegatis scrupulorum punitionibus à Deo donari.]

2.

Tobiæ senioris agentis animam, vaticinium.

Vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *In hora autem, &c.*] Cum autem obitus Tobiæ tempus instaret, filium suum Tobiam iuniorem & septem iuuenes filios eius, suos nepotes ad se aduocauit, eisque dixit: Niniue interitus prope adest. Nec enim verbum Domini excidet personam Prophetam enunciatum. Ad Ionæ prædicationem, actâ pœnitentiâ, veniam consequuti fuerant Niniuitæ: postea verò in pristinis vitiis perseuerantes, Dei in se horribiliorem sententiam prouocauerunt. * Post veniam namque in easdem recidere culpas pœnæ subiacet grauiori.] Porrò quemadmodum minæ per Ionam intentatæ conditionem habebant; *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, nisi vos pœniteat, & mores immuteris: ita data Vrbi salus, nisi pristina remeetis ad crimina. Textus Græcus extremo hoc capite Niniuem à Nabuchodonosore, & Assuero captam, & sub iugum missam affirmat. * Ei, qui donatus veniâ, rursum fertur in crimina, deterius aliquid plerumque contingit.] * Quid deterius contigit Niniuitis delinquentibus, si subuersionem extremamque ruinam Propheta indixerat, & posteà non fuit subuersa funditus, sed sub iugum immissa? Certè liberum hominem addici seruituti, calamitatem morte grauiorem vocitarim.] Captâ Niniue, fratres nostri Hebræi, ad Tribum Iuda & Beniamin pertinentes, qui ex Israëlitica dirione dispersi lugent, ad eam hilares reuertentur. Loquitur planè de Iuda ac Beniamin, cum quibus multi misti erant Israëlitæ. Horum reditu omnes desertæ Vrbes cuncta vacua Oppida incolis opplebuntur: & Dei Templum quod Ierosolyma fuerat datum conflagrationi, rursum reædificabitur, *ibique omnes timentes Deum reuertentur*, vt scilicet sacra instaurentur, Deoque cultus iterum offeratur. * Timentes enim Deum circa eius cultum zelo succenduntur, dum qui Deum non timent, sacra negligunt.] Gentiles Israëlitarum piorum magisterio sua idola despicient, Ierosolymam inibunt, inibique *inhabitabunt*. * Quàm aptè à plaga gentilica fugiunt, & ad piorum transeunt domicilium, qui curant ab idolorum impietate recedere. Mirum quippè est, si Gentilium socius quis tueretur pietatem.] * Rara auis in terris pius & rectus, Iob in terra, Hus iniquorum idololatratorum habitatione.] Certè *omnes Reges terræ* illius apud Ierosolymam exultabunt Regem Israël Dominum adorantes. Audite ergo filij mei patrem vestrum, fili, inquam, & nepotes mei patris, ac aui vestri nouissima dogmata capite. * Quæ pius filiis, aut auus nepotibus indicit, eorum firmius mentibus infiguntur.] *In veritate*, seu toto ex corde Domino inseruire studete: *& inquirite, vt faciatis, qua placita sunt illi*, id est, ad pios consiliarios accedite, libros sacros perlegite, vt viam perfectionis legum obseruationis edoceamini. * Qui iter perfectionis inire curat, debet necessariò viri spiritualis docti sequi dictamina, ne vltroneus sine ducatu aberret. *Inquirite, vt faciatis*, nec audeatis haud præmissa inquisitione operari.] Et ad exemplum meum filiis vestris indicite, vt iustitiam amplectatur, eleemosynæ actionibus litent obsequium, Dei memoriam tueantur interminabilem, cumque *omni in tempore* sique donentur muneribus, siue verberibus afficiantur veraciter & toto ex cordis affectu benedicant. * Fœlicia & aduersa suas habeant vicissitudines: pium autem cor eodem Deum benedicendi feratur affectu.] Cæterùm ô filij vt corporalibus etiam commmodis vestris paterno ex officio prouidere videar, hanc percipite monitionem: Nolite apud Niniuem remanere, sed quacumque die matrem vestram circa me vno condideritis in tumulo, *ex eo* gressus vestros dirigite, vt hinc exeatis. * Apud iniquos enim solummodo morandum est iustis eo tempore, quo aliquod Deo sit litandum obsequium. * Periculo namque eiusmodi commoratio iustis, quandò exequendæ Dei voluntati operam non impendunt.] * Vt edoceantur Religiosi à peccatoribus recedendum esse dum eis instruendis non sit incubendum.] Idem autem vos moneo ex ipso sepulchro gressus illico dirigere, vt hinc exeatis, video enim prophetico spiritu, quia iniquitas Niniuitarum Vrbem faciet repente corruere, siuè hostium addici potestati. * *Iniquitas eius finem dabit ei.* Quid enim ex replicatis criminibus nisi misera desolatio?] * Ne autem vos simul percutiamini, illicò fugite, assolent quippe peccatores impœnitentes repentina percuti calamitate.] * Oportet verò iustos à peccatoribus abstrahi, quia dum eis conuiuunt, communibus afficiuntur incommodis. Nec enim zizania sine incommodo tritici diuelluntur.]

Ei, qui donatus veniâ, rursùm delinquit, deterius plerumque quid contingere assolet.

Seruitus diuersa morte calamitas.

Deũ timentes circa Dei cultum zelo succenduntur.

Fugiat impiorum cõsortiũ, qui vult colere pietatem.

Rarus homo iustus habitans inter iniustos.

Quæ pater filijs obiturus indicit, firmius eorũ mẽtibus infiguntur.

Qui viam init perfectionis, debet viri spiritualis ac docti ducatu dirigi.

Vers. 14. 15. 16. 17. *Factum est, &c.*] Post obitum senioris Tobiæ, obiit & coniux diem suum. Tobias autem iunior iusta soluens matri, cuius cadauer in patris sepulchro recondidit, cum vxore sua Sara, filiis ac nepotibus abscessit è Niniue, & ad Rages Medorum fuit reuersus, vt cum senibus soceris habitaret. Eos ille in *bona* seu placida siue agnatis ei ægritudinibus, *senectute* inuenit incolumes. * Premium est iustitiæ viri, eum Deus *bona* senectute donare.] Pius gener curam gessit eorum, obeuntium lumina clausit, & omnem Raguelis percepit hæreditatem. Non prius hæreditatem excepit, & mox socerum gessit curam: sed prius gessit eorum curam, & eis obeuntibus cepit hæreditatem, * Probus enim gener gratis debet soceris inseruire.] Vidit filiorum filios vsque ad quintam generationem. Expletis verò nonaginta supra nouem annis in timore seu obsequio Domini, *cum gaudio* à filiis ac nepotibus sepelitur. * Cur non dixit Auctor historiæ, *Completis annis nonaginta nouem in timore Domini*, mortuus est; sed præteriens mortem, mox sepulturam memorauit? An quia qui *in timore Domini* vixit, non moritur, dum abscedit? Vitalis prorsus iusti obitus appellandus.] * Abdiderim, factam non fuisse mortis memoriam, quia vita longa in timore Domini transacta & est ipsa diuturna mors, & sanctam velut necessariò mortem connotat.] * Quare vero *cum gaudio*, & non cum luctu Tobias sepelitur? Certè quia mors iusti cuius animus ad requiem anolat, charis domesticis non debet inferre tristitiam, ne videantur aliquid de charitate detrahere, si de dilecti commodis saucietur.] * Gaudent præterea,

3.

Tobiæ iunioris è Niniue recessio, & obitus.

Præmium iustitiæ viri, eũ Deus bona senectute donare.

Probus gener gratis debet soceris inseruire.

Qui in timore Dei viuit, nõ moritur, dum abscedit.

Vita in timore Domini transacta & est ipsa mors, & sanctam connotat mortẽ.

Lætandum nobis in dilecti sancti obitu, ne videamur de eius dolere cõmodis.

Dies mortis iucundus, quia à lacrymarum valle recedit.

rcà, quia iam dilectus parens vallis huiusce recessit à lacrymis, sicut Christus Dominus de Lazari amici gaudens obitu, *Lazarus amicus noster dormit, & gaudeo.*] Demum omnis cognatio Tobiæ, & omnis generatio eius in sancta conuersatione permansit, ita vt tam Deo, quàm

Hominibus

hominibus qui illam incolebant regionem esset acceptus. * Plerumque enim fit hominibus acceptabilis, qui ex iustitia se Deo accepta-

acceptabilis, qui acceptus est Deo.

bilem esse procurat.] *Omnis, inquam, *cognatio eius in bona vita permansit.* Assolent enim plerumque filij parentum mores æmulari.] Sepulcrum quid & Tobiæ cadauer coniacet in Rages, seu Ecbatanis vt enim superius monui, duplici Vrbs illa nomine insignieba-

Assolent filij bonos, aut prauos parentum mores imitari.

tur.



LIBER

LIBER SEXTVS.

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD IVDITH.

PROLVSIO.

Crediderim huius libri auctorem fuisse Ioachimum summum Sacerdotem, qui rebus poc libro narratis interfuit, & penè præfuit. Materia Voluminis est Iudith de potentissimo Assyriorum tyranno victoria. Quâ quidem exprimitur allegoricè Deiparæ de capite serpentis tartarei victoria, auctore Fulberto Carnot. Audi Laurentium Laur. lib.4. *Maria dicitur Iudith à fortitudine, quâ occidit Holophernem Iudith. Sed Maria fortior, quæ contriuit caput serpentis antiqui, &c.*

CAPVT I.

Arphaxad Rex Medorum Vrbem Ecbatanis construit. A Nabuchodonosore bello superatur, & capitur. Qui dùm reliquis Regnis inhiat, ab illis spernitur, nec eius legati admittuntur.

1. ARPHAXAD itaque, rex Medorum, subiugauerat multas gentes imperio suo, & ipse ædificauit ciuitatem potentissimã, quam appellauit Ecbatanis, 2. ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres verò eius posuit in altitudinem cubitorum centum. 3. Per quadrum verò earum, latus vtrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas eius in altitudinem turrium: & gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum. 5. Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit contrà Arphaxad, & obtinuit eum: 6. in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphrarem, & Tigrin, & Iadason, in campo Erioch regis Elicorum. 7. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor eius eleuatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, 8. & ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes in Galilæam campo magno Esdrelon, 9. & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vsque ad Ierusalem, & omnem terram Iesse, quousque perueniatur ad terminos Æthiopiæ. 10. Ad hos omnes misit nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorum: 11. qui

omnes vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt. 12. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex aduersus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his.

COMMENTARII.

1. Arphaxad Vrbē Ecbatanis construit.



ERS. 1.2.3.4. Arphaxad, &c.] *Itaque* est nota copulatiua significans *Et, Atque, Autem*: sæpe præponitur ad initia Librorum vel sententiarum ornatus gratia; vel Librum nectit cum præcedentibus, qui extant; vel cum iis, ex quibus excepti sunt, nec tamen extant. *Itaque* Arphaxad Medorum Rex post multas gentes suo subiugatas imperio, Ciuitatem potentissimam ædificauit, quam vocauit Ecbatanis, seu vt in Græco est, *In Ecbactanis* ædificauit *muros*, & noua palatia *construxit*. Nam, teste Diodoro Ecbatana iam à 1300. annis nempè ante Semiramidem extiterat. Nam Semiramis, constructa Babylone, dicitur, in Ecbactanam excurrisse, & magnifica ibi excitasse palatia: cúmque aquarum Vrbs laboraret inopia, in eam Oronte monte qui duodecim stadiis abest, profusso, aquæ abundantiam deriuasse. Dicitur autem Arphaxad eam ædificasse, quia de nouo instaurauit, amplificauit, instauraut. *Id enim, quod reformas, quasi de nouo te extruxisse crede.] * Hinc Beatissimam Theresiam de Iesus Carmelitarum Reformatricem meritò Fundatricem appellarim. *In Ecbatanis enim muros, &* noua palatia *construxit*. dum antiquissimæ Eliæ Vrbi tantæ reclusionis fœmineæ muros excitauit, tot fœminis tot viris perfectis noua palatia erexit.] Porrò Arphaxad nomen erat generale omnium Regum Medorum: desumptum ab *Arbace* primo Niniues expugnatore, & Sardanapali triumphatore. Nam is alia inflexione *Arphaxad* dicebatur, & pingiori sono *Arphaxad*, & hoc suum nomen ad omnes successores suos traduxit. * Igitur *Arbace* iam temporis decursu Arphaxad appellatur. Ne fidas vllæ nominis æternandi rationi: ipsa enim diuturnitas paulatim illustria nomina assolet obliterare.] Cæterùm hic Arphaxad ex communi eorum sententia, qui historiam Iudith transmigrationi Babylonicæ præponunt, fuit *Deioces*, seu *Diocles*. Cuius Regni initium Eusebius confert in decimam octauam Olimpiadem. Subiugauit autem Busas, Parataceuos, Struchates, Arizantos, Budios, Magos, & alias Medis vicinas gentes: post quarum debellationem Vrbem Ecbatanis refecit, lapidibus quidem *quadratis & sectis*: quadratis quidem vt muri, turres, portæ, ac ædes existerent fortiores: sectis vero, vt pulchritudinem ostentarent. * Vilescit pulchritudo, quæ cum fortitudine non colligatur. Annon despicabilis pulchra fœmina quam constantia non roborat?] Perfecit muros eius cubitorū septuaginta latitudine altitudine: vero trigintaa: turres ad altitudinē cubitorum centum eleuauit. Turres autē illę quadratæ quidem excurrebant extra murum pedibus viginti; id enim fieri solet ad protegendum murum secundum longitudinem ab vna turri ad alteram, & ad submouendum inde hostem. In Græco faciliùs sic: *Turres præterea portis imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat, & latitudo sexaginta cubitis erat fundata.* Quod non repugnat vulgatæ editioni, quæ expressit prominentiam, & procursum turrium, Græca verò ipsam latitudinem, & faciem turrium quadratarum exposuit. *Posuitque portas eius in altitudinem turrium*, id est, cum turres essent (vt Græcus ait) portis impositæ, curauit, portas altitudini turrium proportionati, tam altitudine, quam latitudine. Tot itaque victoriis illustris, tanta Vrbe potens, *gloriabatur in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum*, quasi minimè cœlitus accepisset, O stultè, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Quod reformas, quasi de nouo edificas.

D. Theresia Carmelitarū Fūdatrix vocitanda, quia Reformatrix.

Haud fidendum vllæ nominis æternādi rationi.

Vilescit pulchritudo, quæ cum fortitudine, seu constantia non colligatur.

2. Arphaxad à Nabuchodonosore bello superatus, & capitur.

Verſ. 5.6.7. Anno igitur &c.] Verum Nabuchodonosor prognatus è Chaldaico sanguine Regum Babylonis casu aliquo fuit delapsus in Assyriam, factusque fuit filius adoptiuus, vel certè gener, aut alio modo affinis Assar-Haddon Assyriorum tunc Monarchæ, atque ita successor eiusdem in imperio. Chaldaicum tamen nomen Regum Babylonicorum, Nabuchodonosor, retinere voluit in æternam suæ familiæ ac sanguinis memoriam. Igitur Nabuchodonosor hic alio nomine Baradach, qui imperabat in Ninive, anno duodecimo Regni sui suscepit bellum aduersus Arphaxadum Regem Medorum: sed quinto demum anno post, nempè decimo septimo Regni sui, in campo Erioch Regis Elicorum (Græcè *Elymorum*) collatis cum Arphaxado signis, illum superauit, captiuum habuit, & iaculis confodi iussit, Ecbatanam vastauit, & omnes illius portas, turres, ac palatia solo æquauit. Ita Græcus hic v. 1. & vlt. * Agnatum enim superbo supplicium, ea omninò dispersi, quæ studiosus ille ad propriæ gloriæ ostentationem excitauerat.] Victus itaque fuit Arphaxad in campo magno, qui vocatur *Ragau* circa Euphratem, & Tigrin, & *Iadason* in campo *Erioch* Regis *Elicorum*. Pro *In campo Ragau* Græcus habet, *In campo illo magno, hic est in finibus Ragau*. Et postea, *Cepit Arphaxad in montibus Ragau*. Significantur autem planities & montes vicini Rages Ciuitati Medorum, cuius mentio est Tob. 1. 16. vti vidimus. Pro *Iadason* Græcus posuit Hydaspem, qui Indiæ est fluuius. Campum *Erioch* Biblia Complutensia *Arioch* appellant, Græca vero, & Romana correcta non faciunt hoc nomen proprium Regis, sed campi, qui erat Regis Elicorum. Alij legunt *Eliochorum*, alij Euchorum, Græcus *Elymeorum*, vel *Elymorum*. Campi verò Ragau ad Elymaidem spectant, Serario auctore hîc q. 10.

Supplicium superbi, ea dispersi, quæ ad ostentationem excitauerat.

3. Dum Nabuchodonosor reliquis inhiat Regnis, ab illis spernitur.

Verſ. 7.8.9.10.11.12. Tunc &c.] *Tunc*, id est, hac donatus victoria *exaltatum est*, seu increuit admodum Nabuchodonosoris Regnum, & eius *cor eleuatum est*. * Prosperitas enim euentuum præcordia assolent eleuare. Vndè non semel irati Numinis documentum est, prospera euenire, peccatoribus superbiæ scilicet illecta-menta. Sicut aduersitas iustis inflicta signum est Deitatis propitiæ parens vtique demissionis.] Inhians igitur reliquis quoque Regnis, nuncios

Prosperitas efficit cor eleuari. Vnde est aliquādo, iratī Numinis documentum.

nuncios immisit ad omnes, qui habitabant in Cilitia, Damasco, & Libani regione, & ad habitatores Carmeli, & *Cedar*, siue Arabes. Hi enim *Cedar* dicuntur progeniti à Cedar filio Ismaëlis, cuius Gen. 25. 13. mentio agitur, & ad omnes incolas Galilææ in *campo magno Esdrelon*, id est in planitie Galilææ, quæ Campus magnus etiam dicitur, & Campus *Mageddo*. & ad omnes Samaritanos, & eos qui aderant trans flumen Iordanem vsque ad Ierusalem: & ad omnem Terram *Iesse*, ad eos nimirum Arabas, qui Australiorem, & Occidentaliorem Arabiæ plagam colunt, quæ ad Ægyptum vergit, & ad Æthyopiæ terminos vsque perducitur. Porrò nuncij Nabuchodonosoris ex nomine hisce gentibus indixere Regis Assyriorum conatus. At cuncti vno animo contradixerunt, nunciosque remisere vacuos, & dedecore affectos. Quare indignatione actus Nabuchodonosor aduersus omnia Regna, ac Prouincias illas iurauit *per thronum & Regnum suum*, id est, per propriam potestatem & iurisdictionem tanquam per sacra quædam: *quod defenderet se de omnibus regionibus his*, id est, se vlciscereturr, vel iniuriam sibi ab illis illatam vindicaret. * Pondera illum iurandi modum, *Iurauit per thronum, & Regnum suum*, quasi per Deum. Profanis namque mundi amatoribus sæcularis potestas quasi idolum adoranda obiicitur.] * Certè vel ipsi subditi sæcularem potestatem velut Deum adorant.] Miseræ vtique adulationi seruientes.]

Regum potestas velut Deus adorãda exponitur.

Velut Deus ab adulatoribus adoratur.

CAPVT II.

Concilio bellico bellum indicendum decernitur. Holophernes validissimis copiis versus Occidentem immittitur, vbi variæ Gentes Regis sui imperio submittuntur.

1. ANno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, vt defenderet se. 2. Vocauitque omnes maiores natu, omnesque duces, & bellatores suos: & habuit cum eis mysterium consilij sui: 3. Dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. 4. Quod dictum cùm placuisset omnibus, vocauit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ, 5. & dixit ei: Egredere aduersus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum. 6. Non parcet oculus tuus vlli regno, omnemque vrbem, munitam subiugabis inibi. 7. Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumerauit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia. 8. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine numerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiosè, boum quoque armenta, gregesque ouium, quorum non erat numerus. 9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit. 10. Aurum verò, & argentum, de domo regis assumpsit multum nimis. 11. Et profectus est ipse, & omnis exercitus, cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ. 12. Cúmque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem. 13. Effregit autem ciuitatem opinatissimam Melothi, prædauitque omnes filios Tharsis, & filios Ismaël, qui erant contra faciem deserti, & ad austrum terræ Celloh. 14. Et transiuit Euphraten, & venit in Mesopotamiam, & fregit omnes ciuitates excelsas, quæ erant ibi, & à torrente Mambre vsquequo perueniatur ad mare: 15. & occupauit terminos eius, à Cilicia vsque ad fines Iapheth, qui sunt ad austrum. 16. Abduxitque omnes filios Madian, & prædauit omnem locupletationem eorum, omnèsque resistentes sibi occidit in ore gladij. 17. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnesque arbores & vineas fecit incidi: 18. & cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

COMMENTARII.

1. Iudicendum gẽtibus bellum bellico in concilio decernitur.

ERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Anno, &c.] Concepta itaque à Nabuchodonosore ira iam peruenit ad partum. Anno enim eius decimotertio, vigesima secunda die mensis primi, qui Iudæis est *Nisan*, nostrati Martio partim, partim Aprili respondens: facta est consultatio bellica apud palatium Nabuchodonosoris Assyriorum Medorum, & Persarum Regis, vt de vindicta contra rebelles ageretur. Ad quod concilium proceres, magnates, omnesque duces, ac præcipuos milites aduocauit, cum eisque consilij seu conatus sui *mysterium* seu arcanum contulit. * Omnia Regum consilia, desideria, aut conarus vti mysteria à subditis consiliariis reputantur, vndè non audent vel pugnante ratione contradicere.] Aperuit igitur consiliariis, *cogitationem suam* eò tendere, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Quæ quidem propositio omnibus, qui aderant in concilio, placuit. Quomodo non placeret, aut potius placuisse quomodo non asseruissent consiliarij, si Rex illam suam esse cogitationem manifestauit.? * Cum Reges apertè sua desideria consiliariis abiiciunt, non petit consilium, sed approbationem penitus ambit.] * Vnde si cupiunt Reges prudenter negocia geri, non debent sua desideria aperire in concilio, sed inquirere, an conueniens sit v. gr. huiusmodi bellum indicere.] Tunc consiliarij apertè sua vota promunt, quando crediderint desiderium Principis minimè violari.] *Quod dictum cum placuisset omnibus.* Mirum planè in concilio, vbi adsunt *omnes maiores natu seu* optimates, *omnes duces*, omnes *bellatores* præcipui, nullum Regis placito repugnasse. * Apta Periandri sententia. Placitum Regis vix vnquam apparet iniustum.] Approbantibus ergo cunctis, qui bellico aderant in concilio, vt executioni resolutio traderetur Nabuchodonosor Rex Holophernem militiæ suæ Principem aduocauit. Porrò *Holophernes* Persicum est nomen, quia & ipse **Dux** Persam esse crediderim cum cedreno. Quare faciliùs inducti fuere Persæ, vt se huic militiæ socios iungerent, de quo cap. 16. 12. Vndè euidenter, ni fallor, patet, hanc Iudithæ historiam ante inchoatam Persarum monarchiam contigisse. Nam illa stabilita, quomodo vel sub Cambyse, vel sub Xerxe, vel sub alio quopiam Rege induci potuissent Persæ tunc rerum domini, ac totius Orientis Monarchæ vt rebelli vni Assyrio Nabuchodonosori iunctis copiis adessent, ad imperium totius orbis ipsi parandum, sibi verò subtrahendum? *Holophernes*, qui in Latino vocatur *Princeps militiæ*, in Græco dicitur fuisse *secundus post Nabuchodonosorem*. Qualis in Ægypto post Pharaonem fuerat Ioseph, post Assuerum in Perside Aman. * O tempora fælicia admodum ex hoc capite, quando *Princeps militiæ* erat à Rege secundus! Honor enim militiæ additus tutatur Imperia.] * Tunc milites alacres vitam pro tutando Principe exponent, cum viderint se à Principe debita duci æstimatione.] Scio, Holophernem à Tertulliano l. 1. cont. Marc. c. 7. *Regem* appellari. * Et quando secundus à Rege, seu primus Aulicus (*El Valido*) Rex à cunctis non reputatur? Quidni Rex haberetur, qui cuncta suum exponit ad placitum?] * Neque ægrè olim ferebant magni Monarchæ, quod minores quosdam Reges sibi harerent ministros. At nonnulli Reges ægrè ferre possunt, quod Ministri aliqui maiores ipso Reges ob potentiam, & opes videantur.] Dixit itaque Nabuchodonosor Holopherni: Egredere, vt pugnax aduersus omne Occidentis Regnum exsurgas, & contra eos præcipuè, qui meum contempsere imperium, dum meos nuncios exceperunt inurbanè, ac inciuiliter dimiserunt. *Oculus tuus* vlli Regno non parcet. * Assolet misericordia ex miseriarum, miserorúmque aspectu maximè commoueri.] * Vndè oporteret, Reges ipsos per Oppida cursitare aliquando, vt aspectu agricolarum miserrimorum ad miseticordiam circa tributorum exactionem excitarentur.] * Ex hoc capite Rex ille sapiens apparet, quod supponit Holophernem miserias, miserosque aspectaturum. Sunt namque plures Reges eo ex capite insipientes, quod nullam iudicent adesse miseriam, nullos miseros, queis miserendum sit, inueniri.] Omnemque (addit) Vrbem munitam mihi sub iugare contende. En secundus à Rege, siue primarius Rulicus ad bella procedit. Oporteret, vt qui primi sunt nunc in honoribus, & diuitiis, primi ad certamina in Regum propugnaculum prosilirent.]

Omnia Regum consilia, seu desideria à consiliarijs reputantur mysteria, & non audent contradicere.

Cum Rex aperè suis cõsiliarijs sua obijcit desideria, approbationem ambit, non quærit consilium. Rex consiliarijs non aperiat suum desiderium; sed quærat, an cõueniens sit, hoc, aut illud agere.

Placitum Regis vix vnquam apparet iniustum.

Honor militiæ additus tutatur Imperia.

Miles alacer vitã pro Principe exponet, à quo se videbit æstimari.

Aulicus primus, seu el Válido vtè Rex habetur.

Multi Aulici, aut Ministri primarij Reges maiores ipso Monarcha esse ostentantur.

Ex miseriarum aspectu misericordia commouetur.

Oportet, Regem aliquandò ad videndum miseros proficisci agricolas.

Sunt Reges, qui nec sciãt, nec putãt vllum subditũ esse miserum.

Aulici primarij, qui primi sunt in honoribus, deberent primi ad bella prosilire.

2. Holophernes bellicam præparat expeditionem.

Vers. 7. 8. 9. 10. Tunc Holophernes, &c.] Regio præscripto obtemperaturus Holophernes mox aduocauit Duces, ac Magistratus seu summos ordinum ductores, ac equitum Magistros *virtutis*, siue exercitus ac copiarum Assyriorum: & recensuit viros, qui bellicæ illi expeditioni possent deseruire, quemadmodum Rex præscripserat: annumerauitque militum peditũ centũ viginti millia, equitũ verò sagitariorum duodecim millia. Omnẽ verò bellicũ apparatum fecit præire, nempè *innumerabilium* camelorum multitudinem, qui commeatum, arma, machinas deportarent: boum quoque armenta, ouium ac arietum greges, *quorum non erat numerus*, ne scilicet famæ tantus exercitus laboraret, dum, oppugnandi incolæ pagorum omnia in vrbes munita secum terunt, aut certè igni ferroque corrumpunt, ne hostibus vsui esse possunt. O quàm apte Dux ille fecit præire *expeditionem* seu bellicum apparatum magnas scilicet, & arma &c. Vt illorum Principum socordia subtaxetur, qui Duces ac milites faciunt præire: postmodum autem (inutiliter sæpius) bellicum emittunt apparatum. Præcedere hunc oportet, ne armorum defectu feruor belli langueſcere videatur.] Fecit simul præire commeatum, vt sequentes milites videant, sibi esse cum hoste non cum fame dimicandum. * O tempora, quum aduersus milites fames ditior hostis exsurgit!] * Milites pedites ac equites ad numerum reducunturi *Dinumerauit viros in expeditionem centum viginti millia peditum, equitum duodecim millia.* Victus autem (*Vineres*) sine numero præparantur, *In multitudine innumerabilium camelorum, Boum quoque armenta, gregésque ouium, quorum non erat numerus.* Vt non solum annona sufficeret pugnatoribus, sed superaret.] * Iam sine numero milites ducuntur ad bellum, & reducta ad numerum exiguum præparatur annona, quæ vix ad vnius aut alterius diei miseram sufficiat

Deberent Reges, numero militum commeatus sine numero parare.

Iam Reges inmeris militibus exiguo reductam numero impendunt annonam.

refe

refectionem.] Præterea frumentum ex omnibus Syriæ Oppidis dum transiret parari præcepit. Aureos verò, argenteosque nummos multos *nimis* ex *domo* Regia assumpsit. * Debent apud thesaurum Regium aurum & argentum ad belli subsidia præparari, ne cogatur è subditorum egenorum tuguriis æra vilissima emendicare.]

E domo Regia, non è tuguriis inopum debent pecuniæ ad bellum assumi.

Vers. 11.12.13.14.15.16.17.18. *Et profectus, &c.*] Præcedente igitur bellico apparatu, profectus est *ipse* Holophernes & omnes exercitus cum quadrigis, equitibus, sagitariis, peditibusque pugnatoribus, qui faciem terræ sic cooperuére, ac assolet obducere campum plaga *locustæ*. * Aptè quidem exercitus plagæ locustarum comparatur, quæ nihil viride relinquit immune, omnia devorat, Annis belli ô agricola, existima, agros tuos à locusta esse vorandos, nihilque tibi misero relinquendum.] Cumque exercitus fines Assyriæ pertransisset, venit ad magnos montes *Ange*, qui sunt à sinistro latere Ciliciæ superioris : omnia incolarum illorum castella expugnauit, omnem obtinuit munitionem. Crediderim per montes magnos *Ange* Taurum & Antitaurum mõtem designari; quia & hi magni sunt montes, & his Cilicia adiacet. Imò forsan ob tot montium vastas ac desolatos, aceruos, quot in iugis istis Taurinis reperiuntur, ab Hebræis, vel chaldæis dicti fuere *Ange* ab *Hai*, quod & *acervum* significat, & *desolationem*. *Effregit*, seu expugnauit præterea Holophernes ciuitatem *opinatissimam* seu inclytam, celeberrimam Melothi, quæ videtur esse ea, quæ à Plinio l.6.c.3. *Milita* vocatur, à Prolemeo *Melitena*, (l.5.1.c.6.) à Semiramide olim condita haud procul Euphrate. Putaturque sic dicta à *plenitudine*, seu opulentia omnium rerum. *Prædauitque* pro deprædatus est. Porrò Interpreti nostro non minus hoc licuit, quàm Ennio *criminat*, Turpilio *Proficisceret*, Næuio *Militas*, Pomponio *Mixabũ*, Titinnio *Osculani*, Varroni *Innitat*, Virgilio *Populat*, Ciceroni *Augurat*, Plauto *Vagat*. Prædatus est inquam Prouinciæ, cuius nomen est Thursis, habitatores, ac filios Ismaël. Seu Ismaëlitarum ditionem. (Longè distant Cilices ab Ismaëlitis, sed non seruatur ordo deuictarum Prouinciarum.) qui aderant contra faciem deserti, seu ex opposito eremi, & ad Austrum Terræ *Cellon* morabantur. Cellon nomen partis Ismaelitarum regionis. *transiuit* seu transierat Euphratem, (ordo itineris non asseruatur) peruentauitque in Mesopotamiam : cunctasque ciuitates *excelsas* seu illustres, quæ inibi erant à torrente Mambre vsque ad mare Mediterraneum expugnauit : eosque occupauit, seu possessioni Regis Nabuchodonosoris addixit terminos à Cilicia vsque ad fines Iaphèth, qui sunt ad Austrum. Pro torrente *Mambre* Græcus posuit *Arbonai*, siue *Arbona*. Non est torrens qui fuit in conualle Mambre, cuius mentio fit Gen.13.18. sed aliquam cum eo forsasse habuit similitudinem. Pro finibus *Iapheth* ferarius Portum *Ioppe* intelligit, qui nunc *Iapha* appellatur. *Abduxit* seu captiuos duxit Madianitas, omnemque *locupletationem*, seu diuitas illorũ deprædatus, est; omnes autem obsistentes interemit. Post hæc verò in campos Damasci in diebus messis descendit, omnia sata tradidit igni, cunctas arbores, ac vineas incidi præcepit. Et *timor illius*, id est, timor conceptus ex notitia aut consideratione victoriarum, ac crudelitatum Holophernis omnium Terræ illius orientalis habitatorum præcordia oppleuit, dum sibi similia inferenda existimarent. * Sine sensu enim procul dubio est, qui videns vicinorum incommoda, non iudicat, non timet sibi similia præparari, vides Deum in peccatorem vindicare? Quomodo ergo simili infectus crimine, non times simili supplicio subiacere?]

Annus belli est agricolis quasi plaga locusta.

3. Profectus Holophernes varias Gentes sui Regis subiicit ditioni.

Sine sensu est, qui videns vicinorũ incommoda, non timet, sibi similia præparari.

CAPVT III.

Omnes Orientis Prouinciæ vltrò se Holopherni dedere, ex quibus auxiliares ipse sibi assumit. Vrbes munitiores destruit, lucos cum idolis, ac fanis excendit, vt solus Nabuchodonosor Deus habeatur

1. TVNC miserunt legatos suos, vniuersarum vrbium ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet Mesoporamiæ, & Syriæ Sobal, & Libiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt: 2. Desinat indignatio tua circa nos : Melius est enim vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quàm morientes cum introitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiantur. 3. Omnis ciuitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesque ouium, & caprarũ, equorúmque & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ, in conspectu tuo sunt: 4. Sint omnia nostra sub lege tua. 5. Nos, & filij nostri, serui tui sumus. 6. Veni nobis pacificus dominus, & vtere seruitio nostro, ficut placuerit tibi. 7. Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram. 8. De vniuersis autem vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum. 9. Tantúsque metus prouinciis illis incubuit, vt

vniuersarum vrbium habitatores, principes, & honorati simul cum populis, exirent obuiam venienti, 10. Excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis. 11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt: 12. Nam ciuitates eorum destruxit: & lucos eorum excidit. 13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari. 14. Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnémque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa: 15. Accepitque ciuitates eorum, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuersum exercitum virtutis suæ.

COMMENTARII.

I. Legati ad Holophernē tradituri ei vrbis Prouincias, ventitarunt.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Tunc, &c.*] Omnes igitur Reges ac Principes Prouinciarum ac Vrbium scilicet Syriæ Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, Lybiæ atque Cilitiæ territi tantis copiis, & alieno prudentiores periculo, legatos ad Holophernem immiserunt, qui illorum ex nomine ei cuncta Regna vltroneè submitterent. Porrò de *Syria* præsè sumpta, cuius caput Damascus hîc sermo. Alioqui Syria latissimè sumpta complectitur non solùm Damascenam & Sobaliticam, sed & Palestinam, Iudæam, Celen, Phenicem, Babyloniam, totamque Mesopotamiam, comagenem, Assyriam, Antiochiam, Plinio scriptore, l. 5. c. 12. Verùm pro *Lybia*, quia procul à Syria, imò vltrà Ægyptum in Africa sita est, mallent aliqui interpretes, legi *Lycia*, vel *Lygia*, quam Herodotus l. 7. circa Syriam collocat, & à Lybia distinguit. Sed absurdum non reputarim, si dicamus etiam ex remotissimis orbis partibus, vt longè positum periculum auerterent, legatos ad Holophernem fuisse immissos. * Certè hostis vel à longè minax est omninò timendus. * At si visibilis timeri vel longè diffitus debet, cur non timemus aduersarium diabolum, qui nobis non iam minax, sed crudelis hæresciit?] Legati igitur Holopherni dixerunt: Haud in Reges, Prouincias, ac Vrbes nostras tua desæuiat, quæsumus, indignatio. Cuncta siquidem Regna accedimus tuo placito tradituri. Satiùs enim est, vt viuentes Nabuchodonosori *Regi magno* seruiamus, tibique secundo à Rege subditi simus, *quàm morientes cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.* id est, quàm post plurimorum mortem, qui superstites ex nostris fuerimus, adhuc seruitutem tolerare *cum interitu quidem nostro*, siquidem vnà cum captiuitate protinus ob rebellem, ac pertinacem animum occidemur. Satiùs ergo est, seruitutem æquo animo admittere, & mortis periculum non subire. * Preme particulam, *Cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.* Certè qui seruitutem inuoluntariè subit, cum interitu suo tolerat; quia violenter seruire, vetè est trucidari.] * Hinc Religiosi ad vltroneam se se assuescant seruitutem, ne cogantur inuoluntariè ac repugnanter seruientes vitam agere morte diriorem.] Cunctæ nostræ Vrbes, omnes possessiones, montes scilicet, campi, boum armenta, greges ouium, caprarum, equorum, ac camelorum, vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ tuæ subiacent potestati. Submittantur omnia legis tuæ præscriptioni. Nos ac filij nostri tuæ vltroneè addicimur seruituti. Ad nos pacificus dominus aduenj, & iuxta tuum placitum nostro vtere ministerio. * Vt enim dominus possit famulis velut mancipiis vti, sufficit se pacificum dominum ostentare. Dominatoris mansuetudo seruos efficit ad obsequendum promptiores.]

Hostis vel à longè minax timendus.

Cur ergo non omnes diabolum aduersarium, qui tibi nō minax, sed crudelis hæresciit.

Inuoluntaria seruitus, mors omnino repudianda.

Religiosus inuoluntariè à vltronea, vitam agit morte diriorem.

Mansuetudo domini efficit famulos ad seruiendum promptiores.

I. Ex superatis hostibus sibi auxiliares assumit, Vrbes vastat, idola comminuit.

Vers. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Tunc descendit, &c.*] Holophernes *tunc*, seu post legatorum expedita negotia *descendit* de montibus Casio, Libano, Antilibano (qui in Syria sunt, inter quorum duos postremos Damascus adest, in cuius ille fælices campos iam descenderat cap. 2. 17.) cum equitatu validissimo, obtinuitque sine concertatione omnes Regionis ciuitates, cunctosque ciues Regis Nabuchodonosoris seruitia mancipauit. At quia cum aliis fortissimis Gentibus ei erat pugnandum, vt exercitum suum redderet potentiorem, de vniuersis obsequentibus vrbibus viros fortes, ad bellaque agnatos auxiliares assumpsit. Non semper tutum est ex hostibus deuictis auxiliares accipere. Nam vel remissè pugnant, aut facilè aduersariorum transfugiunt ad copias. Profectò tantus metus illis Prouinciis incubuit, vt omnium Vrbium Principes, ac proceres, nec non reliqui ciues obuiam procederent Holopherni aduentanti, excipientes eum coronas foliorum ac florum gestantes, lampades præferentes in lætitiæ, ac reuerentiæ signum, ducentésque simul choros, tympanis, tibiisque personantibus. Cæterùm nec tot submissionis documenta exponentes immitis illius pectoris *ferocitatem mitigare* potuerunt. * Superbus enim animus ex victi submissione & humiliatione crudelior exsurgit.] Nam Ciuitates eorum munitiores & à quibus timeri posset aliquando rebellio destruxit, & lucos excidit cum aris scilicet, ac fanis deorum, quæ lucis ferè cingebantur, ad maiorem loco venerationem conciliandam, & ad sordes illorum sacrorum saltem ex parte tegendas. * Qualia opera idololatrarum, queis ipsa natura quætitabat opercula. Haud sic Christianorum operatio, quæ iubet Dominus non in lucis, sed in luce geri, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*] Vtinam solis idolis hoc bellum Holophernes mouisset, & non etiam verum Deum cœli & terræ suo è solio voluisset exturbare! Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes deos terræ illius exterminaret, vt ab illis Nationibus, quæ potuissent ab Holoperne subiugari, solus Nabuchodonosor acciperet Deitatis obsequium. * Hæc vnica miserorum spes, Regis effrænata superbia, quæ

Superbus animus ex victi submissione crudelior exsurgit.

Opera idololatrarum in lucis, opera Christianorum in luce gerenntur.

Præpropera humiliatio est agnata superbiæ.

quæ vnico nitens pede non poterat diù persistere; agnata etenim superbiæ propera est humiliatio.] Percurrens autem Syriam Sobal, & omnes Apameæ terminos, cunctósque Mesopotamiæ fines venit ad Idumæos *in terram Gabaa*, id est, in terram montanam & cliuosam. Græcè est, *Venit in planitiem Esdrelon propè Dothæam*, (vnde fortè legendum, *Venit ad Dothæos* pro Idumæis) *è regione Serræ Iudææ*, (id est, tractus in Iudæa perpetuò cliuosi, quæ Luc. 1, 39. *montana Iudææ* vocantur) *& castra metatus est inter Gabe & Scythopolim.* De Gæbe verò vel *Gabe* asserit Plinius Vrbem esse instar Regni. Existimo tamen retinendum esse cum Latino ipsum Idumæorum nomen, cum ex Iosepho l. 4. Antiq. c. 16. constet Idumæam quandoque tam amplè sumi, vt Gazam quoque & Gaben, & Ascalonem, & omnia vicina comprehendat. Porrò *Apamea* est Prouincia Cælesyriæ à Ciuitate Apamea eius Metropoli sic dicta. Demum cunctis harum regionum Vrbibus captis, apud asperam & montanam illam terram (quæ *Gabaa* nomine exprimitur) castra metatus est triginta dierum spatio, quibus iussit, vniuersum exercitum *virtutis suæ* siue copiarum suarum adunari. * Nec sufficit, innumerabiles esse copias, ad victoriam assequendam, nisi vnitate, seu concordia ac belli pace colligentur.]

Non sufficit ad victoriam, innumerabiles esse copias, nisi pace colligentur.

CAPVT IV.

Tyranni propinquantis metu Iudæi perterriti curant se se aduersus illum tueri, nec solùm humanæ student industriæ; sed & ieiuniis, & precibus, summi hortatu Pontificis, diuinum auxilium implorare satagunt.

1. VNC audientes hæc filij Israël, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valdè à facie eius. 2. Tremor & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis earum. 3. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum vsque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium: 4. & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ. 5. Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad vniuersos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuersos, per quos viæ transitus esse poterat: 6. vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & illic custodirent vbi angustum iter esse poterat inter montes. 7. Et fecerunt filij Israël, secundùm quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim. 8. Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. 9. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio: 10. & clamauerunt ad Dominum Deum Israël vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium Gentibus. 11. Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuiuit omnem Israël, allocutúsque est eos, 12. dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini. 13. Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: 14. sic erunt vniuersi hostes Israël: si perseueraueritis in hoc opere, quod cœpistis. 15. Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, 16. ita vt etiam hi qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum. 17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, vt visitaret populum suum Israël.

COMMENTARII.

1. Iudæi media humana expediunt, vt se à Tyranno Holophernę defendant.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Tunc, &c.*] Ad Israëlitarum igitur aures aduentarunt strages, quas Holophernis diritas in tot Prouincias excitarat, & totius Iudææ habitatores ingenti timore affecti fuére, dum eum sciebant iàm iàm accessurum, & nesciebant, nùm ausurus esset in sanctam Vrbem Ierosolymam, Templúmque Dei sacrilegus exsurgere, sicut Gentilium Vrbibus & idolorum fanis crudelem se ostentarat. *Ne hoc* (ait textus) *faceret Ierusalem & Templo Domini, quo fecerat cæteris Ciuitatibus & templis earum.* Subtaxabiles hinc aliquatenus Israëlitæ mihi obiiciuntur, quod prius Ierusalem, quàm Templi Domini eos pungeret solicitudo. * Debuissent enim timere, ne Holophernes faceret *Templo Domini, & Ierusalem*, quod gesserat cæteris Ciuitatibus ac templis. Præcipua fidelis animi solicitudo debet esse circa Templorum, sacrorúmque immunitatem, à qua tota Vrbium protectio pendet.] Vt verò tot incommoda præpedirent, nuncios in omnem Samaritanorum dictionem vsque ad Iericho immiserunt, vt cum Iudæis vires colligarent. Nam licet alioqui Samaritani Iudæis erant inimici, commune tamen periculum suadebat inire fœdus, vt se ab Holopherne tuerentur. * Extremam iudica. Regno calamitatem instare, cum videris Christicolas fideles Principes in fidelium seu hæreticorum vti patrocinio.] Ad bellicam expeditionem.] Præoccupare curarum omnes montium vertices præsidio militum, vt quasi ex muris possent impetum hostium retardare, & minora Oppida muris circumdederunt: Vrbes enim iam pridem à Salomone aliisque Iudæ Regibus probè cinctæ ac munitæ fuerant. * Desidia agnata Regibus Vicorum, ac Villarum protectionem contemnere. Malè quidem; assolet enim hostis ex facili Villarum ingressu ad difficilem Vrbium expugnationem aditum inuenire.] * Edisce non solum potentias animi Vrbes potentissimas communire, sed & sensus corporis, Oppida infirmiora circumuallare; facilè enim inuisibilis hostis à Villa in Vrbem, à sensu in potentiam assolet tanslire.] * Credite mihi Reges, à Villarum, à villanorum protectione totam pendere Vrbium incolumitatem. Si Villæ depereunt, si earum incolæ ex tributorum exactione fugantur, quonammodò Vrbium consistet integritas?] Roboratis ergo Villis, ac Vicis, frumenta in *præparationem pugnæ* vndique colligi curarunt. * Solummodò frumentorum collectionem, non scuta, non gladios, non sagittas *pugnæ præparationem* vocitat Historiographus. Dare mihi militi non deficere annonam, en armatus ad certamina exsurgo: militum enim ferè totum robur est satietas.] Ad tolerandam ergo obsidionem diuturnam diuersi generis victualia præparárunt. Addit Græcus Iudææ agros sub id tempus πρόσφατος, id est, *recens*, demessos fuisse, vndè commodè poterant frumentationi vacare. Summus *etiam* Pontifex Eliachim, seu Ioachim scripsit ad omnes, qui aderant è regione Esdrelon, & campi magni iuxta Dothaim, habitatores, & ad eos, per quos viæ transitus esse poterat, vt occuparent, obturarentque montium ascensus, per quos hostium copiis poterat patescere ad Vrbem Ierosolymæ aditus: & inibi custodiam ac præsidium addicerent, vbi licet angustum, iter inter montes patesceret. * Preme verbum, *Sacerdos etiam Eliachim*, Non solùm sæcularis status, sed *etiam* Sacerdotalis in communi clade debet esse solicitus.] Quæ fieris, cur si regnabat illa tempestate Manasses, & reductus iam in Regnum è captiuitate fuisset, bellicam rem aduersus Holophernem non Rex ipse, sed Pontifex administrat? An quia Manasses recens è carcere Babylonico redierat, & tanta perculsus calamitate, publico ad tempus abstinebat, totus in Dei cultu occupatus, forsan & morbo ex miseriis, præteritis vix, præpeditus, omnem Reipublicæ administrationem penes Pontificem, ac Senatum Regium reliquit, penes quos ipso fuerat absente? Crediderim cum Iosepho l. 10. Antiq. c. 4. Manassem, ex quo Babylone rediit, in vna re solùm occupari, nempe vt omni religione Deum prosequeretur. * Nam qui à Deo se liberatum videt ab aliquo grauissimo famæ aut vitæ discrimine, deberet vnicè diuino obsequio studium impendere.] Haud tamen concesserim, ita prorsus ab hoc bello Holophernico manum Manassem continuisse, vt non etiam, quantum in præsenti posset, intenderit, quin & super intenderit. * Nec deceret Deo sic addictum Regem ignorare perfectius, imò omninò necessarium aliquandò esse à contemplationis excessu ad visibiles descendere actiones, præcipuè cum causa Religionis excutitur.] Certè filij Israël iuxta Pontificis præscripta cuncta constituerunt.

Prima fidelium cura debet esse circa Templorũ immunitatem, è qua tota Vrbium pendet protectio.

Extremam arguit calamitatem, vti Principe Catholicum infidelium præsidio ad bellicam expeditionem.

Desidia agnata Regibus Vicorum, ac Villarum protectionem contemnere. Sensus externos communire stude, vt animæ potentias inuisibili ab hoste defendas.

A Villarum, agricolarúmque incolumitate tota Vrbium pendet integritas.

Totum ferè exercitus robur est militum satietas.

In communi clade etiam status Ecclesiasticus debet esse solicitus.

Qui à graui periculo famæ aut vitæ liberatur, debet esse totum soli diuino obsequio litare.

Necessarium est aliquando abcessu contẽplationis ad visibiles actiones descẽdere.

Verſ. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *& clamàuit, &c.*] Nec solam Israëlitæ humanam adhibuere industriam, vt ab imminenti periculo eruerentur, sed & ieiuniis, & humillima prece, diuinum auxilium Pontificis implorant hortatu. * Humana parum proficit diligentia, si ad cœlestia simul imploranda auxilia animus non accurrat.] * Commendabilis ergo Israël quod nec sola humana industria nititur, nec solo fulciri procurat auxilio. Sic enim debemus hærere diuinis, vt non desides circa humana remedia videamur.] Clamauit itaque omnis populus ad Dominum *instantia magna*, id est, cum ingenti feruore, ac perseuerantia. * Id è quo tua pendet incolumitas, non sufficiat tibi, semel aut iterum postulasse: insta orationi, donec consecutione potiare.] Tam viri, quàm milieres *humiliauerunt animas suas ieiuniis, & orationibus*, id est ieiuniis ac vigiliis se se coram Domino pœnitentium habitu demiserunt. * *In ieiuniis* (ait) *& orationibus.* Alis enim ieiunij pernitior ad superos auolabit oratio.] Huius instantia, & exercitamentum efficit mox animum humiliari. Ideò orantes Iudæi *animas suas humiliauerunt*, quia orationi instare curarunt. *In orationibus.*] *Ipsi*, inquam, *& mulieres eorum.* Quàm efficax oratio, quæ communiter, seu in communitate fidelium instituitur!] * Cum communis est ærumna præsens, aut imminens, oportet à communitate publicas preces institui.] Interim Sacerdotes Deum placare satagebant, se ciliciis induendo, infantes coram Templo sacerrimo prosternendo, ipsumque altare

2. Iudæi simul ad media diuina accurrunt, vt ab imminenti periculo eruantur.

Parum humana diligẽtia prodest, si diuinum non adest auxilium.

Sic nitere diuinis, vt non sis deses circa humana remedia.

Id, è quo tua pendet salus, non sufficiat semel postulasse; insta precibus.

Ieiunij pennis velocior ad superos oratio auolat.

Orationis exercitiũ facit illicò animum humiliari.

Efficax communitatis oratio.

In communi ærumna communis fiat oratio.

altare Domini operculo, seu velamine obducendo cilicino. In Græco dicuntur ipsi pueri seipsos prostrauisse. Sed factum vtrumque reor, pueri enim parentum iussu, & institutione se se humi prosternebant. * Nihil sic Dei contra peccatores frangit iracundiam, quàm eius conspectui apposita innocentia.] * Ex quo Iesus tibi se infantem obtulit, habes quomodò facillimè Dei iram possis eneruare, Infantem *contra* Domini *faciem* prosternere satage, qui *semetipsum exinaniuit.*] Cur verò altare cilicio obducitur? Quemadmodum ad gratias Deo agendas, læta organa pulsantur, altare lætis ornatur operimentis: sic ad misericordiam rebus aduersis conciliandam, tristia eidem aptè adhibentur ornamenta. Die mihi Altare sacerrime, vndenam tibi cilicij asperitas? An Sacerdotum tuorum cilicina vestimenta gestantium affectum imitaris? An propter illorum defectus tu pœnitentiam geris? An funebri vestitu indueris ob instans Ierosolymæ exitium, Templi destructionem? Certè Altare Sacerdotibus nunquam non morem gerit inuisibiliter. Si illi candido vruntur puræ scilicet conscientiæ indumento: sic apparet Altare. Si atris obteguntur indumentis, Altare se atratum exponit. Christum enim eum Sacerdos experitur, qualem se Christo ipse sacerrimo præsentat Altari, iuxta illud Dauidicum, *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*] Et clamarunt Sacerdotes ad Dominum Deum Israël vnanimiter, rogantes, ne filij eorum hostibus traderentur in prædam, & vxores eorum *in diuisionem*, captiuitatis enim tempore vxores à maritis, fratres à fratribus, propinqui à propinquis distrahuntur. Vel dicuntur dari *in diuisionem*, quia victores, quorum præda facti sunt, captiuos diuidunt inter se. Quid horribilius maritis, quàm vxores suas iudicare inter hostes esse diuidendas? Scio, Carthusianum sic exposuisse, *Ne ab hostibus dissecarentur & violarentur.* Violari enim vxores, tantumdem erat ac si dirè dissecari iuberentur. Proba enim vxor mallet trucidari, quàm violari.] Exorabant præterea, nè Ciuitates Israël darentur in exterminium occisis ciuibus, aut ad captiuitatem adductis: & *sancta in pollutionem*, hoc est, ne Templum, altare, ac vasa cultui diuino sacrata ab infidelibus contaminarentur, & fierent Gentilibus in opprobrium: * Vasane sancta, an Iudæi ipsi? Certè quæcumque Templo, aut cuilibet rei sacræ opprobria inferuntur, fidelibus illata esse quis dubitet?] Porrò Eliachim Pontifex summus non solùm ad Israëlitas scripsit, sed postmodum omnem circumiit Israëlitarum regionem, eisque dictitauit: *Scitote, &c.* * Ad negotia, quæ Dei cultum, populique spectant vtilitatem, non sufficiat Præsuli per epistolas, per Visitatores alloqui subditos, oportet ipsum proficisci, & facie ad faciem alloqui.] *Scitote*, (inquit Eliachimus) seu *sperate.* Fidelium spes tam firma debet esse ex agnata Domino pietate, vt *sperare* idem sit atque *scire* & certò credere.] Credite, sperate, quoniam Dominus preces vestras exaudiet, si *manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Domini.* * Replicat *Manentes, permanseritis.* vt innuat, orationis instantia, ac pœnitudinis operum persistentia cœleste Numen reddi placabile.] Aptè addidit, *In conspectu Domini*, quia ieiunia & præces à conspectu Domini aberrantes, ac conspectum hominum ambientes sine fructu geruntur.] Ad memoriam aduocare Mosem Dei famulum, qui quidem Amalecitas in fortitudine ac potentia sua in exercitu suo curribus & equitibus fiduciam collocantes non armorum vi, sed orationis gladio interemit. Haud aliter cuncti Israelis hostes deiicientur, si precibus instantiam non deseruerit is. Pontificis itaque adhortatione roborati Israëlitæ instantes orationi coram Domino persistebant, offerebant interim holocausta induti ciliciis, & capitibus cinere defædatis. Omnes verò toto ex corde Dominum exorabant, *vt visitaret populum suum Israël*, id est, vt populo suo adesset, & illi opem impertiret.

Innocentia Dei oculis obiecta, eius frangit iracundiam.

Infantem Iesus tibi se tradit, vt habeas quomodò Dei frangas iram.

Qualem Sacerdos se Altari Eucharistico offert, tale sibi Altare Eucharisticū experitur.

Idem est, violari vxorem, ac dissecari, aut trucidari.

Quæcumque rebus sacris inferuntur opprobria fidelibus illata esse, certum est.

Ad negotia grauia Dei cultum, aut populi salutē spectātia Præsul ipse proficiscatur.

Spes fidelium quasi possessio.

Orationis instātia, ac pœnitudinis operum persistentia Deus placabilis reddit ur.

Ieiunans, aut orans, fugat hominum cōspectum.

CAPVT V.

Dux Ammonitarum Achior rogatus ab Holopherne de Iudæis Dei circa illos opera stupenda enarrat, curatque eum à pugna aduersus illum populum auocare. Achiori propter hæc cuncti Holophernis Principes indignantur.

1. NVNTIATVMQVE est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quòd filij Israël præpararent se ad resistendum, ac montium itinera concluſissent, 2. & furore nimio exarsit in iracundia magna, vocauitque omnes principes Moab & duces Ammon, 3. & dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ, & quales, & quantæ sint ciuitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum: 4. & quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt susciperent nos cum pace; 5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo

iſto qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo. 6. Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt. 7. hic primùm in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in Terra Chaldæorum. 8. Deſerentes itaque cæremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, 9. vnum Deum cæli coluerunt: qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan. Cúmque operuiſſet omnem terram fames, deſcenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, vt dinumerari eorum non poſſet exercitus. 10. Cúmque grauaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium ſuarum in luto & latere ſubiugaſſet eos, clamauerunt ad Dominum ſuum, & percuſſit totam Terram Ægypti plagis variis. 11. Cúmque eieciſſent eos Ægyptij à ſe, & ceſſaſſet plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad ſuum ſeruitium reuocare, 12. fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarentur, & iſti pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent. 13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos perſequeretur, ita aquis coopertus eſt, vt non remaneret vel vnus, qui factum poſteris nunciaret. 14. Egreſſi verò mare rubrum, deſerta Sina montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit. 15. Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo conſecuti ſunt. 16. Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta, & abſque ſcuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit. 17. Et non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui. 18. Quotieſcumque autem præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. 19. Quotieſcumque autem pœnituerunt ſe receſſiſſe à cultura Dei ſui, dedit eis Deus cæli virtutem reſiſtendi. 20. Denique Chananæum regem & Iæbuſæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Heſebon proſtrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipſi poſſederunt: 21. & vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem. 22. Nam & ante hos annos, cùm receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt in terram non ſuam. 23. Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Ieruſalem, vbi ſunt ſancta eorum. 24. Nunc ergo mi domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ. 25. Si verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ. 26. Et factum eſt cùm ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum: 27. Quis eſt iſte, qui filios Iſraël poſſe dicat reſiſtere regi Nabuchodonoſor, & exercitibus eius, homines inermes, & ſine virtute, & ſine peritia artis pugnæ? 28. Vt ergo agnoſcat Achior quoniam fallit nos, aſcendamus in montana: & cùm capti fuerint potentes eorum, tunc cum eiſdem gladio tranſuerberabitur: 29. Vt ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt.

COMMENTARII.

1. Achior ab Holopherne de Iudæis interrogatur.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Nunciatum, &c.*] Renunciatum autem fuit Principi exercitus Aſſyriorum Holopherni, filios Iſraël ſe ſe ad reſiſtendum eius incurſui præparare, ac montium itineribus obturandis nauaſſe operam. Quo nuncio nimio furore exarſit, & aduocauit omnes Moabitarum Principes Ducéſque Ammonitarum, eíſque dixit: Cauſa certè furoris nimij huius fuit, quod Iudæorum bellicum apparatum ſui, ac Nabuchodonoſoris contemptum interpretaretur. * Superbus enim animus vel deſiderium obſiſtendi eius conatui iudicat eſſe iniuriam.] At Moabitas ac Ammonitas aduocat, quia hi ob vicinitatem, ac matrimonia non ſemel inita cum Iudæis, aptiùs poſſent ſuæ interrogationi ſatisfacere. Dicitote mihi, (ait) quinam populus hic, qui montium concluſit itinera, à me tam facilè referanda. Quænam, quales, & quantæ ſint ciuitates eorum, quantaque eorum fortitudo, ac numerus, vt valeant validum exercitum colligare, aut quiſnam inter eos artis militaris adeò peritus, vt poſſit Principis mili

Superbus vel deſiderium ei obſiſtendi indicat eſſe iniuriam.

militum meo in conſpectu munus agere? Et vndenam præ omnibus nationibus ſeu Prouinciis orientalibus, hi nos ſpecialiter contemſere, nec geſtierunt humiles, vt nobis procederent obuiam, & in pace ſuſciperent? An hæ interrogationes ſunt Holophernis omninò ignorantis? Minimè. Quomodò enim tantus Aſſyriorum Dux ignoraret, quæ paucis ante annis de genre Iudæa potentiſſimi Reges ſui Theglat Phalaſar, Salmanaſar, & Sennacherib trophæa retuliſſent? Sunt planè militares interrogationes ſuperbiſſimi Ducis mirantis, ſtupentis, indignantis, hoſteſque vili pendentis. Sic olim Pharao Exo. 5. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius?* & Nabal 1. Reg. 25. *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai?* Hic loquendi modus eſt tumidi animi, faſtu pleni, ſui ſolius admiratione, aliorum contemptu.

2. Enarrat Achior Dei propitij Iudæis mirabilia ad eorum protectionem.

Verſ. 5. vſque ad 25. *Tunc Achior, &c.*] Subticentibus ergo reliquis Principibus, ac Ducibus auxiliaribus, Achior Dux Ammonitarum, qui ex vicinitate loci, aut propinquitate originis, (nam Loth pater Ammonitarum filius fuit fratris Abrahæ patris Hebræorum) imò ex ſpeciali Dei prouidentia rectè calluerat Iudæorum hiſtorias, reſpondens Holopherni, profatur: *ſi digneris ô domine*, me exaudire, aperiam nudè veritatem circa ea, quæ de populo Iudæorum montanorum incolæ, agnoui, nec vllum verbum meo ex ore procedet, quod poſſit falſitatis incuſari. * Si ipſe Holophernes rogitauit reſponſa exauditurus, quid neceſſum fuit Achiorem præmittere, *ſi digneris audire, domine mi?* Quid aliud dixiſſet, ſi videret illum omninò illius tractationis oſſorem, vt eum alliceret *ad* audiendum? Certè cum Achior intendebat nudam exprimere *veritatem*, ſciebat Principes velle, & non velle illam exaudire. Sic Pilatus Chriſtum rogauit, *Quid eſt veritas*, & protinus exiuit ad Iudæos, ne Chriſtus reſponderet; quia Principes profani volunt, & non volunt veritatis præſcripta percipere. Ideò Achior licet perceperit Holophernis interrogationem circa Iudæos, credidit veritati aures obturaturum.] * Et quandò ad Aulicorum aures veritati pateſcit ingreſſio?] Inculcat verò Achior ſe veritatem prolaturum, *Dicam veritatem, & non egredietur verbum falſum ex ore meo.* * Quia nullus, vel rarus eſt, qui nudam Principibus veritatem aperiat.] * Et quia vix vllus hiſtoriam refert, qui ſaltem ornatus gratia mendaciunculum aliquod non proferat.] Populus (ait Achior) iſte Chaldæorum oritur ex progenie. (Gen. 11. 31.) Valebat hoc ad conciliandam erga Iudæos hoſtis beneuolentiam, cum Holophernes Regi Chaldæorum eſſet ſubiectus. * Quia quidquid ad communem patriam, aut ſanguinem ſpectare videtur, aſſolet animos allicere.] Populus hic primùm fuit Meſopothamiæ incola in ſtirpe ſcilicet, ac Principe generis ſui Abrahamo, nondum enim erat **populus**. * Et tamen dicitur verè, ibi populum habitaſſe, quia & tota progenies in ſtirpe, & cuncti ſubditi quodammodò in Principe includuntur.] * Hinc piacula ſubditorum Principi tribuuntur, & dedecus propinqui alicuius videtur ſtirpem deturpare.] Habitauit autem ideò Abrahamus Iudæorum Princeps in Meſopothamia; quia noluit diis patrum ſuorum, qui in Chaldæorum Terra colebantur, noluit thura libare, Deo videlicet ſe Abrahæ manifeſtante, & imperante migrationem. Cur verò Achior, qui curabat Holophernem ad miſerationem erga Iudæos allicere, id expreſſit, quod ad conflandum huic populo odium conferre videbatur? Porrò dictum id ab Achiore reor, ne videretur Iudæorum cauſam agere, non autem veritatem candidè profiteri. * Et quidem qui texit hiſtoriam, nullatenus debet vllam actionem aut euentum præterire, vnde veritas videatur violari.] Deferens itaque Abrahamus Iudæorum Princeps patrias circa deorum multitudinem *ceremonias*, ſeu cultum, vnum *Deum cœli* coluit. Deum cœli vocitat ad terrorem Holopherni incutiendum, Principi quidem terricolæ. Principes *dij terræ* vocantur, ſed meminerint ſubditos eſſe. *Deo cœli*, qui ludit *in orbe terrarum*.] Deus hic cœleſtis Abrahæ præcepit, vt è Terra Chaldæorum progrederetur in *Charan*, id eſt, in Meſopothamiæ Vrbem nomine *Aran*, quæ in Actis c. 7. Charran dictitatur, in qua Abrahamus & Loth ad tempus habitauerunt. Donec Iacob nepos Abrahæ cum vniuerſa familia ſua fame omnem terram premente, deſcendit in Ægyptum, vbi quadringentorum annorum interſtitio ſic fuére multiplicati Abrahæ filij, Iudæorum populus, vt vix dinumerari eorum valeret *exercitus*. * Preme particulam. *Vt dinumerari eorum non poſſet exercitus.* Populum pulchrè appellauit exercitum, quia non poteſt coaleſcere populus, niſi ciues & in morem militum Ductori ſubmittantur, & ſemper ſint ad bella parati, ne hoſtium populus pateſcat incurſibus.] * Tam mirabilem verò populi electi multiplicationem orta crediderim ex laborum ac perſecutionum diritate. Dominica quidem ſeges temporum iniuriis, ſeu laborum inſtantia multiplicatur.) Certè cum Iſraëlitæ à Rege Ægypti Pharaone nimium aggrauarentur, perdifficilique laterum operi ad Vrbium ædificia tyrannicè addicerentur: ad Dominum Deum ſuum clamantes eum reddidere propitium, & defenſor, ac vindex Terram Ægypti decem horribilibus plagis diuerberauit. At Rex vt plagarum dira euaderet, inſtantibus Ægyptiis, Iſraëlem abire permiſit; ſed dolens id feciſſe Pharao, quia plagæ ceſſauerant moleſtiæ) curanſque Hebræos ad priſtinum ſeruitium reuocare, eos eſt, multo milite armatus, perſecutus. Pelagus obſtabat, ne poſſent Iſraëlitæ inſiſtere fugæ: at Deo protectore, ſic maris Rubri hinc inde ſolidauit vndas itinere in medio patente, vt Iudæi ad vlteriorem ripam ſicco pede progrederẽrur. Viſi ſibi Ægyptij, æquora æquè placida experituros, maria ineunt: Sed aquæ, quæ inſtar muri, ſeſe pergentibus Hebræis ſolidauerant: vt Ægyptios obruerent, fluxam rurſum aſſumpſere naturam: & vbi Ægyptij ſe inuenturos tramitem iudicarunt, inuenére ſepulchrum. * Pelagi mundialis vnde non omnibus ſecuræ oſtentantur; quia non omnibus datum eſt, ſicco veſtigio progredi. Ad cœleſtem ripam ſæcularia æquora tranantes multi appellunt, ſed plures miſerè obruuntur. Vnde ſatius tibi, regulare inire deſertum, vbi ſecurior via pateſcit ad patriam, quàm ſæcularis æquori ſubire pericula.] Periere itaque omnes Ægyptij, nec remanſit ſaltem vnus, qui tantam oculatus teſtis poſteris nunciaret ſtragem. At Iſraëlitæ egreſſi

Principes volunt, & non volunt veritatem audire.

In aulicorum auribus nunquam veritati pateſcit ingreſſio.

Rarus eſt, qui nudam Principibus veritatem aperiat.

Vix vllus hiſtoriam refert, qui aliquod mendaciunculum ornatus gratia non proferat.

Quidquid ad communẽ patriam ſpectat, animos ſolet allicere.

Tota progenies in ſtirpe, cuncti ſubditi includuntur in Principe.

Subditorum piacula Principi tribuuntur.

Qui texit hiſtoriam, nullum euentum debet omittere, vnde violari veritas videatur.

Principes dij terræ ſunt, ſed ſubditi Deo cœli, qui ludit in orbe terrarum.

Populus vt ſeruetur debet ſe exercitus in morem gerere.

Eccleſiæ filij hoſtium perſecutionibus multiplicantur.

Non omnibus datum eſt, ſæcularia æquora ſicco pede tranare; ideò ſecurius Religioni ini deſertum.

mare Rubrum montis Sina deserta occupauerunt, tam vastam, tam horribilem solitudinem, vt nulli vnquam homini potuerit habitaculum præparare. Sic Moses Deut. 32. 10. *Inuenit eos in loco horroris, & vastæ solitudinis.* Et Ieremias c. 2. 6. desertum illud appellauit *terram inhabitabilem, & inviam, terram sitis, & imaginem mortis, terram, in qua non habitauit vir.* Apud illud desertum sitis amaras Deus Hebræis suis indulcauit aquas, & quadraginta annorum spatio eos lautè refecit. Obsistentésque eorum itineri hostes inermibus Hebræis, Deus protector vbique deleuit. Nec fuit qui Israëlitico insultaret populo, nisi quando Domini Dei sui à cultu recessit. Porrò hæc pertinent ad tempora Iosue, quibus Israëlitæ Terram Chananæorum occupauerunt. * Vtinam Reges illam particulam perpenderent, ac perpetuò memoriæ traderent: *Et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.* Vndenàm tot hostes Regnis potentissimis audent insultare, nisi quia Veneri, Baccho, Marti à Christicolis thura litantur, dum tot luxuriei, gulæ, ac iracundiæ crimina perpetrantur.] Qui ergo post Iosue mortem, & fixas in Chananæa sedes sine hostium insultatione vixere, quotiescumquè præter Deum suum alterum coluerunt, à Deo in prædam, in gladium, ac in opprobrium traditi miserè ingemuére. At quotiescumquè penitudine affecti, veniam fuere precati, cœlesti virtute donati sunt, vt se eximerent ab incommodo. * O quàm facilis à cunctis periculis euasio, pœnitere.] Denique Reges Chananæorum, Iebusæorum, Pharezæorum, Hethæorum, Hebæorum, Amorthæorum, omnesque validissimos in Hesebon hostes superauerunt, eorúmque ditionibus potiti sunt: dumque abstinebant à crimine, omnibus bonis abundabant. * Deus enim eorum admodùm *odit iniquitatem.* Christianus populus abstineret à crimine, bonis omnibus exundaret.] *Vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona, erant,* inquam, *cum illis* tanquam domestica, tanquam concives.] Exemplum vnius, & alterius veritatis exhibeo. Ante hos annos Hebræi exterminati fuére prælio à multis Nationibus, Æthyopibus scilicet, Ægyptiis, Syriis, & Assyriis: & *plurimi* eorum (licet non omnes, vti in captiuitate Babylonica contigerat) abducti sunt, & captiuitati addicti. Et omnium recentissimum extat exterminium totius Regni Israëlitici decem Tribuum per Salmanasar Regem Assyriorum: & etiam Iudææ non minima ex parte vastatio per Chaldæos, quando Rex Manasses cum Somna Pontifice, ac plerisque Regni Principibus vincti catenis in Babylonicum carcerem fuerunt abrepti. Et hæc quidem illis contigere, quia recta discesserunt à via. In Græco textu additur, *Plurimi eorum abducti sunt in terram non suam, & Templum Ierosolymitanum euersum est, & solo æquatum.* Quod à solo Nabuchodonosore factum fuit sub Sedecia: nullo verò modo à Chaldæis sub Manasse. An illa verba supposita, siquidem Hieronymus, qui fidelissimè transtulit ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione Templi in sua memorat editione? Sic aliqui asseruere, & certum est, Græcum textum in multis mendosum deprehendi. Sed do, nullum hîc mêdum reperiri, verè dici potest solo æquatum & euersum fuisse, quia substractum cultui, diuino profanæ dæmonum, seu idolorum latriæ est consecratum. * Profectò Templa nunc sacratiora euertis, quoties libidine impudica tua, ea facis stabulum, aut prostibulum meretricis.] *Nuper* autem, id est, septem vel octo ab hinc mensibus, ex quo Manasses rediit, reuersi Iudæi ad Dominum Deum suum est captiuitate vbi dispersi erant, collecti à Deo iam propitio, rursum ad hæc recurrere montana, & Ierosolymitanæ Vrbis, vbi eorum Templum extollitur, possessione potiuntur. Quæ cum ita sint, diligenter ô domine mi, perquire, num Hebræi aliqua maculentur iniquitate. Nam si deliquisse deprehensi fuerint diis libantes alienis, securè poterimus ad illos ascendere, pugnaturi, tuæ enim potentiæ, tuæ subiectionis iugo à suomet Domino committentur. At si iusti obiiciantur coram Deo suo, à certamine abstinere cura; nec enim illis repugnantibus resistere poterimus; quoniam à cœlesti Numine protegentur, & ab eis superati, cunctis Nationibus dabimur in opprobrium. * Si victoria à Deo, quomodo Dei hostibus exhibenda, nisi cum Deicolæ ob grauia piacula hostes Dei efficiuntur.]

Hostes Regnis potentissimis insultant, ob Christicolarũ crimina.

Facilis ab omnibus periculis euasio, pœnitere.

Si populus electus abstineret à crimine, bonis omnibus exundaret.

Templum euertit, qui apud id libidini dat operam.

Victoria à Deo est, non dãda Dei hostibus, nisi quando Deicolæ hostes Dei efficiuntur.

Vers. 27.28.29. *Et factum est, &c.*] Verùm cùm cessasset loqui Achior, cuncti Principes exercitus Holophernis indignati sunt admodùm. * Nunquam enim veritas apud Principes aperitur, quin iræ, & indignationis existat stimulus.] Cogitabant quidem eum de medio tollere inuicem dictitantes: Quisnam hic, qui audet asserere Israëlitas, homunciones inermes, sine fortitudine, sine artis militaris peritia posse Regi Nabuchodonosoris potentissimo exercitui resistere? Vt igitur Achior agnoscat, enormiter esse mentitum, vt nos auxiliarius scilicet occultus Iudæorum, falleret: illicò in montana conscendamus, & cum potentes eorum ceperimus, tunc simul cum ipsis miserè trucidabitur: Vt *omnis gens*, seu vniuersi orbis incolæ agnoscant, Nabuchodonosorem Deum esse Terræ, & præter illum nulli alij cultum esse litandum. * Adeò increscit aulicorum adulatio vt non sistat, nisi suos Reges vsque ad verticem efferat deitatis.]

3. Principes Holopherdonis Achiori indignantur.

Veritas apud Principes expressa stimulus est indignationis.

Aulicorum adulatio non sistit, nisi suos Reges vsque ad verticem Deitatis attollat.

CAPVT

CAPVT VI.

Iubet Holophernes, Achiorem ad hostes transferri Bethuliam, vt ea deuicta, simul intereat. A Iudæis benignè recipitur, interim quidem Dei opem humillimè implorantibus.

1. EXCRVM est autẽ cùm cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior: 2. Quoniam prophetasti nobis dicens, quòd gens Israël defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor: 3. cùm percussérimus eos omnes, sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israël tecum perditione disperiet: 4. & probabis quoniam Nabuchodonosor Dominus sit vniuersæ terræ: túncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israël, & non respirabis vltrà, donec exterminetis cum illis. 5. Porrò autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat à te, si verba mea hæc putas impleri non posse. 6. Vt autem noueris quis simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, vt, dùm dignas mei gladij pœnas exceperint, ipse simul vltioni subiaceas. 7. Tunc Holofernes præcepit seruis suis vt comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israël. 8. Et accipientes eum serui Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cùm appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundiabularij. 9. Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reuersi sunt ad dominum suum. 10. Porrò filij Israël descendentes de Bethulia: venerunt ad eum: Quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quòd illum vinctum Assyrij reliquissent. 11. In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel. 12. In medio itaque seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum, 13. & quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit eum Israëlitis hac de causa tradi: vt, dum vicerit filios Israël, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire suppliciis, propter hoc quòd dixisset: Deus cæli defensor eorum est. 14. Cúmque Achior vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt, 15. dicentes: Domine Deus cæli & terræ, intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias. 16. Finito itaque fletu, & per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior, 17. dicentes: Deus patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas. 18. Cùm verò Dominus Deus noster dederit hanc libertatem seruis suis, sit & tecum Deus in medio nostri: vt sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerseris nobiscum. 19. Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam. 20. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto ieiunio refecerunt. 21. Posteà verò conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israël.

COMMENTARII.

1. Iubet Holophernes, Achiorem ad hostes transferri Bethuliam.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7. *Factum est, &c.*] Profectò cum Principes exercitus talia profari audiissent, Holophernes indignatione maxima fuit affectus. * En instigatorum vis. Cùm cessauit loqui Achior, indignatus non fuit Holophernes: sed *cum cessassent loqui* Principes, Plerumquè enim quis, ex auditis verbis, vel iniurioſis non iraſcitur, & adſtantium malitioſa ſæpè ponderatio illum excitat, vt ex indifferentis, vel ſalutaris ſermonis aliquando floribus non mella, ſed venenum exhauriat, iniurioſa iam eſſe putans verba, quæ ſalutaria, aut indifferentia ſaltem eſſe iudicarat.] Dixit ergo Achiori: Tu nobis, velut prophetans, aſſeruiſti, populum Hebræum à ſuo cœleſti Numine defenſari. Vt autem tibi manifeſtè oſtendam, fictitiam eſſe eam Iſraëlitarum Deitatem, & Nabuchodonoſorem vnicum eſſe Numen ab omnibus colendum: cum cunctos Hebræos ea percuſſerimus facilitate ac ſi nõ eſſent multi, ſed vnus ſolummodò, tunc & ipſe Aſſyriorum gladio exitialiter vulnerabeˢris, & cum Iſraëlitico à te laudato populo deperibis. Nec alij committam, tuo exitio gladium adhibere. Nam poſtquam dignoueris ex eorum ſtrage Nabuchodonoſorem Regem noſtrum vniuerſæ terræ eſſe Dominatorem, *tunc*, ne vel locus detur pœnitudini, gladius *militiæ meæ*, ſeu mei militantis tua tranſuerberabit latera, & confixus cades inter vulneratos Iſraël, *& non reſpirabis vltra, donec exterminerˢis cum illis*, id eſt, Gladius tranſiet per latera tua, donec exterminerˢis ſeu, quo exterminaberˢis, & mortuus virali halitu terminato concides. * Stulta prorſus ſententia Holophernis. Quia eſto, quod filij Iſraël, & Achior permiſſi fuiſſent ab Holopherne occidi, haud pateret ex hoc, Nabuchodonoſorem Deum eſſe terræ; ſed tyrannum. Nam & impij in hac vita frequenter præualent contra iuſtos, quos Deus impiorum igne velut argentum aſſolet repurgare.] At qui ſi tuum verum reputas vaticinium, & iudicas minas meas impleri non poſſe: bono animo eſto, haud tuus vultus concidat, & pallorem, quo tua offunditur facies, hilaris excute. Vt autem noueris, te vatem mendacem, ſimul cum Hebræis eſſe deperiturum: *ex hac hora*, id eſt, illicò te ad Iudæorum cœtum exturbari præcipiam, vt quando dignas mei gladij pœnas exceperint, ipſe ſimul vltioni ſubiaceas: & præambuli eorum luctus ſi ſocius, quorum futurus es comes ærumnæ. Tunc Holophernes famulis militibus imperauit, vt comprehenderent Achiorem, ac perductum in Bethuliam, Hebræis traderent cum eis illicò periturum. Porrò *Bethulia* ciuitas eſt Galilææ in Tribu Zabulon ſita in monte, tribus leucis à Dothain verſus Auſtrum: & à Scythopoli verſus Septemtrionem: vna leuca à Tyberiade verſus Occidentẽ, & à Diocæſarea verſus Orientem. Etiam nunc conſpici iſtic veſtigia caſtrorũ Holophernis Adrichomius affirmat. Quaſnam quæſo, inibi caſtrorum reliquias conſpicies, niſi Vrbium direptionem, iniuriarum famam, teme-

Verborum põderatores ſæpè exiſtant etiam, cui dicta ſunt, vt iniurioſa eſſe putet, quæ indifferentia eſſe iudicarat.

Deus permittit contra iuſtos præualere impios, vt iuſtorum aurũ perſecutionis igne repurgetur.

tariorum militum memoriam. * Et quando bella apud impugnata Regna indelebilem miſeriarum characterem non imprimunt?] Certè *Bethulia*, idem eſt, ac *Dei virginitas*. Cum autem Deipara fuerit in Iudith adumbrata, (vt ex Richardo vidimus) appoſitè Dei virginitas Deiparæ patria. Tanta enim Mariæ puritas, vndenam poſſet, niſi ex ipſius Dei ineffabili puritate prodire?

Bella apud impugnata Regna miſeriarum characterem imprimunt indelebilem.

Deipara Virginitas quaſi Deifica.

Verſ. 8.9.10.11.12.13. *Et accipientes, &c.*] Arripuere ſerui, ſeu milites Holophernis famuli Achiorem, & profecti per campeſtria aſcenſuri montana à fundibulariis fuére retardati. At diuertentes à latere montis, ne à cuſtodibus illius itineris Iudæis læderentur, arbori Achiorem reſtibus illigarunt, ſicque manibus ſolutæ pedes ſoluerent, & Holophernis ad caſtra recurreret, eum dimiſerunt, ad dominumque, à quo fuerant immiſſi, remearunt. * Miſerrimũ planè cum quis ab inuiſibili hoſte *manibus ac pedibus religatur*, id eſt, cũ greſſus voluptatis viæ addicuntur, & manus operum bonorum non exeruntur. Huiuſmodi enim operibus ad meritum omnino inutilibus, quia in peccato geruntur, ſolet Deus ex miſerationis abundantia excitari, vt pedum vincula comminuat, & peccator ad meliora diuertat.] Verùm filij Iſraël moniti fortaſſe à cuſtodibus montis fundibulariis, deſcendentes à Bethulia, ad Achiorem acceſſere, ſoluentes duxerunt in Vrbem, ac in medium populi illum ſtatuentes, ſciſcitati ſunt ab eo, qua de cauſa ab Aſſyriis ſic vinctus fuiſſet inibi derelictus. Erant tempore illo in Bethulia Principes Ozias de Tribu Simeon, & Charmi. Certè aduena erat Ozias, vtporè de Tribu Simeon oriundus, ſed qui Bethuliæ in Vrbe Zabulonicæ Tribus Principem agebat, fortè Ciuitate iampridem donatus: fortè poſt abductas decem Tribus in Aſſyriam caſu vel conſilio (nam liberum cuique erat tunc, vbicumque vellet, ſedem figere) eò delatus: fortè etiam recèns occaſione belli huius Holophernici Ieroſolyma à Rege Manaſſe, vel à Pontifice Eliacim Bethuliam immiſſus. In Græco hîc tres Reipublicæ Principes annumerantur, Ozias filius Micha, Cabris filius Gothonielis, & Charmi filius Mechiel, qui etiam infrà in Latina editione recenſentur *cap.* 8.8. ſuppletúrque is, qui hoc loco eſt prætermiſſus. Ozias Sacerdos non fuit, quia dicitur fuiſſe de Tribu Simeon, Reliquos duos fuiſſe Sacerdotalis generis, alij aiunt, alij aptiùs negant. * Nec enim Sacerdotes belli præfici adminiſtrationi, qui pacifici Agni ſacrificio tunc typico, nunc verò hæreſcit altari.] In medio itaque ſeniorum, & in conſpectu omnium, Achior retulit ea, quæ interrogatus ab Holopherne ipſe reſponderat, in populi ſcilicet Hebræi commendationem; quare Duces eum voluerint internecioni tradere; quam differre curauit Holophernes, vt diriùs cogerer diuerſis interire ſuppliciis, (cum vicerit filios Iſraël) eo quod aſſeruerim Deum cœli futurum ſui populi protectorem.

2. Achior Hebræis traditur, eoſq; de cauſa huiuſce traditionis certiores reddit.

Cùm in peccato exiſtis, noli bonorum, quæ gerebas, operum oblivisci.

Non decet, Sacerdotes præſici bellorum adminiſtrationi.

Verſ. 14.15.16.17.18.19.20.21. *Cumque, &c.*] Quæ cum fuſiùs Achior Iſraëli retuliſſet, omnis populus in faciem cadens Dominum adorauit, & communi lamentatione vnanimiter preces effudit, affatus: Domine Deus cœli terræ, hoſtium intuere ſuperbiam, vt punias: tuorum

3. Achior in Oziæ domo recipitur, orat populus.

tuorum aſpice humilitatem, vt miſereare, *& faciem ſanctorum tuorum attende*, id eſt, afflictum vultum ſeruorum tuorum, qui ſunt populus tibi addictus, & quodammodò ſacer. Græcè eſt *Sanctificatorum tibi hoc ipſo die*, id eſt miſerere, & opitulare populo tuo non ſolum ab antiquo per circumciſionis ſacramentum ſancto, ſed etiam recentiſſimo nouo fœdere tibi deuincto, & nouo fidelitatis iuramento tibi adſtricto, atque ita plurimis titulis ſanctificato. Siue facilius dixerim, populum exorare, vt Deus è peccatoribus populi oculos auertat, & Sanctorum ſeu iuſtorum faciem intueatur, vt paucorum meritis, omnibus miſereatur. * Et quidem qui otidie Deus vnius vel alterius iuſti reſpectu innumeris parcit peccatoribus.] Et oſtende, à te minimè derelinqui eos, qui in te ſuam ſpem collocant: eoſque à te conteri, & humiliari, qui in ſe confidunt, & è ſua fortitudine gloriantur. Terminato itaque fletu, & perfecta oratione, quæ totam tenuerat diem, *conſolati ſunt Achior*, id eſt, eum benignè habuerunt, dicentes Deus patrum noſtrorum, cuius tu mirabilia geſta hoſtibus prædicaſti, *tibi hanc dabit viciſſitudinem*, ſiue hoc tibi rependet, vt tu potius hoſtium interitum intuearis incolumis. Cum autem Deus populum ſuum ab hoſtium tyrannide liberauerit, tibi poteſtatem faciemus, te aggregandi ad populum veri Dei cultorem. * Nec alio auguſtiori præmio poterat Achior donari ab Hebræis; quod verum pro Deo teſtimonium tuliſſet. Ineffabile Dei beneficium eſt, in fidelem apud Deicolas vel captiuum commorari; vt poſſit veræ fidei ediſcere dogmata, & rectam ſalutis inire viam.] Dei autem munificentiam ad rependenda hominum obſequia indè pateſcit, quod infidelis ad Dei populum adducitur, quia coram hoſtibus diuinam erga Iudæos miſerationem prædicauit.] *Sit itaquè Deus tecum in medio noſtri*, id eſt, optamus, vt apud nos Sedem figas, & Sacra noſtra, fidémque in verum Deum, qui tibi adeſt, ſuſcipias. Tunc Ozias, conſilio finito, Achiorem ſuam excepit in domum, & *cœnam magnam* inſtituit, magnam quidem non ciborum varietate, ſed perſonarum numero. * Nec enim deceret, afflictionis, ac luctus tempore lauta inſtrui conuiuia.] An Achior vinctus fuerit apud Oziæ domum receptus? Minimè Ozias eum excepit vinctum, aut cuſtodia ſeptum: ſed tamen aliquantulum obſeruatum, & ſemper in plurium oculis detentum. * Transfugis enim non facilè credendum. Meminiſſe enim poterant exempli Chuſai, qui Abſalomi rem ſuo conſilio euertit. 2. Reg. 17. Fortè enim audierant, qua fraude. Si non olim Troianos Græcis prodidiſſet.] Alio ex capite Bethulienſes à temeritatis nota excuſarim, quod Achiori credidiſſent, ſcilicet, quia ſincerè ac candidè omnia geſſit, & dixit. * Qui mentitur, & ſeducere intendit, difficilè valet cordis affectum operire, nam vel ex loquendi modo, vel ex vultus immutatione deprehenditur.] Aduocati itaquè presbyteri ſiue optimates Vrbis, poſt perfectum ieiunium, quod vſque ad veſperam perdurabat, cum Ozias & Achiore laſſata corpora refecerunt. Poſt cœnam verò conuocatus eſt omnis populus, & tota nocte intra *Eccleſiam*. ſeu Synagogam aliquam, aut locum amplum orationi deſtinatum exorauit, à Deo Iſraëlis auxilium enixè poſtulant. * Non contenti diem totum in precibus traduxiſſe, etiam noctem in eadem animi contentione poſuerunt, vt diuinæ miſericordiæ vim afferent Hebræi, & optatum auxilium extorquerent. Nam & oratio conſtans vim Domino infert, & iuuat ei importunè rogari.]

Vnius vel alterius iuſti meritis, Deus innumeris peccatoribus parcit.

Magnum Dei beneficiũ, infidelem, vel captiuũ apud Deicolas commorari, quia poteſt rectam inire viam.

Ineffabilis Dei munificentia, ad rependẽda quælibet hominũ obſequia.

Non decet luctus tempore, lauta inſtrui conuiuia.

Transfugis nõ facilè credendum.

Qui mentitur, facilè ſeductionis exhibet documenta.

Oratio conſtans vim Deo infert, & ei iuuat, importunè rogari.

CAPVT VII.

Obſidet Holophernes Bethuliam, aquæductum præcidit, obſeſſos à vicinis fontibus arcet. Hi ſiti dira cruciati, deditionem vrgent: ſed Ozias populo perſuadet, vt ad quinque die s differatur.

1. HOLOFERNES autem altera die præcepit exercitibus ſuis, vt aſcenderent contra Bethuliam. 2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouinciis & vrbibus vniuerſæ iuuentutis. 3. Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnam contra filios Iſraël, & venerunt per crepidinem montis vſque ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothain, à loco qui dicitur Belma, vſque ad Chelmon qui eſt contra Eſdrelon. 4. Filij autem Iſraël vt viderunt multitudinem illorum, proſtra uerunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, vnanimes orantes vt Deus Iſraël miſericordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum. 5. Et aſſumentes arma ſua bellica, ſederunt per loca, quæ ad anguſti itineris tramitem dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea tota die & nocte. 6. Porrò Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum

illorum à parte auſtrali extra ciuitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum. 7. Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius quàm ad potandum. 8. Sed filij Ammon & Moab acceſſerunt ad Holofernem dicentes: Filij Iſrael, non in lancea nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti. 9. Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos: vel cerrè fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putant in montibus poſitam ſuperari non poſſe. 10. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram ſatellitibus eius, & conſtituit per gyrum centenarios per ſingulos fontes. 11. Cúmque iſta cuſtodia per dies viginti fuiſſet expleta, defecerunt ciſternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam: ita vt non eſſet intra ciuitatem vnde ſatiarentur vel vna die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie. 12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, feminæque, iuuenes, & paruuli, omnes ſimul vna voce, 13. dixerunt: Iudicet Deus inter nos & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Aſſyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. 14. Et ideò non eſt qui adiuuet, cùm proſternamur ante oculos eorum in ſiti, & perditione magna. 15. Et nunc congregate vniuerſos qui in ciuitate ſunt, vt ſponte tradamus nos omnes populo Holofernis. 16. Melius eſt enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quàm moriamur, & ſimus opprobrium omni carni, cùm viderimus vxores noſtras, & infantes noſtros, mori ante oculos noſtros. 17. Conteſtamur hodie cælum & terram, & Deum patrum noſtrorum, qui vlciſcitur nos ſecundùm peccata noſtra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & ſit finis noſter breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate ſitis. 18. Et cùm hæc dixiſſent, factus eſt fletus & vlulatus magnus in eccleſia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes: 19. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. 20. Tu quia pius es, miſerere noſtri, aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, 21. vt non dicant inter Gentes: Vbi eſt Deus eorum? 22. Et cùm fatigati his clamoribus, & his fletibus laſſati ſiluiſſent, 23. exurgens Oſias infuſus lachrymis, dixit: Æquo animo eſtote fratres, & hos quinque dies exſpectemus à Domino miſericordiam. 24. Forſitan enim indignationem ſuam abſcindet, & dabit gloriam nomini ſuo. 25. Si autem tranſactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti eſtis.

COMMENTARII.

1. Bethulia obſidetur.

VERS. 1.2.3.4.5. *Holophernes, &c.*] Holophernes autem poſtridiè quàm illa cum Achiore geſta fuerant, præcepit exercitibus ſuis, vt aſcenderent contra Bethuliam. Erant verò pedites milites Holophernis centum viginti millia, & equites viginti duo millia. Profectò Cap. 2. 7. duodecim millia equites annumerantur. Sed acceſſere ex Syria de nouo decem millia ad illa duodecim millia, quæ ſecum adduxerat. Submittebat enim Nabuchodonoſor ſtatis temporibus nouas legiones; nec volebat, nec tutum erat ſolis auxiliaribus rem geri. * Huiuſmodi namque milites haud vltronei decertant, manus remiſſas adhibet pugnæ, de victoris fælicitate dolent, eumque experiunt ſubærari.] Præterea exercitus numerus accreſcebat admodum ex illis, quos ex captiuorum, aut deditiorum cœtu in milites de prouinciis, & Vrbibus Holophernes elegerat. Omnes igitur ſe ſe ad pugnam aduerſus Iſraëlitas præparauerunt, & venerunt per *crepidinem* ſeu per radicem montis vſque ad *apicem* ſiue ad collem quæ reſpicit ſuper Dothain: *à loco* videlicet, *qui dicitur Belma, vſque ad Chelmon qui eſt contra Eſdrelon.* id eſt, tenuere, aut occupauere copiæ ſpatium illud à Belma (ſiue *Belthem*, aut *Belmain*, aut *Abelina*,) qui locus à Bethulia milliario diſtat, vſque ad Chelmon, ſiue ad hortum fabarum, quarum inibi exuberans copia. At filij Iſraël cum multitudinem militum aſpectaſſent animis deficientes, cineribus capita defædantes, procidenteſque voce, aut affectu vnanimi Deum Iſraël exorauerunt, vt ſuam miſericordiam ſupra ſuum populum oſtentaret. Nè autem totam victoriæ vim cœleſtis Numinis expectarent è manu, ſuas interim manus ad certamina exeruerunt; arripientes enim arma bellica anguſtos montium aditus tota die ac nocte cuſtodiunt. * Dominus quidem ſuis bellatoribus præſtat auxilium, non ſolus vult expedire certamini. Quidquid potueris præſta, Deus quod non valueris, adimplebit.]

Non eſt tutum, victor exercitui addici, vt pro victore deceret.

Deus non vult ſolus pro hominibus pugnare, ſed eis pugnantibus præſtat auxilium.

Verſ. 6.7.8.9.10.11. *Porrò Holophernes, &c.*] Dum autem obſeſſam à longe Bethuliam circuiret Holophernes, animaduertit à parte Auſtrali Vrbis fontem, qui per canalem ciuibus aquam largiebatur, aliò diuerti poſſe. Itaque incidi præcepit aquæductum, & aquas in vſum exercitus ſui deriuari. Verba expende, *Reperit, quod*

2. Aquæductus præciditur, & à fontibus vicinis arcentur obſeſſi.

quod fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte Australi extra Ciuitatem dirigeret. Ipse potius fons ab aquæductu dirigebatur, quem sensum, licèt verbis aliter ordinatis, colligere debemus: Fons qui ex valle Australi per canalem in Vrbem influebat, aquæductum dirigebat, id est, per canalem rectâ destinabat aquam in Vrbem Bethuliæ. Hoc quidem canali inciso per Holophernem, non supererat obsessis aqua nisi quæ non longè à muris ex fonticulis scaturiebat, quàm furtim subindè hausturn veniebant, *ad refocillandum potius quàm ad potandum*, id est, ad colluenda vel humectanda labia, non ad sitis calorem extinguendum. Tam tenuis fonticularum scaturigo, & tamen cum ingenti periculo & labore paruum illud subsidium apparabatur; nam quod *furtim* geritur ob metum magna solet molestia præstari. * Mundialis en voluptatis imago. Furtim ingenti labore acquiritur *vix ad refocillandum*, minimè *ad hauriendum* stilla.] Cum verò Bethulienses cogerentur ex siti, ob incisum canalem, non solum noctù, sed interdiù etiam in oculis hostium furtiuam illam aquam haurire, rem Ammonitæ & Moabitæ animaduertentes, ad Holophernem detulerunt. Filij (inquiunt) Israël haud in lancea, aut sagitta confidunt, sed montium protectione nituntur: & colles in præcipitio constituti eis pro muro impenetrabili deseruiunt. Igitur vt eos possis sine certamine superare, fontibus statue custodes, ne possint aquam exhaurire, & vel siti comminuentur, vel defatigati tradent Vrbem, quam ex montani situs protectione iudicant non posse superari. Placuit monitum Holopherni, & *suellitibus suis* seu prætoriæ cohorti, & centenos Dux in singulis fontibus custodes constituit. At cum huiusmodi accurata custodia viginti dies, vel vt est in Græco triginta-quatuor tenuisset, defecére cisternæ & collectiones aquarum, quamuis aqua parcè ciuibus distribueretur. Nec intra ciuitatem vlla iam cisterna, vel puteus inueniebatur, vnde vel vna die posset populi sitis extingui. Verùm *centenarios* illos custodes crediderim esse Centuriones cum suis militibus centum.

Magnis exanclatu laboribus acquiritur mundialis stilla voluptatis.

3. Populus deditionem vrget, sed Ozias persuadet ei, vt per quinque dies differatur.

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *Tunc ad Oziam, &c.* Itaque cum tota ciuitas siti deficeret, ad Oziam primarium Magistratum queruli, gementesque venirent consilij inopes, produntque ægrimini ac variè fluctuatis æstus oratione sua. Iudicet (inquiunt) *Dominus inter nos, & te*, id est, sua eum vindicta afficiat, qui reus hac fuerit inuentus in causa. Credimus tamen, te tuo minus prudenti consilio hanc diram afflictionem in Vrbem induxisse, *nollens loqui pacificè cum Assyrijs.* * Populari hi more exitu consilia metientes, Magistratum accusant, quòd non fecerit, quod ipsi quoquè fieri noluerant. Ideò planè nos Deus *vendidit*, seu hosti tradidit, aut sine vlla dubitatione tradendi illicò erimus. Venditionem pro traditione posuit, quia quod venditur, tradi emptori assolet. Nos miseros non est qui adiuuet, ne ipse quidem Deus tot precibus solicitatus, vnde cogimur in hostium conspectu æstuantes siti prosterni gladio aut mucrone mitiùs interimendi. Iam verò vnica nobis reliqua spes ad vitam tuendam, quod populus à te congregari iubeatur, & nos omnes Holophernis ditioni tradamus. Satius enim nobis, vt viuentes in captiuitate *benedicamus Dominum*, * (Qui quidem non solùm in prosperis, sed & in aduersis laudandus.]) quàm vt sitis vi viliter morientes, omnium hominum materiam impertiamur opprobriis. Loco enim prouerbij dictitabitur: En stulti Bethulienses, qui passi sunt, vxores, & filios (infirmiora quidem viuentia ad sustinentiam sitis) suo in conspectu deperire. *Contestamur* ergo hodie *cœlum & terram*, id est, omnem creaturam Angelos, homines in testimonium sumimus siue in testes vocamus: nec non in testem adducimus Deum patrum nostrorum, qui de nostris piaculis tam dira obsidione vindictam assumit: quòd à te enixè petierimus, vt Vrbem Assyriorum ditioni committas. Vt sit finis noster (id est, mors,) breuis inflicto gladij vulnere, qui productior in sitis erit ariditate. Queruli silerunt, & illicò successit fletus magnus *in Ecclesia*, id est, in synagoga, quæ in singulis Vrbibus æquæ orationis, ac concionis locus erat. Verùm ex hoc populi ad Synagogam adcursu, ex humillimis precibus ibi profusis, ex fletu, & opis diuinæ tam seria imploratione, patet, industria, & suadela Principis Oziæ, sedatum fuisse priorem populi tumultum, & iam animi quiores effectos omnes non amplius deditionem vrsisse, sed à diuina manu subsidium præstolari decreuisse. Et quidem triste negotium fuisset tùm Bethuliæ, tùm Iudææ vniuersæ, si primo populi furori, & ardentissimæ siti Princeps cessisset Ozias, deditionemque fecisset. In quantas se ciues isti coniecissent ærumnas, quam in signi victoria se spoliassent! * Tentaminibus diris actus ad Deum accurrere, nec cogites deditionem agere, sustine patienter, ne te illustri triumpho spoliari patiaris. Exemplo tibi sit Lisimachus Macedonum Rex, qui cum in Thracia cum toto suo exercitu siti penè enectus hosti, se dedidisset, & iam optato potu se se refecisset, *Odij*) exclamabat) *quàm parua voluptatis causa me ipsum è Rege seruum effeci!* O quàm vilis causa voluptatis, rursum arsuras siti, te quotidiè mancipium è Rege Holopherni diabolo tradis!] *Permutas horas* illi ad Dominum clamitauére: Deliquimus patrum nostrorum imitatores, iniustè egimus, iniquitati seruientes. Sed tu piissimus parce confitentibus. At si tuo flagello vindicare paras, diuinam correptionem libenter admittimus: hos rogamus, ne tradas nos hostium infidelium verbere vulnerandos. * Deus enim miserartione punit, homo autem vulnerat immisericors, vndè necessum erit sine spei particula deperire.] Ne, inquam tradas confitentes te, populo, qui *te ignorat*. Ac si diceret, si te Assyrij cognoscerent tuam in corripiendo miseri cordiam æmularentur. * Vt ediscant fideles, eum qui immisericorditer proximum vulnerat, cum infidelibus, qui Deum ignorant, esse computandum.] Ne, quæsumus, detur Gentilibus occasio musitandi: Vbinam *Deus eorum?* Cæterùm cum hisce clamoribus, hisceque fletibus defatigati siluissent, exurgens Ozias infusus lacrymis compassionis affectu, ait: Æquo animo estote fratres, & ad quinque proximos dies deditio Vrbis differatur, expectemus cœlesti donari misericordia; forsitan enim indignationem suam *abscindet* misericordiæ vi. * Adeò enim peccatores facimus Deo

Voluptatum siti æstuans viriliter age, ne te è Rege facias seruū, ob breuissimā voluptatis expletionem.

Populari mos, iniustè Magistratū accusare.

Deus miserationē punit, homo vulnerat immisericors.

Qui sine miserationē proximum vulnerat, cum infidelibus, qui Deum ignorant, computandus.

Peccator facit

Deo adhærescere indignationem, ita vt difficilè abscindatur à suo misericordia. Deus parcendo glorioſior.

iuſtitiæ indignationem adhæreſcere, vt neceſſarium ſit à miſericordia quaſi violentiſſimè abſcindi, vt parcat erratis.] *Et dabit gloriam nomini* à *ſuo.* Deus enim parcendo, quodammodò glorioſior exponitur.]-* *Nomini ſuo,* ait, id eſt, *Iehonah*, vel *Ieſu.* Nomini enim huic dulciſſimo debemus, indignationem Dei abſcindi, & peccatores venia toties donari.] At ſi tranſactis quinque diebus non aduenerit à cœleſti Numine auxilium, Vrbem Holopherni poteſtati trademus.

Nomini Ieſu debemus, toties venia donari.

CAPVT VIII.

Stirps, laudes & encomia Iudithæ. Ipſa Principes trepidantes obiurgat, patrum exemplo ad diuinæ opis implorationem adhortatur, & bono animo omnes eſſe iubet.

1. ET factum eſt, cùm audiſſet hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filij Idox, filij Ioſeph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel filij Simeon, filij Ruben: 2. & vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ: 3. inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt in Bethulia ciuitate ſua, & ſepultus eſt illic cum patribus ſuis. 4. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & menſibus ſex. 5. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur: 9. & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & neomenias, & feſta domus Iſraël. 7. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum & gregibus ouium plenas. 8. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. 9. Hæc itaque cùm audiſſet, quoniam Ozias promiſiſſet quòd tranſacto quinto die traderet ciuitatem, miſit ad presbyteros Chabri & Charmi. 10. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias, vt tradit ciuitatem Aſſyriis, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium; 11. Et qui eſtis vos; qui tentatis Dominum; 12. Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. 13. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum, diem conſtituiſtis ei. 14. Sed quia patiens Dominus eſt in hoc ipſo, pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lacrymis poſtulemus: 15. non enim quaſi homo, ſic Deus comminabitur, neque ſicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. 16. Et ideò humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, 17. dicamus flentes Domino, vt ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam, ſuam: vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum, ita etiam de noſtra humilitate gloriemur: 18. quoniam non ſumus ſecuti peccata patrum noſtrorum, qui dereliquerunt Deum ſuum, & adorauerunt deos alienos. 19. pro quo ſcelere dati ſunt in gladium: & in rapinam, & in confuſionem inimicis ſuis: nos autem alterum Deum neſcimus præter ipſum. 20. Expectemus humiles conſolationem eius, & exquiret ſanguinem noſtrum de afflictionibus inimicorum noſtrorum: & humiliabit omnes Gentes, quæcumque inſurgunt contra nos, & faciet illas ſine honore Dominus Deus noſter. 21. Et nunc fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum: ad eloquium veſtrum corda eorum erigite, vt memores ſint, quia tentati ſunt patres noſtri vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum. 22. Memores eſſe debent, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. 23. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. 24. Illi autem, qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt: 25. exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt.

rierunt. 26. Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his quæ patimur: 27. ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini, quibus quaſi ſerui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram euenisſe credamus. 28. Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri: Omnia, quæ locuta es, verè ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. 29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum. 30. Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis: 31. ita quod facere diſpoſui, probate ſi ex Deo eſt, & orate vt firmum faciat Deus conſilium meum. 32. Stabitis vos ad portam nocte iſta, & ego exeam cum abra mea: & orate, vt ſicut dixiſtis, in diebus quinque reſpiciat Dominus populum ſuum Iſraël. 33. Vos autem nolo vt ſcrutemini actum meum, & vſque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum. 14. Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda: Vade in pace, & Dominus ſit tecum in vltionem inimicorum noſtrorum. Et reuertentes abierunt.

COMMENTARII.

1. Stirps, & encomia Iudithæ.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Et factum, &c.] Aderat hoc tempore in Bethulia quædam vidua illuſtriſſima fœmina Iudith nomine filia Merari, filij Idox, filij Ioſeph, filij Oziæ filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben. Certè Iuditha oriunda erat ex Tribu Simeon, vt conſtat ex Cap. ſequenti v. 2. vbi Simeonem Patriarcham ipſa vocitat *patrem ſuum*. Quod ergo hîc appelletur filia *Simeon filij Ruben*, vel mendum eſt, & pro *Ruben* legendum *Iſraël*, vt Græcus legit. Vel intelligendum de Simeone & Rubeno non Patriarchis, ſed aliis quibuſdam illuſtribus viris intermediis, non diducta vſque ad primos Patriarchas ſtirpe. Certum enim ex omnibus Rubeni Patriarchæ filiis nullum habuiſſe Simeonis nomen. *Iudith* idem eſt quod *laudans* vel *confitens Deo*, à radice *Iadah*, quod ſignificat *laudare, confiteri, gratias agere*. * Vt innuatur, ex oratione, & gratiarum actione fideli populo exoriri victorias. * Vnde Reges Catholici cum primum expeditionem bellicâ præparare moliuntur, ſoliciti ſunt de publica oratione ac gratiarum actione gerenda fælicium euentuum origine.] Vitum Iuditha ſortita eſt Manaſſem eiuſdem Tribus & patriæ, vt Græcus adnotat. Qui, dum, meſſes hordeaceæ colligerentur, obiit; *inſtabat* enim tanquam ſummus Præfectus (vt Græca ſignificant) ſuper omnium meſſorum multitudine in campo illo magno Bethuliæ vicino, &, æſtu ſolis eius caput obtundente, exitialem traxit ægritudinem, & apud Bethuliam domi vitam cum morte commutauit, & ad patrum ſuorum ſepulchrum fuit delatus. * Fœlix planè obitus Præfecti meſſium, cùm ſuo muneri operam impendebat. Quid enim honoratiùs quàm mortem ſubire ortam ex recta iniuncti muneris adminiſtratione?] Erat autem Iuditha huius viri illuſtris relicta vidua iam annis tribus & menſibus ſex. Profectò Iuditha perſpicuum exhibuit viduitatis honorandæ fœminis cunctis exemplum; nam in *ſuperioribus* domus ſuæ, id eſt, in ſuprema parte domus (quod ſolarium vel doma vocitabant) fecit ſibi *ſecretum cubiculum*, ſeu *precatorium tabernaculum*, (vt eſt in Græco) in quo cum puellis ſuis ſeu cognatis, ſeu ancillis, quas eadem pietatis exercitamenta docebat, omnibus feriatis diebus clauſa morabatur. Neque ex ſublimi iſto ſacroque lararío ipſa deſcendere ſolebat, niſi diebus Sabbati, & feſtis, quandò ad Synagogam, vel ad coniunctum Synagogæ gynecona, vt legis diuinæ explicationi intereſſet, ſe transferre conſueuerat. * Decet quidem viduas amotum ab hominum conſortio habitaculum.] * Sed non decet ità affectare ſolitudinem, vt diebus feſtis conciones intereſſe eis piaculum viduitatis videatur.] Ieiunia gerebat omnibus hebdomadis diebus, præter Sabbata, Neomenias, & feſta alia populi Iſraëlitici. Nam cum Iudæis dies iſti eſſent publici gaudij, nullum tunc ieiunium ſuſcipiebant. Imò vetitum id illis pœnitentiæ cauſa tum facere. R. Moſes ſcribit. Saltem conſuetudine receptum erat, Sabbatis, & feſtis otio epulis quæ ab hora ſexta ſeu meridie vacare; cum diebus ieiunij ſolerent ad veſperam vſque, ſeu ſtellarum aſpectum, refectione abſtinere. Huic ergo iam ab antiquo receptæ, honeſtæque conſuetudini ſe ſe accomodans Iudith, etiam ipſa feſtos dies, & Sabbata hilarius tranſigebat. * Nec laudarim affecta nonnullorum ieiunia, qui diebus ſolemnibus à licito, vſitatoque abſtinent alimento, Niſi ex tuto, aut regula id gerere debeant, perfectiùs duxerim, eos communi conſuetudini conformari, ſpeciatim ſi publica futura ſit huiuſmodi irregularis abſtinentia.] In Græco dicitur, etiam *anteſabbatis & anteneomenijs* à ieiunio abſtinuiſſe. Quia dies illi pridiani, licèt feſti non eſſent, niſi ſub veſperam, tamen quia vel ſic videbantur iam tum aliquid feſti habere, ideò etiam illis diebus ieiunia minus admittebat mos publicus; à quo noluit Iudith familiam ſuam diſſentire. * Magnam certè perfectionem duxerim ſe ſe vel perfectiores viros aut fœminas communitatis vſui accommodare, nè ſingularitatis incuſari poſſint. Perfectiùs eſt cum communitate ritè comedere, quàm in communitatis ieiunare conſpectu.] * Hæc pridiana ieiunij ſolutio ſubtaxat Chriſticolas, qui tam imperfectè feſta obſeruant, vt non ſolum pridianis diebus non recedant à labore ſeruili (quod non debent) ſed ipſius feſti diei partem huic illicitè impendant miniſterio.] Aſperitati ieiunij vidua cilicij cruciatum addebat in vberius ieiunij meritum. Ieiunium enim ex moleſtia corpori inflicta ſuam concipit perfectionem. * Quantum exi-

Victoria exoriuntur ex oratione, & gratiarum actione.

Regis Catholici pietas publicas orationes poſtulantis, cum bellicas præparat expeditiones.

Fœlix mors Præfecti, orta ex recta muneris adminiſtratione.

Decet viduas habitaculum amotum ab hominum cõſortio.

Sed non decet, diebus feſtis concionibus non intereſſe.

Non approbo irregularem aliquorũ diebus ſolemnibus abſtinentiam.

Magna perfectio eſt, vel incommodis ſequi communitatem.

Subtaxatur Chriſtianorũ imperfecta dierum feſtorum cuſtodia.

Reprehenditur vſus poculi Indici, quod ieiunij cruciatũ omnino tollit.

ſtimas meriti tuo ineſſe ieiunio, qui non ſolum adiicis ei excilicio moleſtiam, ſed ipſum inedię leuem cruciatum curas dulcibus poculis omnino ablegare? Licitus ſit huiuſmodi poculi vſus, ſed parum meriti (vtalibi Moralis Theologus indicauit) meritiſi ieiunio relinquit.]* Non

Modeſta viduæ habitaculum poteſt Oratorij appellari, quia parcus inibi, & modeſtus ſermo.

præterea ſine pondere ſecretum illud cubiculum *in ſolario* domus Viduæ precibus præparatum. Vocatur à Græco *peccatorium tabernaculum*, vbi vidua cum puellis morabatur. Tanta enim erat verborum modeſtia, tàm parcè texebat illa cum puellis ſermones, vt habitaculum dictum aptè ſit *oratorium*. Viduæ modeſtæ habitatio precatorium tabernaculum potiùs eſt appellandum.] Nec harum virtutum exercitamenta Iudith à ſenio didicerat, ſed à virtute cordis eximia traxerat; erat enim *eleganti nimis aſpectu*, quæ vix trigeſimum tertium ageret annum. * O quàm commendabilis in pul-

Pulchritudo corporis cõmẽdabilis ex animi pulchritudine.

chro corpore elegans animus; quàm deteſtabilis cum fœditate animi corporis pulchritudo!] Quid corpus elegans cum animus fœdus obiicitur, niſi Sepulchrale buſtum periſtromate pellucido indutum?] Huic viragini maritus diuitias multas, familiam copioſam, poſſeſſioneſque boum armentis, ac ouium gregibus plenam reliquerat. Et erat hæc *in omnibus famoſiſſima*, ſeu in Vrbe celeberrima, cunctis ciuibus commendabilis; quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui de illa *verborum malum* lo-

Fœmina nobilis non ex diuitijs, ſed ex virtute collaudatur à ciuibus.

queretur. * En vndè fœmina commendabilis obiicitur, ex Dei timore, ex ſanctitate, non ex vi diuitiarum.] * Tunc autem in omnibus celebris mulier oſtentatur, cum nulla eius actio anſam exhibet ciuibus, vt dignè minus colloquantur. Perſpicua namque virtus eſt illa, quæ à vulgatis linquæ cenſura liberatur, imò cui

Perfectus illa eſt virtus, cui vulgus applaudit.

fermo vulgaris applaudit.]

2.

Verſ. 9. vſque ad 28. *Hæc itaquè, &c.*] Hæc igitur mulier tot titulis illuſtris, cum audiſſet, Oziam primarium in Ciuitate Magiſtratum in deditionem Bethuliæ intra quintum diem conſenſiſſe, Presbyteros Charmi & Chabri adUdith a Principes obiurgat, & patrũ exemplo ad diuinæ opis implorationem adhortatur.

uocauit ad ſe, ne publicè argueret. * Nec enim deceret fœminam viduam ad publicum prodire, nec oporrebat, viros publico munere illuſtres publicè reprehendi.] Ideò ad ſe aduocat Presbyteros, & in ſecreto obiurgat. Neque blandam adhibuit orationem, ne mollis oratio ex elegantiſſimæ ſapientiſſimæque mulieris ore profecta viriles animos ad molliciem frangeret, quando firmandi erant ad certamen. * Vndenam fœmina didiciſſet? Certè ex illo precatorio tabernaculo, quod continuis libandis Deo orationibus ſibi in ſolatio extruxerat. Oratio enim ſapientiæ eſt magiſterium.] Venerunt illi ad Iuditham, & cum ipſis etiam Ozias ſtudio addicendi aliquid, quod ad communem patriæ ſalutem faceret: quod vt ſperarent publica & conſtans de eius ſanctitate opinio faciebat. * Non eſt illuſtris Præſul, qui dùm ſubditi communi aguntur periculo, aliquem lapidem immotum relinquit, vt veſtigare poſſit, vndenam pateat populi liberatio. Ideo Ozias non vocatus ad Iuditham accurrit.] * Nec indecens Magiſtratui primario à ſancta fœmina conſilium expectare. Imò commendarim Principes, qui ad fœminam, cuius ſanctitudinis conſtans fuerit opinio, accedunt conſilij capiendi cauſa ad communem vtilitatem. Sed non facilè

Non decet fœminam publicè loqui.

Nec decet proceres publicè reprehendi.

Oratorium exercitium Magiſter eſt ſapientiæ.

Præſul illuſtris nullum non moueat lapidem vt ſalutem communi prouideat.

Non indecens Principi, à fœmina probatæ ſanctitatis cõſilium capere.

deferantur, cum tot probent experimenta non omne id, quòd rutilat, aurum exiſtere.] Dixit itaque illis: Quænam iſta dierum certorum definitio, cui conſenſit Ozias, vt Aſſyriis tradat Ciuitatem? ſi intra hoſce dies vobis non venerit adiutorium *Et quis eſtis vos, qui tentatis Dominum?* id eſt, quomodo cum vos Preſbyteri ſitis ſapientia prædita vulgari æſtimatione iram diuinam prouocare non vetemini ex defectu confidentiæ in Dei prouidentiam & bonitatem? Iſta tradendi Vrbem intra quinque dies præſciptio Dei miſericordiam non allicit, ſed potiùs eius iram accendit. * Nihil enim magis diuinam excitat iracundiam, quàm de eius miſeratione dubitare.] Conſtituiſtis vos tempus miſerationis Domini, & arbitrio veſtro diem ei conſtituiſtis. Cum deberetis eius prouidentiæ opportunam temporis electionem relinquere. * Qui laboribus actus à Deo ſupli-

Diuinam prouocat iracundiam, de eius miſeratione dubitare.

Iſta liberationi à periculo, tempus diuinæ prouidentiæ relinquere.

cat liberari, haud certum liberationis tempus præfigat, ſolum inſtet liberationi, temporis vero aptitudinem diuinæ diſpoſitioni remittat. Quis enim *nouit tempora vel momenta, quæ Deus poſuit in ſua poteſtate?*] At quia patiens Dominus eſt, & nec prouocatus huiuſmodi dierum definitione piiſſimus vindictam aſſumit, pœniteat nos de inconfidentia iſta, & veniam profuſis lacrymis poſtulemus. Nec enim Deus veluti homo erit, qui ignorans cordis affectum, ex actu externo ſibi inuiſo ad iracundiam excitari ſolet. Cum enim noſtram pœnitudinem videat internam, ab ira ceſſabit. Ideò ei humiliemus animas noſtras, quarum Deus videt affectum, & in ſpiritu ſubmiſſo illi ſeruiamus, profuſis lacrymis deprecantes, vt iuxtà voluntatem ſuam, ſi libuerit, & quando placuerit ei, ſua nos miſeratione protegat. Vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum ex ſuperbia Aſſyriorum ob tumidas minas: *ita etiam de noſtra humilitate gloriemur.* * Humilitas enim peccatoris afflicti eſt liberationis indicamentum.] Quia peccata noſtra non æquant patrum noſtrorum criminum grauitatem, nam illi Deum ſuum dereliquerunt, vt idolis thura libarent: nos autem licet Dei præſcripta violemus, non tamen alienam confictam ſectamur deitatem. * Certè fides firmum admodum eſt peccatorum præſidium, ob eam enim Deus multis fidelis Regni peccatis ignoſcit.] Patres noſtri ob idololatriam traditi ſunt gladij exitiali vulneri, direptioni, confuſioni, ſeu captiuitati: nos autem vnicum Iſraëlis Dominum adoramus. Punit ergo, corripit, vt emendemur; ſed non omninò tradet hoſtibus comminuendos. Igitur humiles Dei conſolationem expectemus, ipſe *exquiret ſanguinem noſtrum*, ſeu vlciſcetur nos de afflictionibus ab hoſte diro inflictis: & Gentiles aduerſum nos colligatos humiliabit, vili fugæ commiſſos, aut diro gladio traditos. Eia fratres, vos eſtis Presbyteri ſeu ſeniores, ſeu Senatores, ſeu *Sacerdotes* (ſic aliqui) in populo Dei *ex vobis pendet anima* ciuium. * Præſules enim debent de ciuium animabus Numini cœleſti rationem reddere.] Igitur ad vos attinet, ciuium corda erigere monitis, vt recordentur, patres noſtros tentaminibus fuiſſe à Deo probatos, an verè Deum ſuum colerent. Referre debent in memoriam, patrem noſtrum Abrahamum tentatum fuiſſe, multiſque actum tribulationibus. Annon Iſaac, Iacob, Moyſes, &

Humilitas peccatoris afflicti eſt liberationis documentum.

Fides tutatur homines, ne à Deo commiuantur.

Anima ciuium ex Præſule pendet.

omnes

omnes Diui, qui Domino placuére multis tentaminibus acti se fideles esse confirmauerunt? * *Omnes*, inquit, *qui placuerunt Domino, per multas tribulationes transierunt fideles.* Quasi Deum placere non valeat, nisi qui multis tribulationibus agitur, & in iis fidelis inuenitur.] Certè illi parentis nostri, qui tentamina à Deo immissa cum eius timore non susceperunt, & impatientiam suam obmurmurando contra Dominum protulére: *exterminati sunt ab exterminatore* Angelo, qui per serpentes immissos eos perdidit. * Faciliùs tentamina à Deo immissa tolerabis, quàm impatientiæ sustinebis supplicium.] Nos igitur non *vlciscamur nos*, id est, non irascamur, non obloquamur, non indignemur ob ea quæ patimur, quasi volentes nos vlcisci de Deo ob flagella quæ patimur. * Idem enim est impatienter labores sustinere quodammodo, ac de Deo vlcisci velle.] Sed reputantes hæc supplicia nostris esse criminibus leuiora, credamus inflicta fuisse à Domino nobis ad emendationem, vt instar seruorum, filiorum dixerim, paterno verbere corripiamur.

Deum placere non potest, qui tribulationibus multis nō agitur, & in eis fidelis inuenitur?

Leuior est tentationis patientia molestia, quàm impatientiæ supplicium.

Idem quodāmodo, impatienter tolerare labores, ac velle de Deo vlcisci.

3. Approbatur à Principibus sermo, & intentum Iudithæ.

Vers. 28.29.30.31.32.33.34. *Et dixerunt illi, &c.*] Post prudentissimam Iudithæ admonitionem dixere illi *Ozias & Presbyteri, &c.* Ergo iam Ozias aderat. Cur ergo aduocatus fuisse non dicitur, cum à Iudith Presbyteri aduocati fuére? Non fuit ausa modesta fœmina primarium Magistratum aduocare, ipse tamen anxius inueniendi à sanctissima fœmina rimulam ad communem salutem Presbyteros comitatus domum fœminæ iniuit. Si ergo aderat Ozias, cur fœmina orationem suam ad Oziam non direxit, sed ad Presbyteros, potiùs autem de Ozia quasi de absente locuta est, cum dixit: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias.* * An quia Princeps in aliorum conspectu non est reprehendendus?] * An quia si Presbyteri, ex aliquorum mente, erant Sacerdotes, hi subtaxandi erant, ad quos attinebat ex Sacerdotali munere Principum sæcularium corda erigere, & ad confidentiam in Dei prouidentiam excitare? Admiserim vtrumque.) *Omnia* (inquiunt illi) quæ locuta es, vera sunt, & *nulla* tuo in sermone *reprehensio* inuenitur. Mirum planè in longo mulieris sermone nullam reprehensionem inueniri. Et magis mirabile alicui videbitur, nullum in muliebri colloquio reperiri mendacium. Quàm rara auis in terris Iudith cuius omnia verba *vera sunt*, & nulla in eius sermonibus adest *reprehensio* aut reprehensionis occasio.] * Hoc quidem ex capite Iuditha verè Deiparæ gessit simulacrum, *quæ nullo doli ambitu* (loquor cum Ambrosio l.3.de Virg.) *sincerum adulterabat affectum, verbis grauis, loquendi parcior grauis, loquendi parcior, verecunda sermone*] Addunt; *Nunc ergo orā prò nobis, quia mulier sancta es.* Videnam dignouerunt fœminæ sanctitatem? An ex communi approbatione? Non abnegarim. * Sed tamen crediderim, illam particulam, *Nunc ergo*, ad ea quæ tunc audierant, esse referendam. Quasi ex sermone veraci Iudithæ & sine reprehensione verbis colligerent fœminæ sanctitatem. Lingua enim fœminæ præcipuè assolet esse animi euidens indicatio.] * Irreprehensibilis sermo sanctitudinem loquentis arguit.] Respondit illis Iudith: sicut cognoscitis ea, quæ loquuta sum à Deo dictante accepisse; ita probate non disquisitione quidem, sed fauore, & priuatis, publicisque precibus prosequentes, quod, suggerente Domino, gerere decreui. Stabitis vos hæreutes portæ Vrbis nocte proxima, & ego cum *abra* seu ancilla mea exibo. Interim exoratæ, vt sicut dixistis, quinque dierum spatio breui Dominus suum populum miseratus aspiciat. Non patiar, vos nunc intentum meum ad examen vocare. * Secretum enim vel paucis, vel prudentibus reseratum assolet euulgationis pati periculū.] * Præcipuè verò militaria secreta nulli à Duce vulganda, si velit consilij sui exitum aspectare.] Pergam actura, haud vos comites ad agendum allicio, sed ad orandum patronos adhortor. Dum vobis renuncio rei euentum nihil aliud fiat, nisi instantiæ precum studere. Quàm pulchrè, *Dum renuncietur vobis nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum.* * Sacerdos namque qui remanens exorat in Vrbe credatur commilitonem pugnaturorum existere.] Denique Ozias primarius Magistratus Iudæ Princeps Iudithæ profatur: Vade in pace pro Domino, pro patria pugnatura, & Domini auxilio vindicem te de iniuriis ab inimicis Israël acceptis exhibeas. Et reuersi à Iudithæ domo recessere ad Vrbis portas designata noctis instantia processuri. Quæ scieris quid propriæ nomen illud *Abra* significet? Aliquis asseruit proprium esse nomen, sed ineptè cum sit nomen appellatiuum *ancillam* significans. Monet tamen textus Græcus *ancillam* fuisse non vulgarem, sed quæ *omnibus suis facultatibus* totique familiæ erat præposita. Nec enim prudentissima fœmina vili mancipio fideret, ad rem tanti ponderis gerendam. * Agnata enim mancipiis vilibusque seruulis dominorum publicare secreta, eisque infidelitatis insidias præparare.] Imò crediderim, dum fidem Græco adhibeo textui, verbum illud *Abram* aut *Ancillam* non *seruam* significare hîc, sed *famulam*. * Esserne tantæ Vitaginis Iudithæ facinus seruam constituere totius familiæ præpositam? Minimè planè. Ex huiusmodi enim domini fauore assolent mancipia nimium extolli, & aliquandò in ipsum dominum insultare.]

Princeps in aliorum conspectu non est subtaxandus.

Sacerdotale munus est, Reges, ac Principes excitare ad confidentiam in Dei misericordiam belli tempore.

Mirum, in mulieris sermone nec mēdacium, nec reprehensionem, aut obnoxium reprehensioni aliquod inueniri.

Nulla in Deipara verbis reprehensio.

Lingua speciatim fœminæ assolet esse animi indicatio.

Irreprehensibilis sermo sanctitudinē loquentis arguit.

Secretum vel paucis apertum patitur euulgationis periculum.

Militare arcanum firmiter Dux custodiat.

Sacerdos qui orat dum milites ad certamina prodeuntur, commilitonē se esse credat.

Agnatum mancipio, aut vili seruulo, se domino infidelem ostendere.

Haud prudenter serui, aut mancipia præpositi familiæ Domini fiunt.

CAPVT IX.

Cinere & cilicio se affligens Iuditha pro nouo Deum robore exorat, quo Holophernem prosternat, patriam liberet.

1. 
VIBVS abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens: 2. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem: 3. & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum: subueni quæsò te Domine Deus meus mihi viduæ. 4. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti. 5. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti. 6. Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant; confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum. 7. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos. 8. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos. 9. Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur; 10. & nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi. 11. Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deicere gladio suo cornu altaris tui. 12. Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur: 13. capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ. 14. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum; & virtutem, vt euertam illum. 15. Erit enim hoc memoriale nominis tui; cùm manus feminæ deiecerit eum. 16. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. 17. Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. 18. Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat: 19. & omnes Gentes agnoscant, quia tu es Deus, & non est alius præter te.

COMMENTARII.

1. Orans Iudith memorat priſtina Dei gesta in populi sui fauorem.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Quibus, &c.*] Res vrgebat, neque vltra nocendum illam Iudithæ consilium differendum erat, ideò se se ad arduum illud facinus maturè comparat. Et quia primùm cum Deo congrediendum erat, & ab illius offenso pectore extorquenda clementia, idoneè se contrà Deum communit, & armat, non minori studio, quàm posteà contra Holophernem. * Neque enim minus ad expugnandum diuinum pectus potens est humilis oratio, squallor, & cinis; quàm ad alliciendos Holophernis oculos vnguentorum odor, discriminati crines, compta facies, exquisita mundities.] Abscedentibus ergo Ozia, & duobus Præsbyteris Chabri & Charmi, Iuditha ingressa est oratorium suum. quo tempore vesperè offertur in Templo thymiama, vti Græcus adfirmat. * Tempus sanè opportunum, vt oratio Viduæ cum publicis Ecclesiæ precibus iungeretur. Preces enim multorum valentiores redduntur ad iram Domini perfrigendam.] At quæ semper habuit super lumbos familiare cilicium, nunc orationem aggressura induit alterum, vt addito cruciatu vis adderetur orationi. * Efficacior namque exsurgit oratio duabus hisce pœnarum seu afflionum pennis.] Anti-quum crediderim cilicium non fuisse depositum vt in asperius commutaretur, vt aliqui affirmant; sed aliud indutum. Illud erat intimum appressum carnibus ad dolorem, hoc extimum quod totum operiret corpus ad deformitatem,

Orationis vis ad Deum debellandum.

Potentior multorũ oratio, ad debellandum Dei pectus.

Efficacior oratio ex corporis cruciatu.

Oraturus vtere veste, qua se ferat deformitatem, vt afflictionē animi repræsentet.

miratem, & commiserationem. * Fusurus preces, cura corpus animo conformari. Nec enim aptè corpus pretiosis vestibus indutum obiicitur, cum animus deformitatem afflictionis ostentat. Sic prosternens se coram Domino inclamabat, dicens: Domine Deus patri mei Simeon, qui dedisti ei gladium in *defensionem*, seu vltionem alienigenarum Chananæorum, qui ausi sunt Dinam virginem sororem meam violare, denudantes fœmur virginis in confusionem, solemne est plaue, in orationibus, vt earum rerum proponantur exempla, quibus simile aliquid tàm ab hominibus, quàm à Deo postulamus. Quia facilè probamus, neque esse difficilè aut indecorum quod petimus, si ab aliis facilè atque honestè factum esse videmus. Quomodò autem fieri potest, vt quod Iacob & Moyses in Genesi tantopere reprehendunt,) Gen. 34. 30. & c. 49. 5.) Iuditha laudet, dicens, gladium à Deo porrectum esse Simeoni, cum tamen propter illum pater filium tam dira imprecatione percusserit? Certè in hoc casu duo maximè diuersa inuenio, alterum laudabile & honestum, quod Iuditha commendat: alterum iniquum, ac crudele, quod Iacob execratur. Laudabilis est zelus, quo Simeon & Leui illatam sorori iniuriam vlcisci, & turpem illam ignominiam à suo genere depellere voluerunt. Hunc zelum probauit Deus, deditque gladium, quo occiso stupratore Sichem expiarunt labem, quam ex violento, alienóque concubitu soror acceperat. At fuit in Simeone aliquid, quod Deus non probauit, & quod Iacob pater abominatus est. Nam non tantum cum Leui fratre in Sichem tanti flagitij reum debachatus fuit; sed etiam in plurimos alios, ad quos illius scelerispars nulla peruenerat. Quis autem ignorat, accipere aliquam à Domino potestatem, & tamen illa interdum abuti, dum suo se magis arbitratu, quàm diuino moderatur? * Subtaxentur hinc Iudices, qui publica potestate à Deo accepta abuntuntur, dum suo furori aut stomacho indulgent, seuerius animaduertendo in rèos; quam æquitas patitur, aut exigit humanitas.] Illi profectò *denudauerunt fœmur virginis in confusionem*, Grauis fuit virginis iniuria oppressam fuisse violenter, quam iniuriam scriptura per fœmoris denudationem expressit, ob confusionem, qua affici assolet virgo denudata. Potrò puella ablato quod maximum est puellarum ornamento, denudata dicitur, quia flagitij conscia non posset secum ipsa non erubescere, aut aliorum oculos nisi pudibunda subire. * Certè virginem ea affici iniuria, denudari est, quod assolet puellis summam afferre confusionem.) Cur autem flagitium, quod solus Sichem patrauit pluribus tribuitur. *Et nudauerunt fœmur virginis?* Quia alij procul dubio Principem ad flagitium illud exequendum fuere comitati. * Fautoribus autem aut auxiliatoribus æquè tota iniquitas attribuitur.] Tu Domine, dedisti Gentilium illorum mulieres in prædam, ac filias eorum in captiuitatem, & omnem prædam seruis tuis in diuisionem addixisti, *qui zelauerunt zelum tuum.* Non laudat, quod paruuli, & imbelle fœmineum genus grauem illam plagam seruitutis acceperint; sed ideò dicit fœminas in prædam fuisse datas à Domino, quia ab eo datus est spiritus acer & strenuus, quo potuit Simeon & iniuriam vlcisci constupratæ sororis, & reliqua perficere, quæ hic commemorantur. *Subueni, quæso Deus mihi vidue.* Haud sibi postulat Iuditha robur, vt aliquid audeat iniustum; sed quale habuit Simeon, vt opus aggrederetur, qualem secum tacita meditabatur. *Tu enim* (addit) *fecisti priora*, id est, filiis Israël præfatam dedisti victoriam, *& illa post illa cogitasti*, id est alia post alia exempla tuæ vindictæ cogitasti præbere, seu exhibere decreuisti, de quo mox Iuditha adhibet Pharaonis exitium. *Omnes viæ tuæ paratæ sunt*; seu à te prædis positæ sunt actiones, cuncta iuxta tuum gerens beneplacitum; *& tua iudicia in tua prouidentia posuisti*, id est, quidquid externè agis, & iudicas, ex certa, & æterna prouidentia procedit. Vndè Paulus Ephes. 1. *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Respice castra Assyriorum*, &c. id est, regere in Assyriorum strage, quemadmodum te ô Domine ad Ægyptiorum exitium te gessisti. Ab exemplo Iuditha in causa per quam simili argumentatur: Vt olim premebantur Hebræi ab Ægyptio hoste, qui instabat à tergo equis quadrigisque, & militum copioso terribilis numero, à quo inermibus, & imparatis, maximè cum obstaret oppositum mare, nullum apparebat salutis effugium sic etiam nunc Bethulienses vsque adeò anguste obsessit premuntur ab Assyriis, vt de sua vita, aut saltem libertate actum esse putent. Vt autem demersis Ægyptiis, exultarunt, & triumpharunt Hebræi: sic etiam ô Domine, deletis Assyriis; quorum non minor est furor, & impietas, Bethulienses viuant, & exultent. Præcipiti ardore Ægyptij & anhelato cursu Hebræos olim insequebantur; opposuisti tamen ô Domine, tenebras eorum oculis, fecistique vt quos proximè habebant; videre non possent. Quæ res illos discruciabat vehementer, cum ne conceptum furorem in illos, quorum experebant sanguinem, euomerent, interposita nubes impediret. Exo. 14. 19. Illi qui modò inermi Hebræorum populo apparebant horribiles, repentè fluctibus obruti marinis in neutram æquoris ripam enatare, imò illigati ipso aquarum pondere, neque se ipsos mouere potuerunt.

Taxantur Iudices, qui ad indulgendum suo furori accepta à Deo potestate abuntuntur.

Virginem deturpari idem ac denudari est, in summa confusionem

Eis, qui auxilium exhibet ad flagitium tota tribuitur iniquitas.

Versf. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Sic fiant, &c.*] Ergo ô Domine (concludit Iuditha) quando Assyrij non minus quàm Ægyptij sitienter & rabidè ad eiusdem populi exitium anhelant, neque minus in curribus, & arcubus, quàm Ægyptij confidunt: neque vident Deo esse perquam facilè humanam contudere potentiam, eadem, qua Ægyptij dextera, & eodem, quo illi vulnere conterantur. Quod *ab initio*, ô Domine, fecisti dum populi saluti & commodis inuigilasti, id etiam cum anguste premitur, & omnia minatur insolens inimicus, maturè exere: & dexteram tuorum olim custodem, & vindicem ad inimicorum interitum extende; quorum ea est impietas, vt sperent, se posse conculcare *sancta*, & Tabernaculum diuino dicatum cultui polluere. Imò iactitant, dum suum in nos furorem ostendunt, non solum non habitatos Hebræos ab altarium religione securitatem, etiamsi illorum amplecterentur cornua vel sceleratorum asylum: (Adonias ideò *fugit in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* 3. Reg. 1. 50.) Sed ipsa etiam cornua esse deiicienda quasi vile aliquod

2. Postulat Iuditha, vt eadē Deus gerat Assyriis.

Ruinam illius Principis expectat, cuius exercitus sacra non reuereretur.

aliquod, & inutile saxum. * Omnimodam illius Principis ruinam expecta, cuius exercitus sacra non reuereretur.] Certè in mandatis à Nabuchodonosore habebat Holophernes, vt Templa diueret. Fac Domine, vt quod mente statui perficiam, hoc est, vt Holophernis caput valeam commodè suo ipsius gladio detruncare, quo cogitat Hebræos interimere. *Vt quo intendit offendere, eodem tenore puniatur.] Statui, naturali pulchritudini omnia adiicere lenocinia venustatis, & ad capiendos oculos ac animum hominis, quem esse libidinosum audiui, idoneas adhibere amoris illecebras. *Capiatur* igitur *laqueo oculorum suorum in me.*

Quo peccator intēdit offendere, eodem solet tenore puniri.

Peccatoris culpa iniquè aspicientis pulchritudo creaturarum illi noxia obijcitur.

* Non dixit, *laqueo oculorum meorum*, sed *suorum oculorum laqueo.* Quia ipsius peccatoris vitio naturalis creaturarum pulchritudo noxia est aspectanti. Vndè non pulchritudo obiecti, sed impudica oculorum aspectatio laqueum capturæ animi statuit.] * Et quidem oculi laquei sunt & insidiatores castitatis, per quos in animum prædabundi mille hostes castitatis irrumpunt. Ideò ab Ezechiele cap. 6. oculi dicuntur *fornicantes*, quia ipsi plerumque fax prima sunt quæ in paratis, & frigentibus animis incendium excitant Babylonicum. Quàm aptè ille profanus,

Oculi laquei sunt, & insidiatores castitatis.

Oculi fornicantes quinam?

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Decreui demùm, verborum adhibere blanditias, quibus detineam animum suapte natura mollem, & ad voluptatem omnem prurientem. Percutias ergo eum *ex labiis charitatis meæ.* Labia enim charitatis sunt ea, in quibus sunt amoris irritamenta, & ad molliores voluptates latentes insidiæ, aut manifestæ blanditiæ, qualia sunt mellita verba, quæ suauitatem ostendunt, & venenum occultant. Certè vox, quæ in textu Græco pro charitate ponitur, nihil significat syncerum, & purum: sed fraudulentum, & fallax, qualis esse solet leuiculorum mulierum simulatus amor. Est enim χειλιδόναλις, id est, *labia fraudis* seu labia dolosa. * O fœminarum verba impudicarum quandonam non fuistis lenocinia libidinis & fallacia amoris indicamenta?] Et quia video, aliquid supra fœmineas vires esse tentandum, & de mea mihi constantia promittere fælicem non audeo exitum: quod à me neque habeo, neque spero, benignus indulge: nempè constantiam, vt audeam; virtutem, vt Iudaïci nominis inimicum euertam. Quod tibi ô Domine, futurum planè glorioſum ſpero, cùm infirmo ac futili vſus inſtrumento, fœminea videlicet & imbecilli manu monſtrum illud hominis immane deiecerim. * Hoc orandi procul dubio genus ingenui pectoris est, & Deo gratissimum, cum id solum aut præcipuum spectamus, vt Dei & splendeat nomen, & amplificetur imperium.] * Et certè valdè glorioſum Numini, fragili inſtrumento illuſtria facinora exponere. Agnetis imbelli manu Tyranni horribilis potentiam euertere. Catharinæ fragili brachio robuſtiſſimum hoſtem comminuere.] Facilè tibi hoc facinus imbelli fœminæ manu perficere. Quia vt superborum multitudinem omni inſtructam bellorum apparatu proſternas, non militum *multitudine*, non quadrigis, non reliquis, quæ hominum ſpiritus inſolenter efferunt, indiges; imò in ſuperbos furorem tuum acuis, cum humilium patrocinium ſuſcipias, quorum ad tuas aures ſupplicatio non accedit ingrata. *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Particula illa, *Neque in equorum viribus voluntas tua* eſt, explicatur verſu illo Pſal. 146. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* Certè *voluntatem habere* eſt, aliqua re gaudere, & illam probare. Rerum omnium ô Domine, te creatorem profiteor, quare nihil eſt, quod non tuæ voluntati pareat, cuius rei documenta ab initio præbuiſti, id eſt ab antiquiſſimis ſæculis illuſtria, in quibus ſuperbos deieciſti Gigantes ante diluuium, Ægyptios & Aſſyrios ante hoc tempus. Oro itaquè vt me miſeram & graue opus molientem, tua tantum protectione fretam foueas, & confirmes auxilio. *Memento Domine teſtamenti tui.* Teſtamentum in ſcriptura idem eſt, quod pactum, aut fœdus. Vnde ſæpè audiuimus pro re eadem *arcam fœderis*, & *arcam teſtamenti.* Ac ſi dicat Iuditha: Teſtamentum eſt ſeu pactum iampridem cum populo tuo initum, vt ſi quando populus ad Deum ſe ab iniquitate conuerterit, illius Deus miſereatur: & quas ab hoſte pertulit iniurias, & incommoda in hoſtis caput vltor patronuſque conuertat. Quaſi tabellis obſignatis tecum ago, à quo conſtantiam & robur poſtulo impertiri. Neque tam hoc mihi, ac populo beneficium indulgeri peto, quàm tuæ gloriæ, cui maximè ſtudeo, vt Templum permaneat, ad cuius vaſtitatem hoſtis anhelat, in quo diuinæ laudes perpetuò reſonent, & omnes intelligant, vnum eſſe Deum, quem colit Iſraël, & præter eum nihil eſſe diuinum. * Preme illud. *Et domus tua in ſanctificatione permaneat.* Tam grata Domino erga Templum reuerentia, vt Iuditha poſt tot allegata diuinæ miſerationis excitamenta, quaſi collophonem imponens, & epilogationem gerens, oſtendat id totum ſe moliri, vt Dei *domus in ſanctificatione permaneat.*]

Impudica fœmina verba fictum amoris indicamentum libidinis lenocinium.

Ingenua oratio eius, qui præcipuè de largitoris gloria laborat.

Valdè glorioſum Deo, fragili inſtrumento illuſtria facinora exequi.

Gratiſſima Deo eſt cura circa Templorum reuerentiam.

CAPVT

CAPVT X.

Cum vnica ancilla procedit è Bethulia Iudith pulcherrimè exornata. Ab exploratoribus deprehenditur, & ad Holophernem ducitur, qui illicò eius forma capitur.

1. EFACTVM est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominum. 2. Vocauitque abram suam, & descendens in domum suam, abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ: 3. & lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. 4. Cui etiam Dominus contulit splendorem quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. 5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & profecta est. 6. Cúmque venissent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam & Presbyteros ciuitatis. 7. Qui cùm vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius. 8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret: vt glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero Sanctorum & Iustorum. 9. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes vna voce: Fiat, fiat. 10. Iudith verò orans Dominum, transiuit per portas ipsa & abra eius. 11. Factum est autem, cùm descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam, dicentes: Vnde venis; aut quò vadis; 12. Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideò ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quòd dentur vobis in deprædationem, pro eo quòd contemnentes vos, noluerunt vltrò tradere seipsos, vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro. 13. Hac de causa cogitaui mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis: vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. 14. Et cum audissent viri illi verba eius, considerabant faciem eius, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. 15. Et dixerunt ad eam: Conseruasti animam tuam, eò quòd tale reperisti consilium, vt descenderes ad dominum nostrum. 16. Hoc autem scias, quoniam cùm steteris in conspectu eius, benè tibi faciet, & eris gratissima in corde eius. Duxerúntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam. 17. Cúmque intrasset: ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes. 18. Dixerúntque ad eum satellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? 19. Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum: 20. & cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram. Et eleuauerunt eam serui Holofernis, iubente domino suo.

COMMENTARII.

1. Iuditha pulcherrimè exornatur.

VERS. 1. 2. 3. 4. *Factum, &c.*] Postquam igitur Iudith feruenti oratione, lacrymis, sacco, cilicio curauit pectus Dei expugnare. Quia cum homine suscipiendum erat periculosum certamen, aliis se armis instruit. Surgit ex oratorio loco, vbi diu precibus vacauerat, & depositis *viduitatis vestibus*, sordidis videlicet, & fuluis, pretiosas, varias, & lætas assumpsit. * O tempora, quando si aliqua fœmina veller aliquem Holophernem allicere, posset nuptiales exuere vestes, & viduitatis indumenta assumere; Aliquarum viduarum tanta est libido.] Aduocat *Abram suam*, seu ancillam fidelem maximè & industriam, & ad dissimulandum idoneam. Ideò quæ plures habebat ancillas, hanc ancillam quasi amicam habebat. Ideo textus

Luxus vestium viduitatis reprehenditur.

R. P. de Escob. & Mendoz. ad Iudith. lib. VI.

ait *Vocauitque Abram suam.* Vulgariter ex ponam, *Era la priuanza y confianza de su señora.*

Serui fideles debent veluti amici à dominis æstimari.

* Fideles enim serui, & industrij speciali fauore debent à Domino prosequi.] *Descendit* mox *in domum suam,* Quonammodò in domum dicitur descendisse, quæ pedemtè domo non extulerat. Certè quia egressa est ex Oratorio, quod sic erat ab interpellationibus separatum curaque domestica, vt extra domum fuisse videretur. * Cum ad orationis exercitamentum pergis, sic debes à domesticis curis abstrahi, ac si longè à domo sis progressurus. Quasi dixeris, Vale domus, domesticæ curæ valete, donec ab Oratorio reuertar, rursusque cogat hæc limina terere.] Rogas quænam Hebræis viduitatis vestes? Non constat. Crediderim viduitatis luctui familiarem fuisse nigrum colorem, quare atrati vel pullati dicuntur, qui lugubres ac funereas vestes gestãt. Porrò ne quid haberet Holophernes, quod fastidiret, & horreret, lauit Iuditha corpus suum nitro fortasse aut herba *borith*, & vt aliquid à se spiraret amœnum & gratum, vnguento optimo totum corpus aspersit, quod Hebræis olim in mensâ, & lecto familiare fuit. Olim *myrtum* legebamus, nunc in correctis *myrum*, quod *vnguentum* valet, nec vnguentorum definit speciale genus. Quodcumque tamen illud fit, *optimum* fuisse constat, nardinum scilicet, aut myrrhinum aut si quod aliud fuit odoratu gratior. An sancta & modesta Vidua huiusmodi pretioso, seu optimo abundabat vnguento? Luxúsne accusanda? Imò hoc ex capite omnino laudibus efferenda, quod habens *optimum myrum*, illo non vteretur. Certè mirificè commendatur à Domino ex ore Dauidico, *qui potuit transgredi & non est transgressus.* * Ego quidem Iuditham commendo, quæ non illicitè fortasse vti potuit vnguento, & abstinuit. Testor ablutionem illam præmissam, quæ in Vidua desidiam circa munditiem tam agnatam fœminis arguebat.] Præterea discriminali capillos in duas vel plures partes discréuit, vt in circos, & plexus artificiosè colligi possent. Imposuit *mitram* muliebre capitis ornamentum. Hebraicè רעלות *rahbaloth*, quæ dictio *tremorem* significat. Capitis ergo illa ornamenta instructa erant bracteolis quibusdam aureis, quæ etiam leuissimo motu librantur, & tremunt. Vulgariter vocito *Argenteria. Mitra* itaque idem ac *tremor.* * Liceat mitram è capite fœmineo in Sacerdotum verticem transferre. Mittam accipit Sacerdos, an tremorem? Qui mitra ornaris, existima te accepisse tremorem. Munus enim Episcopale giganti debet tremorem incutere.] * Porrò eadem Hebraica vox idem est ac *venena.* Quia ista capitis fœminei redimicula sicut venenata pocula sunt adolescentibus, ex quibus miselli venena hauriunt.] Induit vestimenta *iucunditatis*, siue quæ nuptiarum lætitiæ seruierant. Hæc vidua asseruabat diuinâ planè prouidentiâ vt contrà hostem Israëlis si dulcia, dira arma ministrarent. *Sandaliáque* pedibus aptauit. *Sandalia* calceamenti genus est, in quo elegantes fœminæ magnas faciunt impensas, quæ artificiosè inaurant, & margaritarum splendore faciunt radiare. Nec minus pretiosa sandalia sumpsisse puto Iuditham, cum ipsa dies esset, neque vulgatia munera à locupletè accepisset sponso. Assumpsitque *dextraliola*, seu armillas, quæ eam partem corporis exornant, quæ manum cum brachio coniungit, & ligat: *lilia* ornamenta scilicet conflata ex speciosa materia ad liliorum similitudinem efformata, quæ aut è collo pendent, aut vestibus assuta exponuntur, *& inaures* pendulas aptauit auriculis, & *annulos* digitis, *& omnibus ornamentis suis* speciosoribus scilicet, se se fœmina ornauit. An Iuditha dum se tam exquisitis modis exornat, vt caperet Holophernem, peccatum admiserit? Voluit, fateor, Iuditha Holophernem illudere, & ad sui amorem lenociniis adducere. Porrò in naturali pulchritudine nihil est turpe, neque in studio illius conseruandæ, aut etiam artis lenociniis augendæ, si modò malus absit animus, & intenta imputæ irritamenta libidinis. Hoc quidem difficilè, quia ornatus ille eò spectabat, vt animum lasciui caperet, hominis, quem non speraret à nefario concubitu continendum. Dixerim itaque potuisse Iuditham pulchritudine à natura, data, & ab artis lenocinio quæsita Holophernis animum ad sui amorem, honestumque congressum pellicere; quia ille præstantem illam pulchritudinem admiratus illius expeteret coniugium, cui lex & natura illa corporum commercia, & thalami consortia permittit. Neque peccaret Holophernes, si eo animo ad tori societatem asciscret; neque Iuditha etiam si prohibita illa connubia respiceret; quia alter etiam si incitaretur ad Venerem, non tamen ad eam, à qua illum corporis vsum matrimonij religio vendicabat. Addo, Persarum Assyriorúmque receptam consuetudinem plures admittere vxores: nec in illo vxorio concubitu, quamuis ille foret à natura prohibitus, vllam existimasse illos inesse turpitudinem Herodoto auctore l. 2 3. de Persis. Quid si Iuditha suo aspectu gratissimo & ascito pulchritudinis adiumento adducere potuit Holophernem, vt traduceret exercitum, & Bethuliæ solueret obsidionem. Solet enim ab iracundis extorquere formæ dignitas, & venustas, quod neque ratio impetraret, neque alia quæuis exprimeret machinatio. * Id credo, agebat Iezabel l. 4. Reg. c. 9. cum ad ingressum Iehu faciem ad pulchritudinem, & caput ad dignitatem componeret, vt putat Abulensis: vt Iehu gladium, quem filij sui stillantem recenti sanguine videbat, à suo iugulo depelleret.] * Porrò Deiparæ pulchritudine Deus ipse exercituum profitetur se fuisse debellatum, vt hominibus misereretur. *Pulchra vt Luna; electa vt Sol, terribilis, seu* fortis, *vt castrorum acies, ordinata* ad iratum placandum sponsum. Verùm ad hanc naturalem & ascitam insuper arte pulchritudinem accedebat à Deo maior quidam, & augustior splendor, qui ita capiebat intuentium oculos, vt etiam dignitatem, & maiestatem obiiceret, ne quis in illam aliquid indignius, aut petulantius auderet. Neque enim ad reddendam eius pulchritudinem augustiorem, Deus *splendorem* eius faciei imprimeret. * Facies enim splendens potius depictam refert statuam, quàm pulchram mulierem.] Fauebat autem Deus illius conatibus, quia ornatus ille, (qui non videbatur, à meretricio abhorre procul) non spectabat aliquid libidinosum & turpe; sed potius quod esset cum religione, & patriæ, ciuiúmque charitate coniunctum. * Quem à Deo fauorem spectat, quæ ornatum ferè meretricium

Cum ad orationem pergis, omnino in domo existens à domo recede, curas domesticas dimitte.

Commendabilis qui potest licitè gerere aliquid ad commoditatem attinens, & non gerit.

Mitra idem ac tremor est. Qui mitram accipit existimet, se accepisse officium tremoris.

Muliebria ornamenta venena sunt adolescentibus.

Pulchritudo iratos sedat animos.

Deiparæ ineffabilis pulchritudo Deum iratum placat.

Facies rutilans statua est, non fœminæ pulchræ.

Deum non fa-

Vet fœmina se se ornanti, vt placeat aspectantibus.

tium exponit, vt oculis adolescentulum placeat, nec aliquid ad Dei gloriam pertinens potest prætendere? Ideò miserè non paucæ fœminæ periere. Deus enim huiusmodi pulchritudini aut ornatui non addit illum splendorem aut maiestatem, quæ aspectantes contineat, ne aliquid petulantius audeant.]

2. Pergit Iuditha ad Assyrios.

Vers. 5.6.7.8.9.10. Imposuit, &c.] Profectò quia Iuditha timebat Deum, nec se cibis Gentilium contaminare volebat, ad pauculos dies, quibus in Assyriorum castris sibi morandum existimabat, cibos sibi asportauit, & potum. Atque ideò *ascoperam* sumpsit, id est, peram ex pelle, quæ nihil erat aliud quàm vtriculus. Hanc impleuit vino: & quia illis diebus, quod faciebat domi, ieiunare constituerat, cœnam sibi parauit puram, id est, quæ vacua erat ab animalium carnibus. Ad quam nihil tulit aliud, quàm quod sine igne conditi, & esculentum fieri sine opera culinaria posset. Tradit itaquè ancillæ suæ vas olei, *polentam*, siue hordeum madefactum deinde siccatum, & tostum & mola in farinæ modum comminutum. Addidit *palathas*, seu massas caricarum, seu ficus aridas in massam compressas, panes, & caseum, ac profecta est. Quare Iuditha sic Assyriorum mensam abhorruit, vt secum attulerit domo cibos? Certè quia Gentilium cibi prius idolis immolabantur.* Pudeat Christianos non prius suam Domino immolare mensam, sacra præmissa benedictione.] Egressæ sunt domo domina & ancilla, illa non parum onerata suorum ornamentorum instructu, hæc paucorum dierum alimento. Ad portam Vrbis, ne quid à custodibus obiiceretur impedimenti, cum Presbyteris expectabat Ozias. Hi illius pulchritudinem admirati sunt ad stuporem vsque. *Mirati sunt nimis.* * Particulam *nimis* do speciali splendori illi à Deo addito; & particulam, *mirati sunt* tribuo ablutioni ornamentis, capillorum discriminationi. Vt videas quid in fœmina gerat ornatus. Viderant Viduam attris indutam vestimentis nec fuerant mirati. Ne seducaris inexpertè iuuenis, tibi persuade præcipuam fœminarum pulchritudinem pigmentis & ornatu deberi.] Hinc coniectarim quantum Deus naturali formæ vel ornatæ splendoris addiderit, siquidem in admirationis accreuit nimietatem. Nec quidquam ab illa scitati sunt. * Quia sciebant illi tot ieiunia, tot preces præmissas felicis euentus, prudentis consilij esse præsagium.] Fuere autem illam votis ac precibus prosecuti, orantes secundum suorum consiliorum euentum, à quo & gloriam sibi defensa Ierosolyma, & ipsa æternum in sanctorum ordine nomen obtineat. Cumque alij, qui aderant, sua pariter vota ac preces adiungerent, sua prius causa Domino commendata rursum, Iuditha cum ancilla fuit foras egressa. * *Iudith verò orans Dominum transiuit per portas.* Nullus ducendus gressus ad opus difficile pietatis, quem non cures oratione præmissa, aut comite prosperati. Orauerat Iuditha ante iter inchoatum, orauit domo egrediens, orauit ex Vrbe processura. Quàm secura expeditio, quàm felix euentus!]

Prius quàm comedas, Deo liba cibos, benedictione mensa præmissa.

Præcipua fœminarũ pulchritudo, fucis, pigmentis, & ornatu debetur.

Præmissa preces & ieiunia felicis euentus præsagium.

Ad opus difficile pietatis nullus ducendus gressus nisi præmissa, seu comite oratione.

3. Capta Iudith ab Assyriis ad tabernaculum Holophernis ducitur.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Factum est, &c.] Albescente iam die in montis descensu occurrere Assyrij exploratores, & quid expectaret matutinus ille progressus interrogarunt. Ad quos illa: Ex Hebræorum gente sum ex Vrbe Bethulia. Et ideò hoc tempore vsque adeò angusto atque difficili, deserui patriam, quia futurum noui Assyriis rerum Dominis futuram esse prædam, quia maluit resistendo illorum inflammare furorem, quàm cedendo, ac summittendo collum Assyrio iugo, misericordiam obtinere. Hac de causa cogitaui mecum, dictitans: si recusare non potest Bethulia, quin in Assyriorum veniat potestatem, nihil ego in patriam perfidiosum moliri crediderim, benè autem meritam futuram Assyriis, si Principis Holophernis conspectum iniero, illique meorum secreta aperiens, eum docuero viam, quâ possit Vrbem, incruenta victoria, possidere. Verùm plures Doctores optimè notè existimat, Iuditham in decursu historiæ huius sæpè mentitam esse, sed officiosè & in bonum patriæ. Quod teste D. Augustino multi veterum etiam post Christum passum, secuti Platonem, putarunt sine piaculo licuisse. Sed hoc meritò Doctor egregius refutat toto libro, quem de mendacio scripsit, vbi negat Iuditham fuisse mentitam. Cum pluribus idem affirmo, quia omnia quæ dixit, possunt, quantum est ex mente loquentis, exponi. Quod primo loco hîc dicit, se fugisse ab Hebræis, idem est, ac celeriter ab eis abscessisse, vel fugientis instar, transisse ad Assyrios. Addit, *Futurum agnoui, quod dentur vobis in depræda tionem*, scilicet via naturali & ordinaria, & nisi præter communem rerum ordinem Deus quasi è machina succurrat, & malum præpediat. Denique ait: *Vadam, vt indicet secreta illorum, & ostendam illi, quo aditu possit obtinere eos, &c.* Nempe extremam sitim ac famem Bethulienſium exponere Holoferni poterat: & aditum ostendit, quo posset Holophernes sine vlla militum suorum iactura Ciuitate potiri. Aditus autem idem fuit, quam paulo ante ab Achiore audierat, si Deus populo offensus auxiliares ab eo manus amoueat. Hæc autem vna & facilis via fuit, qua euerti posset sublimis illa atque munita Ciuitas. Neque omnino affirmat ita esse cap. 11. 7. sed ita futurum, si Ciuitas illa à diuina custodia, & protectione deseratur. Quare in multis conditionalis particula subaudienda est. Addo, ipsam ius habuisse, vt non adeò simpliciter, & apertè cum Assyriis ageret, sed veritatem prudenter ipsos celaret, amphibologia vsam. Vndè non videò qua ratione pia & laudabilis fœmina possit (absit, debeat,) mendacij, imò tot mendatiorum redargui. * Præcipuè cum grauem, sanctamque fœminam dedeceat sæpe mentiri.] * Ipsa Cap. 13. 20. disertè affirmat, quòd sine *pollutione peccati* fuerit à Domino custodita, *peccati* scilicet grauis. Auderétne venialia patrare piacula, quæ experebat à grauibus seu lethalibus custodiri, sciens vtique replicare venialia, instantem esse ad mortalia dispositionem?] Admirati ergò Assyrij milites tantam fœminæ, tamque incredibilem venustatem, laudarunt prudens illius consilium, quo vitam suam maturè conseruauit. Et cum probè nossent imperatoris ingenium & in molliorſis intemperantiæ voluptatem procliue, omnia illi ab eius benignitate secunda pollicentur: cum non posset non gratissima illius apparere tanta pulchritudo, oculis, quos tam habebat Dux libidini obsequentes. * Imperatori, imò

Dedecet ad modum piam fœminam mentiri.

Venialia replicare peccata, instans est ad lethalia dispositio.

Indignũ hero famulos eius prauos mores agnoscere.

cuilibet hero prorsus indignum, prauos suos mores à famulis agnosci.] * *Eris*, inquiunt, *gratissima in corde eius.* Te scilicet illicò concupiscet. Quàm agnatum subditis Dominorum defectus euulgare.] Duxerúntque illam ad tabernaculum Holophernis, ei *annunciantes* illam adesse. In Græco additur, adductam fuisse *cum ancilla sua, iunctoque curru.* Arbitrati scilicet, prophanam esse fœminam, cui nihil gratius quàm in curru *(coche)* vectatio.] Addit etiam Græcus, Iudithæ *pulchritudinis fama totis è castris ad eam videndam concurrisse* quàm plurimos omnésque formam illius obstupuisse. * Quàm facilè, quàm illicò ad profana spectacula homines confluunt, qui ad diuina quæque indigent exactore.]

Agnatum subditis, dominorum publicare defectus.

Fœmina gratissima currus vectatio.

Facilè, & mox ad prophana spectacula homines alliciuntur.

4. Holophernes Iudithæ formâ capitur.

Verſ. 17.18.19.20. *Cumque, &c.*] Statim adducta fuit ad Holophernem Hebræa, neque enim custodes illi milites dubitabant, gratum se afferre domino suo siue donum siue prædam, cui quid cordi esset ex vulgi sermonibus non ignorabant. * Nec enim Principum vitia, vt maximè cupiant, latere possunt.] Haud illos sua de domino cogitatio fefellit: nam statim atque Imperatoris subiit oculos incredibilis illa Iudithæ pulchritudo, in illius amorem totus exarsit; cui faces admouerunt impuri, lasciuíque satellites: dum dictitant, pro fœminis Hebræis, quas vsque adeò commendat formæ venustas, omne suscipi debere certamen, & quoscumque fieri sumptus, & adiri pericula. * Piacula Principum magna ex parte sunt lateronibus aulicis tribuenda, qui procacibus verbis ligna addunt incendio.] Erat tunc Holophernes in sublimi solio sub conopæo auro & pretiosis lapidibus exculto. Conopæum est cortina sursum in conum acutum desinens, inferius in rotundum expansa, paruí instar tentorij. Quales cortinæ in lectis castrensibus induci solent, vulgò *Pauellon.* Quem cum vidisset Iuditha, quasi ibi magnum aliquid, & diuino simile se conspexisse simularet, procubuit in faciem adorabundæ similis. Quam tamen serui ad Imperatoris præceptum è terra eleuarunt. Græcus textus docet, progressum esse Holophernem, & occurrisse Iudithæ aduentanti, quia iam aliquid à præcurrentibus audierat de illius singulari & planè peregrina specie. *Et annunciauerunt ei de ea, & exiuit in proscenium, & lampades argenteæ præcedentes eum.* Exiit itaquè ad tentorij vestibulum maximo fastu, præcedentibus candelabris argenteis. A nonnullis minus æquè accipitur, quod Iuditha procubuisset super terram, & Holophernem adorasset. Quasi mortali homini impiè tribuisset quod vni debetur. Certum quidem, hominibus, qui cum potestate sunt, suam quoque venerationem, ac honorem deberi, quæ ex institutione gentium diuina non est, neque eo loco habita, vt diuinitatis professio censeatur. Talis fuit apud Persas adoratio illa, quæ strato humi corpore Iudith impendit Holoperni. Quam si omisisset inurbana appareret, & rustica, imò & Persicæ maiestatis contemptrix. * Nec enim diuina lex humanæ vrbanitatis dogmata annullat, sed protegit, si nulla adsit delicti suspicio, quæ non aderat in præsenti.] Adeò enim apud Persas hoc erat receptum, vt omitti nulla ratione posset, nisi prodita regia maiestate.

Piacula Principum magna ex parte sunt aulicis lateronibus tribuenda.

Diuina lex vrbanitatis dogmata non annullat.

CAPVT XI.

Causam aduentus sui Iuditha rogata ab Holopherne exponit. Victoriam certam promittit. Non modò à pulchritudine, sed & à sapientia commendatur. Et maxima illi præmia promittuntur.

1. VNC Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi. 2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum. 3. Nunc autem dic mihi, quia ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos? 4. Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. 5. Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solùm homines seruiunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi. 6. Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus, & indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus & potens es in omni regno eius, & disciplina tua omnibus prouinciis prædicatur. 7. Nec hoc latet, quod locutus est Achior; nec illud ignoratur, quod ei iusseris euenire. 8. Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum, vt mandauerit per prophetas suos ad populum, quòd tradat eum pro peccatis suis. 9. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filij Israël, tremor tuus super ipsos est. 10. Insuper etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur. 11. Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum: 12. & sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt

tauerunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quòd in perditionem dabuntur. 13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nunciare tibi. 14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum, 15. & dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, & veniens nunciabo tibi: ita vt ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israël, sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te: quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. 17. Et quoniam iratus est illis Deus: hæc ipsa missa sum nunciare tibi. 18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur sapientiam eius, & dicebant alter ad alterum: 19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. 20. Et dixit ad illam Holofernes: Beneficit Deus, qui misit te ante populum, vt des illum tu in manibus nostris: 21. & quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.

COMMENTARII.

1. Aduentus sui causam Iuditha exponit ab Holopherne rogata.

VERS. 1. vsque ad 17. *Tunc, &c.*] Saucius graui amoris zelo Holopherne iam veniam mente pro communi Hebræorum pertinacia Iudithæ impenderat, quæ quidem pro sua in illum potestate etiam imperare potuisset, cunctisque pro libito parcere. Dissimulauit tamen homo cautus, se amoris imperio manus dedisse: neque ideo Iudithæ communis peccati indulsisse veniam. * Dedecet enim Principes indulgentiam aut rigorem ex iniquo exponere affectu.] Communem teddit rationem, eamque suo iudicio grauem & honestam. *Æquo*, inquit, animo esto, & noli affici pauore. Quoniam non statui vnquam manus conferre cum illis, qui Assyrio iugo summittere cervices, & Nabuchodonosori honores voluerint diuinos impendere. Quod cum ipsa facere decreuisti, te meritò potes ab omni formidine expedire. Quod idem quoque obtinuissent contribules, ac populares tui, nisi pertinaci studio & contentione vesana restitissent. *Nunc* autem cum timor iam non potest tua narrantis intercipere verba, dicito mihi, quænam te ratio maximè pepulerit, vt à tuorum egressa conuentu, in Assyriorum castra consilio transfugeris meliori. Dixit Iuditha Holoferni: Ancillæ tuæ ô Dux, adnota prompto animo verba: nam si mea digneris monita sectari, *perfectam rem faciet Dominus tecum*, id est, bellum hoc perfecta ac gloriosa victoria Deus citò concludet. Quod certè per deditionem, vel expugnationem Hebræorum futurum Holophernes putabat: sed Iuditha intellexit, id fore per Holophernis necem, & cædem ac fugam Assyriorum. *Viuit enim Nabuchodonosor.* Forma iurandi Hebræis & Gentilibus vsitatissima. Sic Gen. 42 16. iurauit Ioseph. *Per salutem Pharaonis, non egredieminī hinc.* Licitè quidem. Nam per homines per solem, lucem, aut cœlum iuramus, non quia illis inesse credamus diuinum aliquid; sed quia illorum Auctorem in illis agnoscimus, cuius in nostrarum rerum confirmationem testimonium, & fidem aduocamus. Sic Iuditha iurauit. *Viuit* inquit, *Nabuchodonosor Rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te ad correctionem omnium animarum errantium, &c.* Quasi diceret: Tam verè quàm viuit Nabuchodonosor Rex terræ; tuque Holophernes in quo viget præcipuè potentia Assyrij Imperij ad errantium correptionem: tam vera sunt, quæ loquar; nempe vos non solis hominibus dominari, sed & bestiis: Item *industria* animi, *bonitate* morum, *potentia* armorum, & *disciplina* militari te omnibus præcellere, notum est *omni sæculo.* Græcè, *toti mundo.* Neque me laret, quod locutus est Achior in Hebræorum commendationem, vel in Dei Israël misericordiarum præconium. Nec illud ignoratur, quod ei iusseris euenire; quando cum ad Bethulienses immisisti. Nihil nos commodi posse expectare ex Numine irato dixit Achior: verè profectò. Constat Deum nostrum sic peccatis Hebræorum offensum, per Prophetas imperasse dici populo, quod *tradet eum hostibus*: Quod planè verissimum esse docuerunt decem Tribus nuper in Assyriam adductæ: & ex residuis duabus Tribubus non pauci quotidiè nouis, vt fit, sceleribus prouocabant in se nouam Dei iracundiam. Et quoniam filij Israël se se reos esse cognoscunt, ad tuum conspectum tremore diro aguntur. Dum autem in eos tuus mucro desæuit, famis gladio vulnerantur, sitis igne conflagrant; & tanta præ siti ariditate laborant; vt cadauera segniter ambulantia videantur. Porrò siti cogente, decreuerunt suorum pecorum sanguinem epotare; lege id expressè vetante, Leu. 17. 10. In Græco additur, *Etiam vetitis, lege carnibus; aliisque cibis vti decreuisse Bethulienses, & super hac re Ierosolymam misisse, qui huius rei licentiam à Senatu afferrent,* Nam Ierosolymis residebant qui *sanedrim* seu *magnum synedrion* constituebant, à quo si quæ certis casibus necessariæ viderentur legum quarumdam solutiones, siue dispensationes peti debebant. Ioseph. l. 4. Antig. c. vlt. Et tam rabida fame premuntur, vt *sancta Domini*, id est, consecrata Deo, puta primitias, decimas, quæ cum Deo sacra essent, non poterant à Laicis vel manu contingi: iam tamen etiam ore absumere statuerint contra expressum legis mandatum. An hoc verum? Verissimile est, non paucos priuatim & clam, etiam nondum obtenta Ierosolymis facultate, similia patrasse, aliaque his similia, peiora. Propter quæ meritò punitum eos, imò perditum iri prædicere potuit Iudith, id est, si Deus pro meritis quem-

Dedecet Principes, indulgentiam, aut rigorē ex iniquo exponere affectu.

que perdere velit. Hæc agnoscens ancilla tua ab illis fugi, ne eorum clade peritem, & immissa à Domino veni nunciare tibi, seu ita me gerere, ac si nunciare ventitassem. Ego enim ancilla tua Deum colo Hebræorum *etiam nunc apud te*, id est, tam studiosè cōsere procuro, vt etiam cùm apud te idolorum cultorem commoror, à Dei mei cultu eiusque legis obseruatione non discedam: ideò me speciatim ad huiusmodi legationem elegit. * Certè magnæ perfectionis, feruentis fidei est documentum, apud impios tueri pietatem.] Et ideò necessum erit ancillæ tuæ, exire ex tentorio, recedere à castris, vt orationis assiduo exercitamento operam impendam. *Et exiet ancilla tua, orare Deum* se Deum colere ostendit, vt liceret ei, è castris exire ad orandum. * Sciebat enim Virago sanctissima, opus illud augustum ab oratione initum ex oratione perficiendum. Quarè instare curauit precibus, vt opus inchoatum felici termino addiceretur.] * Potuit mente in castris orare, sed studuit à castris abscedere, Moysis in morem, quia aulicorum societas & castrorum perturbatio orationis quietem necessariò violat.] Verùm ideò curat tunc specialissimè orationi vacare, quia circa castitatis tuitionem erat tentamina subitura, ad quæ superanda mirum in modum fauet oratio.] Ex orationis eleuatione, suggerente mihi id Domino, dignoscam temporis instantiam à Domino præscriptam ad Hebræorum supplicium, completa eorum iniquitate, & renunciabo tibi. * Non excidant sine pondere verba hæc: *Dicet mihi, quando eis reddat peccatum suum.* Equidem statutum est tempus, quo completa peccatoris iniquitate, Deus haud vlteriùs expectet correctionem, sed diriter æternùm puniat errata. Vndè abstinendum à piaculis. Quis enim scit, num hoc crimine perpetrato, tempus illicò adueniet, quo Deus reddat meritum criminibus supplicium.] * *Reddat peccatum*, id est, peccato agnatum supplicium. Quod quidem redditus vocabulo signatur, vt appareat, homines delinquentes dare Deo incensum peccata sua, ex quibus redditus proueniat æternus.] Nunciabo, inquam tibi tempus, quo Deus decreuerit tibi tradere Hebræos, completa eorum iniquitate, & cunctis difficultatibus superatis, ego *deducam te* per mediam Ierusalem. Triumphabundum putauit Holophernes: sed triumphatum, ac iugulatum Iudith intelligebat. Quod factum, cum caput tyranni secum in triumphali curru per Vrbem Ierosolymam, & (credidetim) per Iudæam quoquè vniuersam circumduxit. Et habebis omnem populum Israël sicut oues, cuius non est pastor. Quandò scilicet occiso Holoperne Iudæi nullo seruato ordine, Assyrios huc illuc fugientes palantesque persequentur, ac castra diripient. * Quandò enim in bello spolia diripiendi instat occasio milites velut oues sine pastore cursitant. Nulla namque Ducis vis eos potest à diripiendi anaritia retrahere.] Victoria verò hæc augustissima tam pacificè comparabitur, vt vel canis vllus actus strepitu oblatrare *contra te* exsurgere audeat. Puta iam mortuum, cum desieris omnibus esse molestus sic enim partim ironicè, partim amphibologicè, partim propheticè exposità veritati per omnia quadrant. Asseruerim verò, & in proprio sensu, & vt ipsimet interpretabantur Assyrij, potuisse omnia hæc à Iuditha cum veritate promitti: sed conditionatè & secundùm præsentem rerum statum, si scilicet noluerit Deus peculiari prouidentia & ope statum præsentem commutare. Nam tunc ad literam certissimè euentura erant, quæcumque hîc Holopherni promittuntur. *Hæc omnia mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.* In Græco est, *secundùm præcognitionem meam.* Vtriusque est hæc prouidendi, & prænoscendi facultas: Dei tanquam donantis, Iudithæ tanquam accipientis, & habentis. Et quoniam Hebræis iratus est Dominus, missa sum ab eo, hæc tibi nunciare. Igitur Deum voluisse asserit Iuditha hæc hosti nunciari, quia in suum populum erat iratus. At cum iratus est Dominus, *misericordiæ recordabitur.* Abac. 3. Quia ergo iratus est ob populi crimina immittitur Iudith liberatura populum. Quia qui liberali sunt animo, beneficia solent pro iniuriis rependere: & tunc magis suæ clementiæ documenta præbent, quando ad iram ardentiùs prouocantur solitus Deus ob gloriam nominis sui, ac propter bonitatem immensam, è qua didicere creaturæ, cum prouocatur ad iram vehementiùs, ornare magis, & inuitare mollius rebelles animos, & qui ab illo longinquiùs recessere.] Id itaque occultè Iuditha significat, & in fraudem honestam impium inducit bellatorem.

Tueri pietatem apud impios, magnæ perfectionis est documentum.

Opus egregiū ex oratione ineatur, & terminetur.

Ad orationis exercitamentum requiritur abscessio à tumultu.

Orationis exercitium, fauet castitatis tuitioni.

Abstine à peccato, ne fortè illud sit vltimum quo perpetrato, insistet supplicium.

Dat delinquēs Deo peccata sua incēsum, è quibus redditus æternus proueniat.

Miles nulla Ducis vi potest à diripiēdo retrahi anaritia, cum adest colligēdi spolia occasio.

Assolet Deus, quò magis ad iram à peccatore prouocatur, plus inquando affici misericordia.

Verſ. 18.19.20.21. *Placuerunt autem, &c.*] Hæc omnia eo spiritu, ea verborum dicta sunt suauitate, vt tàm Holopherni, quàm iis, qui cum ipso aderant, magnam de illius sapientia opinionem, & admirationem excitauerit: ita & secum cogitauerint, & inter se dixerint admirabundi, nullam esse in terra mulierem, quæ cum Israëlitide illa fœmina, aut formæ venustate, aut sermonis suauitate ac pondere comparari posset. Preme verba illa: *Et dicebant ad inuicem: Non est talis mulier super terram in aspectu in pulchritudine, & in sensu verborum.* Prius laudant pulchritudinem, mox sapientiam admirantur. Nunquam fœmina pulchra stulta mundialibus apparet. Licet Iuditha sapientissima non extitisset, quàm pulchram tamen tam sapientem illi depredicarent. Nunquam non pulchritudo hallat sapientiam. Vidisti puellam venustate decoratam, cuius sales commendas: eandem vetulam aspexisti stultitiæ admodum hærentem. An ætas conturbauit iudicium, sapientiam obscurauit? Absit, quia iudicium acuitur ex senio. Certè pulchram sapientem esse iudicabas, fœdam verè insipientem agnoscis.] Laudauit Holophernes Iudithæ consilium, & cum illa à Deo, ait, actum esse præclarè, cum talem ei mentem dederit, vt populum suum Assyrio dominatui subiiciat. Quod si promissa (addit) compleueris, ipse quoque promitto, quod sanctæ vt puto fœminæ iudico nihil videri posse magis optabile, nempe abiuratis patriis diis, & Assyria religione, nemini à me diuinos honores impensum iri, nisi Hebræorum Deo: cuius æquitatem in puniendis peccatis, & in domandis sceleratis potentiam agnoscam. Cæterum promitto tibi ô Hebræa pulcherrima, magnum in domo Nabuchodonosoris honorem, & locum, & in omni terra, nempe Assyriorum potestati subiecta, glorioſi nominis celebritatem. * Vide quàm facilè ab imbelli fœmina tantus captus est Imperator, qui modò tantum

2. Iudithæ sermo Holopherni placuit.

Fœmina pulchra mūdialibus, imò omnibus fere hominibus sapientes iudicantur.

Quid non mortalia pectora luxuries cogat.

tantum circumiectis finibus terrorem incussérit. Qui dum captat animum illius, cui ipse captiuum animum subiecerat, religionem prodit patriam, & fidem Regi suo legitimo alligatam sacramento: cum enim id accepisset in mandatis à Rege, vt aliorum deorum lucos, ac delubra subuerteret. Ille autem vsque adeò non curauit, vt Nabuchodonosor ab aliis religioso honore coleretur, vt etiam promitteret, se non habiturum illum pro Deo, sed amplexurum Hebræorum sacra, & illorum Deo constanter adhæsurum. Quid non mortalia pectora cogit luxuria, neque vnquam satis saturatus Veneris appetitus?] * Certè quod fecit Holophernes faciunt sæpè melioris Religionis assectæ, qui vt suam expleat libidinem ipsam Religionem adiiciunt. Salomonē testor è Iudæis, & è Christicolis innumeros, qui licet exteriùs haud deseruere fidem, interne adeò à vero Numine feriantur, vt soli Veneri thura litent, vel præ insipientia à libidine concepta dicant stulti *in corde suo Non est Deus.*] Defendi, vt potui à mendacij suspicione Iuditham defendere. Et quidem (addiderim) licèt mentiri nunquam liceat, occultando tamen veritatem, & ambiguo, figurato, aut mystico sensu auditorem iniustum in fraudem inducere, peccatum non est. Quorum plura in Iudithæ dictis, factisque non difficilè apparet. Scio, esse, qui leue peccatum agnoscant, & illo prædarum Iudithæ factum non magis obscurari putent, quàm eximiam oris venustatem exiguo næuo. * Sed non facilè credam, fœminam adeò addictam orationi vel leue piaculum vltrò commisisse. Quia orationis exercitamentum sic animum aduersus omnem instruit voluntariam transgressionem, vt vel leue piaculum studeat vitare, qua alij curant lethali non infici.]

Ex luxuria à fide naufragium.

Qui orationi exercitamentis student, sic à venialibus præ abstinere studeant, ac alij à lethalibus.

CAPVT XII.

Iuditha in loco thesaurorum Holophernis excipitur: toto quatriduo permittitur ieiunio, & orationi vacare, & noctu foras quoties vellet, egredi. Quartò demum vespere in eodem cœnaculo cum Holopherne, sed alia conuiuatur in mensa, quandò Holophernes amore Iudithæ iam inebriatus, ebriatur & vino.

1. IVNC iussit eam introire vbi repositi erant thesauri eius, & iussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de conuiuio suo. 2. Cui respondit Iudith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo. 3. Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi? 4. Et dixit Iudith: Viuit anima tua Domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitaui. Et induxerunt illam serui eius in tabernaculum, quod præceperat. 5. Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum. 6. Et præcepit cubicularijs suis, vt sicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum suum, per triduum: 7. & exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ. 8. Et vt ascendebat, orabat Dominum Deum Israël, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi sui. 9. Et introiens, munda manebat in tabernaculo, vsque dum acciperet escam suam in vespere. 10. Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam seruis suis, & dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, & suade Hebræam illam, vt sponte consentiat habitare mecum. 11. Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irridear virum, agendo vt immunis ab eo transeat. 12. Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate. 13. Cui Iudith respondit: Quæ ego sum, vt contradicam Domino meo? 14. Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. 15. Et surrexit, & ornauit se vestimento suo, & ingressa stetit ante faciem eius. 16. Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia eius. 17. Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me. 18. Et dixit Iudith: Bibam domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis. 19. Et accepit, & manducauit, & bibit coram ipso, ea quæ parauerat illi ancilla eius. 20. Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Excipitur Iuditha in loco thesaurorum, eique permittitur noctu foras pro libito egredi.

Assolet facilè vinci castitas auaræ fœminæ penuriâ.

Lenes mulierculæ ob vilia bellaria, ac cupedias suâ vendidere pudicitiam.

Omnes Præfecti militares abundant thesauris ex militum miserorum penu.

Curent fœminæ proprio labore comparare cibos, ne ex inediæ vilalari non timeant puritatem.

Vel impijs sæcularibus placet, Religiosum ostendi apud ipsos suarum legũ obseruatorem.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8.9. *Tunc, &c.*] Vt Holophernes Iudithæ animum ad sua vota pelliceret, ad tabernaculum eam inducit, quo in toris castris nihil erat aut dignitate maius, aut splendore sublimius, in quo erant omnes thesauri. Quasi illam eorum dominam constitueret ad ornamentum, muliebresque delicias. * Fœmineum enim genus auarum nullo aptius in receptaculo excipi poterat vt vinceretur, quàm in tabernaculo thesauri.] Deinde de suo penu cibos splendidos vtique constituit. Quæ lenocinio sunt amantium, & aptæ leuium mulierculârum illecebræ. * O quot miserè ob cupedias, & bellaria vilia suam venditauere pudicitiam!] Porrò ingentes fuisse Holophernis thesauros, indicat Scriptura. Ex regio namque ærario maximam argenti vim accepit, & auri. Neque parum collegit ex Ciuitatibus illis, quas prædarus est. * Et quandò in bello Dux primarius, imò alij Duces, Centuriones, aut Præfecti thesauris non abundant ex Regis vtique, seu, vt aptiùs dixerim, ex militum miserorum penu?] Negat Iuditha, licere sibi cibis vri Gentilium, atque adeò, ait, mecum attuli domo escas hasce ab ancilla paratas, quas lex patria, & Hebræorum consuetudo permittit. Ideò dixerat superiùs Iudith, se in ipsis etiam castris Deum timere, ac colere, ne ab Holopherne, aut alio quouis ex Assyriis contra Hebræorum religionem aliquid tentare cogeretur. * Edocet puellas Iuditha, propria industria & labore cibos acquirere, si castitatem tueri student. Desides circa cibum necessarium multa contra puritatis legem tentare audent.] Cui Holophernes. Si consumpta fuerint cibaria ista, quæ diu durare non posse existimo, cum nihil habeas aliud, nisi quod ancilla suis humeris deportauit, *quid faciemus tibi?* id est, vndenam eiusmodi defectui prouidere poterimus? Annon licebit tunc, nostris vti cibariis? Ad quæ Iuditha, spero, inquit, non priùs patrios cibos iri consumptum, donec quæ animo ipsa destinaui, perficiam. Quibus acquieuit Holophernes. * Nam vel impijs placet aliena legum obseruatio. Si quandò Religiosus apud sæculares rogetur, vt aliquid contra instituti leges gerat, & ipse abnegarit, ne lex violetur, non solùm non irascitur sæcularis, sed altiorem de illo æstimationem concipit.] Mox famuli Iuditham in tabernaculum iuxta Ducis præscriptum induxere. Comitabatur, vt apparet, Holophernes vrbanitatis gratia Iuditham, cum ad designatum conclaue duceretur, quod non aberat procul à prætorio. In ipso autem incessu orauit Vidua ab Imperatore sibi vt liceret nocte, id est prima vigilia, aut non longè post: & ante lucem, vigilia scilicet quarta, orationis gratia extra castra prodire. Quod eo gessit consilio, vt ea assiduitate castrorum vigiles deciperet, neque ex nocturno egressu aliquid mali suspicarentur. Cui statim Holophernes libenter annuit, edixitque cubicularijs, tam qui sibi, quàm qui Iudithæ aderant obsequij ac honoris causa, vt triduano spatio illam quoties veller exire permitterent: quia tunc rem suam agere existimabat, cum quid facto opus esset, religiosam fœminam in oratione à Deo docendam sibi persuasisset. Exibat itaque noctibus Iudith in vallem Tethuliæ, & baptizabat se seu abluebat in fonte illo, qui per vallem illam decurrebat (opinor) quem intercisis canalibus Holophernes à Bethulia deflexerat. Ibi, inquam, baptizabat se Vidua primum, vt mundas manus ad orationem leuaret, cui vacabat post baptismum illum, feruenter à Deo postulans, vt cogitationi suæ optatum præberet exitum. * Et quidem orationis exercitamento vacaturi debent puritati studere conscientiæ. Manus enim immundæ quomodò Deum ad animum adducent propitium, aut euertent iratum?] At cum iam mundata rediret ad tabernaculum, sumebat refectionem nocturnam, puram videlicet cœnam, qua ieiunium soluerat, quod sicut aliis diebus domi inter suos, sic inter alienos in castris obire consueuerat. * Opera asperitatis minimè intermittenda vel ob propriam commoditatem. Nam post aliquorum dierum vel per breuem intercapedinem, difficiliùs exeruntur.] Quarè verò Iuditha huiusce modi nocturnæ ablutioni operam dabat? Soliti Iudæi manus abluere, imò interdum corpus ante mensæ accubitum, quod præcipuè tunc faciunt, cum à foro redeunt, vbi Iudæi permixti sunt, & Gentiles, quorum consuetudo Iudæos polluit. Quia ergo non poterat recusare Iuditha quò minus cum Gentili populo in castris ageret, quo puris manibus nocturnam caperet refectionem, se ipsam abluebat. * Si ad corporeum cibum sumendum hæc puritas requirebatur, quænam ad Eucharisticum panem absumendum, animi puritas necessaria erit?] Edoceantur Religiosi, qui cum sæcularibus agunt, frequenti examinis lauacro studere. * Ex sæculari enim puluere aliqua vel leuis macula inhærere assolet, quam vel lustrali aqua vel examine conscientiæ, &c. oportet diluere.] Profectò oportebat, illa Assyriorum castra disciplinamque militarem, & Holophernis familiam vicumque probam fuisse, in qua talis formæ & elegantiæ puella (sic enim vocabant Iuditham) toto quartiduo etiam nocturnis horis illæsa & intacta vagari quocumque vellet, liberè posset: neque esset vel ex gregariis militibus, vel ex Principibus, qui formæ tam excellenti, apud se, suâque in potestate positæ, vim aliquam pararet. Sed neque Holophernes, cuius dominatui omnia subiacebant, ausus est illam vel inurbanè alloqui. * Certè ipsam Iudithæ modestiam, ac grauitatem consuetudinis credi derim Duces ac milites continuisse, ne quis auderet vel impudico verbo delinquere. In potestate fœminæ est, se à viris defensare, non quidem gladio, sed modestia, & verborum grauitate.]

Necessaria est puritas cõscientiæ ei, qui orationis exercitamento vacat.

Opera asperitatis non sunt intermittenda, nam postmodum difficilius geruntur.

Quanta puritas necessaria, ad Eucharisticum cibum absumendum.

Religiosis cum sæcularibus agentibus aliqua leues maculæ inhærere solent.

Examina modestiæ rarus est vir, qui audeat vel impudicè alloqui.

Verſ. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20. 2. *Et factum est, &c.*] Exactis tribus diebus, quibus permissa fuit ab Holoperne Iudithæ exeundi facultas, statuit quarto die suis domesticis conuiuium instruere, neque ex alienis vllum (me auctore) vllum voluit accersere conuiuam, ne quem suæ libidinis haberet testem. Græcus illis verbis, *Fecit cœnam seruis suis*, addit, *solis.* Ne Imperator scandalo esset alienis. * Sufficiat Principi, Aulicis, seu Domesticis suam notam esse libidinem: nec velit alienos scandalo

Inuitat ad epulum Iuditha, hæret mẽse his cibis contenta, quos ancilla præparauerat.

Curent Principes occul-

tari alienis suam libidinem, ne pungantur scandalo.

scandalo compungi.] Inter domesticos autem etiam Iuditham numerabat, cui proximè in thesaurorum loco præparatat hospitium. Quarè *Vagao* seu eunucho suæ sat conscio libidinis id negotij dat, vt Iuditham amatoriis blandimentis emolliat, suadeatque, vt in illius complexum, torique societatem non inuita veniat, quasi alioqui ad furtum illud Veneris inuita pertrahenda. Quod vt faceret duabus maximè rationibus adducebatur. Tum vt suam sibi libidinem expleret, cuius erat sitientissimus animus. Deindè quia sub id tempus sic erat apud Persas eorum corrupta disciplina, vt dedecori sibi esse ducerent, si qua fœmina illibatam ab eorum libidine pudicitiam referret. Quare vim afferre fœmineo pudori, si illecebris renueret vinci, adeò non existimabant turpe, vt potiùs turpes haberentur, si immunes fœminæ ab eorum consuetudine aut thalamo recederent.

Tanta est aliquorum impudentia, vt eos pudeat, nũ patrasse delicta.

* Proh dolor tanta est alicuius Christiani (nomine tenus) impudentia, vt eum pudeat, non patrasse delictum.] Non tunc primum, vt reor, Vagao munus illius lenonium domini sui administer obierat. Quarè illius artis peritus Iuditham aggreditur, reique turpissimæ non

Fœmina, quæ non est perfricati frontis, verbis impudicis vetrahitur, non allicitur.

indecoram obtendit speciem. * Neque enim aliquid dicit, quod obeat obscenum, licet occultè aliquid verbis vrbanis impurum inuoluat. Nam fœmina quæ perfricati frontis non sit, impudico sermone non solum non allicitur, verùm mirum in modum retrahitur.] *Non vereatur*, inquit, *bona puella* conuiuiũ obire, quod dominus meus suis domesticis atquè intimis adornauit, qui magnus est honor, & paucis ex tanta multitudine concessus: ibique manducet

Intemperanti assidere mensæ, apta est ad libidinem dispositio.

cum eo, & vinum bibat in iucunditate. * Dixi, occultè aliquid verbis vrbanis impurum inuolui; quia intemperanti assidere mensæ apta est ad libidinem dispositio.] Non dubitabat prudentissima fœmina quò simulatus ille honor spectaret; sed accepit verba, ad illaque simpliciter, & directo respondit, suam tenuitatem ingenuè professa. Non debeo, imò non possum recusare, quominùs Imperatoris mandatis obediam. Nec mihi quicquam erit difficilè, quod ab illo probetur. Apertè constat, quid Iuditha concesserit, id nempè, quod disertis verbis Vagao petierat, nempè vt conuiuium iniret, quod salua religione facere posset: maximè cum cibis vsura esset ab ancilla paratis non illis, quibus Imperator suam mensam instruxisset. Reliqua verba, quæ affirmare videntur, quidquid placeret Holoperni, Iudithæ quoque in omne vitæ tempus fore non ingrata, sumpta sunt è vulgari consuetudine, quæ benè de se meritis prolixè promittit omnia. Neque tamen promissio illa necessitatem aliquam in-

Vrbanitatis promissiones (de cumplimiento) non obligant.

ducit. * Talia sunt familiaria illa: *Totus omnino tuus.* De me vt voles, statue. A tua voluntate ne latum quidem vnguem discedam. Vndè vulgare illud: *Palabras de cumplimiento no obligan.*] Crediderim probabiliter, Iuditham cœlitùs agnouisse, nocte illa Holophernem periturum. Ideò nihil promisit, quod statim salua religione ac fide non impleuerit: quia nihil in posterum Holophernes iubere, aut rogare poterat. * Hinc subtaxatim fœminas pudicas,

Taxatur fœmina pudica, quæ vt se excutiant ab amasiorum importunitate, promittunt, se eorum placito subiacere.

quæ vt se excutiant ab amasiorum importunitate, promittunt, se eorum placito subiacere. Qua quidem promissione licet ficta, illorum animos magis ad libidinem inflammant. Ingenuè debet, impudicos sollicitatores à spe victoriæ deturbare.] Monuerim, *Vagao* nomen esse non tam proprium illius, qui Holopherni erat à cubiculo, quàm commune omnium, qui res dominorum curarent intimas. Vt ergo *Abra* commune ancillarum nomen est, cum videatur esse proprium: sic Vagao (Græcè Βαγοας.) proprium non est, sed eunuchorum commune nomen. Quæ fierim præterea, cur Iuditha *puella* vocitetur à Vagao, quæ vox ætatem non adultam admodum indicat? Certè quemadmodum qui robustus est & acer, appellatur à profanis *puer*. Æneam, & Achatem viros iam grandes iuuenes Venus appellat apud Virg. l. 1. Æne.

Heu, inquit, iuuenes, monstrate mearum.

Sic fœmina, in qua puellaris est & florida venustas *puella* vocatur, quia dos est puellarum pulchritudo. Apud Ouidium Helena cum nupsisset Menelao, & ab eo filios suscepisset, puella tamen vocitatur è Paride.

Da modo te facilem, nec dedignare maritum
Rure Therapnæo nata puella Phrygem.

* Ea quisque tibi æstimetur ætate, qua appareat existere. Si robustas gerit actiones, iuuenis est: si tardas segniter exponit, senem illum existima.] Itaquè illam quisque tibi præsenter ætatem, cuius gerat actiones.] Cum primum Iuditha Holophernis mandatum accepit, *surrexit* ex eo loco, in quo sinè dubio orationi vacabat, & eò ardentius, quò propiùs aderat peragendi negotij tantopere quæsitus, & à Deo tandem concessus articulus. Et quò Holophernis gratior appareret, oculis, ornauit se, quàm potuit, diligenter. * Nulla adeò præcelsa pulchritudo, quæ non indigeat frequenti artis adiumento.] Ideò pulchetrima & animo Iuditha tam frequenter internæ pulchritudini augendæ studebat, orationi instans, vt innuat, animi pulchritudinem frequenti etiam huiusce artis mirabilis adiumento iuuari oportere.] Cum autem ad conuiuij locum esset ingressa, Holophernes eius aspectu exardescens, ad imas vsque medullas impuri amoris penetrante flamma, sine poculo temulentus, sine telo percussus ostentatur. Quarè imperatoria maiestate deposita, vulnus incipit prodere, & eructare fumum ab incendio profatus: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quia oculis meis valde placuisti. Occultè indicat, quid ab ipsa sibi permitti velit. * Quia fœminam *in iucunditate*, id est, vsque ad iucunditatem, quamvis meri assolet ingerere. Bibere, proxima ad venerem dispositio est.] Cui prudenter Iuditha: Bibam Domine (ait) tuo parens imperio, Neque enim vllus dies mihi gloriosus magis, neque qui maiorem afferat voluptatem. Quia scilicet liberationis populi instabat articulus. Manducauit ergo, & hausit vinum non tamen à manu gentili propinatum, sed quod ipsa domo secum attulerat ad hunc credo diem, atque conuiuium, ne videretur esse sobria, quo tempore ebrios esse conuiuas, non putabatur indecorum. Crediderim, toto illo tempore, quo fuit in Assyriorum castris & fortasse toto vitæ tempore sobriam & abstinentem fœminam non epotasse merum. At cum ascoperam vini ab ancilla portari iussit, hoc tempus intuebatur, in quo vrbanitati ac geniali conuiuio fuit consulendum. * Dedecet enim

promittunt, (ficte equide) subiacere voluntati.

Eam quisque tibi præsentet ætatem, cuius gerat actiones.

Nulla præcelsa pulchritudo, quæ non egeat frequẽti artis adiumento.

Animi pulchritudo mirabili orationis arte frequenter adiuuanda.

Fœmina vsque ad iucunditatem bibere meritè, proxima ad Venerem est dispositio.

Dedecet fœminas vinò vti nisi ægritudine cogente.

enim fœminas mero vti nisi ægritudine cogente.] Græcus textus addit, sediſſe Iuditham humi ſuper ſtratas pelles, & ita fortaſſe ferebat eo tempore fœminarum conſuetudo. *Et acceſſit*, inquit, *ſerua eius, & ſtatuit ei ante Holopherнem humi pelles, quas acceperat à Vagao ad quotidianum vſum ſuum: vt manducaret, accumbens ſuper eas* Haſce pelles dixerim vulgariter, *Almoadas* dicuero. Hauriebat interim Holophernes duo venenorum pocula, quæ illi extremum attulerunt exitium, & vinum faucibus, & oculis ſitientibus ignem. Vtrumque ita largiter, vt nunquam antea toto vitæ tempore. De Veneris poculo ita Græcus profatur: *Cor Holophernis ſtupuit ſuper eam, & commota eſt anima eius, & erat cupidus valdè congrediendi cum ea, & obſeruabat tempus decipiendi eam, ex qua die vidit eam,* De poculo Bachi apertè loquitur Scriptura ſtultiſſimi en hominis exemplum, qui neque quid eſſet opportunum ſuis conſiliis ſceleratis, in quibus homines oculatiſſimi ſunt, videbat: cum ebrietas reddat hominem non carneum ad voluptatem, ſed ſaxeum ſine vllo ſenſu.

Ebrius Holophernes ſtupidi peccatoris imago.

* Annon hæc peccatoris ſtupidi & amētis imago? Habet intra viſcera venenum, quod vſque ad amentiam hauſit, habet circa ſe vigilantem hoſtem ad cuius cædem totis viribus anhelat, diabolum. Pugio acutus iræ diuinæ fulgurat præparatus. Omnes, qui ipſi auxilio eſſe poterant, Diuos foras abire patitur, & tamen in eo articulo ebrius ac ſoporatus ſtertit. Dum propior eſt mors, minùs ô miſertimè, vigilas, & vltra hoſtes aduocas, & tui admones inſtrumenta ſupplicij. Verùm nolim ex obliuione illam Vagao particulam innotatam prætérire: *Non vereatur bona puella, &c.* Rurſum quæ fierim, cum Vagao Iuditham iam trigeſimum tertium annum agentem puellam appellauit?

* Certè Vagao ſui leñonij miniſterij peritus, ſciebat, fœminis odioſum admodum eſſe anile nomen, vnde *puellam* vocauit, quod de ſe libenter fœminæ audiunt, licet proiectæ ætatis ſint, licet ſenio confectæ.] Addit *Bona*, id eſt *pulchra*, vt Græcus expoſuit. Quàm formæ commendatione fœminæ delectantur, quàm ea de re grata, quàm potens adulatio, multis docet in lege 2. connub. Tiraquellus. Certè hoc pene eſt à natura ingenio muliebri inſitum, vt etiam quæ caſtræ ſunt, in eo ſe plurimum ament, & ægrè ferant, decus illud oris à morbo, vel ſenectute defloreſcere. Cecinit ille.

Delectant etiam caſtas præconia formæ
Virginibus curæ grataque forma ſuæ.

Libenter audiunt fœminæ, licet proiectæ ætatis ſint, ſe puellas vocitari.

Delectantur vel honeſtæ fœminæ, ſe appellari pulchras.

CAPVT XIII.

Iuditha acinace caput præſcindit Holophernis, & Bethulienſibus exponendum affert. Omnes ad Deo gratias referendas hortatur, ipſaque ab omnibus benedicitur. Achior, viſo Ducis capite penè exanimatur.

1. VT autem ſerò factum eſt, feſtinauerunt ſerui illius ad hoſpitia ſua, & concluſit Vagao oſtia cubiculi, & abiit, 2. erant autem omnes fatigati à vino: 3. erátque Iudith ſola in cubiculo. 4. Porrò Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate ſopitus. 5. Dixítque Iudith puellæ ſuæ, vt ſtaret foris ante cubiculum, & obſeruaret. 6. Stetíque Iudith ante lectum, orans cum lachrymis, & labiorum motu in ſilentio, 7. dicens: Confirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem tuam erigas, & hoc, quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam. 8. Et cùm hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. 9. Cúmque euaginaſſet illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora. 10. & percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius, & abſtulit conopeum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum. 11. Et poſt puſillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ ſuæ, & iuſſit vt mitteret illud in peram ſuam. 12. Et exierunt duæ, ſecundùm conſuetudinem ſuam, quaſi ad orationem, & tranſierunt caſtra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam ciuitatis. 13. Et dixit Iudith à longè cuſtodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus, qui fecit virtutem in Iſraël. 14. Et factum eſt, cùm audiſſent viri vocem eius, vocauerunt presbyteros ciuitatis. 15. Et concurrerunt ad eam omnes, à minimo vſque ad maximum: quoniam ſperabant eam iam non eſſe venturam. 16. Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuerſi: illa autem aſcendens in eminentiorem locum, iuſſit fieri ſilentium. Cúmque omnes tacuiſſent, 17. dixit Iudith: Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe: 18. & in me ancilla ſua adimpleuit miſericordiam ſuam,

quam

quam promisit domui Israël: & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. 19. Et proferens de pera caput Holofernis: ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua; vbi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster. 20. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis, gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra. 21. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. 22. Vniuersi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. 23. Porrò Ozias princeps populi Israël, dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. 24. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: 25. quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum: pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias & tribulationem generis tui, sed subueniisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. 26. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. 27. Porrò Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith: Deus Israël, cui tu testimonium dedisti quòd vlciscatur se de inimicis suis, ipse Caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea. 28. Et vt probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israël contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cùm captus fuerit populus Israël, gladio perforari præcipiam latera tua. 29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore, cecidit in faciem suam super terram, & æstuauit anima eius. 30. Posteà verò quàm resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit: 31. Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

COMMENTARII.

1. Iudith caput Holophernis præscindit, & Abræ suæ tradit.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Vt autem, &c.*] Fuit equidem ad multam noctem productum illud non tam geniale, quàm ferale conuiuium. Ex quo Holophernis serui, qui fuerant imitati, ad sua se hospitia recepere. Nec conuiuæ Principis expectabant imperium vt à mensa discederent sed abeundi facultatem impetrabant à crapula, cui omnia permittuntur. * Quàm stolidi, quàm inurbani sunt qui vino indulgent! Vnde eum, qui aliquid minus comptè ac vrbanè agit, temulentum appellas.] Tunc Vagao iuxta mandatum sibi ab Imperatore traditum, exclusit omnes à prætorio cubiculo, & tantum in eo Iuditham cum ancilla reliquit, aut certè ancilla à cubiculi foribus non abscessit. Sanè habuisse Iuditham cubiculi claues, si fortè claubus Vagao obseruauit fores, indubitatum est. Addit Græcus, Iuditham præmonuisse tam Vagaum quàm Abram suam, se more suo, etiam illa ipsa nocte foras ad orandum, & lauandum egressuram; quare iussit ancillæ, vt tantisper præ foribus staret, & suum obseruaret egressum. Vnde probabiliter Abra claues ab eunucho, vt pulsanti intus Iudithæ aperiret, accepit. Tunc Holophernes iacebat in lecto, in quem à vino captum & sui omninò impotem serui detulerant, qua ad Iudithæ consilia nulla poterat occasio commodior offerri. Putarim, etiam Iuditham Abram præmonuisse, vt stans pro foribus, obseruaret, nè quisquam, quæ intus fierent, per rimas aguosceret. * Agnatum enim famulis, vel interposito subauscultari pariete vel ianua, vt dominorum actiones obseruent, & deferant vltrò citróque de illis (ô quotiens falsò!) rumores.] Ne autem illa diminitùs oblata labercur occasio, Iuditha animum prius oratione, quàm manum ferro, armare curauit. Atque ideò cum silentio ac lacrymis Deum sic precata est: Robur virile ô Domine inspira, imbellémque confirma animum, vt quod te auctore designaui mente, re ipsa perficiam; & quod de Ierusalem excitanda, ornandáque promisisti, oppresso illius hoste, compleatur. Vndenam nouerat Iuditha factam fuisse à Deo de excitanda Ierosolyma promissionem? Constabat id ex Ezechiele Daniele, & his Prophetis, qui soluta captiuitate prophetauerant. Sed fortassè hoc ipsum ipsa dum frequenter vacabat orationibus, à Domino audierat. * Oratio enim assidua prophetici spiritus assolet esse parens.] Assumpta post orationem audacia virili, accessit ad lectum, vbi iacebat Holophernes somni ac meri plenus, quique parum differebat à mortuo. Vsque adeò illum ebrietas occuparat. * Preme verba, *Et cum hæc dixisset.* O quàm validas reddit vel fœmineas vires ad quæque difficilia præstanda vis orationis!] Profectò ex columna, quæ Conopæum suspendebat, Persicum accepit acinacem, quem ibi in suum iugulum, sui fati nescius, Holophernes alligarat. * O quoties homines voluptati laxantes habenas, Baccho nimium ac Cereri indulgentes

Famulis agnatum, subauscultare Dominorū actiones, vt de illis rumores vltro citróque deferant.

Inurbanus, qui vino indulget.

Oratio assidua parens spiritus prophetici.

Vel fœmineas vires validas reddit ad difficilia præstanda vis orationis.

Qui indulgent voluptatibus

Venerit ad Bethel, præparat suo iugulo ægritudinem gladium.

dulgentes nescij fati sui ægritudinis acinacem suo iugulo præparant!] Exoluit illa gladium, euaginauit, diuino rursum implorato auxilio oratione iaculatoria, semel iterumque illiso in iugulum pugione caput abscidit, truncúmque corpus è lecto, in quo iacebat, deuoluit in terram nudumque reliquit indecorè prostratum. Græcus sic: *Et reuoluit corpus eius à strato.* Sed constat apertè ex cap. 14. 14. vbi dicitur Vagao super terram cadauer inuenisse. Eo crediderim feciſſe consilio, vt statim atque Bethulienses in Assyriorum castra armati prorumperent, subita illa excursione perturbati vigiles, & Holophernis Duces, cum ad Imperatoris tentoria percurrerent, inuenissentque subito aspectu non Imperatorem, sed Imperatoris truncum, exanimati dolore, neque de instruenda acie cogitarent, neque illis, si vellent quidquam præsenti rerum statui opportunum moliri, consilium esset, aut mens: quæ inopinata Imperatoris cædes, & stupor, & pudor ademisset.

Mentis est excors, qui coram Principis cadauere Ejaculis ab iniquis agentibus non retrahitur.

* Et quidem mentis excors est, qui coram Principis cadauer non stupet adeò, vt ab iniquis retrahatur actionibus, quemadmodum Assyrij ab instructione agminum retracti fuerunt.]

Iracundia coram cadauere sedatur in hostem.

* Præcipuè autem hîc edocemur, ab iracundiæ affectu contineri, dum videmus, Assyrios ex aspectu cadaueris obriguisse, ne gladios arriperent, vt Iudæorum impetum retundere possent.] Abstulit præterea Iuditha Conopæum, quod esset siue spolium à superato Imperatore detractum, siue rei præclaræ, & verè peractæ illustre documentum. Dicitur autem Vidua antequam cernicibus Holophernis ferrum admouisset, apprehendisse comam: *Apprehendit comam capitis eius:* Persis prolixas fuisse comas, Herodotus l. 1. affirmauit, eos vocitans *crinitos*, aut *capillatos*. Quare optimè potuit Iuditha prolixam Holophernis cæsariem manibus implicare, & temulentum, ac somnolentum collum ad excipiendum vulnus aptè disponere. Quis prophetaret Holopherni, comam tanta cura nutritam futuram sui exitij instrumentum? * Crediderim, ob comæ vitilis, (muliebris dixerim) studium non paucis spirituale exitium apparatum.] Post vulnus inflictum, ac cadauer proiectum, expectauit illa pusillum, vt se à metu, perturbationéque reciperet, & colligeret spiritum, quem pauor ablegarat: & abscissum caput ancillæ tradidit, quod in peram immitteret. O quàm lætum Bethulienſibus, & toti Iudææ cibum hac sua pera defert ancilla! * Hinc præmium Iudithæ pietatis, & impietatis Holophernis supplicium contemptor. Illa peram cibis licitis ad soluenda ieiunia impleuit? Capite ergo hostis ad victoriam impleatur. Ille curauit fame ac siti Bethulienses comminuere? Eius caput in pera repositum dulcem Hebræis afferat alimentum.] * Cùm autem intueor Holophernis teterrimi hostis caput in pera, vbi paulo ante ieiunij aderat annona, id accidisse reor, vt constaret victoriam illam ieiunio esse tribuendam.] Porrò quasi ad orationem egrederetur, quod fecit antea persæpe, per media castra sine vllius impedimento, ac suspicione transiuit. *Exierunt duæ secundum consuetudinem, quasi ad orationem.* * Vel gerendæ orationis externus, habitus liberat à periculis.] Nulla dòli suspicio ingeratur apud custodes circa eam, quæ putatur progredi ad orationem. * Vt moneantur Rectores de subditis orationi deditis siniſtrum nihil posse suspicari.] Capto demum ex valle, vbi se leuare consueuerat, circuitu, ad portas ciuitatis rediit incolumis.

Coma nutriendæ studium pluribus extitit exitij spiritualis occasio.

Deus & virtutem præmio donat, & vitium supplicio afficit, ad virtutis, ac vitij similitudinem.

Ieiunium hostes comminuit.

Vel externus habitus gerendæ orationis à periculis liberat.

De subdito orationi dedito non possunt Rectores aliquid suspicari siniſtrum.

Verſ. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Et dixit, &c.*] Antequam accederet Iuditha vocat custodes, monetque, vt quàm primum portas ciuitatis aperirent, & quò id libentius faciant, atque celerius, gaudere illos iubet, quod res esset ex vsu Israëlitarum votoque transacta, & quod Deus res Bethulienses desperatas respexerit, à quo Respublica meliorem foret restituta in statum. E vestigio qui pro foribus agebant excubias, Presbyteros seu seniores aduocant, qui quidem non longè aberant, & quibus inconsultis, referare nocte ciuitatis portas non licebat. * Vt edisserent Rectores, ianuarum claues nulli noctu subdito esse committendas, ipsi retineant, ne ipsis insciis noctis instantia aliquando noxiter aperiantur.] Porrò cum aperiendæ noctu sunt portæ Monasterij non gregario cuidam subdito claues tradantur, sed Presbyteris. Ideò cum audissent custodes vocem Iudithæ, *Vocauerunt Presbyteros ciuitatis.* Annon Sacerdòs, qui quotidie gerit sacrum fidelius portæ noctu, quàm laicus custos assidebit? Nec ex ea multitudine quisquam fuit qui ad inopinatum aduentum, & spectaculum inexpectatum non concurreret; existimabant enim, (* Secreta namque Iudithæ expeditio iam erat Vrbi toti peruulgata. Difficilè namque secretum inter tres custoditur.) aut de illius vita iam esse actum, aut certè illam non iam amplius in patriam fore reuersuram: vndè ad illam adspectandam omnes maiori auiditate conuenére. Et accensis lampadibus omnes illam conglobati circumfundunt: quorum votis & rerum audiendarum studio vt Iudith satisfaceret, locum ascendit sublimem, & quasi pro suggestu indicto silentio verba habuit plena dignitatis, & religionis, in quibus nemo prudentiam, nemo modestiam, aut constantiam requireret. Laudate, inquit, Dominum Deum nostrum, illique gratias agite immortales. Nihil mihi vel minimum attribuatis, totum hoc opus à Dei misericordia ac promissione profectum agnoscite. * Qui augustiora opera gerit, apertiùs à Deo patrata esse cognoscit. Huiusmodi enim præclara gesta solum Deum sortiuntur auctorem.] Quod enim Assyriorum Princeps & Israëlitici nominis inimicus hac nocte interierit, haud opus fuit imbellis fœminæ manus: sed Dei, qui per instrumentum vsque adeò futile, ac pene nullum, rem confecit eximiá, & quod populo suo paterna misericordia iam promiserat, admirabili compleuit euentu. At quo suis verbis indubitatam faceret fidem, produxit in ancillari pera caput Holophernis. * En ait Holophernis Imperatoris exercituum Assyriorum caput. Et vt non nemo dubiter, an hoc sic caput Ducis, cum nunquam antea viderit, & mors ipsa etiam iis qui viderint, & agnouerint antea, mors vultus formam defædauit, fecitque hominem elegantem militi gregario similem: ideò etiam profero Conopæum ex purpura, auro, smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum. Vt ex eo quiuis agnoscat, caput esse Holophernis Principis qui huiusmodi haberet pro tabernaculi instructu Conopæum. At quia multa

2. Refert Iuditha Bethulienſibus Ducis necem, necantis incolumitatē, & à cunctis benedicitur.

Præsules claues urbis, aut Monasterij noctu retinoant, nec alij committant.

Cum committenda sunt Monasterijno ctu claues, dentur Presbyteris, non laicis.

Difficilè secretum inter tres custoditur.

Qui augustiora opera gerunt, apertiùs agnoscunt, à solo Deo esse patrata.

multa menti vulgari occurrent meo fortassè contraria pudori. * Vulgus enim aranea est è floribus venenum exhauriens. Viuit Dominus (iuris iurandi religionem interponit) quoniam ego, quam pulchram esse dicitis, à militari immunis petulantia redij, me quidem Dei Angelo custodiente & hinc procedentem, & inibi commorantem, & inde huc reuertentem. * Vt enim venusta fœmina possit à tot mundi illecebris liberari, ac immunis existere, necessaria est specialissima custodis Angeli protectio, cui quidem inuenes debent quotidie thura litare.] Opus autem hoc credite, à Deo fuisse profectum, cui tribuendum vnicè, quod omne periculum tam vitæ, quàm honestatis, & pudoris euaserim: & quod desperanti populo libertas, aut spes certa libertatis affulserit. Nunquam abfuit mihi custos Angelus, ex quo aggressa fui præclarum hoc facinus, & eius gratia è Ciuitatis mœnibus egressa fui, neque deseruit, quandiù in Assyriorum castris commorata sum: aut cum ad extremum res ex communi voto peracta est, victrix rediui. * Hæc quidem Angeli custodis solertia in omnibus viis hominem comitantis, ac protegentis. *Custodiuit me*, ait, *Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè huc reuertentem.* Quod Dauid cecinerat, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.*] Cum verò dicit, se absque vllius peccati *pollutione* domum reductam, omnem peccati labem excludit, scilicet mendacij, cuius à nonnullis agitur rea: & temeritatis, quasi periculum adierit violandi pudoris. Quare non video, cur quisquam huic egregiæ Heroinæ aliquid impingat, quod illius nomen obscuret. * Etenim vel nebula peccati potest augusti nominis gloriam obscurare.] Deum itaque tanti, tamque inspetati boni auctorem agnoscens, vos hortor, vt illi pro tanto munere gratias agatis; *quoniam bonus*, & misericors est, & cuius nulla peccatorum multitudo, aut sæculorum diuturnitas potest misericordiam exhaurire. Porrò Psalmus 117. vnde hæc verba sumpta sunt, agendis gratijs præcipuè est destinatus. Sic sæpè hic Psalmus in gratiarum actionem cantatur, aut cantari præcipitur. 1. Paral. 16. 34. & 1. Esd. 3. 10. Erat namque Psalmus hic Hebræis olim, quod nobis hodiè hymnus ille familiaris, *Te Deum laudamus.* * Tot enim in nos quotidie Dei beneficia exundant, vt necessarium sit familiarem ad gratiarum actionem hymnum æternùm insonare.] Cuncti Bethulienses qui aderant, Iudithæ parueré, laudauerunt que, & adorauerunt Dominum, sicut illa præceperat; & ad extremum se ad Iudithæ laudes conuerterunt profantes. Tua manu Deus Assyriorum potentiam contrinit; & populum insolentem, ac barbarum, & extrema omnia minitantem eò redegit, vt ad nihilum adductus esse videatur. Huiusmodi in victoria te à Domino benedictionibus donatam ostentas. Vndenàm Bethulienses concipiunt, ad nihilum adactos esse hostes, si solus Imperator fuerat occisus? Certè quia ea est Dei munificentia, vt vnum collatum nobis beneficium sit quasi alterius recipiendi securitas.] * Et quia agentes prò occisione Holophernis gratias, Deum ad omnimodam hostium comminutionem alliciebant, Agere enim pro vno accepto beneficio gratias, vberiora munera recipiendi firmum assolet esse pignus.]

Vulgaria iudicia instar aranea, è floribus venena exhauriunt.

Vt inuenes castitatè tueantur, indigent speciali Angeli custodis tutela.

Angelus custos hominem in omnibus viis comitatur, ac protegit.

Quilibet peccati nebula augusta famæ gloriam obscurat.

Æternè debet insonare hymnus, ad gratiarum actionem, ob continua Dei beneficia.

Tanta Dei munificentia, vt vnum collatum beneficium est, velut alterius recipiendi securitas.

Agere prò vno beneficio gratias, pignus est alterius recipiendi.

Verſ. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Porrò Ozias, &c.*] Accessit tandem Oziæ Principis extrema gratulatio. *Benedicta es* (inquit) tu filia Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Cuiusnam enim Viraginis tam augustum gestum antiquitas celebrat? Benedictus Dominus cœli ac terræ conditor, qui tuum brachium roborauit, vt Principis inimicorum nostrorum caput abscinderes, ipsâ Dei potentia manum tuam in vulnera dirigente. Tuam gratam memoriam ac nomen illustre excipient posteri qui Dei in hoc facto virtutem prædicauerint. Porrò circunfusa populi multitudo communi consensu, atque acclamatione Oziæ votum comprobauit affata: *Fiat, fiat.* Adfuit quoque accersitus Achior, qui domi tunc erat, neque cum aliis aut vacabat orationi, aut agebat excubias. Hunc videns Iuditha, Bono, inquit sis animo. Vera fuere omnia, quæ de Deo, quem Israël veneratur, ac colit coram Holoperne fuisti professus. Nec quidquam ab Holoperne, aut Assyria impugnatione metuendum, cum hac nocte contractæ fuerint, extincto Imperatore, Assyriorum vires, incisique nerui. In cuius veritatis testimonium, en Holophernis caput, qui Deum verum aliquid putauit esse futile, nec cum Nabuchodonosore vlla ex parte conferendum: quique adeò de victoria certa sibi gratulabatur, vt te ipsum Hebræis adiunxerit, cui perforato latere cum illis simul occumbendum fuerat comminatus. Profectò Achior cum vidit, & agnouit caput, quod antè fuerat supplex veneratus: eò horruit toto corpore, & procidit in humum exsanguis, ac expiranti non dissimilis. At cum fugientem reuocauit animam, & se ipsum, ac se ipsum ab animi consternatione collegit, ad pedes se Iudithæ venerabundus sistit, & ait: Omni in tabernaculo Iacob te ô Virago illustrissima, decet veneratio; neque futurus quisquam, qui tuum nomen & huius diei egregium facinus audierit, qui Deum Israëlis non magnificis prosequatur laudibus, & Deum esse & verum, & solum fateatur. * Preme illud: *In omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.* Nullum potest egregium ac iustum excogitari facinus, in quo Dei nomen non debeat laudibus efferri, quia ipsi omnis virtus est attribuenda.] Expende & illa verba: *Benedicta tu à Domino in omni tabernaculo Iacob.* Cur habitacula Israëlitarum vocantur ab Achiore tabernacula? Cum filij Israël incertis per desertum vagaretur in sedibus habitacula Israëliticæ gentis tabernacula dicebantur. At etiam cum iam non erraret incertum & vagum Israël genus, eius domus, tabernacula dicuntur in præteritæ egestatis, ac miseriæ memoriam. * Oportet enim, illum, qui è tugurio amplam felici fortunæ afflatu ascendit in domum, tugurij in demissionem animi recordari.]

2. Iuditha ab Ozia cõmendatur, Achior penè exanimatur præ pauore.

Nullum egregium est opus, quod Dei nominis non reddat in laudem.

Qui è tugurio in domum per amplã transiſti, tugurij recordare.

CAPVT XIV.

Achior circumciditur. Iudæi suspenso è muro Holophernis capite, irruunt in Assyrios, qui comperta Imperatoris nece incredibili tremore concutiuntur.

1. DIXIT autem Iudith ad omnem populum: Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros: 2. Et erit, cùm exierit Sol, accipiat vnusquisque arma sua, & exite cum impetu, non vt descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes. 3. Tunc exploratores necesse erit vt fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. 4. Cúmque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in suo sanguine volutarum, decidet super eos timor. 5. Cúmque cognoueritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris. 6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israël, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circuncidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem. 7. Mox autem vt ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepítque vnusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & vlulatu. 8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. 9. Porrò hi qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, sed à sonantibus Holofernes euigilaret. 10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire. 11. Sed cùm venissent eius duces ac tribuni, & vniuersi maiores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubicularijs: 12. Intrate, & excitate illum, quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium. 13. Tunc ingressus Vagao cubiculum eius, strepit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Iudith dormire. 14. Sed cùm nullum motum iacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, & eleuans eam, vidénsque cadauer absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum iacere super terram, exclamauit voce magna cum fletu, & scidit vestimenta sua. 15. Et ingressus tabernaculum Iudith, non inuenit eam, & exibit foras ad populum, 16. & dixit: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. 17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde. 18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

COMMENTARII.

1. Iuditha monet, caput Holophernis è muro suspendi, populúmque in Assyrios irruere. Et Achior circumciditur.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Dixit, &c.*] In celeritate tunc erat posita spes victoriæ, antequam Assyrij ab stupore liberati arma sumerent. Quare Iuditha, quæ ad bene sperandum aperuerat aditum, consilium dedit perficiendo facinori opportunum. Vt (inquit) obsessorum animi confirmentur, in Ciuitatis mœnibus sublimiori loco Holophernis caput suspendatur, ita vt ab ipsis etiam Assyriis possit spectari. Quod quidem spectaculum quantum animi addet obsessis Bethulienſibus, tantum detrahet Assyriis, cum videant exercitum suum sine Capite deformatum, & debile. * O quàm alia emortui Capitis Christiani exercitus obiectio! Cum Christus, Caput Ecclesiæ, mortuus aspectãdus obiicitur, quantum animi addit fidelibus militantibus arma capessenda, tantum hostibus tartareis adimit.] Deindè vt cum primum illuxerit dies, milites cum impetu armati descendant non sedato atque silenti gressu, sed veloci ac rapido, cum vlulatu & strepitu. Tunc enim perturbati custodes ad Imperatoris prætoria festinatò confugient; illum excitaturi, vt hostes ab Vrbe erumpentes excipiat. Nec dubito fore, vt cum Duces & Principes extinctum norint Holophernem, excident animo, & timore correpti in eo curarũ æstu multiplici nihil ad deliberandum consilij habebunt. Quare necessum

Christi suffixi imago addit animos Christianis ad pugnãdũ, adimit inuisibilis hostis phalangibus.

sum erit, vt non tàm de congressu, quàm de fuga consilium sumant, imò sine vlla deliberatione cum tumultuaria trepidatione spem vitæ in vna tantum fuga constituant. Tunc autem cum initium fugiendi fecerint, illos sine vllo timore persequimini, de fælici euentu, ac victoria securi. Nam qui, operi fortitudinis semel terga vertit, vsque ad terminum præcipitij non sistit. Quàm pulchrè; *Cumque cognoueritis, fugere vos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.*] * Cum diabolus cognoscit fugere è Religionis instituto eos, qui nomen sactæ militiæ dederant, post illos securus accurrit, quoniam à Domino huiusmodi inconstantes milites dæmoniis conculcandi committuntur.] Porrò in eodem nocturni temporis vestigio, antequam Bethulienses quidquam essent moliti eorum, quæ fieri opportere Iuditha monuerat: cum vidisset Achior in illo insperato rerum euentu diuinam potentiam, qua infirma corroborat, & fortia debilitat, abiurata patria religione, circumcisa carne Iudaïco ritu, Hebræorum sacra complexus est; quod etiam gessere, qui ab illo longa sæculorum serie propagati fuere. * Parentum enim exempla pietatis, aut impietatis facilè posteri æmulantur. *Appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius vsque ad præsentem diem.*] Non distulit Achior inspirationis aut vocationis diuinæ executionem, sed eadem notis instantia religionem iniit Hebræam, *Tunc Achior videns virtutem, &c. relicto gentilitatis ritu, credidit Deo.* * Haud sunt differenda vota pietatis, ne ex dilatione frigescat affectus.] Quod verò Gentiles, & in his Moabitæ, atque Ammonitæ ad Hebræorum religionem admitti potuerint, fierique proselyti, nemo dubitat. At vbi primum illuxit dies, præfixum conto Holophernis caput è muro suspenditur, & milites crumpendi auidi, quia Deus eis spiritus addiderat strenuos, eodem tempore extra mœnia se armati cum vlulatu ac strepitu effundunt, & vt optimè Iuditha coniectarat, exploratores statim ad Holophernis tabernacula conuolant. Verùm admoniti ab exploratoribus qui ad Holophernis tabernaculum excubias agebant, aliud potius præ se ferentes, discurrebant, perstrepebantque, vt excitatus potius casu, à necessario seu fortuito strepitu, quàm à familiarium consilio aut studio videretur. Nemo enim licet magnum ingrueret honotis aut vitæ periculum, audebat pulsare, aut aperire tabernaculum, & multò minus ingredi, & stertentis altè turbare quietem, aut aliquid intemperantiæ turpiori impedimenti afferre. * En mundialium aulicorum amicorum vtique Principis fidelitas. Ne dormientem Reipublicæ excitent, ne eius voluptatibus impedimento sint, eum permittunt indecorè admodum deperire.] * Hinc simul habes eorum, qui negligenter Reipublicæ præsunt, imaginem. Dum maximè res laborat publica, & illorum vigilantiam requirit, nihil hi decerpi de luxu, somno, aut voluptate, nihil de solido gaudio sinum delibari. Et tamen Patres patriæ appellari, & Reipublicæ virtus salutari gestiunt.] Cum autem illi, quibus Holophernes familiarius vtebatur, non auderent excitare dormientem, & Bethulienses cum vlulatu ac strepitu propius imminerent; accurrunt Duces, vrgentque cubicularios, vt ingressi prætorium conclaue, admoneant Imperatorem erupisse ex Vrbe ordinatas Bethulienfium acies, non aliter ac si mutium ignobiles, ac infirmi greges è suis prorepant latebris, qui tamen audent intolerabili confidentia inuicta Assyriorum agmina lacessere. Tunc Vagao seu eunuchus ille conscius & leno Holophernis intemperantiæ, ingressus est cubiculum, non tamen intra cortinam, quæ illius obtendebatur lectulo Persarum more: qui ad suam dignitatem existimabant, res suas, imò & se ipsos aliorum oculis non patere. * Et quidem cum se Dij terræ, id est, Principes homines ex fragilitate intemperantiæ ostendunt, debeant se non cortina solùm, sed impenetrabili obducere pariete, ne subditis eorum libido referatur.] * Athæneus affirmat l. 4. c. 6. Regiam Persarum mensam, vbi intemperantia minor, velamine obtentam: ne Rex subditis fuminus fortasse sobrius appareret. Ergò efficacius oportet, velamen obtendi ante Regium cubile, vbi multa possunt geri, quæ homines prudentes cælata esse student. Nihil Regium eiulgetur, vnde subditi possint eum esse hominem suspicari, quem vt Deum terræ reuerentur.] At cum suspicaretur Vagao oblectari se cum Iuditha Holophernem, maluit complosione manuum quàm voce eum excitare. * Quando totus orbis contra Regem pugnax insurgit, dormientem profundè Regem, qui fidelius ministerium se gerere profitetur leuissima manuum complosione eum satagit excitare, quem scit vix exitiali hostium vulnere euigilare posse.] Accessit Vagao suspenso gradu, & admotis auribus adstitit, vt aut sermonem colloquentium captaret, aut dormientium difficile spiraculum perciperet. Cum verò res vrgeret, & instarent Tribuni, eleuata cortina, cadauer tantum truncum capite inuenit stratum humi, quale illud Iuditha antè reliquerat. Tunc ergo accidit quod optabat Iuditha, Nam viso in terra truncato corpore sanguine tabefacto, exclamauit Vagao doloris impatiens susque vestes lacerauit. Et ignorans cædis auctorem scrutatus Iudithæ cubiculum, inde illam abisse cognouit. Noua verò admiratione perculsus, exiliit amens, annuncians iacere humi truncum capite Holophernis cadauer. Hebræa (inquit) fœmina, Imperatore occiso, Assyriorum castra illusit, & eorum gloriam obscurauit. Ad hanc vocem Principes exercitus indignatione pariter ac stupore amentes vestimenta conscindunt. Quos tantus inuasit timor, & animorum æstus, vt neque de re statuenda deliberarent, neque quid facerent in ea rerum perturbatione subiret. Sed subitò totis castris lugubris excitatus est clamor, quo circum fusus ager latè personuit. * En repentè instantis mortis exemplum. Adstant vndique inuisibiles hostes, ipsa pericula lumina suffundit arbitrij. Annon erit insolitum, si subeat alicui ad repugnandum hostibus pœnitudinis affectu manus exerere i]

Qui operi fortitudinis, aut virtutis semel terga vertit, vsque ad terminum præcipitij non sistit.

Diabolus secures insequitur eum, qui Religionis institutũ, quod inierat, deserit.

Parentis exẽplum pium, aut impium posteri æmulantur.

Propositum pium non est differendum.

Aulici permittunt Regem deperire haud audentes dormientem vitijs excitare.

Exemplum eorum, qui negligenter præsunt Reipublicæ.

Oportet Principes à subditorum oculis remottere, quidquid subaleat libidinem.

Rex occultari subditis studeat, quidquid eum possit ostendere esse hominem.

Quàm infideles Regum ministri, vt eos à somno profundissimo excitent.

Morte instante haud subest ægroto imparato, quomodo valeat è periculo exitij æterni liberari.

CAPVT

CAPVT XV.

Relictis castris in fugam effusam perculsi Ducis cæde ruunt Assyrij, & ab insequentibus cæduntur Hebræis, Ditantur spoliis Bethulienses. Iuditha laudatur, & condecoratur omnibus, quæ propria Holophernis extiterant.

1. VMQVE omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt: 2. ita vt nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum & semitas collium. 3. Videntes itaque filij Israël fugientes, secuti sunt illos. Descenderúntque clangentes tubis, & vlulantes post ipsos. 4. Et quoniam Assyrij non adunati, in fugam ibant præcipites: filij autem Israël vno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos inuenire potuissent, 5. Misit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Israël. 6. Omnis itaque regio, omnísque vrbs, electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij, quousque peruenirent ad extremitatem finium suorum. 7. Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valdè. 8. Hi verò, qui victores reuersi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum: ita vt non esset numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuersis mobilibus eorum, vt à minimo vsque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum. 9. Ioacim autem summus pontifex, de Ierusalem venit in Bethuliam cum vniuersis presbyteris suis, vt videret Iudith. 10. Quæ cùm exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: 11. quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum. 12. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat. 13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israël. 14. Porrò autem vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo. 15. Et omnes populi gaudebant, cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus, in organis & citharis.

COMMENTARII.

1. Fugiunt Assyrij, sed ab Hebræis cæduntur.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Cumque, &c.*] Cum primus de obtruncato Holoperne rumor castra peruasit, obruta est omnium animis densa caligo quæ mentem eripuit, nec reliquit vllam deliberandi facultatem. Ideò consilium sumunt non peritum à timore, qui in eorum pectoribus dominabatur, non à ratione, cui in ea perturbatione nullus locus aderat. Arripuere ergo fugam agnatam metui, in qua vnicè æstimabant inesse præsidium. Quare perturbati, & vsque adeò attoniti, vt neque secum ipsi loquerentur, demisso in terram capite, quod desperantium est, relictis omnibus, quæ ad fugam sibi fore impedimento videbantur, per quemcunque locum, qui patebat ad fugam, sine ordine variè dilapsi Hebræos euadere festinabant, quos instare à tergo non iam mures, sed leones ardentes ac planè terribiles aspectabant. * Preme illud, *Relictis omnibus, euadere festinabant Hebræos.* Qui è sæculo arripit fugam, & euadere curat inuisibiles hostes, cuncta debet mundi bona (mala vtique) omninò relinquere, quæ cursus impedire possint velocitatem.] Et illud, *Fugientes per vias camporum.* Non *per viam* adunati fugiunt, sed *per vias* non adunati, sed sociis suis quoque diffisi, singulares, ac dispersi, atque ita opportuni iniuriæ, quia passim facili negotio cædebantur. * Vel ad fugam arripiendam sine vulnere, proficeret vnitas.] Porrò quantum terroris solear inopina cædes Ducis afferre etiam integris ac potentibus castris, docuit caput Asdrubalis à Romano Consule resectum, & ante stationes Hannibalis fratris eius proiectum. Et quando repentina cuiusuis cædes cordatis non incutiat horrorem, eosque ad fugam salutarem inducat?]

Fugiens à sæculo, vt diabolum euadat, omnia mundi relinquat bona.

Vel ad fugiendum vnitas proficit.

Repentina mors cuiusuis nos ad fugã salutarem impellit.

inducat?] Vbi autem Hebræi Assyriorum castra disturbari, & à se ipsis diuersos hostes dissipari vident, instant à tergo vehementer, & vlulantes militari voce, ac buccinarum clangore, quò magis illorum debilitarent spiritus, ac neruos inciderent pallabundos infectabantur, & vagos. Cum verò Assyrij inordinati, dispersique diffugerent, neque in tanta multitudine vllum militaris disciplinæ vestigium appareret: facilè illos adunati, & ad bellicos congressus aptè dispositi superare, ac sternere Hebræi potuerunt. * Et quando non pauci adunati milites dissidentes innumeros superarunt. Vnitas enim & concordia nunquam non potentissima.] *Quoniam Assyrij, non adunati in fugam ibant, filij autem Israel vno agmine persequentes, debilitabant omnes*, id est, omnes, quos inuenire, atque assequi potuere sine labore conciderunt ad vnum. Verum Ozias Bethuliæ Princeps statim in omnes Ciuitates, atque regiones, à quibus sperari poterat non inutilis opera ad delendas belli reliquias, nuncios immisit. Omnis itaque regio, omnis Vrbs libenter mandatum excepit & nuncios: & delectam ex omnibus iuuentutem armarunt, quæ fugientes est persecuta: neque ab infectando destitit, donec pallantes ex Israëliticis finibus exclusit, & ad terminos vsque Assyrij dominatus adegit. Vlteriùs enim illos persequi tutum non erat. * Hanc pondera particulam, *Persecuti sunt eos in ore gladij, quo vsque pertenirent ad extremitatem finium suorum.* Non est assumendum cum hoste certamen, dum propria in regione moratur; patria enim vires ad pugnandum suppeditat. Testor Anteonem qui à patria Tellure captabat vim, vt Herculeis brachiis superari non posset.] * Non audeas cum vitiis propria in regione decertare. Patria libidinis domus meretricia est. Regio blasphemiæ lustrorum cubiculum. Haud poteris patrio in solo validos eiusmodi hostes superare.] Vndè occasiones delinquendi vitare procura.]

Pauci vniti innumeros dissidentes superant.

Non est assumendum certamen cum hoste, propria in regione morante.

Vitiorum patriam fuge, sine occasiones delinquendi vitare cura.

2. Assyriorum spoliis Bethulienses ditantur.

Verſ. 7. 8. *Reliqui autem, &c.*] Non omnes, qui erant in Bethulia, persecuti fuerunt Assyrios, quia multi propter ætatem aut nimium proiectam, aut parum adultam tractandis armis minus erant idonei. At qui relicti sunt cum imbelli fœminarum sexu ad castra prodierunt, & inde optimam prædam adduxerunt in Vrbem. *Et onustati sunt valde.* Alij legunt, *Et honestati sunt valdè*, Græcè, *Ditati sunt valdè.* Si ditati valdè, quid ni? valdè onustarentur, quum diuitiæ magis sunt oneris, quàm leuamini?] * Certè honestati sunt, qui alienis onustati diuitiis apparent. Quia diripere iam à multis putatur honestum.] Illam particulam, *Honestati sunt* aliquis expositi, *Nobilitati sunt* siue ex vulgaribus & vilibus ad nobilitatis gradum diuitiarum, quas abstulerant, subsidio transiere. * O tempus vilissimum, quando ex diuitiarum vi nobilitas pensatur. Liceat mihi vulgari idiomate hanc stultorum vulgaritatem exponere. *Mal tiempo, quando el tener es executoria de ser noble.*] Alij verò, qui extra fines Israëliticos ingenti edita cæde pallantes abegerant, re feliciter gesta, in patriam redierunt: & quæ victi reliquerunt in via, aut spolia ab interfectis detracta domum retulere. Quæ quidem varia fuerunt, & quorum iniri numerus non facilè possit. In quibus, fuére iumenta, pecora, pretiosa supellex, ea abundantia, vt nemo illius prædæ exors fuerit, nemo qui ex ea prædatione locuplex non euaserit. * *Vt à minimo* (ait textus) *vsque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.* Manifestè apparet licitam fuisse prædationem illam, siquidem facti sunt locupletes, qui fuere deprædati. Nam prædatio iniusta & ex crimine apparata haud pauperes ditat, sed potius prædiuites ad extremam adducit inopiam.]

Depradatio iniusta, aut bona furto acquisita non ditant, sed depauperant homines.

3. Laudatur Iudicha à Ioacimo, & Presbyteris, bonisque Holophernis decoratur.

Verſ. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Ioacim autem, &c.*] Porrò Ioacim summus Pontifex, (qui c. 4. 5. Heliacim appellatur) vniuersique Presbyteri, seu Senatores, in Bethuliam tantæ tragediæ theatrum ab illustri vnius fœminæ fama, & illius videndæ studio perducuntur. Et cum ad Pontificem excipiendum vrbana mulier ex suo secessu, viduali iam habitu resumpto, prodiisset: Pontifex & Presbyteri reliqui secundis illam acclamationibus aggrediuntur, & verbis salutant plenis dignitatis, quæ vota continent publica, & summam earum laudum, quæ de clarissima Heroina poterant prædicari, *Tu* (inquiunt) *gloria Ierusalem*, quam ab hoste crudeli, & religionis euersore iurato liberasti. * Vrbs enim vbi religio euertitur simul celsitudinis gloria priuatur.] *Tu lætitia Israël*, quoniam animos, quos timor, mœrórque contraxerat, eosdem parta de hostibus insperata victoria, subitò diffudisti. *Tu populi nostri honorificentia, sine decus, & splendor*, quia fecisti, ne gloriosus quondam populus insignem subiret ignominiam. * Hinc purissimæ Deiparæ immaculatam conceptionem defendentes, & seruolymam augustiorem à communi ignominia liberantes credant, se huius Dei Ciuitatis esse decus, & splendorem.] Inde verò tibi addita fuit virtus ad augustissimam gerendam actionem, quia castitatem coluisti, neque viduata viro, illius postea aut torum, aut nomen temerasti. Ideò commerita es, vt à Deo tanta apud homines gloria afficereris, & in posterum vberiori donari mercede possis sperare. Quod vt obtineas ab omnium bonorum largitore Domino deprecor. Pontificis vota populus vna voce & studio, vt Deus rata faciat hac rogauit acclamatione: *Fiat fiat*, quod idem valet, ac *Amen, amen.* * Exprime verba, *Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te.* Profectò castitas vel in fœminis virilem suscitat fortitudinem.] * Non potest excusari vidua libidinis rea, viduitatis statui agnatum esse excidendæ periculum: quia illud ipsum alium virum nescire post maritum emortuum, idem est, ac à Domino confortari, ac roborari ad tentamina superanda, ableganda-que pericula: *Eo quod post virum tuum, alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te.*] Equidem ea fuit spoliorum multitudo, vt dies triginta vix ad illa colligenda suffecerint. At quia maior illius victoriæ pars ad Iuditham pertinebant, quæ in Holophernis iugulo Assyriorum omnium iugulum petiit & truncauit caput: maior etiam spoliorum portio ad ipsam pertinuit. Quare quidquid in bonis Holophernis numerata fuisse constabat, illa Iudithæ ornamentis atque vsibus annumerata sunt: quæ sanè plurima, eaque pretiosissima fuére. Annon Holophernes auri, atque argenti vim ma-

Vrbs sine religione minimè gloriosa.

Decus sunt & splendor Deiparæ, qui defendunt, eam communem ignominiam non incurrisse.

Castitas vel in fœminis virilem suscitat fortitudinem.

Viduam castam esse, idest, ac à Domino confortari, vt tentamina superet.

ximam accepit, quando illam à Nabuchodonosore susceptæ prouinciam? Sic cap. 2. 10. Annon copiosam prædam ex debellatis ciuitatibus comportauerat? Sic cap. 2. 16. Annon habuit thesaurorum locum? Sic cap. 12. 1. Annon pretiosa admodum erat supellex Conopæum ex purpura, auro, smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum? sic cap. 10. 19. Hæc fuit manubiarum portio, quam fortasse reliqua spolia inter alios omnes distributa non æquarunt, aut parum excessere. * Nam Imperatores, qui sua præsertim curant, aliena negligunt, meliora sibi vendicant, communibus & vilibus aliorum militum labores ac merita compensant: & vt vnico verbo dixerim, militum inopia ditescunt.] *Tradita sunt* (inquit textus) *omnia illi à populo*, qui in communi ad castra irruptione iam illa diripuerat, ac sibi vendicauerat. * O populi pietatem! Mira planè tàm accurata communis prædæ restitutio.] Vineam plures demoliuntur alienam. Vidistine aliquando, integrè fieri de huiusmodi rapina restitutionem? Hoc gessit ingens in Iuditham conceptus affectus, vt omnia illi à populo traderentur.] Grandis denique illa lætitia haud se intra Bethuliæ septa, locaque finitima continuit, sed ad omnes populos, qui in metu erant, aut iam experti fuerant Assyriorum arma, latè diffudit. Qui quidem suæ lætitiæ manifesta signa dedere. Nam vbique instituti virginum & iuuenum chori vbique festiui ludi, vbique citharatum & organorum numerosus sonus increpuit. Vt nullus lætitiæ communis ac vtilitatis ex pers fuit, sic etiam nullus fuit, qui communem lætitiam, & commune bonum publica significatione non profiteretur. Certè de choris ac puellari plausu, plura addit Græcus, quæ verò similia esse crediderim. *Et concurrit omnis mulier Israël ad videndum eam, & benedixerunt eam, & fecerunt ei chorum ex se. Et sumpsit thyrsos in manibus suis, & dedit mulieribus, quæ secum, & coronatæ sunt oliua, & ipsa, & quæ cum ipsa. Et præiit omnem populum in choreâ ducens omnes mulieres: & sequebatur omnis vir Israël armati cum coronis & hymnis in ore suo. Et inchoauit Iudith confessionem hanc in omni Israël, & succinebat omnis populus laudem hanc.* An Iudithæ nobili, ac honestæ viduæ cantus hic, aut puellaris chorus fuerit indecorus? * Certè si tantum hic quæreretur popularis inepta voluptas, quæ religionem laxat, aut disciplinæ seueritatem soluit, neque ipsæ quidem gentes, quæ ad hæc nugamenta non nauseant, probarent.] * At cum hæc ad Dei gloriam spectent, & singulare à diuina manu profectum beneficium agnoscant, honestissima sunt. Eratne nobilissima Maria soror Mosis? Quis abneget. Attamen illa *sumpsit tympanum* in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & Choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino. Nulla in gratiarum actionem pro diuinis beneficiis expressa est indecens exultatio.]

Duces militum inopiâ ditescunt.

Mirabile est, ea quæ à pluribus diripiuntur, restitui.

Indecens honesta fœmina cantus, aut chorea, quæ modestiæ seueritatem soluit.

Decentissimus cantus aut chorea, quæ in gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficijs, exponitur.

CAPVT XVI.

Iuditha epinicion canit. Deo populus in gratiarum actionem sacrificia offert. Iuditha dierum plena moritur. Et dies victoriæ ipsius perpetuò iubetur celebrari.

1. INCANTAVIT canticum hoc Domino Iudith, dicens: 2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis: modulamini illi psalmum nouum, exaltate, & inuocate nomen eius. 3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. 4. Qui posuit castra sua in medio populi sui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. 5. Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles. 6. Dixit se incensurum fines meos, & iuuenes meos occisurum gladio: infantes meos dare in prædam, & virgines in captiuitatem. 7. Dominus autem omnipotens nocuit eum: & tradidit eum in manus feminæ, & confodit eum. 8. Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi: sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum. 9. Exuit enim se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël. 10. Vnxit faciem suam vnguento, & colligauit cincinnos suos mitra: accepit stolam nouam ad decipiendum illum. 11. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius: amputauit pugione ceruicem eius. 12. Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius, 13. Tunc vlulauerunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti. 14. Filij puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio à facie Domini Dei mei. 15. Hymnum cantemus

mus

mus Domino, hymnum nouum cantemus Deo noſtro. 16. Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua: & quem ſuperare nemo poteſt. 17. Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt qui reſiſtat voci tuæ. 18. Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petræ, ſicut cera, liqueſcent ante faciem tuam. 19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia. 20. Væ genti inſurgenti ſuper genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos. 21. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum. 22. Et factum eſt poſt hæc, omnis populus poſt victoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum: & mox vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota, & repromiſſiones ſuas. 23. Porrò Iudith, vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis. 14. Erat autem populus iucundus ſecundùm faciem Sanctorum, & per tres menſes gaudium huius victoriæ celebratum eſt cum Iudith. 25. Poſt dies autem illos vnuſquiſque rediit in domum ſuam, & Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſraël. 26. Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta, ita vt non cognoſceret virum omnibus diebus vitæ ſuæ, ex quo defunctus eſt Manaſſes vir eius. 27. Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria. 28. Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque, & dimiſit abram ſuam liberam, & defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia. 29. Luxitque illam omnis populus diebus ſeptem. 30. In omni autem ſpatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Iſraël, & poſt mortem eius annis multis. 31. Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis, ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diem.

COMMENTARII.

I. Iuditha canticum.

VERS. 1. 2. *Tunc, &c.*] In vberiorem huiuſce victoriæ plauſum Iuditha canticum elegans hoc præcinuit, ſubſequente feſtiuo fœminarum choro. *Incipite pſallere Domino* in tympanis, id eſt, ego inter Pſaltrias princeps vos hortor ad tympanorum cymbalorúmque numeroſos ſonitus carmen modulemini, & diuini nominis imploretis maieſtatem. Carmen autem *nouum* indico, quia huiuſmodi eſt, vt conſenescat nunquam, aut obruatur obliuione, cùm ea ſit recentis beneficij magnitudo, vt illius nunquam debeat excidere memoria. * Noua beneficia à Deo accepta noua ſemper decet gratiarum actio.] * Porrò ſunt plurima, quæ licet principio magna & illuſtria, aſſiduitate tamen vileſcunt: & quæ prius cum voluptate audiebantur, eadem ſæpiùs iterata, iam non poſſunt ſine faſtidio auditi. At gratiarum actionis hymnus per momenta ſingula expreſſus ſemper eſt nouus, ſemper cum voluptate à Domino auditur, nunquam vel hominibus faſtidium parit.] * Ea dicuntur noua quæ rarò oculis aut auribus parére videntur. Gratiarum actionis pro innumeris à Deo beneficiis acceptis canticum *nouum* vocitarim, quia rarò præcinitur: tanta eſt hominum ingratitudo.] Crediderim aptiùs *nouum* carmen poſtulare Iuditham, quia beneficium erat nouum, & nouam commendationem requirebat. * Innumera planè ſunt Dei in nos collata beneficia, quæ non deberemus vno gratitudinis hymno proſequi: ſed ſingula beneficia nouâ ac ſingulari gratiarum actione celebrare.]

Noua à Deo beneficia accepta noua decet gratiarum actio.

Gratiarum actionis hymnus ſemper eſt nouus, nunquã Deo parit faſtidium.

Canticum gratiarum actionis dicitur nouum, quia raro præcinitur: adeò ſunt homines ingrati.

Singula Dei beneficia debemus ſingulari gratiarum actione celebrare.

Verſ. 3. 4. *Dominus, &c.*] In principio cantici ſupponit Iuditha & Deum eſſe potentem: & eum qui poteſt ſuo velle fauere populo: hæc quidem facilia reddunt creditu, quæ deinde dicuntur, *Dominus* itaque *conterens bella*, id eſt, Dominus exercituum, in cuius conſpectu firmiſſima quæque pondus obtinent ſtipulæ: & quæ hominibus cenſentur inuicta, non plus habent ad reſiſtendum virium, quàm ſpuma aut fumus, quæ aut ventus diſſipat, aut vis quæcumque leuiſſima diſſoluit. Crediderim loco illius vocis *Dominus nomen eſt illi.* Hebraicè eſſe, יהוה *Iehouah nomen eſt illi.* Eſt autem *Iehouah qui eſt.* Vnde Iuditha, Cætera (inquit) omnia perinde habenda ſunt, ac ſi non eſſent. Ergo ſatis oſtéditur, nihil eſſe Deo factu difficile, cum ipſe ſit ſolus à ſe, reliqua illius beneficio viuunt, & ſunt: & vt illius voluntate viuunt, & vigent: ſic, illo renuente, vaneſcunt. * En nominis *Iehouah* ſeu *Ieſu* vim. In ipſo viuimus, ſine ipſo euaneſcimus. Ergo vt attrahamus vitale ſpiritum, nunquam deberet nomen Ieſu à noſtris labiis ablegari.] Porrò qui tam potens eſt, nunquam non vult ſuo fauere populo. Id patet apertiſſimè, quia Deus pro ſuis dimicauit ſæpè, & quaſi Dux eſſet, & Imperator, contrà omnem vim in medio populi ſua meratus eſt caſtra, quæ ex aduerſo directa caſtris ac ſignis hoſtilibus apponat. Annon cum Iacob Iſraëlitici populi parens fratrem ſuum Eſau timeret, quem ſibi putabat infenſum, quique ſtatim cum quadringentis viris obuiam progreſſus eſt: caſtra Dei vidit pro ſe videlicet pugnatura, pro clamante Iſaaci filio: *Caſtra Dei ſunt hæc?* Gen. 32. Annon Deus pro Eliſæo contra Syrios currus igneos, ſua videlicet caſtra poſuit, & eluſæ fuere illorum vires, contrà pugnante Deo? Horum neſcia non erat fœmina quæ ſeceſſum amabat, & ſolitudinem,

In nomine Ieſu viuimus, & ſumus.

& orationi assiduè feruenterq; vacabat. Ex hisce ergo duobus, quæ præmittit Iuditha, Deum scilicet omnia posse, & velle suis opitulari, ostendit vera esse quæ ipsa canit, & reliquis cantanda proponit. * O quàm præstans fragilis hominis solatium, Deum habere, qui omnia potest, & vult fideli populo opitulari.]

Magnum fragilis hominis est solatium, Deum habere, qui omnia potest, & vult suis opitulari.

Vers. 5. Venit Assur, &c.] Venit Assur, seu Assyriorum exercitus ab Aquilone, vnde *panditur omne malum super omnes habitatores terræ* Sere. 1. Iudææ comparatione Assyria partim ad ortum, partim & magis ad Aquilonem, aut septentrionem est. Potentiam Assyriorum amplificat, vt magis inde emicet diuina virtus, quæ tantam subitò multitudinem armis instructam, insolentem victoriis non repressit solum, sed etiam effugauit, atque concidit. Hoc hominum genus (ait) inde profectum est, vnde omne malum Israëlitico populo proximis temporibus aduenit. Aduentauit autem ab Aquilone per Libanum ab introitu Emath, per quem iam antea hostiles acies irruperunt, quæ Israëliticos terminos fuere depopulatæ. Venerunt ergo Assyrij immanitate barbari, multitudine innumerabiles, ita vt vallium capacitas equorum multitudini non sufficeret, & torrentes ab infinito pugnatorum numero obturati, seu à suo cursu repressi constiterint: Hyperbolicè hoc dictum, sed cum allusione ad illud, quod olim Senacherib hyperbolicè seu atroganter dictitarat: *In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani. Ego fodi, & bibi aqua, & exsiccaui vestigio pedis mei omnes riuios aggerum.* Isa. 37. * Superbo nunquam non familiaris hyperbolicus sermo, quia semper de suis dotibus hyperbolicè iudicat.]

Superbus hyperbolicè frequenter loquitur, quia de suis dotibus hyperbolicè iudicat.

Vers. 6. 7. Hac fretus multitudine Holophernes, quasi esset omni superior fortitudine, sibi de victoria gratulatus omnia omnibus minabatur, agris, ac messibus incendium, iuuenibus, qui arma tractare poterant, exitium, infantibus prædationem, virginibus seruitutem. Sed Dominus, qui fortes sternit, & insolentes deprimit, omnia hæc in illius caput mutata conuertit: & talia in se ipso expertus est damna, qualia fuerat Israëlitarum generi minitatus. * Eadem Deus acie percutit peccatorem, quâ ille in Deum aut proximum insolescere curat.] Sed quâ manu percussit?

Eadem Deus acie percutit peccatorem, quâ ille in Deum insolescere curat.

Vers. 8. Non fuit à iuuenibus validis Holophernes occisus, non fuit à Titanibus, quorum putatur fortitudo nobilitata admodum percussus, non proceritate insignes gigantes sese illi opposuere: sed à Iuditha filia Merari fuit interemptus; quod idem est, atque à Deo perfutile quoddam & instar nihili, & non tàm verum quàm fictum instrumentum Ducem fuisse superatum. In specie (addit) *faciei suæ dissoluit enm.* * Annon gladio succidit? Ita planè, sed priùs ex aspectata Iudithæ pulchritudine fuerat Holophernis fortitudo dissoluta, ac debilitata. Nam vel desideria Veneris vires eneruant.] * Gladius hominis iam à pulchritudinis acie quasi occisi emortuum caput amputauit. Ergo dirior aciè gladij fœmineus aspectus.]

Vel desideria Veneris vires eneruant.

Dirior acie gladij fœmineus aspectus.

Vers. 9. 10. 11. Deposuit (ait) Iuditha lugubres vestes, quales orbatam viro fœminam decebant: & illas accepit, quas in deliciis filiæ Israëlitides assumunt: & illa præterea adhibuit ornandæ formæ lenocinia, quæ stultorum hominum alliciunt oculos, animos capiunt. Cooperuit enim mitra cincinnatum accuratum caput, & stolam induit splendentem, quæ ad talos vsque defluens totum tegeret, ac ornaret corpus. Ad extremum pedes sandaliis inseruit, illigauitque, quibus sic captus est Holophernes, vt nudam ceruicem illius pugioni obtulerit feriendam. En fortitudinem Titanum potentiam superantem sed non labatur ex memoria discutere, quinam fuerint Titanes. Porrò Titanes secundùm Gentilium fabulas sunt *dæmones subterranei*, si Hesiodo in Theogon. credendum. Seu quos contra superos deos irata terra in vltionem effudit. Vnde Seruius Æneï. 6. vult Titanes dictos ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab vltione. Sed mox à Ioue diuicti in tartara deiecti sunt. Et videtur hæc fabula sumpsisse originem ex historia & gestis gigantum ante diluuium. Gen. 6. 4. Num Scriptura fabulas narret, aut probet: Minimè. Nam nomen Titanum etsi à Gentilibus applicetur ad fabulosos illos terræ filios, generatim tamen solet vsurpari pro quibuslibet vastæ & proceræ staturæ hominibus, id est, pro omnibus gigantibus. Itaque non manu gigantea prostratus est Holophernes, sed fœminea, puellari, ac imbelli dextera, seu fœminæ ornatæ pulchritudinis apparatu, conspectu.

Vers. 12. 13. 14. O quomodo conturbati fuere Assyriorum animi audito Principis interitu quantus illos stupor, ac horror inuasit! Perstarum & Medorum, qui iam in corpus vnum coaluerant, mentes huius fœminæ audaciam, ac constantiam horruerunt. O quantus fuit in castris vlulatus obortus, cum illi, qui tam paulo ante abiecissent spiritus, vt iam de vita prorsus actum esse putarent, & quos sitis tantum non extinxisset, apparuerunt armati, & intrepidi in turbaras acies, eis exitium inferentes, irruerunt. Verùm qui prius per fœminam interfecit Ducem Dominus, deinde per homines pènè confectos siti, & abiectos castra subuertit vsque adeò & armis instructa, & militibus copiosa. Quin sic fuere Assyrij consternati, vt ipsi etiam pueri illos audacter inuaserint, fugauerintque; aut certè quos, si alij defuissent, quibus plus accessisset ætatis, ac roboris pueri possent profligare facilè, ac funditus delere. Quid mirum si perierunt in prælio *à facie Domini Dei sui*, id est, cum non tam ab hominibus fuerint, quàm à Domino perculsi. * Profectò Dominus per infirmenta infirma maxima assolet facinora exponere.] Illud, *Filij puellarum*, idem est, ac *pueli*, sicut *filij hominum* homines, *filij taurorum*, aut *arietum* tauri aut arieres dicuntur.

Deus per infirmenta infirma maxima facinora exponit.

Vers. 15. 16. Hymnum ergo cantemus Domino, noua carmina Deo nostro in vberem gratiarum actionem modulemur. Iteratur inuitatio ad diuinas laudes, quæ v. 21. fuerat inchoata. Quod in hymnis canticisque vsitatum tam in sacro, quàm in profano carmine. Psal. 117. bis ponitur versus ille, *confitemini Domino, quoniam bonus.* Et Psa. 106. sæpè, *Confiteantur Domino misericordiæ eius.* * Etenim tam agnata est homini ingratitudo ad diuina beneficia decantanda, vt vel vnico in hymno necessarium sit, eum sæpè ad actionem gratiarum excitare.] *Adonai Domine magnus es tu.* *Adonai* nomen Hebrai

Tanta hominis ingratitudo, vt vel in vno hymno sit necessarium, eum sæpè ad gratiarum actionem excitare.

Hebraicum, quod interpretatur *Dominus*, vnde duo hæc nomina idem significant, & vnum est expositiuum alterius, sicut cum dicitur, *Abba pater*. Domine, Domine magnus es tu prorsus infinita perfectione, infinita potentia, quem nullus valet superare. Hæc est dictorum omnium summa complexio, & extremum epiphonema, quod optimè claudit, quæ Dominus in Assyriorum castris per imbelles manus patrasse dicitur: & viam aperit ad diuinas laudes, quas statim aggreditur.

Verſ. 17.18.19. Omnis creatura tuo se se dimittat imperio, quia à te habet quod sit, & viuat. Neque vllus est, qui obstare possit, aut impedire, quominus id in rebus fiat, quod tuæ libuerit voluntati. Et quia qua facilitate ex nihilo magna rerum corpora produxit, & summa, atque infima in suis sedibus atque ordine creauit, & posuit: eadem potest, à suis commouere sedibus, atque confundere, & ab imis omnia fundaminibus subuertere. Primum accepit Iuditha ex Psal. 32. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*; & ex Psal. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* Alterum verò ex Psal. 96. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini. Porrò in montibus & aquis reliqua intelliguntur, quæ in illis creantur, & mouentur, quæ omnia commoueri possunt, atque dissolui non maiori negotio, quàm spuma aut fumus, quæ sponte vanescunt. Montes igitur (Iuditha ait) mouebuntur, seu trãsferentur quocumque voluerit Deus, vnà cum aquis, quas quasi in sinu perpetuò fouent adeò, vt nec guttula quidem reliqua in priori loco remaneat. Et perræ sicut cera liquescent, si tantum iusserit Deus. Metaphoricè significantur. Superbi ac duri homines, qui vnà cum opibus, cum seruitiorum gregibus, cum exercituum suorum millibus, Deo iubente, funditus exscindentur, tabescent, exterminabuntur.* Hi superbi montes dicuntur *à fundamentis* speciatim moueri, vt innuatur, omnino eos esse ab humilitatis fundamine abstracti, ideò non potuere consistere. Vanitas fundamentum superbiæ, quæ vel halitu conturbatur: humilitas verò firmissimum est spiritualis exædificationis sustentaculum.] Qui autem ô Domine timent te, à te ornantur muneribus, & in conspectu etiam hominum honorantur. Cuius rei in Scriptura multa, eaque illustria occurrunt exempla.

Quam facilè deijciuntur superbi, quia leui fundamine nituntur.

Verſ. 20. Non solum autem à te tui amatores, & studioſi muneribus ornantur; sed etiam illorum hostes diris ac sempiternis diuexantur tormentis. *Va igitur genti*, quæ ausa fuerit in Hebræam progeniem exsurgere; quando enim Dominus voluerit iudicare, & pro meritis punire, & præsertim in extremo totius mundi iudicio in illos diriter vindicabit. Post iudicium extremum suscitata ac redintegrata peccatorum corpora vermes experientur, & igni sempiterno cruciabuntur. Quæ sieris, an sicut ignis, quo cruciantur reproborum animæ, propriè dicitur, & non metaphoricè: sic etiam vermis propriè in inferno futurus sit? Affirmant Hieronymus, Augustinus, Lyran. Carthusi. Abul. Itaym. Riber. Serar. & multi alij, vt asserit Suar. *in 3. p. tom. 2. disp. 56. sect. 3.* * Probant, quia vocantur *vermes carnis*, ergo erunt carnei. Porrò hanc fœdam sensuum pœnam promerita fuit fœda carnis concupiscentia.] Ego quidem in vermibus morsus angoresque conscientiæ intelligo, à quibus miserè cruciantur damnatorum animæ, dum quam amiserè gloriam, & quibus in æternum afflixi sunt, tormenta considerant. Conscientiæ dirum flagellum pulchrè amplificat Augustinus l. 21. de Ciuit. c. 9. Contrariam tamen sententiam non omninò improbabilem censeo. * Asseruerim verò metaphorici huiusce vermis cruciatum admodùm esse diriorem quàm si carnes veris vermibus depascerentur. Carnis verò hic vermis vocitatur, quia è cruciatu interno corrodentis vermis conscientiam ineffabilis dolor exundat in carnem. Diriùs enim te cremabit ignis, quem cogitas facillimè extinguere pœnitentia potuisse.]

Fœdam vermium in carne pœnã promerita est fœda concupiscentia carnis.

Quàm horribilis conscientiæ vermis damnatis.

Vermis conscientiæ etiam carnem discruciat.

Verſ. 22.23.24. *Et factum est, &c.*] Postquam in Bethulia cantatum est epinicion, ac festiuo plausu celebrata victoria, omnis populus simul cum Iuditha Ierosolymam venit, vt Deo pro tanto beneficio gratias ageret, & quæ promiserat vota fideliter solueret.* Quàm aptè, *Post victoriam venit Ierusalem, adorare Dominum.* Nam post beneficium acceptum, instat gratiarum actionis sacrificium.] At quia ex congressu cum gentilium populo, & mortuorum contactu, labem aliquam illorum plurimi contraxerant, vt legitimè possent obire sacrificia, & Templum, prius se de more purificarunt. * Hæc tam pia ad sacrificia offerenda purificatio subtaxat eos, qui ad augustius sacrificium accedentes non prius curant se pœnitentiæ lauacro à leuibus culpis ex contactu creaturarum attractis purificare.] Tunc autem opinor cum doctissimo Gaspare Sancio meo, eò adductum fuisse Holophernis caput, vt maior esset triumphi gloria, & ex eo plenior concepta lætitia. Et impletum quod prædictum fuerat à Iuditha ingressurum esse Holophernem Ierosolymam neque vno cane oblatrante. Cum autem Iuditha victoriæ auctorem Deum esse dignosceret, ac prædicaret, sic illi censebat de superato hoste exuuias esse consecrandas. Quare Deo Imperatori summo, & Deo exercituum vasa dedicauit bellica quæ Holophernis fuere, quæ populus deberi Iudithæ tanquam duci & auctori victoriæ iudicauerat. Illa verò cuius dissimilis erat sensus, & cognitio sublimior, ad Templum attulit simul cum Conopæo, quod sua ipsa manu sustulerat, & in Templo reposuit diuinæ victoriæ & immortalis beneficij monumento futurum. * Non sufficiat Principi post victoriam verba grata profundere, hymnum concinere, seu preces agere: belli reddat Domino exuuias. Nec sufficiat vulgaria attrita suspendere in Delubro vexilla, referat Conopæum, id est pretiosum aliquid liret altari.] Hæc ergo obtulit Iudirha in *anathema oblitionis*, id est ad separandam, seu exterminandam ex hominum animis tanti beneficij obliuionem. Vel potius indicatur, donum illud eximium execrationem esse. & accusationem

2.

Pergit Iudítha Ierosolymam gratias Deo relatura.

Post beneficium à Deo acceptum instat actionis gratiarum sacrificium.

Subtaxantur, qui ad Eucharistiæ sacrificium accedentes, non prius curant se pœnitentiæ lauacro purificare à venialibus.

Post victoriam Princeps debet aliquid pretiosum Templo sacrare in actionem gratiarum.

illorum hominum, è quorum animis excidisset tam insigni beneficij memoria. * Hoc sensu Eucharistia data est hominibus ingratis *in anathema oblivionis*, quia hîc recolitur memoria passionis eius, & omnium beneficiorum Dei fit recapitulatio.] Profectò quia Græcè ἀνάθεμα est quod donarium valet, aut ornamentum Templi, aut loci communis seu sacri: aliter explicabo. Hæc oblivio non est accepti beneficij, sed doloris, & metus, quibus Israëlitarum animi contracti fuére, cum in eorum fines Assyriorum acies ingruerent, & Holophernes insolens victoriâ omnibus omnia minaretur. Quasi dicat, tantum esse donum illud, & lætitiam eo significatum munere, vt qui illud viderunt in Templo suspensum, & illorum dierum interfuére festiuis choris, ac triumphis: superioris temporis obliuiscerentur, quod tribulationis ac doloris plenum fuit. * Qui te aliquando à luxuriei valido exercitu expugnatum vidisti, innumeris actum incommodis, è quibus pœnitudine liber enasisti; spolia ab hoste comparata oculis obiicias, vt à tyrannidis præteritæ memoria expediaris, ex præsenti iustæ conscientiæ exultatione.] Celebratus demum est secundus hic successus spatio trimestri à iucundo populo *secundum faciem Sanctorum*, id est, honestâ exultatione, quæ plurimum haberet à religione, nimirum holocausta, preces, & hymnos, quæ Sanctorum decent solemnitates: non qualia Gentes suæ obeunt festa, & suam explicant lætitiam ludis, comessationibus, iurgiis, gladiatoribus, cædibus ex taurorum agitatione. * Quàm taxabiles hoc ex capite Christicolæ, qui vt festa Diuorum celebrent, haud dubitant diei immunitatem comœdiis profanis, aliisque ludis non decentibus cruentare: Quid, queso, natalitio D. Ioannis cum taurorum agitatione, quæ viuos exterminat.] * Quid inuentioni crucis, aut Passioni Dominicæ cum his spectaculis, aut ludis, è quibus crucis, ac Passionis Dominicæ omninò memoria tollitur, & solummodo iis, qui plus ex vanitatis, quàm deuotionis affectu sumptus gessére, proprij cruciatus ob inopiam remaner recordatio?]

Eucharistia data hominibus ingratis in anathema oblivionis.

Bona conscientiæ exultatio facit nos oblivisci incómoda, quæ ægebamur, dù seruiimus iniquitati.

Vt celebrentur Diuorum solemnia, piè lætitiæ documenta exponantur.

Quid celebrationi festi Crucis aut Passionis Dominicæ cum taurorum agitatione, quæ ingeris Crucis oblivionem.

3. Iudithæ reliqua vita, ac obitus.

Vers. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. *Post dies, &c.*] Exacto spatio illo trimestri rediére in suas quisque domos, & Iuditha in Bethuliam, vbi magnam apud suos, imò in Israële toto obtinuit authoritatem, quam sibi magno suo merito deuinxerat. Et ad alia merita accedebat morum honestas, & pudicitiæ amor, & studium: cùm vita functo priori viro, secundas nec ambierit, nec admiserit nuptias. * Preme τὸ *Erat virtuti castitas adiuncta.* Nulla æstimatur virtus in fœmina, quæ adiunctam non exprimat castitatem. Virtus est, (v. gr.) ad Templum accessio, sed casta illam modestia comitetur. Virtus est ægrotum inuisere, sacras stationes gerere, sed incedendi grauitas & pium silentium sint castitatis indicamenta.] * Et τὸ, *Ita vt non cognosceret, virum ex quo defunctus est Manasses vir eius.* Egregia planè viduæ laus, secundas nuptias non admisisse, quod incorruptæ castitatis est documentum.] Seruauit autem Iuditha ad finem vsque vitæ institutum illud viuendi genus, quod ab annis suæ viduitatis tenuerat. Illis autem diebus, quibus maior viuendi fuit facultas, & minus austera disciplina, hoc est, diebus festis, quibus à cilicij ac ieiunij austeritate abstinebat, procedebat cum magna gloria, non quia ipsa illam amaret, aut quæreret; sed quia ab aliis oblatam respuere, aut recusare non poterat. Sic aliqui exponunt. Ast ego hîc sermonem esse censuerim non de progressu extra domum vt alios ex sua ciuitate contribules inuiseret. * Modestam enim Viduam non decet eiusmodi visitationibus operam dare, nisi aliquando ex speciali charitatis lege, vt ægrotum contribulem adeant.] Sed sermonem esse de progressu, cum Templum Solymitanum cum aliis adiret, quod alij tribus solemnitatibus facere iubebantur. Id quod etiam fœminæ vltroneè aliquandò gessére, vt Anna Samuëlis mater, & Beata Virgo. * Quælibet enim ad Templum expeditiò vel viduis sanctissimis decentissima est.] * Hinc subtaxarim aliquarum Vrbium consuetudinem, quæ cogit viduas domi contineri recens præcipuè emortuo coniuge: cùm aptiùs deberent cogi Templa adire, vt preces pro defuncto funderent efficaciùs.] Cæterùm *mansit* seu *consenuit* Iuditha (sic Græcè) in domo viri sui Manassis *annos centum quinque*, seu vsque ad annum vitæ suæ centesimum quintum. Et obitui proximâ libertate donauit *Abram*, id est, ancillam suam. * Cur non priùs ante mortis instantiam eam libertate potiri fecit, quam amabat? Certè quia seruire tam sanctam, tam piam dominam erat donari libertate.] * Exitimo, genus supplicij esse bonos dominos è domo libera expellere mancipia. Et credo, Abram & si libertate donata fuisset, nunquam à seruitute illa amabili recederet.] Tandem defuncta Iuditha est, & cum viro suo eodem condita tumulo, cui populus de more septem diebus parentalibus sacris est prosecutus. Verùm dum Iuditha viueret, non fuit qui Israëlitas bellis perturbaret: imò & post eius obitum multis annis Hebræi respirarunt. Toto scilicet tempore, quo Persicum durauit Imperium, & quandiu Græcorum dominatio floruit, donec Antiochus bello primum tentaui Israëlem. Illi verò anni fuere non pauci, cum anni intercesserint plurimi ex Persarum Imperio, & ex Græcorum Imperio non pauci ad ætatem vsque Antiochi Epiphanis, qui Machabæorum tempora disturbauit. * Vna egregia victoria diuturnæ pacis assolet esse firmamentum.] * Ab hostibus inuisibilibus oppugnatus illustri consequendæ studio victoriæ, quæ diuturna re faciet mentis ac corporis pace potiri. Actus enim virtutis intensio hostem facit penitus ablegari.] Dies autem victoriæ huius celeberrimæ sanctorum dierum Israëlitæ censuerunt in numero. Quemadmodùm ieiuniis sui generis infortunia renouant, vt ex illorum Kalendario constat, quod plenum est ieiuniis ea de re omnibus mensibus institutis. Sic etiam si quid accidit

Omnes fœminæ virtutes debent hallare castitatem.

Egregia viduæ laus alij non nubere.

Non decet viduam, visitationibus operam dare.

Decens est viduarum ad Templum expeditio quælibet.

Taxantur viduæ, quæ Templa non adeant, recens mortuo coniuge.

Seruire sanctæ Dominæ est libertate donari.

Genus crudelitatis est, à bono domino dimitti mancipium.

Vna egregia victoria diuturna pacis assolet esse firmamentum.

Actus virtutis intensio facit vitia penitus ablegari.

cidit lætum, consuevere etiam certis, statisque diebus solemniter colere; vt Iudæorum libertas sub Assuero per Mardochæum Est. 9. 18. & victoria de Nicanore 1. Machab. 7. 49. In Hebræorum Kalendario hanc solemnitatem non inuenio: cur autem illa aliis annumerata non fuerit, non video. Fieri potuit, vt sicut alia plurima, sic etiam à Iudæorum sacris ista solemnitas excideriit. * Laudabile enim est aliquandò festorum multitudinem intercapere in agricolarum, ac artificum subsidium, quos festorum dierum otium efficit inedia laborare.] Neque hîc aliquid apparet, historicæ aut etiam Canonicæ veritati contrarium: cum sacer Historicus non dixerit, hanc solemnitatem esse perpetuam; sed coli solitam *vsque in præsentem diem*, in quo hæc historia sacris est mandata monumentis.

Pie aliquorum festorum dierum otium tollitur in pauperum artificum leuamen.



LIBER

LIBER SEPTIMVS.

COMMENTARII LITERALES, ET MORALES

AD ESTHER.

PROLVSIO.

Libri huius Auctor est Mardochæus, vt in Prologo asserui, & vt dicitur *Cap.9.20.& Cap.12.4.* existimo tamen, Estherem ipsam quædam inseruisse, vt in Græco textu manifestè affirmatur. Argumentum est depressio Vasthi, & Aman: exaltatio Esther & Mardochæi, ac liberatio Iudæorum. Allegoricè Christus per Assuerum, Deipara per Esther designantur, auctore D. Hieronymo præf. in Esther. Canisio *l.1.de B.Virg. cap.2.* Martino del Rio *in flor. Mar.* festo Assumpt. profante: *Quis nescit, Estheram Deiparæ typum fuisse?* Richardum Laurentinum exaudi lib.2. *Maria facilè impetrat, quidquid petit à filio. Ideò in figura eius dictum est Est.15.* Inuoca Dominum, & loquere pro nobis Regi, & libera nos de morte. *Ipsa enim detinet iram Dei, nè statim vindicet in nos. Vndè dicit Cant.3.* Tenui eum, neque dimittam. *Gratiositas autem eius ad impetrandum figurata est Est.7. vbi dixit Assuerus Estheri.* Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? Etiamsi dimidiam Regni mei partem petieris, impetrabis. *Conquerebatur Dominus, antequàm Maria nasceretur dicens Isa.64.* Non est, qui consurgat, & teneat me: *sed ipsa facta est aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram filio suo, ventrem & vbera illi repræsentans: & ipse veluti piissimus infans delectatur ab vbere matris.* Quonammodò potest Dominus in peccatores vindicare, si ad aspectum vberum Deiparæ resumit piissimum infantis, qui irasci ignorat, affectum?

Vera Esther Maria Deum placans.

Deus iratus, visa Maria, in infantē conuertitur, qui nescit irasci.

CAPVT I.

Ad potentiæ ac gloriæ suæ ostentationem toto semestri splendidissimum conuiuium celebrat Assuerus. Regina Vasthi accersita venire recusat, ideóque regio exturbatur à thalamo.

1. IN diebus Assueri, qui regnauit ab India vsque Æthiopiam, super centum viginti septem prouincias: 2. quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit. 3. Tertio igitur anno imperij sui, fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se: 4. vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5. Cùm

5. Cùmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum: & iuſſit ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat. 6. Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus, byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat. 7. Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis, atque aliis vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum, erat abundans, & præcipuum ponebatur. 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet. 9. Vaſthi quoque regina fecit conuiuium feminarum, in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat. 10. Itaque die ſeptimo, cum rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet, mero, præcepit Mauman, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, ſeptem eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant: 11. vt introducerent reginam Vaſthi coram rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valdè. 12. Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit. Vnde iratus rex, & nimio furore ſuccenſus: 13. interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges ac iura maiorum (14. erant autem primi & proximi, Charſena, & Sethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan, ſeptem duces Perſarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant) 15. cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quæ Aſſueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet. 16. Reſpondítque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouinciis regis Aſſueri. 17. Egredietur enim ſermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit. 18. Atque hoc exemplo, omnes principum coniuges Perſárum atque Medorum, parui pendent imperia maritorum: vnde regis iuſta eſt indignatio. 19. Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam vltrà Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnum illius, altera, quæ melior eſt illa, accipiat. 20. Et hoc in omne (quod latiſſimum eſt) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum, deferant maritis ſuis honorem. 21. Placuit conſilium eius regi, & principibus: fecítque rex iuxta conſilium Mamuchan, 22. & miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæque gens audire & legere poterat, diuerſis linguis & litteris, eſſe viros principes ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

COMMENTARII.

1. Conuiuium Aſſueri apparatũ Proceribus ſemeſtre.

VERS. 1.2.3.4. *In diebus, &c.*] Regnabat Aſſuerus, à Græcis vocatus Artaxerxes *Longimanus*, ſeu quia manu vna, altera longiori, vtebatur. Huius autem tàm latè patebat Imperium, vt ad centum viginti ſeptem Prouincias diffunderetur: quot videlicet inter Indum & Æthyopiam poſitæ ſunt. Erant hæ Satrapiæ, ſiue Præfecturæ, quibus gubernandis & iudicando Satrapæ, aut Præfecti conſtituebantur. Porrò quandò Aſſuerus Regni ſui ſedit in ſolio, Ciuitas Suſan Regni eius *exordium* fuit, aut quia ibi defuncto patre, Rex primum inauguratus eſt: aut quia iuxta Hebræorum idioma, quæ meliora ſunt prima dicuntur, vel initia. 1. Reg. 15.12. *Saul offerebat ſacrificium Deo de initiis prædarum.* Quod autem initium aut exordium idem ſit, quod præcipuum, docet illud Eccleſ. 29.28. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim vt apparet, non prima ſunt, ſed præcipua humanæ vitæ ſubſidia. Igitur cum regnare cœpit Aſſuerus, Ciuitas (Suſan erat Imperij Metropolis. Eſt verò Suſan Vrbs ad Choaſpem fluuium ſitu amœniſſimo: ſic dicta à liliis, quæ illic plurima. Vnde & vnguentum Suſinum eius præcipua materia de liliis eſt. Sic Rhodus à roſa, Florentia à floribus appellata. Memnon Titoni filius primus eius conditor fuit, Aſſuerus autem latiùs eam ædificauit, nouiſque palatiis, ac regia ſede ornauit. Beniaminius fol. 78. Itiner. dicit palatij Aſſueri in Suſan etiam hodie ſupereſſe non exiguas partes verè admirandas. Boderianus verò in Syro chal. ex Iudæorum mente putat eam

eam esse, quæ hodie *Tauris* nominatur, & magni Sophi Persarum Imperatoris regia est Sedes. Quia ergo Susan erat Persidis Metropolis, in ea voluit Assuerus solemnissimè coronari anno ab electione sui tertio. Sicut Imperator Romanus primo Franco furti, secundò Aquisgrani, tertio in Italia coronari solet. Sic Assuerus, relictis aliorum Regnorum sedibus regiis, in Susan voluit publicè inaugurari exhibito per integrum semestre nobili epulo cunctis Principibus, viris scilicet, quorum erat in Regno Persico inclitum nomen, & maior auctoritas, tàm qui rebus bellicis, quàm qui ciuili rerum administrationi præerant: vt quantum valeret potentia ac opibus ostenderet. *Vt ostenderet*, ait textus, *diuitias gloriæ Regni sui.* Imprudenter à Principe diuitiæ in conuiuiis, in comediis, aliisque spectaculis ostentantur, si adeò huiusmodi in rebus inutilibus expendantur, vt postmodum non possint iterum ostentari.] Verum Assuerus hac in re & suæ seruiebat ambitioni, & suorum accendebat animos, vt ardua aggrederentur pro tuendo, ac amplificando Imperio: cum scirent, ad compensandam fidelem & egregiam operam non defuturam facultatem, cuius in splendido illo, longóque conuiuio argumentum viderat luculentum. Hoc Interpretes. * At mihi infirmum est regiæ futuræ potestatis argumentum splendidum epulum instituisse, noua præcelsa spectacula præparasse. Quia in his insumuntur diuitiæ, quæ munerandis militibus, Imperij præsidio, erant impendendæ.] Fuit itaque regium illud conuiuium semestre, dies enim centum & octoginta-annum ex æquo diuidunt, in quo Persæ 360. numerant dies.

Imprudenter à Principe diuitiæ in spectaculis inutilibus insumuntur.

Quomodò Rex habebit diuitias ad pugnatorum præmia, si eas in rebus inutilibus insumit?

2.
Conuiuium Assueri apparatum omni populo septemdiale.

Vers. 5.6.7.8. Cumque, &c.] Non minores gessit Assuerus sumptus in septemdiali, quam in semestri epulo, cum illud ad mensam ex omni ordine viros admitteret aliqua eximia laude, ac titulo conspicuos: hoc ex omni atque promiscua turba in tam copiosa & lauta Ciuitate. At cum multitudinem tantam locus vnus clausus capere non posset, in apertum coëgit, nempè in vestibulum horti, ac nemoris, quod amplissimum procul dubio erat, in quo etiam apparatus regius, & diuitiæ Persicæ apparuere. Profectò hortus ille, illud nemus regij cultus magnitudinem, exponebat. Nam cum alibi mirifica sit hortorum & nemorum amœnitas: in Susis tamen ea erat cœli temperies, ea soli vbertas, naturæque benignitas vt artis industria erumpens pulchritudo nihil non regium ostentaret. Additur, hortum, ac nemus regia *consitum manu*, quod nouum non est, aut parum Regibus visitatum, qui ex re hortensi ac rustica mirificas capiunt voluptates, & animi languentis familiare leuamen. * Annon Cyrus minor (auctore Iulio in latone maio.) ex huiusmodi cura sumpsit reficiendi animi quotidianam materiam, & suis illam manibus sibi ipsi parauit? Annon Protoplastus à Deo in paradisum translatus fuit vt illum operaretur? Ergo non dedecet maiestatem Regum propriam manum, relaxandi animi gratia, colendis herbis, ac floribus adhibere.] Hoc gessit potentissimus Assuerus longimanus, cuius manu hortus, & nemus consita esse dicuntur. Nec longimani minus longa manus, minus videretur augusta ex rusticæ rei illius exercitamentis. Equidem licet satis ab arboribus hortorúmque deliciis instructus videretur, & ornatus conuiuij locus, ex quibus odorata & florida texerentur vmbracula: tamen, ne quid ornamenti & luxus curiosa mollities desideraret, *tentoria*, id est, vela suis locis ordinata suspendit, quæ & sua varietate splendorem, ac voluptatem: & suo oppositu non nihil commoditatis afferrent. Erat enim si colorem spectes *aëria*, id est, candida, qualis videtur esse aër clara luce illuminatus, & splendenti candore pellucidus. Nec solus aëreus color fulgurabat, sed & carbasinus, & hyacinthinus. Hebræus pro *Carbasini* posuit כרפס *carpas*, quod *viride* valet. Hyacinthinus autem color est violaceus, aut purpureus, qui non longè à violaceo recedit. Aulea itaque illa candidum, viridem, ac purpureum colorem referebant. Certè non solum opinor esse aulea hisce tincta coloribus, sed etiam floribus intexta, aut aliis argumentis picturata: quod erat illis antiquis temporibus vsitatum, & à quibus Persæ non abhorrebant. Si enim pauimenta lapide vario ac sectili pictura decorabat, cum non eadem esset in velis stragulisque varietas? Aulea verò hæc ex funibus byssinis atque purpureis dependebant, quos marmoreæ attolebant, sustentabántque columnæ eboreis in serta fibulis, seu circulis, per quos byssini illi ac purpurei funiculi traiiciebantur. Byssus est genus quoddam lini nobilissimi, è quo tenuia ducuntur fila. An candidum ab arte, aut à natura? Pausanias abnegat, alij affirmant. Crediderim byssò geminum esse colorem candidum scilicet, & sufflauum. Hoc loci candidum esse duxerim purpureo intextum, vt funiculi ex varietate pulchriores obiicerentur. * Non præterea fine pondere Pausaniæ sententia existimantis, byssò non inesse à natura candorem sed sufflauum aliquid, aut rubrum, carneum exponens aspectui. Nihil in Scriptura communius, quam byssi candore signari castitatem. Hæc quidem haud à natura accipitur, sed acquiritur arte. Natiua virginitas carnis sufflauum colorem ostentat, vt candidam transeat in pulchritudinem: hic labor, hoc opus. O quoties ieiunij, cilicij, verberisque lexiuio calido byssus castitatis est diluendus, vt candiditas virtutis appareat.] Lecti quoque aurei, & argenti dispositi aderant non cubiculares ad somnum, sed triclinares ad mensam. At hi lecti non omnibus suspendebantur fulcris, & attollebantur è terra: sed sternebantur humi, maximè si Rex accumberet. Sed licet hærescerent humi, non tamen erant inornati lecti, tum quia pauimentum pretioso erat constratum lapide candenti & viridi, pario videlicet, & qui smaragdi splendorem ac colorem referret. Eo autem erant artificio dispositi lapides, vt varias rerum imagines exprimerent. Neque lecti minus pretiosi ac pulchri, quos auri, argentique splendor decorabat. Fuit quidem ea Principum ambitio, & vsque adeò immoderata luxuries, vt non tantum in tectis, parietibúsque pretiosi, ac splendentes lapides relucerent, sed etiam in pauimento calcarentur, fierentque ex vario lapide ad viuum expressæ rerum imagines. Lege Plinium l. 36. c. 25. * Quo profectò innuebatur, cunctas vili pendendas esse diui

Non dedecet Reges, propria manu cultura hortorum studere, relaxandi animi causa.

Castitas non nascitur, sed pœnitudinis, seu asperitatis arte acquiritur.

Diuitiæ conculcandæ.

diuitias, ſiquidem quod mirabantur in tectis ac parietibus, in pauimento pedibus proterebant.] Portò cum tot eſſent inuitati poſteriori ac ſeptemdiali conuiuio, omnibus tamen in aureis poculis vinum porrigebatur. Eſcaria ſimul vaſa fuére varia, ita vt ipſa varietas voluptatis multum, & plus admirationis afferret. Perſarum namque Regum in vaſis argenteis & aureis maximè apparebat luxuries. * Quàm multi noſtri proceres imitantur, ad eam tamen ex ſuperfluo ſumptu anguſtiam redacti non ſemel, vt vaſa vacua cibo ac potu iam eorum exponantur in menſis & cogantur argentum & aurum pro cibis commutare, quos luteis in vaſis auidiùs abſumant. Legi apud Athenæum l. 4. c. 6. Ciuitates integras, à quibus Perſarum Reges eſſent excepti, ad extremam inopiam eſſe redactas, & mutare ſolum fuiſſe compulſas. Et quando non immoderatus ſumptus diuites redigit ad inopiam?] Vinum quoque conuiuio huic deſeruiens generoſum erat & abundans, vt Regum ſplendorem, ac liberalitatem decebat; ſed non quale Regi propinabatur; ſua enim Perſarum Reges aliis eſſe communia prohibuére. * Vt conuiuij à Domino expoſiti fidelibus præſtantiam admirere, vbi cunctis vnum vinum, vnus calix exponitur hauriendus, ſante Domino: *Bibite ex eo omnes.* Cum tamen in conuiuio Aſſueri alia omnia minus eſſent ſobriè ac prudenter inducta: illud tamen laude dignum, & magis conuiuarum geniis opportunum, quod calicem nemo hauriebat inuitus, nec quantum alteri colliberet, à quo eſſet ad bibendum prouocatus. Rex enim ſingulos de Principibus ſuis menſis ſingulis præpoſuerat, vt vnuſquiſque ex inuitatis ſumeret, quod ipſe vellet, non quod vellent qui aſſolent ad bibendum prouocare. * Reprehenduntur hinc prouocationes ad bibendum, imò & certamina, quæ recuſare inurbanum putatur, ac ruſticum, quæque vetuit Ageſilaus cum eſſet Rex, id eſt, moderator in conuiuium deſignatus, Vini diſpenſatori præcepit, vt tantum vini miſceret conuiuis, quantum ipſi peterent.] Eſt (proh pudor) noſtro ſæculo alius cogendi modus, cui nemo poſſit, (prauæ conſuetudinis ex abuſu) non obtemperare, cum Principum aut amicorum vita aut ſalus interponitur: *A la ſalut, &c.* In quam conſuetudinem ingenuis ſanè, ac piis hominibus indignam duo clariſſima Eccleſiæ lumina Ambroſius, & Auguſtinus acriter inuehuntur, hîc ſer. 231. de temp. ille lib. de Elia & ieiun. c. 17. Quorum ſententias de more prætermitto à te perlegendas. Prudenter igitur Aſſuerus menſis præpoſuit Principes, qui prohiberent huiuſmodi ad bibendum inuitationes.

3. Vaſthi Regina aduocata à Rege, vt pulchritudinem ſuam conuiuis oſtentaret, noluit obedire iratus Rex aduocat conſiliarios. Laudabiliter fœmina non obeunt virorũ conuiuia.

Verſ. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Vaſthi quoque, &c.] Cum autém vſitatum eſſet Perſicis aliiſque Prouinciis, vt fœminæ virorum conuiuia non obirent: Regina Vaſthi fœmineo conuentui ſeorſum à viris conuiuium inſtituit. * Laudabilis quidem mos, quem coluerunt Hebræi, vt docet conuiuium natalitium Herodis, in quo non eodem, quo Herodes loco, fœminarum apparatur epulum: alioquin non toties puella ſaltatricula ab Herode ad matrem, & à matre rurſum rediret ad Herodem.] Quænam fuerit illa Vaſthi? Nihil certum. Chaldaica paraphraſis, quæ in Bibliotheca Complutenſi manu ſcripta ſeruatur, illam filiam eſſe dicit Nabuchodonoſoris filij eius, qui Danielem purpurâ induit. Suſpicatur Serarius, ſororem fuiſſe ipſiuſmet Aſſueri Regis, ex Perſarum conſuetudine, qua cum ſororibus nuptiæ permittebantur, vt in Cambiſe oſtendit Curius lib. 8. * Idem ſuſpicor, cum video tam leui piaculo fuiſſe à throno Regio deturbatam, quàm repulſam paſſam eſſe Vaſthi credideritm, non ex quo capite erat coniux, ſed ex quo ſoror aſpectabatur. Inter conſanguineos enim facilius odium excitatur: & ad auertendum animum vnius ab altero grauis occaſio ac culpa eſt, eſſe propinquum.] Cum ergo Regina Vaſthi apud aulam, in qua Aſſuerus manere conſueuerat, fœminis nobilioribus conuiuium inſtrueret: & die vltimo huiuſce conuiuij ſeptemdiani eſſet Rex hilarior, & poſt nimiam potationem mero incaluiſſet: præcepit ſeptem eunuchis Maumano, Bezarthæ, Harbonæ, Bagathæ, Abgathæ, Zetharo, ac Chachaſo, qui in conſpectu eius miniſtrabant immediatius reliquis aulicis: vt ex nomine Regis Reginam Vaſthi aduocarent, & è palatio, vbi aderat cum fœminis conuiuantibus, ad ortum adducerent diademate redimitam Regio, vt Principibus ac reliquis adſtantibus ſuam pulchritudinem oſtentaret. * Ebrietatis Rex hilaris validum documentum exhibuit. Quis enim ſanæ mentis propriam coniugem pulchram hilaribus aſpectandam exponat? * Haud ſanæ mentis eſt maritus qui venuſtam vxorem non dico inbet, ſed permittit ad cœtum virorum aduentare, vbi viri vino hilares commorantur.] *. Imò & qui non vocatam vxorem ad viros inuiſentes adducit aſpectandam. Quia & ſi inibi meri non offerantur calices, fœminæ pulchritudo menti aſpectantis efficacius merum aſſolet propinare.] Vt verò cauſam reddat textus, cur Rex in publicum conuiuarum cœtum iuſſit Vaſthi Reginam adduci, addit: *Erat enim pulchra nimis.* Quam quidem cauſam cordatus maritus haberet, vt curaret eam amplius recludi. * Vti enim conuiuium geſſit Vaſthi in palatio non in nemore, vt pudor & modeſtia muliebris poſtulabat: ſic doceret pulchram fœminam ab oculis virorum auerti, eo ſolum, quod pulchra eſt.] Acceſſere ſeptem illi Eunuchi ad aulam, monuere Reginam Aſſueri imperium, cui renuit obedire. Aliqui Vaſthi accuſant, quaſi parum obſequentem Regio coniugi, à quo ipſa & dona plurima, & Regiam dignitatem acceperat. * Nihil enim ingratitudine deterius, & qui plura beneficia accepit, plus debet obedientiæ præſtare.] Alij ab omni ſcelere defendunt, & à pudore, & honeſtate commendant. Quaſi eo loco & tempore parére non debuerit, neque ſubire talem ignominiam, qualis in eo rerum articulo proponebatur. Certè vxores ac filiæ & pudicum fœminarum genus in Perſarum conuiuia non inducebantur; ſed ſub conuiuij finem, cum iam conuiuæ temulenti pudorem exuiſſent, & æſtuantes vino inflammata luxurie ſuccenderentur: inducebantur concubinæ ac pellices, & inuerecundæ frontis mulierculæ quiduis pati, aut agere paratæ, ſi Plutarcho credendum lib. 1. Symp. c. 1. Renuit igitur iuſtè Vaſthi inter perfricti frontis fœminas computari. * Quidquid enim meretricium olet, minimè à Regiæ dignitatis honore defenditur.] * Eam quidem commen-

Ex ſuperfluis ſumptibus prædinites ad extremam adducuntur inopiam.

In conuiuio Euchariſtico vinum Regio omnes potantur.

Prouocationes ad bibendum turpes.

Bibere prouocatum pro aliorum ſalute parum pium.

Facilius inter propinquos odium excitatur.

Non eſt ſanæ mentis maritus, qui coniugem venuſtam permittit adeſſe, vbi viri hilares vino morantur.

Taxatur maritus, qui ad viros inuiſentes non vocatam facit prodire vxorem.

Fœminam decet recluſio, vel ſolummodò, quia pulchra eſt.

Qui plura beneficia accepit, plus debet obedientiæ præſtare.

Non defenditur ex Regiæ dignitate in fœmina, quid quid ſubolet meretricium.

dabilem reor, quia patére maluit pudori suo, & patriæ consuetudini, quàm Regi temulento, à quo tunc prudentia aberat, quod perindè esset atque parére vino. Cum Philippus (scriptore Plutar. in Apohtegm. Phil.) dormitans, ac parum attentus condemnaret innocentem, & ille prouocasset: & subitatus Philippus rogasset, quem putaret superiorem, ad quem esset illa prouocatio: respondit: Te ipsum ô Rex, vigilantem & attentum compello. Et reuera Philippus alter erat à se ipso dormiente.] * Sic puto Assuerus ebrius erat alter à se ipso sobrio: atque ita Vasthi non detrectauit Assueri Regis imperium, quia neque tunc Assuerus erat, quia ebrius: neque Rex cum vino potentiori domino paréret. Vnde cum temulento marito iniqua præcipienti vxor prudens obedire detrectat, inobedientiæ rea non est, quia nec tunc præcipiens est maritus, nec homo; sed alter, aut truncus aut loquens sine rationis dictamine pśittacus.] * Chaldaicæ paraphrasis non prætereat sine pondere additio. Asserit Reginam Vasthi vsque adeò in Hebræas ancillas fuisse crudelem, vt coëgerit, illas nudas obire dura & indecora ministeria, neque ab his operibus cessare in die septimo; id est, in die Sabbathi. Quare Deus huic inclementiæ debitum attéperauit, accommodatúmq; supplicium. Nam septimo die in quo stamina torquere, & lino ac lanæ operam dare cogebantur Hebrææ, ipsa vocata est ad ferale conuiuium, in quo de Regio solio ignominiosè deturbata est. Deinde quia ab Hebræis fœminis ignominiosè nudis ancillare illa exigebat obsequium: ipsam quoque nudam apparere Assuerus imperauit. Deum quodammodò nostris flagitiis edocemus, quonammodò in nos vindex verbera infligat.] Tulit autem grauiter Rex pertinax vxoris ingenium, ac liberum responsum: & quid fieri oporteret retulit ad consiliarios, qui ab illo nusquam aberant. Eorum autem, qui *primi* seu præcipui, & proximiores Regi erant, nomina hæc: Charsena, Sethar, Admatha, Tharsis, Mares, Marsăna, & Mamuchan. Hi septem erant Persarum Duces continuò hærentes Regi, & primi post eum *residere soliti*, tanquam vicarij. Præcipui itaque in ea consultatione numero erant septem, qui Persicarum legum erant periti, & maiorum annales volutarant sedulò, & quid maiorum ferret consuetudo probè nouerant. Hos rogitauit Rex, cuinam sententiæ Regina Vasthi subiacere deberet, quæ renuisset Assueri Regis imperium, quod eunuchorum ex ore indixerat, exequi? Quid responderent mero immersi, nisi quod eis meri iura dictarent? Commendabilis procul dubio Rex Assuerus ex illa particula: *Interrogauit sapientes, qui ex more Regio semper ei aderant, & eorum faciebat cuncta consilio.* * Rex enim ne errandi periculo subiaceat, debet cuncta ex consilio doctiorum exerere.] * Taxabilis verò, ex illa: *Iratus Rex & nimio furore succensus, interrogauit sapientes, &c.* Non debet Rex se ostendere Consiliariis iratum, sed quemcumque ad parcendum, aut vindicandum debet dissimulare affectum, ne cogat Consiliarios eiusmodi affectui morem gerere, adulatorio iudicio.] * Præterea deberet differre quæstionem. Consilia enim eorum, qui nimium indulsere vino, ab hoc non à legibus accipiuntur.]

Temulentus alter est à se ipso.

Coniux viro ebrio non obediens non detrectat, eius imperiū, quia vir tunc non est, sed loquēs sine rationis dictamine pśittacus.

Quodammodò Deum docent peccatores, quonammodò in eos vindex verbera infligat.

Rex cuncta gerat ex doctiorum consilio.

Non debet Rex se consiliarijs ostendere ad eam rem, de qua consilium requirit affectum.

Requirendum consilium à consiliarijs sobrietate affectis.

Vers. 16.17.18.19.20.21.22. *Respondit, &c.*] 4. Vnus ex omnibus respondit Mamuchan, cuius sententiæ assensere reliqui, neque Regi displicuit; cuius hæc erat summa, oportere liberam illam Reginæ repulsam, & responsum obstinatum, & imprudens, aliquo supplicio mulctari, quod à simili audacia aliarum vxorum libertatem, ac licentiam coërceat. Quid enim (inquit) non audebunt vulgarium coniugum vxores imperiosæ, si Regis vxor in omnium conspectu tam audacter & liberè indicta sibi mandata contemnat. Quare nisi supplicij metus, & sumptum de Regina supplicium illas in officio contineat, peribit omnis œconomiæ ratio, & quod antiquum damnat prouerbium *Currus boues trahet*, & omnia ordine fient peruerso: cum neque in vxore sit animus ad obsequendum promptus, neque in viris ad imperandum libertas, neque ad cogendum audacia. * Et quidem si rea fuisset inobedientiæ Regina, graui fuisset agnata correptioni. Tùm quia ex Reginæ actionibus subditæ coniuges ediscerent, maritorum imperia contemnere. Efficax enim admodum Regis exemplum.] * Tum quia ex inobedientia vxoris quæ deber viro esse subiecta totius verè œconomiæ disciplina corruit.] * O quàm facilè Regis vel leuiter insinuata voluntas aliorum ad se sententias, & iudicia trahit. Id tandem Consiliarij decernunt, quod magis esse vident ad Principis palatum.] Viderat Mamucham, iratum esse Regem in vxorem, & illi saltem in eo furoris æstu fore non ingratam quamcumque de Reginæ damnatione sententiam: & ideò audacter suam sententiam profert non rogatus: quia Rex non rogauit, quid ille sentiret, sed quid esset à lege constitutum; id enim valet: *Cui sententiæ Vasthi Regina subiaceret.* * Hoc Principum familiare malum, vt nunquam verum: neque quid deceat, ac liceat, sed quid libeat ab assentatoribus audiant.] Igitur quid in rem Persicam pararetur incommodi, si Vasthi scelus maneret impunitum, explicuit Mamucham. Nunc ex suo capite non ex lege supplicium decernit. De nomine, inquit, ac statu Regio Vasthi depellatur, & eius loco altera succedat, eo nomine ac maiestate dignior: idque ita Regio decreto confirmetur, vt neque à Rege ipso resignari, aut reuocari possit. Oportet simul sanciri, ne vxor mariti recuset imperium, sed illi deferat honorem, superiorem agnoscat, & ex illius arbitratu, atque præscripto viuat: idque per omnes Prouincias, quæ Persico subiiciuntur Imperio euulgari. * Meliori hoc edicto, nempe Dei legis præscriptione indictum est, nec tamen sufficit vt vxores iustis mariti præceptis subiiciantur.] Annon hoc ex capite Gentilibus coniugibus deteriores, siquidem ad earum submissionem marito exhibendam sufficere videbatur Assueri edictum, & ad harum obedientiam adstruendam tot diuina præscripta non sufficiunt?] Illud preme: *Egrediatur edictum, & scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præterire illicitum est.* In Persica Republica legitimum erat, vt nec Rex ipse suum decretum posset reuocare. Barbarum hoc, cum sapientis sit mutare consilium. Sed tamen alio ex capite commendabile; dedecet enim Reges facilè sua decreta, aut edicta, (vulgò *Proinaticas*) resignare.

Reginæ Vasthi reprobatio.

Exempla Regum subditis æmulantur.

Ex inobedientia vxoris corruit tota œconomiæ disciplina.

Regis vel leuiter insinuata voluntas Consiliariorū ad se sententias trahit.

Principum hoc familiare malum, vt nūquam audiant, quod verum est, quod liceat, sed quod libet.

Diuino edicto de subiectione maritis præstanda, vxores non parent, Gentilibus fœminis hoc ex capite deteriores.

Dedecet Reges, facilè sua decreta resignare.

reſiguare. Hodie feruntur, die craſtina abolentur.] * Arguitne hoc haud maturum Conſiliatiorum iudicium? Certè plerumque arguit non Principis inconſtantiam, non Conſiliatiorum inſipientiam, aut imprudentiam; ſed ipſarum miſerum ac varium rerum ſtatum, qui cogit mentibus non, ſed calamis ejuſmodi influere varietatem.] Placuit Regi Mamuchæ ſententia, Principes approbarunt, & è veſtigio, cum adhuc duraret indignationis acerbitas prudentibus inimica conſiliis, imò & vini æſtus, qui omnem etiam à ſapientibus prudentiam expectarat, editum eſt decretum, ac per omnes Prouincias diuulgari iuſſum. *Diuerſis* verò *linguis, & literis* fuit expreſſum ob immenſam Perſicæ ditionis amplitudinem, in qua plurimæ ſunt linguæ, ac diuerſæ literarum formæ ab Indo videlicet vſque ad Æthyopiam, in quo tractu varias eſſe linguas oportet. Chaldaica paraphraſis hunc Mamuchæ putauit eſſe Haman, neſcio quo fundamento. * At ſi Haman fuit ille magnus Regis miniſter, vel amicus, quod vulgariter dixeris, *El Valido*, & annotaueris, ipſum non rogatum ſuam expreſſiſſe ſententiam, primum fuiſſe locutum, cunctos conſiliarios ſeſe eius iudicio, ſeu ſententiæ accommodaſſe: colliges euidenter, primarium aulicum eſſe, cui omnia ſubmittuntur.] Quodnam Vaſthi ſupplicium? Exauthorata fuit, & à Regia maieſtate ac thalamo deiecta. Quod factum fuiſſe in conuiuali tempore, ac loco ſatis eſt probabile, vt qui teſtes fuerant Reginæ pertinacis iudicij iidem etiam indicti ſupplicij teſtes exiſterent. * ſi renitentia Vaſthi publica digna ſupplicio eſſet, laudarem & feſtinationem pœnæ & publicam eius inflictionem. At aliorum exemplum valet ſupplicij publicatio, & feſtina inflictio magis retrahit alios à ſimilis delicti perpetratione.] Chaldaica illa paraphraſis dicit Vaſthi capitali ſupplicio fuiſſe multatam, quod non facilè credam. * At omninò indubitatum, lugubrem illum ſucceſſum oſtendere, nihil eſſe ab omni parte fortunatum, & ſemper humanis gaudiis ac deliciis aliquid felliſ admiſceri. Quàm verum illud Prou. 14. 13. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.]

Sæpè eiuſmodi varietas nũ arguit inconſtantiam Principis reuocantis decreta, ſed reuocantis decreta, ſed rerum cogentiũ varietatem.

Supplicium delicti publici non aſſequatur, & publicè oportet id infligi.

Nihil eſt hic omni ex parte fortunatum.

Primarius aulicus, ſeu el Valido cũcta gerit in Regno.

CAPVT II.

Eſther Vaſthi Reginæ repudiatæ ſurrogatur in locum. Eius opera Mardochæus Regi Aſſuero indicat inſidias, quæ à duobus palatij miniſtris Regio capiti ſtruebantur. Miniſtri meritam aguntur in crucem & Mardochæi factum annales refertur in Regios.

1. His ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet: 2. dixeruntque pueri regis, ac miniſtri eius: 3. Quærantur regi puellæ virgines ac ſpecioſæ, & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum feminarum ſub manu Egei eunuchi, qui eſt præpoſitus & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vſus neceſſaria. 4. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi. Placuit ſermo regi: & ita, vt ſuggeſſerant, iuſſit fieri. 5. Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini, 6. qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat: 7. qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis & decora facie. Mortuiſque patre eius ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam. 8. Cúmque percrebuiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur eunucho: Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero feminarum. 9. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit, eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & eam ipſam quàm pediſſequas eius ornaret atque excoleret. 10 Quæ noluit indicare ei populum & patriam ſuam: Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret: 11. qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret. 12. Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita

duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vterentur. 13. Ingredientésque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vt eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant. 14. Et quæ intrauerat vespere, egrediebatur manè, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem vltrà redeundi, nisi voluisset rex, & eam venire iussisset ex nomine. 15. Euoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. 16. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni eius. 17. Et adamauit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuítque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecítque eam regnare in loco Vasthi. 18. Et iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & seruis suis, pro coniunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem vniuersis prouinciis; ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. 19. Cúmque secundò quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis: 20. necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat, obseruabat Esther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat. 21. Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerúntque insurgere in regem, & occidere eum. 22. Quod Mardochæum non latuit, statímque nunciauit reginæ Esther, & illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. 23. Quæsitum est, & inuentum: & appensus est vterque eorum in patibulo. Mandatúmque est historiis, & annalibus traditum coram rege.

COMMENTARII.

1. Immittuntur ab Assuero, qui virginem quærant pro Vasthi Regno donandam.

VERS. 1.2.3.4. *His itaque, &c.*] Deferbuit offensionis, imò & ebrietatis æstus, cui dum intemperanter obsequutus est, seque nimium facilem & credulum Cõsiliarij præbuit, in vxorem animaduertit inclementer, & cœpit suum damnare consilium; sed serò & frustrà. Quia ne sententiam reuocaret, obstabat irreuocabile Persarum decretum, quo ipsa iam passa erat damnationem, & iussa exulare. Recordatus est igitur Rex, *quæ fecisset Vasthi, & quæ passa esset*, id est, veniabile fuisse factum, imò aliquo ex capite commendabile: ob quod inclementem, & iniustam subiisset sententiam. Addit Chaldai caparaphasis exilio Vasthi sic animum Regis pacati affectum fuisse animum, vt eos qui illius consilij auctores fuerant, in crucem egisset. * Capitali supplicio addicendi essent Consiliarij, qui adulationis nube curant Regibus veritatis suffundere fulgorem.] Doluerunt aulici, ac ministri Regij, conuiuium illud splendidum tam tragicum exitum excepisse: & speciali iure, cum viderunt Regium animum vsque adeò mœstum, atque perculsum, dum Vasthi Reginæ, cui ille dudum assueuerat, historiæ recordatur. Quare vt nouo amore veterem deponat Assuerus, seu *clauum clauo pellat*, vt ait D. Hieronymus ad Rusticum. Statuunt, adolescentulam quæri oportere ex omnibus Prouinciis, cuius species Regem exhilaret, & prædetur animum: & ex eo inustam prius Vasthi iam mortuæ, aut exulis exurat imaginem. * *Iam mortuæ* consultò dixi, qui Chaldaico paraphrasi fidem non adhibeo asserenti, capitali supplicio fuisse addictam. Quia licet viuens daretur exilio, exitialis est procul dubio morbus fœminæ illustri, videre se à viro despectam.] Placuit Regi consilium, quare dimissi sunt per omnes Prouincias legati, quorum non putabatur leue de formarum venustate iudicium, qui puellam quærant, cuius facies digna sit Imperio, & Regio thalamo, è quo proximè Regina ceciderat. Verùm non vnica adducenda puella, sed multæ, ex quibus vna erat eligenda. Quæ perlatæ ad Vrbem Susan, abderentur in Gynecæum, vbi vxores Regiæ morabantur sub Egei Eunuchi seuera custodia, cui à Rege tradita fuerat cura fœminarum, quæ ad Regis familiarem vsum nutriebantur. E cuius Custodis, seu Præpositi manu acceptæ erant *mundum muliebrem*, id est, fœmineum ornatum, & ea omnia, quæ ad colendam formam facere viderentur. Aptè quidem muliebris ornatus mundi nomen acquirit. Nam si adducantur ad numerum cuncta, quæ ad fœminæ ornatum & formæ cultum attinent, inibi omnia videris terrestria contineri creata.] * Expende quæso illa aulicorum verba: *Mittantur, qui considerent per vniuersas Prouincias puellas speciosas, & virgines.* Quæriturne vxor, aut scortum? Vxor equidem. Igitur imprudenter ad vxorem sola requiritur speciei venustas, quæ deperit citò; animi aptiùs

Capitali supplicio addicendi Consiliarij, qui adulationis nube Regi veritatis fulgorem effundant.

Nobilis fœminæ exitialis est morbus, à viro despici.

Ad coniugem requirendam non censetur sola pulchritudo, sed prudentia, sed reliquæ virtutes.

aptiùs pulchritudo id eſt prudentia, modeſtia, reliquæque virtutes quærantur in coniuge? Plures videris vxores ex prudentia, quàm ex pulchritudine marito placuiſſe.] * Facilè illi qui immittendi erant ad miniſterium illud, poſſent eligere puellas venuſtas, quonammodo *virgines* quirent adducere? Num eſſent interrogandæ? Minimè, nec enim veritatem mendax animans aperiret. Certè ex modeſtia agnata virginitati, nuncij facilè inuenirent certum ferè aſſeruati pudoris documentum.] Profectò ab Egeo Eunuchus puellis illis, quas cuſtodiebat, cuncta exhibere ad victum neceſſaria iubebatur. Poſt traditas ergo Cuſtodi puellas quæcumque ex cunctis Regi placuerit, hæc (inquiunt illi) locum Vaſthi fœlix obtineat.

Agnata eſt modeſtia virginitati.

2. *Verſ.* 5.6.7.8.9.10.11. *Erat vir, &c.*] Aderat apud Suſan vir Iudæus Mardochæus nomine Filius Iair, filij Semei, filij Cis, proaui ſcilicet Mardochæi, qui quidem ex Tribus Beniamin ſuum genus deriuauit. *Iemini* enim idem eſt, qui Beniamin. Hic tranſlatus fuerat de Ieroſolyma eo tempore quo Nabuchodonoſor Rex Babylonis Iechoniam Regem Iuda tranſtulerat. Sed quonammodò Mardochæus cum Iechonia ſimul abduci in Babyloniam potuerit, cum ab eo tempore ad Aſſueri Longimani, in quo ille floruit, centum ſexaginta plus minúſve interceſſerint anni, iuxta varias computationes? An quia illa particula, *Qui tranſlatus eſt*, non eſt referenda ad Mardochæum, ſed ad Cis eius proauum, ita vt Cis, aut aliquis alius ex commemoratis in Mardochæi proſapia fuerit cum Iechonia tranſlatus? Ita Rupertus, Burgenſis, & Serarius. Ex quorum ſententia Mardochæus tranſlatus eſt, non in ſe, ſed in proauo: & tamen verè dicitur eſſe tranſlatum.

De Mardochæo & Eſter nonnulla præmitto.

* Quia parentes & filij quaſi eadem decoran-tur eſſentia.] Hoc ſi probari poſſet, magno me labore releuaret, cum tempore, quo floruiſſe dicitur, non admodum eſſet ætate Mardochæus affecta. Sed repugnat apertè alius ille locus Cap. 11.2. *Vidit ſomnium Mardochæus filius Saïri filij Semei, filij Cis de Tribu Beniamin homo Iudæus, qui habitabat in Vrbe Suſis, vir magnus, & inter primos aulæ Regiæ. Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor Rex Babylonis de Ieruſalem cum Iechonia Rege Iuda.* Negare non poſſum, grandiorem eſſe ætatem Mardochæi, quàm ferret ætas illa. Sed quis prohibet, quin Mardochæo contigerit, quod ſub illud tempus & noſtro æuo conſecuti ſunt alij. Annon Plinius l. 7. c. 48. multa adducit exempla eorum, qui ætatem Mardochæi exceſſerunt, & ducentos, trecentoſque impleuerunt annos, quorum plerique noſtro æuo propiores extitere? Maior videri poteſt dubitandi ratio: cum Eſtherem puellam eſſe audiamus, aut ſaltem in ea ætate, in qua non defloruiſſet formæ venuſtas, quæ tamen filia eſſe traditur fratris Mardochæi. Sed fieri potuit, vt Mardochæi pater Iair florente ætate cum Mardochæo paruulo tranſlatus fuerit in Babylonem, & ibi iam ætate grauis puta ſeptuagenarius, aut octogenarius genuerit Abihail fratrem Mardochæi, & Eſtheris patrem, qui etiam ætate grandæua ſuſcepit Eſtherem, quæ ſub Aſſuero ætatem habere florentem, aut etiam puellarem. Sed cur Mardochæus Beniaminita, *Iudæus* appellatur, quod nomen in illos tantum conuenit, qui ſunt è Tribu Iuda? Certè quia poſt exilium omnes Tribus ex ſua gente vnum ſolummodò caput habuerunt ex Tribu Iuda, vt prædixerat Oſeas c. 1. 11. *Congregabuntur filij Iuda & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum.* Neque ſanè aliarum Tribuum nomen auditur poſt exilium niſi admodum rarò, Iudæorum ſæpe, cum de gente Iſraëlitide ſermo eſt. Mardochæus ergo nutritius fuit Eſther, ortæ quidem è Tribu Beniaminia. Pater vocitabatur Abihail, qui frater erat Mardochæi, Hanc vtroque orbatam parente patruus ſibi adoptauit in filiam, quam non minore ſtudio atque indulgentia amplexus eſt, quàm ſi ab illo ſuſcepta fuiſſet, ſeptuaginta legunt enutritam à Mardochæo fratris ſui filiam, vt ſuo tempore haberet vxorem. Sed vtrum hoc deſumptum fuerit, non video. Neque eius erat ætatis Mardochæus vtpotè ſupra centenarium vt puellam duceret: quod ſi facere ſtatuiſſet, feciſſet iam ante, cum nubilis eſſet. Indecorum planè ſenem affectæ ætatis nuptias ambire.] * Et planius ſtultum ducere puellam.] *Mardochæus* idem eſt, ac Amara contritio, vel *Myrrha contrita.* Eſther priuſquam adducta fuiſſet ad Regium coniugium, appellabatur *Ediſſa.* Poſtquam verò adſcita fuit in thronum Regium, vocata eſt *Eſther*, quod vocabulum Perſica lingua idem eſt, ac *ſtella. Ediſſa* autem Hebraicè eſt *Myrtea* ob nimiam pulchritudinem. * Cuſtos ergo huiuſce pulchritudinis erat *Amara contritio*, aut *Myrrha contrita*, nihil enim magis amaritudinibus obnozium, quàm pulchritudinis eſſe cuſtodem. Qui filiam cuſtodit pulchram, exiſtimet, munus habere amaritudine plenum. Annon continuæ ſuſpiciones, vigiliæ, aſſiſtentia cuſtodis munus reddant amarum?] Ego autem exiſtimo Eſther antequàm Regium duceretur ad thronum duplici eſſe affectam nomine. A parentibus vocabatur *Eſther*; à vulgo verò *Ediſſa* ſæpe enim fœminæ ab admirabundo populo propter egregiam formam cognomentum accipiunt. Sic Ioachimi vxor, quæ aliter à parentibus nominata fuerat, à vulgo ob eximiam pulchritudinem vocitatam fuiſſe *Suſannam*, quæ idem valet, quod *lilium.* Habuit Abſalon filiam vnicam, quam appellauit matris ſuæ nomine *Moacha*; ſed hanc appellatam eſſe *Thamar* conſtat ex 2. Reg. 14. 27. à *palma.* Eſther ergo à vulgo vocata eſt *Ediſſa*, id eſt Myrtus, quæ planta ſpecioſiſſima eſt, quaſi idem haberet cognomentum, quo Venus, quæ à profanis *Myrtea* appellatur. Hinc iam video, vndenam Mariæ Deiparæ tot à Patribus, à fidelibus fuiſſe nomina excogitata. Tot ſunt Mariæ dotes, vt vix poſſint vel innumerabilibus explicari nominibus, Stella, Sole, Luna, Roſa, Platano, Aurora, &c.] Cum verò Regis libido nihil remitteret de ſeueritate mandati, & latè illud Prouincias omnes peruaderet: vndecumque præſtanti forma puellæ Suſianem ducebantur in aulam, & Egeo eunucho illarum Præfecto atque cuſtodi tradebantur. In harum numero fuit Eſther, quæ cum omnium maximè Egeo placeret: illius commoditati maximè ac dignitati conſultum eſſe voluit. Vnde alij inferiori eunucho ſibi ſubdito, cui peculiaris incumbebat cura ſeruiendi Eſtheri, afferri iuſſit, quæ magis amant elegantes fœminæ, quæque in mun-

Parentes & filij quaſi eadem eſſentia decorantur.

Indecorum eſt, ſenem nuptias ambire.

Stultum eſt, ſenem affectæ ætatis, ducere puellam.

Nihil amarius, quàm puellam pulchram cuſtodire.

Tot ſunt Mariæ Deiparæ dotes, vt vix poſſint innumeris exponi nominibus.

do

do muliebri annumerantur, & reliqua, quæ ex Regis præscripto ad vsum & delicias habuere reliquæ, insuper septem puellas insigni specie, quibus abundè de ornatu, instructuque muliebri prouideri imperauit. Iosephus l. 9. Antiq. c. 6. quadringẽtas adductas fuisse ex tot Prouinciis virgines adductas. Vndè id didicerit non vidi. * Hoc autẽ scio, ad tot Prouincias Regios nuncios immissos vt pulchertimæ virgines adducerentur, è quibus vnica Regis sumeretur sponsa. Annon id in Deiparentis typum? Certè *Adducentur Regi virgines post eam*, vti Dauid cecinit, & de cunctis ætatibus, Populis, Regnis omnes virgines Deo Regi sistuntur, vt vna Maria Esther veraci aptetur sponsa, cui reliquæ virgines cæteræ purissimæ submitterentur creaturæ.] Crediderim, Estherem ab immundis cibis, qui Hebræis lege veriti erant, tam antè, quàm post nuptias Regias abstinuisse exemplo trium illorum adolescentum, de quibus Dan. 1. Et facile erat delicatæ puellæ apud famulos sui amantissimos prætexere, se his, aut illis ferculis non oblectari. * Nunquam ei, qui ex speciali deuotionis affectu aliquid vult ad Dei obsequium gerere perdifficile, defuit arbitrium, diuinus enim amor omnia facilia reddit.] Porrò Esther noluit Egeo indicare *populum, aut patriam.* Non est hoc accipiendum quasi interroganti Egeo patriam suam aperire nolnerit; sed significatur, eam de sua patria aut gente nihil dixisse, sicut nec rogata fuerat. Vnde alij ex Hebræo. *Porrò Esther non indicabat populum suum, & natale solum suum.* Non rogabatur autem, quia cum Susis, vt videbatur, esset nata, & educata, omnes eam Susianam & Persidem esse existimabant. Prudens enim Mardochæus præceperat ei, vt de hac re omninò reticeret. Ne scilicet vilior appareret vt seruili genere nata; vel ne genti suæ inuidiam conflares apud Persas, & Medos. * Dùm enim ad augustum gradum euehitur, qui prius versabatur in humili, vix poterit consistere, si eius fœlicitas inuidos excitauit, queis agnatum moliri insidias, vt possint fœlicem deturbare.] Vel diuina id gessit Mardochæus inspiratione, vt Dei in Hebræos prouidentia magis ex inspera-to exoneretur. * Non desperent afflicti fideles, repente eis assolet fulgurare fœlicitas.] In hoc profectò Esther non minus patruo Mardochæo obsequens fuit, cum excelsum locum obtineret, quàm cum illius subesset disciplinæ & ancillarẽ propè conditionem subiret. Neque bonus patruus, & amore ac studio plusquam pater curam deposuit alumnæ suæ, charæque clientulæ; nam quotidiè oberrabat ante fores illius domus, vbi Regiæ puellæ, & electæ asseruabantur virgines: déque illius salute ac statu assiduè scisciabatur. An Mardochæus erat tam assiduus ad Gynecæi fores Estheris gratia: vel certè, quia id exigebat aulicum aliquod ministerium, quod tunc obiret, & illam requireret assiduitatem? Hoc posterius probabilius existimo. Nam quod fuerit ex aulicorum numero non leuia indicant documenta. Primum, quia antequam adoptiua filia ad Regiam domum esset deducta, iam ille inter aulæ Regiæ ministros numerabatur, anno scilicet secundo Regni Assueri, de quo Cap. 11. 2. Deinde quia claris erat ortus natalibus, & ea laude commendatus apud suos; cuius rei argumentum est, quia cum Iechonia adducti fuere Babylonem viri Principes Ciuitatis, qui Regi aderant, quique cum illo rem administrabant publicam, quod munus licet non obiret eo tempore Mardochæus puerulus; tamen illius pater, qui Princeps erat, aut Ciuitatis Iudex obibat. Neque obstat, quod esset captiuus, nam & Reges alij è captiuorum numero elegerunt viros prudentes & probos, quorum opera ad res maximas, ac intimas vterentur. Annon Nabuchodonosor quatuor adolescentes in aulam adsciuit, illisque res commisit graues, & publicas? Dan. 1. Annon Salmanassar captiuum Tobiam, quem esse virum bonum audierat, ad suam gratiam ac beneuolentiam admisit, & aulicum commisit munus non vltimum? Tob. 1. * Nec enim hominum pensandus vilis aut augustus status. Sed qualibet in fortuna sola æstimanda virtus.]

Maria Deipara ex cunctis ætatibus electa, vtpote quæ si melioris Assueri sponsa.

Nunquam defuit arbitrium amanti, vt difficilia quæque in Dei obsequiũ facilè præstaret.

Vix potest quis fœlix cõsistere, si eius fœlicitas inuidiam excitauit.

Afflictis instar repẽtè assolet fœlicitas fulgurare.

Qualibet in fortuna aduersa, aut prospera sola æstimãda est hominis virtus.

Verſ. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Cum autem, &c.*] Profectò hæ virgines, quæ sub custodia Egei Eunuchi morabantur, non prius ad Regium deducebantur cubile, quàm exactus iam esset mensis duodecimus. Annus enim integer consumebatur in eo habitu & specie comparandis, quæ illas excolerent, dignasque redderent Regio conspectu, ac thalamo. * En sacri Gynæcæi, seu Monasterij virginum imaginem, vbi annus integer consumitur, dum animi pulchritudini perficiendæ student, vt professionis die cœlestis sponsi thalamo fruantur.] Certè præterquàm quod mundum accepissent muliebrem, v. gr. torques, armillas, inaures, specula, tyaras, & cætera, ad cultum corporis necessaria, quæque extrinsecùs adhibentur, ac extremam conciliant pulchritudinem: sex prioribus mensibus internæ vacabant pulchritudini, & vnguento sese illinebant myrrhino, alij sex vario vtebantur medicamento & fuco. Porrò oleum illud, illa vnguenta, pigmenta, aromata adhibebantur ad emundationem ab omni fœtore, qui quidem fœminis in aliquibus præcipuè Nationibus assolet esse agnatus. * Certè ad innatum defectum abolendum vnica inunctio non sufficit, vix assiduum anni integri inungendi studium omninò expellit fœditatem. Quid ad animi defectum agnatum, siue vitium habituale ablegandum? Vix anni vnius sufficiet examinis conscientiæ particularis, Sacramentorum vsus & exercitamenta.] Vbi iam virgines satis se ab inolita seu naturali immunditia purgauerant, cum ad Regem essent primùm ingressuræ, postulabant à Præfecto, quidquid placeret ornamentorum; neque aliquid ex Regis præscripto negare poterat: *Quidquid postulassent ad ornamentum pertinens, accipiebant.* * Proh fœminarum ingenium! Petere, & quod petunt, accipere, est prima, proxima, & necessaria, vt subsint virorum placito, præparatio.] Ita Regio more compositæ ex suo Gynæceo ad Regium cubile traducebantur: iam omninò aliæ à se ipsis cum alio colore, ac succo, cum odore, atque nitore alio: ita vt statu ac conditione Regiæ proxima naturam quoque mutasse viderentur. * Huiusmodi metamorphosim debent fœminæ fucis. Hi quidem repente exponunt fœminam alteram, sed paulo post ad suam agnatam fœditatem turpius planè redituram.] Porrò ex his, quæ de virginibus ornandis constituit Assuerus, discant viri Religiosi, quanta

3. In locum repudiatæ Vasthi Esther thronum Regium ascendit.

Monasterij Monialiũ in Assueri Gynæceo imago.

Vt vnum agnatum vitiũ pellatur ex animo, vix sufficit vnius anni specialis cura.

Fœminarum ingenium, petere.

Eorum vix fœminam repente reddit alteram, sed mox ad priorem fœditatem turpius redeuntem.

Quomodo vir Religiosus Deo est præparandus.

quanta fieri debeat morum vitæque mutatio, si digne coram Dei conspectu voluerint apparere; deponendus antiquus odor, qui à protoplasti labe posteris inoleuit, & expirandus odor ille, de quo Paulus 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.*] Quæ igitur virgo intrabat vespere Regium thalamum, mane egrediebatur: & ab illo *concubitu*, quo primùm est puellarum libata virginitas, ad secundas ædes illicò illa traducebatur. Nam primæ ædes seu Gynæceum erat quoddam quasi gymnasium, vbi sese virgines ad Regium conspectum comparabant. Vbi autem primum ad Regem accesserant, ex illo eductæ tyrocinio, ad ædes alias traducebantur & alium Præfectum ex Eunuchorum grege habebant Susagazi nomine, cujus custodiæ & curæ subessent. Nec ex eo loco ac tempore ingressuræ ad Regium thalamum erant, nisi vocatæ. Anno itaque peracto, seruato ordine, quem vel tempus præscripserat, vel custodis instituta ratio, aut Regis voluntas: deducta est Esther ad Regium thalamum. At non quæsiuit, non petiit ornamenta, quæ aliæ expetiuêre virgines. *Non quæsiuit muliebrem cultum.*

Mirum, quod fœmina non petat, & quod ornamenta auara non ambiat.

* Mirum quod fœmina non petat, mirum quod ornamentorum plus auara non ambiat!] *Quidquid* Egeo custodi placuit, eo ornamento Esther solummodò vti curauit. Quia honestissima fœmina, & à Mardochæo ad pietatem instituta potius horrebat, quàm amabat Regium thalamum, & sublime nomen. * Rarò videris fœminas ornatui nimio studentes, quæ egregiæ sint castitatis alumnæ.] Neque indigebat fucis, quæ satis habebat à natura quod amorem sibi conciliaret. Quàm planè pigmenta ac fucus odiosa sint, & nauseam magis, quàm amorem excitent: quàm verò grata naturalis species docuere ipsi gentiles, qui fucos, & odores, & alias mulicbres nugas adeò non amant, vt etiam horreant, & illa nauseante fastidiant stomacho. Tullius ad Attic. ideò bene olere dicit mulieres, *si nihil oleant.*] Non igitur voluit Esther ornamenta petere, quæ aliæ ad pelliciendum Regis animum, postulant. *Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, & omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* Non indiget ornamentis affectatis, aut fucis egregia naturalis venustas, ipsa sibi est alliciens ornamentum.] Ducta est itaque Esther ad Assueri thalamum mense decimo, qui vocatur Tebeth, & nostro partim Decembri, partim Ianuario respondet, septimo Regni eius anno. Profectò hæ virgines cum ad Regem venirent, eius fiebant vxores, sed minus principales, vndè concubinæ dicebantur. Non igitur peccauit Esther, sese Assuero adhærendo; licet enim Hebrææ virgini non licebat matrimonio copulari gentili marito: hoc tamen casu licuit, quia speciali Dei dispensatione factum fuit periculum omne auertentis, & ingens inde elicientis electo suo populo commodum. Igitur adeò Assuero placuit Esther, vt illam noluerit habere concubinam, sed primariam vxorem, & Reginam qualis ante fuerat Vasthi. Quam vnam ex omnibus elegit, quia plus in illa quod amaret, inuenit. * Hæc quidem in typo de meliori dictum Esthere Deipara, *benedicta in mulieribus*, sed plus omnibus à diuino sponso dilecta, à quo accepit, vndè plus cunctis deberet amari.] * A melioribus

Rarò fœmina nimio ornatui studens, omninò casta.

Bene olent mulieres, quæ nihil olent.

Pulchritudo naturalis est sibi ornamentum.

Maria plus omnibus accepit à Deo, vnde plus omnibus deberet amari.

Interpretibus didici, omnes illas virgines, imò & Estherem ante quàm Regalem scanderet thronum, ad concubinarum nomen & habitaculum descendisse; quod quidem veræ Esthori non quadrat. Maria enim ex humanæ naturæ Gynæceo progrediens mox cœlesti colligatur sponso & diademate redimitur, nec vnico instanti concubinatum computatur in numero, id est in cœtu omnium filiarum Adami, quæ post purificationem & ornatum Baptismi secundarias vocitantur ad nuptias.] * Sola enim nostra Esther Maria non ambit ornatum, non affectat ex vnguentis aut oleo munditiem. Oritur enim in vtero pulchra, ab originis præseruata labe.]

Maria semper Regina, concubina nunquam cœlestis Assueri.

Sola Maria ornata oritur gratia sola, ab originis labe asseruata.

Vers. 18.19.20.21.22.23. *Et iussit, &c.*] 4.

Ad nuptiarum solemne iussit Rex Assuerus conuiuium permagnificum præparari. Commune enim fuit olim hodieque omnibus nationibus, vt in nuptiis splendidum instituatur conuiuium, quod nuptiale, aut geniale dicitur, In sacris est obuium, vt apparet in connubio Iacob, Sanson, Tobiæ. Cæterùm, quia in nuptiis, diebusque hymenæis, qui festiui sunt, & planè geniales, si vsquam alibi liberales sunt sponsi, plus satis in largiendo profusi ostentantur: hanc consuetudinem omnium maximè seruauit Assuerus, tum quia Regum omnium potentissimus, tum quia ingenio erat liberali. Quare non solum in eos, qui nuptiali interfuere conuiuio, sed in omnes Prouincias, in quibus latè dominabatur, magnificentissimus fuit. Quid dedit Prouinciis. *Dedit requiem vniuersis Prouinciis*, id est, dedit requiem è soluendis tributis. * Nihil enim magis est laboriosum, quàm tributa pendere. Vnde qui tributa non soluit, eo tempore requie potitur.] Hæc autem tributa ad tempus quidem, non in perpetuum laxauit. * Saltem ad tempus tributa communia laxanda essent, vt requie illa, seu tributorum soluendorum intermissione, possent subditi acquirere substantiam, quam in futura vectigalia valerent impendere.] Nec solum se munificum Prouinciis ostendit, sed & aulicis, Proceribus, equitibusque larga munera exposuit. Nam in conuiuiis non solum Regiis, sed vulgaribus vsitatum fuit, vt opere peracto, conuiuæ secum aliquod munus acceptum à conuiuij Domino domum secum afferrent. Qualia verò futura fuerint Assueri peracto nuptiali conuiuio munera conuiuiis exposita ex Regiis opibus liberalitatéque facilè coniicies Reges Persarum Ciuitates copiosas indignissimis dominis concubinis scilicet inuerecundè tradidere, auctore Iulio actio. 5. in Verrem. Quid ergo Assuerus potentissimus non daret dilectissimæ sponsæ respectu? Cùmque *secundò quererentur virgines*, nempe ad insatiabilem Assueri libidinem explendam, *& congregarentur* ad Gynæceum, cuius Præpositus erat Egeus: ignorans Mardochæus, num non ad concubinatum virgines quærerentur, sed vt ex illis Regina posset alteraeligi, si fortè Assuerus pertæsus vellet à se & à throno Estherem ablegare, quemadmodum tam iniustè Vasthi repulerat: * (Luxurioso enim animo agnata est inconstantia.]) *manebat* plus assiduus *ad ianuam* Regis, vt documentum caperet, quid Rex intenderet, quid de Esthere dictitaretur in

Qui tributa non soluit, eo tempore requie potitur.

Saltem ad tempus laxanda essent tributa.

Luxurioso animo agnata est inconstantia.

aula : & vt posset ad illam fideli internuncio documenta salutaria immittere, vt scilicet humilitatem sectaretur, vt subesset Regis submissa admodùm beneplacitò. Adeò enim obsequentem se gerebat Esther Mardochæi præscriptis, vt nullatenus vllum præteriret. Vndè, quia monuerat illam Mardochæus, ne genus ac patriam prodiret, *non prodiderat genus, nec patriam: & quidquid ille præcipiebat, obseruabat Esther*, cuncta gerens Regina, quæ ad præceptum illius parvula gesserat alumna. Sic planum videor, reddidisse difficilem adeò locum, vt dixerit Cajetanus & confirmarit Gaspar Sanchez nihil afferri posse nisi diuinando. Vndè Sancius & Menochius coguntur asserere non quæsitas fuisse *secundò* virgines post nuptias Estheris, sed repeti quod factum fuerat post Vasthi reprobationem ad subtexendam historiam duorum Eunuchorum, de qua mox. Attamen hi Auctores aut omnino auferant à textu particulam illam. Cúmque *secundò* quærerentur virgines, aut alia via diuinare contendant. Eo igitur tempore, quo Mardochæus accuratius ac studiosius Regis morabatur ad ianuam, vt suæ prospiceret Estheri, irati sunt duo Eunuchi Bagathan & Thares, qui ianitorum gerebant munus, & in primo palatij limine præsidebant, Iræ autem occasio indicatur à Græco: Quod Mardochæus in officiis palatij prælatus, illis esset à Rege. Alij, Propter Vasthi repudium. Alij, propter studium Macedonicarum rerum. Amano consentientes. Crediderim, hosce Eunuchos intimos esse Amani secundi à Rege, imò Consiliarios, qui rebus illius per omnia studerent. Ideò forsan, occiso Assuero sceptrum ad Amanum transferre cogitabant. Conscius ergo huius coniurationis, imò Princeps & auctor erat Aman. Annon Scriptura dicit cap. 12. 6. voluisse nocere Mardochæo Amanum, quia in causa fuit, vt duo illi Eunuchi capitali fuissent affecti supplicio? Annon Assuerus cap. 16. 12. in epistola sic de Amano loquitur: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt Regno priuare nos niteretur, & spiritu.* Voluerunt itaque duo illi Eunuchi Regi insidias moliri, vt eum interimerent. Cùm autem Mardochæo Eunuchorum iniquum consilium non lateret, statim fidelis nuncij ex manuscripto nunciauit Estheri, quæ obediens semper monitis patrui Regem admonuit. Quonammodò autem Mardochæus Eunuchorum agnouit insidias? Iosephus leg. 11. Antiq. cap. 6. Eunuchorum alteri seruum asserit fuisse Iudæum, qui cum deprehendisset, quid occultè Eunuchi molirentur, ad Mardochæum detulit, & ille statim ad Reginam, vt admoneret Regem, sibi vt caueret. * Rarò familiæ alicuius euulgantur secreta, quod ministrorum non geratur ex ore. Agnatum enim famulis dominorum arcana haud posse reticere.] Alij aliter. Ego id tribuo Mardochæi solertiæ, qui cum crebrò ac diu cum illis ageret aliquid audiebat, videbatque, quod probaret minus. Licet enim illi parietibus & tenebris sua consilia clauderent, illa tamen obstructio non ita diligenter erat obducta, vt curiosos, ac solicitos oculos lateret. * Vt seruetur arcanum, claudenda est lingua sigillo, ne vicini quidem sentiant. *Por que las paredes tienem oidos.* Si ergo secretum è pectore ad os transit, vix poterit non euulgari.] * Addo, agnatam esse peccato manifestationem.] Postquàm Rex certior fuit effectus de Eunuchorum consilio, inquisitum est diligenter in ea, de quibus ianitores arguebantur, & tandem scelus obiectum non difficilè deprehensum est, aut indicia fuére manifesta, aut quia veritatem ab inuitis expressit equuleus. Et tandem vterque adactus est in crucem. Cum autem visitatum esset penè omnibus Nationibus, vt quæ singulis diebus fierent, in commentarios referrentur (quæ ideò *Diaria* vocitabantur, aut *Ephemerides*, id est, *singulorum dierum obseruationes.*) in hos Annales, siue Diaria relatum est, quod in Regis obsequium præstitit Mardochæus; quod ideò referendum curauit Assuerus, ne illius officij memoria ac merces deperiret. * O quot debitæ seruitiis mercedes gerendæ scriptis consignantur, seu commentariis addicuntur: sed rarò consignario illa recurrit ad manus?] * Sufficiat tamen fideli subdito fideliter seruiisse. Regi enim fideliter seruire eximij præmij exerit locum?

Agnatis famulis, dominorum arcana reticere nõ posse.

Si secretum ex corde ad os tranſit, vix poterit non euulgari. Agnata peccato manifeſtatio.

Rarò à Principibus seruitia muneranntur. Sufficiat fideli seruo, fideliter seruiisse præmij loco.

CAPVT III.

Omnibus Medorum Persarúmque Principibus Aman à Rege Assuero præponitur. Cum autem à Mardochæo non adoraretur, omnes Sudæos internecioni dari postulat, & impetrat à Rege, & mandat executioni committi.

1. POST hæc rex Assuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat. 2. Cunctíque serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator. solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. 3. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præsidebant: Cur præter ceteros non obseruas mandatum regis; 4. Cúmque hoc crebriùs dicerent, & ille

ille nollet audire, nunciauerunt Aman, scire cupientes vtrùm perseueraret in sententia: dixerat enim eis se esse Iudæum. 5. Quod cùm audisset Aman, & experimento probasset quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valdè, 6. & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas, audierat enim quòd esset gentis Iudææ; (magísque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. 7. Mense primo) cuius vocabulum est Nisan anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit mensis duodecimus, qui vocatur Adar. 8. Dixítque Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, nouis vtens legibus & cerimoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optimè nosti quòd non expediat regno tuo vt insolescat per licentiam. 9. Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 10. Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum. 11. Dixítque ad eum: Argentum, quòd tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet. 12. Vocatíque sunt Scribæ regis mense primo Nisan, terriadecima die eiusdem mensis: & scriptum est, vt insserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarúmque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & literæ signatæ ipsius annulo, 13. missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, paruulos & mulieres, vno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. 14. Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem. 15. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statímque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.

COMMENTARII.

1. Aman omnibus Principibus à Rege anteponitur, à solo Mardochæo non adoratur.

VERS. 1.2.3.4. *Post hæc, &c.*] Regi aderat secundus ab ipso quidam Princeps Aman nomine de stirpe Agag Amalecitarum Regis à Saule capti, à Samuele occisi, Thargum vterque asserit, quorum alter eius genealogiam ad Esau vsque deducit. Noster Cap. 16. 10. & 14. Macedonem fuisse diserè affirmat. Sulpitius mauult Persam vocare. Crediderim, maiores eius ex strage Amalecitarum profugos Macedoniam petiisse, indeque parentes Amanis paulo antè hæc tempora in Persidem demigrasse. Vnde poterit ex omnibus illis gentibus Aman verè dici prognatus. *Post hæc* igitur, id est, post duorum Eunuchorum capitale supplicium, qui ante hoc tempus apud Regem plurimum auctoritate & gratia valebat, vnus scilicet è Regiis Consiliariis: eò peruenit dignitatis, & gratiæ, vt aliis Principibus præferretur, & Regio proximum haberet locum, & honorem ab aliis prope diuinum. Vndè omnes serui Regis, seu aulici famuli, qui in foribus palatij versabantur genua flectentes Amanum adorabant. Nam cum Persarum Reges vellent honores sibi diuinos impendi, vt ostendit Darius, & Xerxes ipsius Assueri pater Holopherni præcipiens, *vt omnes deos terræ exterminaret, vt ipse solus diceretur Deus.* Sic etiam Assuerus aui ac parentis exemplum secutus, & quasi cum Regno diuinitatem hæreditario iure suscepisset, Deus haberi voluit: imò Amano communicare diuinitatem, & illi concedere, quod Deo soli ab hominibus exhiberi solet. Stultum Regis iudicium ostenditur, dum se putat deitate frui, & magis stultum, dum Amano subdito eam studet communicare. * Regiæ enim potestatis honor augustus nulli subdito est communicandus. Sit subditus ex Regis munere secundus à Rege, sed æquè primus, absit. Nam cum deitas vnica debeat esse, subditus ad eiusmodi deitatem eleuatus vnitati acquirendæ studebit, vndè alteri Numini molietur insidias.] Nouerat illam Assueri insciticiam Mardochæus, & ideò illud Amano obsequium præstare nolait, quod alij præstitere. Cur autem adorare Amanum Mardochæus noluerit? Ipse cap. 13. 13. & 14. aperuit. *Timebam* (ait) *nè, si superbissimum Aman adorarem, honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Alioquin si sola ciuili adoratione adorari voluisset, *libenter pro salute Israël, etiam vestigia pedum eius.* deosculari paratus essem. Porrò licet Mardochæus vel Regi solam ciuilem adorationem deferebat, Amano nolebat illam flectendo externam præbere adorationem; ne videretur subditum cum domino coæquare. * Inurbanum se ostendit, qui subditum vel à Rege secundum comitate æquali ac Regem prosequitur.] Obseruarunt hoc serui Regis, qui pro foribus ex instituto morabantur, monuerunt que primum amicè, nè quod omnes iuxta Regis imperium præstabant Amano, ipse solùm officium detrectaret. Cúmque assidua illa virorum exhortatio efficeret nihil, cum ipse negaret, licere sibi, aliquem adorare præter Deum, cum esset Iudæus, cui esset alienus ille cultus interdictus, retulére ad Amanum. Preme illa verba: *Dixerat enim eis, esse Iudæum.* Ac si diceret, se id non facere Amani contemptu, sed

Regiæ potestatis honor augustus nulli subdito est à Rege communicandus.

Si secundus à Rege sit primus, Regia vita periclitabitur.

Inurbanus est, qui æquali urbanitate subditum à Rege secundum, ac Regem prosequitur.

Cum aliquid à te petitur, quod non pos-

Sis sine peccato gerere: respondet, te esse Christianum.

sed quia Iudæorum impediret religio. Pulchra hercle responsio, & quam debent Christicolæ æmulari. Quoties aliquid à te petitur, quod piaculum sit explere, respondeas *te Christianum esse.*] *Subtraxandi equidem ferui illi, qui certiorem de externo contemptu reddiderunt Amanum. Quàm proprium est aulæ vltrò citroque deferri rumores.]

Taxantur, qui vltrò citróque rumores deferunt.

2. *Versus 5.6.7.8.9.10.11. Quod cum, &c.*] Audiuit Amanus, & experimento cognouit verum esse, quod à Regiæ domus custodibus aufero. omnes Iudæos interdierat, & implacabile in illum odium concepit, cui non putabat satis iri factum, si vnum de medio tolleret Mardochæum, nisi vniuersum Iudæorum genus extingueret; tùm vt Mardochæus magis de communi doleret suæ gentis exitio: tum etiam quia à Iudæis non sperabat impensum iri illud venerationis officium, cum id patria religio prohiberet, quod satis ex Mardochæi verbis potuit coniectare. Et hanc ob rem non in vnum Mardochæum, sed in omnem Iudæorum gentem pia adorationis abnegatio spiritus inflamauit hostiles. Porrò anno septimo Assuerus vxorem sibi ac Reginam Esther assumpserat, quinto verò anno post initas nuptias Amani contigit exaltatio, & Iudæorum turbata, & ad necem vsque deducta conditio. Cum autem Chaldæorum Persárumque sit superstitiosum genus, neque aliquid aggrediantur nisi captatis prius auspiciis aut sortibus ritè consultis: noluit Amanus tentare quod moliebatur grande & impeditum opus, nisi prius à sortibus, quo fieri posset tempore, didicisset. At temperauit Deus sortes, quas homo in vnam sinumve coniecerat, & distulit in annum, vt Assuerus interea Annales Persicos euolueret, & quod Ammanus in Mardochæum Iudæorumque perniciem patrauerat, in ipsius caput, dedecúsque conuerteret. Consuluit itaque sortes mense primo, qui dicitur *Nisan* & nostro Martio respondet, Sors autem edidit postremum mensem, qui dicitur *Adar* & nostro respondet Februario. Quid hoc loco *sortes* significent, apertum est, cum in vnam dicantur esse coniectæ, quod neque auspicium sonat, neque augurium, neque vaticinium, aut oraculum; sed quod propriè nominatur sors. Sors autem Hebraicè פור *phur, conterere, confringere,* vndè & significat torculat, in quo vuæ, oliúæque comprimuntur, & confringuntur, & simpliciter vas, in quo sortes coniiciuntur, & per metonymiam sortem ipsam. * Putabat Amanus sorte tempus exitij Iudæorum designari, & suammet contritionem, ac confractionem apparauit, Deo sortis temperatore.] Summa accusationis, quam contra Iudæos Aman detulit, hæc fuit: Est populus quidam Hebræorum, qui non vnam, aut alteram Ciuitatem habet, sed per omnes latè dispersus, & à se vicissim separatus, qui cum nouis vtatur legibus, & religionem colat à Persica diuersam, decreta Regis, ac sacra contemnit. Quæ intolerabilis licentia est, nec parum communi paci, ac Persicæ contraria religioni. Quare ex communi vsu, ac Persicæ religionis obseruantia videtur, si populus ille funditus intereat. Quod si ex illorum interitu aliquod Regio fisco decedat impendium ex tot capitibus tributarijs diminuto censu, curabo, vt illud quamprimùm resartiatur abundè, etiamsi de meis facultatibus aliquid decedat. Neque feram ægrè hoc domesticum detrimentum, dummodo constet & Regia dignitas, legum obseruantia, & publica tranquillitas. Quare Regiæ Gazæ me adducturum promitto decem millia talentorum. Hæc quidem quocumque pretio aut pondere consideres, ingentem continent pecuniarum vim, scilicet quinque milliones aureorum in specie, si de Atticis talentis sit sermo: sin de Hebræis, dupla erit summa. Ingens certè vis pecuniæ. An Amanus è proprio penu exponenda promittebat? Asserunt bonæ notæ Interpretes, è præda Iudæorum esse colligendam. * Minister aulicus quandonam Regi de proprio donauit ærario? O quotiens de pauperũ ciuium præda à diuitibus Principi donaria exponuntur!] Fecit Rex nimium credulus ac facilis, quod ab Amano rogabatur neque rogata distulit; sed quamprimùm è digito extraxit signatorium annulum, qui Regiam authoritatem sustinebat, ac nomen, & tradidit Amano, vt eo suo arbitratu vteretur, & vt liberè de Iudæorum rebus, ac capite statueret. Neque de decem (ait) talentorum millibus curandum; sed tibi retine, quod Regium in fiscum conferre cogitaueras. Erat is annulus symbolum datæ potestatis à Rege, vt habes etiam Gen. 41. 1. Mach. 6. & Tob. 1.

Aman postulat ab Assuero omnes Iudæos interimi.

Putat quis, alium conterere, & suammet præparat contritionem.

Ministri auferunt sæpè de præda ciuium Regi donaria expenunt.

3. *Versus 12. 13. 14. 15. Vocatique sunt, &c.*] Certè Amanus impium decretum contra Iudæos edere non distulit, illudque Regio consignare sigillo, tametsi ad mensem Adar seu Februarium illorum cædem destinauit, quemadmodum fieri commodius ex sortium consultatione didicerat. Quare inter decretum obsignatum, euulgatúmque, & eius executionem annus integer debebat intercedere. Voluit autem callidus Amanus, statim illud decretum edere Regium, & omnibus Prouinciis esse notum, ne Rex, cuius ingenium nouerat facilè mutaret animum, mutaretque, quod ante tam inconsideratè concesserat. * Oportet Reges in edendis decretis diu immorati, ne cogantur, vel pudore, vel constantiæ Regiæ ratione iniustè animum continere, aut turpius reuocare.] At, ne quid Regium ad literarum pondus deesset, percursores Regios breui disseminauit per omnes Prouincias cruentum illud edictum, quod iubebat, vt omnes Imperio Persico subiecti in suis quique ciuitatibus Iudæos occiderent, neque vllius sexui, aut ætati parcerent, & illorum bona diriperent: neque in ea regione captiui illius, & odiosi populi reliquiæ remanerent. Profectò hi cursores erant, aut veredarij Regij & omnibus Prouinciis satis noti. Quare omni ex parte certa videbatur literarum fides. In illis autem literis (quæ scribi cœpræ fuerant die 13. Nisan seu Martij, & sequenti die 14. consignatæ) illud præcipuum, vt omnes Prouinciæ Regis cognoscerent edictum, & illius voluntati obsequerentur, id est, vt ad diem 13. Adar seu Februarij præsentis anni omnes se compararent, vt stricto ferro, Iudæorum genus prorsus extinguerent. Quod quanta maxima potuerunt contentione per omnes Prouincias dissemináre cursores. Eo autem tempore, quo propositum est Susis, vbi Regia sedes, quando lugubri Iudæorum eiulatu Ciui-

Decretum de Iudæorũ cæde per omnes Prouincias disseminatur.

Reges in edendis decretis diu debent immorari.

tas

tas personabat: Assuerus & Amanus conuiuium agitabant lætum, quasi egregium aliquod opus perfecissent, deque publico hoste triumpharent. Quia solitæ celebrari conuiuio res secundæ, & quæ futuræ salutares Reipublicæ creduntur. * En peccatorum gaudij, tristitiæque iustorum imaginem. Lugent iusti, dum peccatores collætantur: Sed breui temporis interstitio, terminata peccatorum lætitia, & iustorum mœrore, æternus peccatoribus luctus instat, interminabilis iustis gaudij fulgor elucescit.] Lætatur Amanus, dum ploratum Iudæi iterum emittunt, sed mox ridentibus Iudæis, miserè lugebit Amanus.

Breuis peccatoris lætitia

æternus luctus perbreuis iusti luctus, gaudium interminabile.

CAPVT IV.

Mardochæus omnésque Iudæi publicè lugent ob immane Regis edictum. Esther Regina se dat precibus ac ieiuniis toto triduo, vt ingressura Regem cum vitæ suæ periculo, possit cladem Iudæis impendentem depellere.

1. QVÆ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, 2. & hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. 3. In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis pro stratо vtentibus. 4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunuchi, nuntiauerúntque ei. Quod audiens consternata est, & vestem misit, vt ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit. 5. Accitóque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei vt iret ad Mardochæum, & disceret ab eo cur hoc faceret. 6. Egressúsque Athach, iuit ad Mardochæum stantem in platea ciuitatis, ante ostium palatij: 7. qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quomodò Aman promisisset, vt in thesauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum: 8. exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, vt reginæ ostenderet, & moneret eam, vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo. 9. Regressus Athach, nunciauit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat. 10. Quæ respondit ei, & iussit vt diceret Mardochæo: 11. Omnes serui regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, norunt prouinciæ, quòd siue vir, siue mulier, non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur, nisi fortè rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit viuere. Ego igitur quomodò ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum? 12. Quod cùm audisset Mardochæus, 13. rursum mandauit Esther, dicens: Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis: 14. si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui, peribitis. Et quis nouit, vtrùm idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? 15. Rursúmque Esther hæc Mardochæo verba mandauit: 16. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradénsque me morti & periculo. 17. Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

COMMENTARII.

1. Plorat Mardochæus, lugent Iudæi omnes, Esther certior

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Quæ cum, &c.*] Cum decreta Iudæorum cædes Mardochæi peruenisset ad aures, contra duos potentissimos hostes, à quibus oborta fuerat suæ gentis tam dira calamitas, statim se accinxit, vestes scidit, saccum induit asperum, caput consperfit cinere squalidum, & lugubrem, iterauit in platea clamorem. Græcus explicat, quid clamarit: Populus innocens, qui nihil mali gessit, heu, de medio tollitur. Videri poterit quibusdam valde insolens hic publicus luctus & tantæ dignitatis viri clamor. Sed erat mos iste apud Persas malis in magnis vsitatissimus. * Et quidem nullus

de imminenti Iudæis clade efficitur.

Lacryma non

dedecent virum Principem, si de iniuria conqueritur.

nullus quantumuis lugubris affectus dedecet virum Principem qui de iniusta sententia, si de illata sibi aut suis iniuria conqueritur.] Sic autem ex habitu, ex luctu miserandus & horrendus Mardochæus in ipsam Regis aulam esset ingressus, nisi cautum esset legibus nè quis indutus sacco, atque habitu lugubri ad Regiam aulam sordidatus accederet. Nempe ne quid triste aut miserabile in oculos Regis incurreret. Sic in Barlaami & Iosaphati historia Damascenus narrat, à palatij limine, à Regis oculis communes etiam naturæ miserias iussas arceri, vt nullus mendicus, æger, senex, cœcus, claudus à Rege posset aspectari. * En Regni

Regna pereũt, quia aulici curant, ne cõmunes miseriæ Regis oculis exponantur.

fine medicamine dolentis exitium. Curant aulici, ne Regis oculis paupertum miseriæ exponantur, ne eius aures communis ærumnæ gemitibus dinerberentur. Vndè sine Medico (Rex etenim Medici gerit officium) perit ægrotus.] Quod faciebat Mardochæus Susis, id etiam reliqui in suis ciuitatibus gessêre Iudæi, qui crudelis edicti seueritatem audierant. Qui quidem ad saccum, cinerem, squalloremque ieiunium addiderunt, quo à Deo ea rerum imagine placato veniam obtinerent. * Venia enim à Deo

Communes Dei populi ærumnæ plerũque obueniũt in delictorum pœnam,

impetrata, consequens erat populi à cæde liberatio. Communes Dei populo calamitates obueniunt plerumque in delictorum pœnam.) Esther quidem ad illud vsque tempus neque genus aperuerat suum, neque esse sibi Mardochæum cognatione coniunctum; sed quia hinc inde viciſſim mandata quotidie perferebantur, puellis, Eunuchisque internunciis: facilè hi coniectare potuerunt, aliquid inter illos esse

Cum à viro in fœminam, à fœmina in virum mandata perferũtur, datur occasio iudicãdi, aliquid inter illos haud liciti esse commercij.

commune. * Hinc, (licet in dissimili materia, in simili tamen iudicandi occasione) monuerim, mandata hinc inde à viro in fœminam, à fœmina in virum perlata ansam exponere aspectantibus adiudicandi, aliquid inter illos haud liciti adesse commercij.] Quamobrem cum sordidatum Mardochæum ubique viderent Eunuchi, audirentque miserabiliter vlulantem, monuêre puellas: illæque hoc ipsum referunt ad Estherem, quod magnam illi solicitudinem attulit, ac mœrorem, cum repentinè illius mutationis causam neque odorari possent. Mox igitur vestem mittit tanto viro idoneam, quam depositio sacco, statim indueret, supponens vestes, queis vtebatur, præ dolore scidisse. Quam cum ille reiiceret vtpotè præsenti rerum articulo parum oportunam, per Athach Eunuchum, quem à Rege ad familiare ministerium acceperat, scisciatur, quid noui accidisset, quod tantam animo, ac corpori induxerit mutationem. Egressus Athach ad Mardochæum perrexit, ab eoque Estheris nomine scitatus est luctus illius causam. Ad quam per eundem nuncium Mardochæus renunciat, quid contra vniuersum populum Iudaicum Amanus moliretur, qui decem talentorum millibus emere voluerit capita Iudæorum. Quod vt sibi persuaderet magis, exemplar edicti Regij ad illam immisit, quod primum in Susis, deinde in aliis Persicis ciuitatibus odium Amani inflammatum affixerat. Quare necessarium esse, vt Regem adiret, curaretque, vt intentum gladium à Iudæorum iugulo auerteret. Prudens namque vidit Mardochæus, ad desperatam causam vnicum esse asylum Reginæ dilectæ à Principe intercessionem. Populus Christicola non desperet intenti gladij. Numinis ad aspectum. Adest eiusdem generis sponsa Maria vtique dilectissima, quæ intrepida intrabit ad Regem, eumque pro populo deprecabitur.]

Melior Esther Maria intrepida intrat ad Deum pro afflictis precatura.

Vers. 9. 10. 11. *Regressus, &c.*] Cùm audisset Eunuchus Athach à Mardochæo luctus causam, & medicaminis rationem, Estheri renunciauit. Ipsa verò perpendens, quid sibi esset propositum, aut præceptum à patruo, hæc ad illum rursus mandata remisit. Nemini eorum, qui Persico subsunt Imperio ignotum est, pœnam illi capitalem proponi, qui ad Regem non vocatus audeat accedere. Ea autem pœna sine vlla cunctatione erit subeunda, ni ferenda scilicet ab his Regij corporis custodibus, quibus id negotij datum est, ita vt qui viuus est ad Regem ingressus, defunctus efferatur, nisi aliter Regi visum fuerit, idque aureæ virgæ inclinatione significarit. Quonammodò igitur facilis & securus erit mihi ad Regem aditus, cum triginta iam agatur dies ex quo ab illo accersita non fuerim? Potrò *atrium Regis*, seu Regiarum ædium duplex erat. Vnum exterius, in quo satrapæ morabantur, de quo cap. 6. 4. licet ibi vocitetur *interius atrium*, respectu plurium aliorum exteriorum, in quibus famuli, & vxores quoque Regis degebant. Alterum ex iis, quæ Regis propria erant, *interius atrium Regis* vocabatur, & erat auro vndique tectum, & in eo distinctum quoddam spatium auleis pretiosissimis circundatum, quod cap. 5. 1. vocatur *Basilica*, & *consistorium* palatij. In illo atrio thronus erat aureus, in quo Rex dum exteros admitteret, residebat, aureum sceptrum manu gestans. Hoc itaque atrium si quis non vocatus inire audebat, statim de medio auferebatur. Rupertus dicit lib. 8. de vict. c. 10. Amanum legis huius suasorem Regi fuisse, non vt tum primò ferretur, sed vt olim lata seuerè seruaretur, ne qua via vili pro Iudæis rogaturo pateret. * Sic solent quidam aulici potentio-

Rex à subditis homo habetur ex indecora consuetudine, nõ ex facili omnium ad eũdem accessu.

Nonnulli aulici potentiores cupiunt, Regẽ esse surdum, & cæcum, ne eorũ defectus videat, vel audiat.

res omnia ad Regis oculos & aures itinera intercludere, & obsepire. Provt de comite Candidiano, aliisque Palatinis ad Ephesinam Synodum à Theodosio immissis refert Baronius to. 5. Totam sui conseruationem apud Reges inde pendere putantes, quod Rex & oculis & auribus captus existat, ne in ipsis videat, aut de eis audiat, quod possit eos à Principis gratia deturbare.] Profectò huiusce legis primos latores alia causa mouit, nempe vt persona Regis occultaretur sub specie maiestatis non omnibus pro libito accessæ, putareturque, aliquid habere plus homine, nec vilior ex publicæ visionis vsu videretur. * Porrò Regem non fecit hominem apparere facilis ad ipsum omnium accessus, sed indecora illius cum multis aut paucis aulicis consuetudo.]

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Quod cum, &c.*] Ad hæc Mardochæus alia rursum emittit mandata. Vndè Eunuchus patrui ex nomine dixit Estheri: Non minus tibi, quàm Iudæis reliquis capitale imminet periculum. Nam licet magnum habeas præsidium in Regio nomine, quod omne videtur periculum arcere: & in Regis amore, quem multis iam modis exploratum habes: si tamen nunc, dum non est adeò declinata fortuna Iudæorum, & adhuc apparet salutis spes, vitæ periculum adito Rege,

adire

adire recusaueris: eò ipsa adduceris, vt si maximè cupias, studeasque extremam fortunam declinare non possis. Neque enim tam erunt inertes, & suæ salutis, & suorum vitæ immemores Iudæi, vt non se ipsos ab inimico ferro, ac Persico furore defendant, aut aliis modis à Deo iam placato, propitióque prouisis. Ex quo efficietur, vt in te à Persis concitetur odium, aut à Iudæis in Amanum, & Regem, à quo ipsa non eris immunis; quia aut à Persis patieris aliquid hostile, qui suspicari poterunt, cóiurationis esse consciam: aut à Iudæis, cum videant, tam vilem fuisse tibi salutem suam, vt propter illam Regium vultum subirę recusaueris. Neque videtur creditu difficile, ideò te ad Regiam dignitatem esse sublatam, vt ad te in eo rerum articulo haberet afflicta Iudæorum fortuna fidele perfugium. * Exorabilis omninò peccatoribus Maria, sed si aliquando horribilibus piaculis reo faciem patumper auertere tibi videbitur, quia non illicò respondet; ei licebit dictitare: *Et quis nouit, vtrum idcirco ad Regnum veneris, vt in tali tempore pararis*, pro me cœlestem Iudicem deprecari?] Annuit Esther Mardochæi postulatis, & voluit vitam suam exponere periculo à lege & vsu iam pridem comparato, vt suorum periculum, vel vitæ proposita iactura, redimeret. Remisit demùm Eunuchum (fidelem admodum, siquidem ei Mardochæus Reginæ annunciat genus, quod ipsa Regi nondum annunciarat.) vt Mardochæo diceret, Obediam protinus tuo de more præscripto. Sed vt res successus habeat, sertiò Domino commendetur cui facilè est, rationes hominum, consiliáque conuertere, quantumcumque homines illa humano firmamento communiant. Quare omnes Iudæi quotquot sunt Susis, pro me orent, eáque adiungant orationi, quæ in simili statu & afflictione ab oratione separari non assolent, nempe ieiunium triduanum, quod ipsa cum ancillis præstare promitto. Quo peracto, etiam non vocata Regem adire audebo, etiamsi sciam quid à Persica consuetudine paratum sit mali, cum propriam salutem communi longè posteriorem habeam. A iustis perfectioni studentibus propria salus contemni videtur, vt proximorum salutem tueantur. D. Ignatius sic proximis adducendis Christo studebat, vt etiam propriæ salutis discrimine quodammodò, eorum salutem curaturum se diceret, si ferret occasió, & sciret magnum se obsequium Numini præstiturum.] Prime illud, *Ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Quomodò ancillis, quæ sine dubio ex Iudæorum gente non erant, cum seruilis captiuaque conditio ad Regiam aulam, Reginæque comitatum non admitteretur, promittit Esther se indicturam ieiunia & orationem? * Certè sanctam Reginam hortatam fuisse crediderim familiares fœminas, & quid in ieiunio esset virtutis, ostendisse, quo placari posset Deus, & postulata concedere. Imò fortasse illæ ex sanctæ Dominæ consortio veram religionem fuere sectatæ. Famulæ enim plerumque dominæ mores imitantur.] Non difficile fuit Mardochæo imperata ab Esthere complere, cum & ipse id faceret, & multò plura, & omnes Iudæi sua sponte, hortatore nullo, illud idem facere cœpissent. * Oratione ac ieiunio præmisso quid non Iudæi consequerentur?]

Maria ad Regnum venit, vt pro peccatoribus cœlestem Iudicem precaretur.

D. Ignatius proximorū saluti propriam quodammodò posteriorē esse ducebat.

Famulæ pleráque dominarum mores imitantur.

Orationis ac ieiunij vis.

CAPVT V.

Esther non vocata ad Regem, contempto vitæ periculo, ingreditur. Comiter verò, excepta postulat, vt Rex cum Amano suum ineat conuiuium: quo impetrato, rogat, vt & secundò veniat. Amanus interim à Mardochæo se despectum adiudicans, crucem illi suffigendo parat.

1. DIE autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatij contra ostium domus. 2. Cúmque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ eius. 3. Dixítque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 4. At illa respondit: Si regi placet, obsecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum, ad conuiuium quod paraui. 5. Statimque rex, Vocate, inquit, citò Aman, vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium quod eis regina paranerat. 6. Dixítque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? & pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 7. Cui respondit Esther: Petitio mea, & preces sunt istæ: 8. Si inueni in conspectu regis gratiam, & si regi placet vt det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad conuiuium quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam. 9. Egressus est itaque illo

die

die Aman lætus & alacer. Cùmque vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valdè: 10. & diſſimulata ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam: 11. & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes principes & ſeruos ſuos rex eleuaſſet. 12. Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. 13. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias. 14. Reſpondérúntque ei, Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & die manè regi vt appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei conſilium, & iuſſit excelſam parari crucem.

COMMENTARII.

1. Comiter à Rege excepta Eſther, impetrat ab eo, vt eo die cum Amano conuiuium obiret ſemel, & iterum.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Die autem, &c.*] Triduano ieiunio, aliiſque corporis aſperitatibus ſe Eſther contra Deum armauerat, vt miſericordiam ab eo extorqueret irato. Die autem tertio cilicium depoſuit, & deterſo prius ſqualore, quem ieiunium cilicium, ac cinis induxerant, aſſumpſit veſtimenta Regia, quæ magis viſa ſunt apta ad Regis oculos alliciendos. Cui Deus contulit ſplendorem qualem vnguenta nunquam induxerant.

Maior pulchritudo à ieiunio, quàm à fuco.

* Maior pulchritudo, quæ à ieiuniis ac corporis moleſtiis, quæ à cinere, & crinium laceratione: quàm quæ à pigmento, à fuco, & exquiſitis apparatur odoribus.] Peruenit itaque Regina ad atrium interius, quod ex ſolio ſuo videre Rex poterat, & quid in illo fieret, diſtinctè dignoſcere: inibi ſtetit, viditque Regem hærentem ſolio in conſiſtorio palatij contra oſtium illius. Cum autem Rex eam vidiſſet ſtantem, *placuit oculis eius.* Placuit certè Eſther Regi, ſed non primo ſtatim ingreſſu; nam, vt dicitur Cap. 15. 9. Rex viſa Eſthere; *terribilis aſpectu, & ardentibus oculis furorem pectoris indicabat.* Nempe putabat, illam Reginæ libertatem ad ſuæ maieſtatis ſpectare contemptum, dum vltrò irrepens ſuam violabat præſcriptionem.

Vxor ſtrictiori iure mariti debet obſeruare præcepta, eum ſtrictiori lege, ei teneatur honorare.

* Strictiori lege debet vxor ſeſe præcepti mariti obſeruatricem oſtendere, quæ eum ſtrictiori iure tenetur honorare.] Forſan Rex è veſtigio eam ſatellitibus obtruncandam dare cogitabat, cum metu perculſa Eſther, linqui cœpit animo, & ſpiritu deſtitui. Sed Rex (cuius cor extemplo mutauit Deus) Reginæ ſuæ periculo territus, è ſolio deſiliens, ſuis labentem vlnis excepit, libauit oſcula, aureum ſceptrum ſuper illius collum locauit molliter, quod ſummum in eo rerum veſtigio putabatur eſſe refugium. Vbi autem reuocatus eſt animus, & color rediit multò gratioſior quàm antea, Rex cuius oculis vehementer placuit, aureum virgam iterum ad ipſam extendit, quam Regina iam ſibi ipſi reſtituta, oſculata eſt, & omnem à ſe metum, angoremque depoſuit. Compoſito ergo ad omnem humanitatem atque hilaritatem vultu, Rex profatur: Quorſum iſte tuus nouus ingreſſus, & Regis adeundi in vſitata forma? Quidnam tibi vis à me præſtari? Nihil erit, quod à mea benignitate ſperare non poſſis, etiamſi Perſici Imperij dimidiam tibi partem poſtulaueris. At illa: Nihil (ait) mihi adeſt in votis, niſi vt Rex ſimul cum familiari Amano ad conuiuium veniat, quod vtrique paraui. Annuens Rex lubens Reginæ votis ſtatim iuſſit Amanum aduocari, vt conuiuium illud ſecum obiret, quod illo die vtrique Eſther inſtruxiſſet. Ineunt Rex & Amanus Eſtheris conuiuium lautum & geniale. Rex autem, *abundanter* mero poſtquàm iudulſerat, Reginæ dicitat: Quid vis, vt detur tibi? quidnam habes in votis? *etiamſi dimidiam partem Regni petieris, impetrabis.* Ebrietas & immoderatus amor ebrietati perſimilis homines efficiunt ad largiendum profuſos. Cùm quis plus hauſit vini, & ſe minus habet in poteſtate, omnia promittit, quia quidquid promittit, non conſiderat. At quod facit ebrietas, facit interdum immoderatus amor, qui æquè cœcus ac præceps eſt, neque vllum habet deliberandi conſilium. Amoris æſtu flagrans Eſtheri dimidiam Regni partem promittit, mero hilaris promittit eandem. Igitur ebrietas & amor homines prodigos efficiunt.] Et verò huius promiſſionis modum hyperbolicum eſſe exiſtimo, neque inducere, vt quis iuxta verborum ſonum promiſſa complcat; cui ſatis videtur feciſſe, ſi magnum aliquid præſtet, vt homines communiter accipiunt: vt ſi Ciuitatem aliquam concedat. Rex ad petentis delicias, & domeſticos vſus, quod geſſere ſæpè Perſarum Reges. * Munificentiorem ſe cœleſtis Aſſuerus cum meliori Eſthere Maria ſeſe præſtitit, dum ei dimidiam partem Regni ſui non tam promiſit, quàm largitus eſt. Dei Regnum miſericordia & iuſtitia, hanc partem quodammodo ſibi retinuit, illam verò Deiparæ impendit. Vnde Maria vocatur meritò *Regina mater miſericordiæ.*] Non ergo hyperbolicè actum cum Virgine, ſed verè dimidia Regni parte donata eſt.] * Imò & alteram ſimul partem accepit, quia ſi Maria *miſericordiæ Regina* ſemper vult Dominum peccatoribus miſereri, quandonam Deus poterit iudicij oſtentare ſeueritatem?] Sed quare Regina conuiuam voluit habere Regem, vt ibi quod meditabatur, exoraret? Videbat prudentiſſima fœmina tùm homines facilè poſtulatis annuere, cum ex vino exorbitat hilaritas, tùm etiam in conuiuiis turpe eſſe aliquid denegare. * Cum Euchariſtiæ Regiæ aſſides menſæ, dum Chriſti ſis conuiua, ipſe tuus conuiua efficitur: comedis namque Dominicum

Ebrietas & amor homines facunt prodigos.

Amor ebrietati perſimilis.

Deus Mariæ dedit dimidium Regni, hoc eſt miſericordiæ ditionem, ſibi aſſeruata ditione iuſtitiæ.

Imò & partem alteram, nempe iuſtitiæ, Mariæ quodammodò poſſidet.

Cùm Chriſtus ſit tuus conuiua in Euchariſtia, nihil tibi potenti denegabit.

minicum corpus,& simul à Dominico corpore comederis. *Fis*(ait Algerus) *corpus corporis eius, & sanguis sanguinis eius.* Cùm igitur Christum conuiuam sortieris, ab eo quidquid volueris vrile postula. Turpe enim erit quodammodò tanto Regi,tuo excepto conuiuio,aliquid abnegare.] Non aperuit Regina roganti coniugi, quid petere, animo destinasset, quia inspirante Domino, non videbat adesse aperiendi consilij maturitatem; sed distulit in crastinum. Si quod (inquit) in me meritum inuenisti, quod compensatum esse velis,id quod hodie Regio amantique animo gessisti: id quoque gerere crastino dignere: vt secundo conuiuij die meum aperiam animum. Tecumque adferas rogo Amanum, quemadmodum prius feceris. * Quod vno communionis die non audes a Domino tuo conuiua petere, audebis quidem altero. Quia frequentia communionis animam magis reddit acceptam. Christum amplius exhibet exorabilem.]

Quod vno communionis die non audes petere à Domino, altero audebis.

2. *Vers.* 9.10.11. *Egressus est, &c.*] Magno se putabat auctum beneficio Amanus, quod semel & iterum foret à Regina vocatus, neque vllum haberet Symphosiotam præter Regem. *Egressus est Aman lætus & alacer è* Regali mensa, cui indignus adhæserat. * Imaginem quidem præferens illorum, qui ad Regiam Eucharisticam mensam accedunt animo saucij. Lætantur exteriùs nescientes prandio illo eis æternum interitum præparari.] Illam Amani lætitiam in ipso penè conuiuij loco, certè in ipso palatij vestibulo Mardochæus, qui licet sua causa videret communem illam tempestatem excitari; adorare tamen Amanum noluit, quia id fieri sanctè non putabat, imò quando adorabundi genua flecterent,& alia ederent demissi animi documenta: ille tamen flectit immobilis, neque surrexit de loco, neque significauit, illi honorem aliquem deberi diuinum. * Iustitia enim diuina ferrea est virga, quæ nec mortis periculo flectitur: quid adulationis aura nutaret?] Tantò id Amanus grauiùs tulit, quantò proximè ex Estheris & Assueri consortio,& tantæ gloriæ accessione noua antiquos inflauerat spiritus,quos vnius hominis negata reuerentia depressit. * Quàm imperfecta est mundi gloria,quæ tam leui nubecula obscuratur!] Dissimulauit Amanus pectori illatum vulnus,& vindictam; in magis opportunum tempus reseruauit. Rediit domum, conuocauit amicos, queis sua consilia referare solitus, & illis etiam suam vxorem, Zares nomine, adiunxit, vt de Mardochæi vlciscenda iniuria suppliciisque genere, maturè deliberarent. His suas superbè opes, & fortunam commendat, quam filiis & clientelis abundet, quanto alios Principes interuallo antecellat. Et quod proximè (inquit) gloriæ incrementum accessit, solus cum Rege inuitatus fui ad Reginæ conuiuium, quod iterum die crastina sum obiturus. Hæc tamen omnia mihi sunt instar nihili, quandiu Mardochæus palatij obsidet fores, à quo vti ab aliis audiui, & ipse non semel obseruaui, me video contemni: cum flectentibus aliis genua, & iuxta Regium mandatum adorantibus, ille tamen stat immobilis, neque vllum edit debitæ sibi venerationis documentum. In illo conuentu nemo fuit, qui non assentatus illius ambitioni ac studio iudicaret, Mardochæum capite mulctari oportere. * Quid non iniustum decerneretur in Concilio, vbi fœmina non infimum obtinebat locum, & ideo prior ipsius iudicium exponitur: *Respondérúntque ei. Zares vxor, &c?* Quid non fœmina crudele definiret, siquidem iudicabat irata mariti irati referens affectum?] Excitetur, inquiunt altissima trabs quinquaginta cubitos habens altitudinis, ex qua pendulus Mardochæus ab omnibus spectetur. Vt supplicium sit non solùm acerbum ad dolorem,sed etiam ad ignominiam graue. Quod vt tutò & impunè facias, imperrare potes à Rege facultatem, quem tam familiarem ac facilem tibi experiris. Tunc tibi suauius erit tibi Reginæ conuiuium, si obuio illo impedimento sublato tuo tibi furori satisfeceris. Audi precor Chaldaicam paraphrasim. *Dixit Zares ad Amanum: In ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater eius ab eo. In aquis non poteris suffocare eum, quoniam liberati sunt ab eo Moyses & filij Israël. In lacum leonum non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel, Veruntamèn faciant patibulum, quia in hoc non probatus est vnus ex his, qui liberetur in patibulo ligni.* Pulchræ quidem in Crucis Dominicæ imaginem, in qua cùm ipsa hominum liberatio sit, non potest liberari à Cruce, qui voluerit verè liberari. Christus rogatus haud descendit è Cruce, vnde nec in figura iusti, nec post Christum Diui à Crucis patibulo liberantur; quia liberari à Cruce idem prorsus est, ac æternæ libertati nuncium remittere.] Placuit Amano consilium, & incunctanter iussit Crucem præparari. Et qualis ratio in eo confessu dicitur valuisse. O cerebrum à consilio & sanitate vacuum!

Irata fœmina crudelis.

Iustitia ferrea est virga, quæ adulationis aura non flectitur.

Quàm facilè immundi gloria obscuratur.

Non potest liberari à Cruce, qui verè voluerit liberari.

CAPVT VI.

Innouatur Assuero memoria detectarum olim per Mardochæum insidiarum. Iubet ipsum affici honoribus, idque per Amanum, qui matutinus aduentarat, vt impetrata à Rege facultate, Mardochæum in ligno suspenderet.

1. NOCTEM illam duxit rex insomnem, iussitque sibi afferri historias, & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, 2. ventum est ad illum locum vbi scriptum erat, quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium. 3. Quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. 4. Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio; Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt suggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod fuerat præparatum. 5. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur. 6. Cúmque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex, honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quòd nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, 7. respondit: Homo, quem rex honorare cupit, 8. debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, 9. & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10. Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac vt locutus es, Mardochæo Iudæo: qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11. Tulit itaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. 12. Reuersúsque est Mardochæus ad ianuam palatij: & Aman festinauit ire in domum suam, lugens & operto capite: 13. narrauítque Zares vxori suæ, & amicis, omnia quæ euenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, & vxor eius: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius. 14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & citò eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.

COMMENTARII.

1. Annales euoluens Assuerus, curat beneficium à Mardochæo olim acceptum compensari.

VERS. 1.2.3.4.5. *Noctem illam, &c.*] O quàm mirabiliter oculus ille, qui nunquàm dormit afflictis Iudæorum rebus adesse ac subuenire contendit præter expectationem omnium, præter opinionem! Oculus ergo qui nunquam obdormit, non ex corporis inualetudine, vel nimiis animi curis, sed sua prouidentia fecit, vt Rex Assuerus noctem illam duceret insomnem, si non totam, saltem postremam illius partem. Vt autem falleret molestum illum laborem, quem afferre nocturna assolent peruigilia, adduci iussit patrios annales, & ab Anagnoste legi. Miraberis, tantum Monarcham, cui tot supperebant voluptatum illecebræ, tot vxores, tot concubinæ, tot psaltriæ & musurgi, qui noctis molestias pellere possent, nihil horũ omniũ adhibere voluisse; sed pro omni suo solatio historias & annales popposcisse. *Sed supra vulgus ille sapiebat, sciebátque, historias iucundissimam viro cordato oblectationem, & maximam ad res gerendas prudentiam, multiplicemque vtilitatem suppeditare.] Profectò cum ad illud tempus ventum esset, in quo detectis à Mardochæo insidiis, quos duo Eunuchi contra Regem instruxerant, Rex ipse paratum sibi declinarat exitium: rogasseque; quid pro hac fideli denunciatione, vigilique custodia Mardochæus mercedis accepisset: responderunt Atrienses, nullomodò Mardochæi meritũ illud eximium fuisse compensatum. At qui cap. 12. 5. dicitur, *Præcepit* Mardochæo *Rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Quomodò ergo verè illi dictitarunt: *Nihil omnino mercedis accepit?* * An quia è palatio semper exulat veritas, vndè aulici de more fuere mentiti?] An quia munera leuiora quædam donata fuerant Mardochæo, sed quæ merito

Lectio Historia incundissima viro cordato est oblectatio. Historia suppeditant prudentiam, ad res gerendas.

Ab aula exulat veritas.

meritò ipsius minimè responderent; vndè nec *merces* tanti meriti poterant vocitari : multò minus præmium vel honos, de quibus solis Rex interrogauerat? * Certè tueri Regis vitam, tanti momenti est, vt vix vllum præmium exhibitum possit aptè præmium vocitari, si magnitudo spectetur obsequij, Aliqua adeò egregia seruitia, vt non valeant vilis hîc muneribus compensari.] * Tale putarim esse strenuorum militum meritum, qui pro tuenda Regis vita, pro conseruando Imperio, non dubitant propriæ vitæ obire discrimina. De quibus hac tempestate verius possent aulici dictitare : *Nihil omninò mercedis accepere.*] Existimo, Regem iuxta notam satis celebremque Persarum gratitudinem, tunc temporis, id est, quando Eunuchorum insidiæ à Mardochæo fuêre reuelatæ, de condigno honore ac præmio Mardochæo decernendo cogitasse, idque præcepisse: sed opera Amanis, qui ægerrimè ferebat Eunuchorum supplicium, id omne vel impeditum, vel dilatum primo, dein etiam obliuioni prorsus fuisse traditum. * Et quando non aula circa obsequiorum præmia elargienda obliuionem non ingerit?] * Antiquum fuit, posse Ministrum à Rege secundum plus Rege quodammodò, siquidem potest Rex absolutionis, damnationis, præmij aut supplicij inferendi indicere præscripta : & Minister potest impedire, aut astutè differre, & facere, vt prorsus obliuioni tradantur.] Vt igitur Assuerus à ministris audiuit, non fuisse Mardochæi tam vtile, atque fidele obsequium compensatum, vt tunc officij memor resarciret, quod ante immemor omiserat: rogat, quis sit in atrio, quo administro seruatori suo posset idoneâ reddere mercedem. Erat autem Amanus, qui vt ad Mardochæi cædem anhelabat ardenter, vt commodo tempore in crucem ageret, lucem anteuerterat, vt quamprimùm liceret, Regem alloqueretur, & rem totam opportunè peragere. * Quàm insolitum est aulico, diem & lucem præuenire! Cùm ergo videris aulicum de multa nocte vigilare, plerumque comperies non virtutem peruigilem esse, sed ante lucanam in eo existere iniquitatem.] Cùm ergo Rex ibi Amanum esse, à pueris didicisset, illum statim ad esse imperauit.

Aliqua sunt tam egregia obsequia Regi exhibita, vt non valeant vllo munere compensari.

Militibus strenuis haud vnquam præmium condignum exhiberi potest.

Aula ingerit obliuionē circa præmia elargienda.

Plus quodāmodò Minister familiaris Regis potest, quàm Rex.

Cum aulicum videris lucem præuenire, plerumque comperies, nō virtutem in eo peruigilē, sed anteluca nam iniquitatem

2.

Amanus de honorando Mardochæo reddit consilium, putans sibi ocare, & arare.

Vers. 6.7.8.9. *Cumque, &c.*] Præclarè secum actum putauit Amanus, quod tam facilem ad Regem obtinuisset accessum. A quo Rex, quasi ab eo, in quo vigeret prudentia, sciscitatur: Quo maximè signo Rex suum gratificandi animum aut ornandi hominem ostendet, quem insigniter volet honoratum? aut egregiè de se meritum muneribus cumulare? Cogitauit Amanus, de suis meritis apud seipsum deliberasse Regem, & quæsiisse, quid Regiam liberalitatem deceret, aut quid maximè honestum esset illi, quem Rex omnibus esse prælatum: neque putabat, quemquam esse, quem amaret, aut amare cuperet magis seipso, apud quem extabant beneuolentiæ & studij singularis argumenta plurima. Quare homo ambitiosus illa probat munera, & illustria amoris documenta, quæ ipse cupiebat maximè, quæque apud omnes suum nomen facerent non illustre solùm, sed etiam formidabile. * Ambitioso quippè agnatum suum esse singulare meritum. Vndè reliquorum dotes indicat esse nullas.]

Putat ambitiosus, suum esse singulare meritum.

Assumpto itaque aliquo ad meditandum spatio, dictitauit Amanus : Vir, quem Rex pro insignibus meritis singulari modo voluerit honorare, debet Regiis ornari indumentis, & suberi deduci per Vrbem Regiam solemni pompa, eodemque equo, cui Rex insidere solet Regio diademate stipatis temporibus. Vt scilicet paria cum Rege ornamenta testentur, talem non solùm à Rege secundùm esse, sed parem Regi, & quasi Regem alterum. Cæterùm assignandus aliquis de Regni Principibus seu *tyrannis*, qui equum apprehensis habenis manu ducat per loca Ciuitatis præcipua, clametque : Hic honor à Rege fuit decretus, nec aliter ornandus est ille, quem Rex honestare, & quodammodò beare voluerit. Vox *Tyrannus* Satrapas, aut Regios Principes significat. Sic olim vsurpabatur. Postea autem propter abusum potestatis, vox hæc ad eum solum designandum adhiberi consueuit, qui iniustè ac violenter dominatur. * Vereor ne tam agnata sit terrenæ potestati Procerum iniustitia plerumque, vt quando audio vocem *Princeps*, videar me audisse, *Tyrannus.*]

Quàm agnata sit mundialibus Principibus plerumque tyrannis iniustitia.

3.

Quemadmodū Amanus iudicarat, Mardocheus honorari iubetur, Amani confusione.

Vers. 10.11.12.13.14. *Dixitque, &c.*] Fuit profectò Amanus illa die Mardochæi gloriæ minister, quem ille ipsius ignominiæ, ac cædi destinarat. Dixit enim illi Rex : Assume equum de sella Regia, & Regiis phaleris instratum, & vestem similiter Regi familiarem, Regiúmque diadema : & Mardochæum Iudæum, qui ante palatij fores assidet, hisce ornamentis stipatum egregiè honorabilem expone *Fac itaque vt locutus es.* * Semper quidem consilium iniquum in exhibentis cēdit incommodum.] *Caue*, addit, nè de his, quæ locutus es, aliquid prætermittas. * En quanta temporis momento rerum facta inclinatio. Qui de suo capite actum esse putabat, non solùm viuit, sed etiam regnat: & qui Regni quoddam simulacrum sibi pollicebatur, eò est adductus, vt vitæ iam tædeat.] Non distulit Amanus imperata exequi, quia Rex vrgebat, & faces addebant obiectæ minæ. Quare stolam Mardochæo induit, & equo Regiis stratum phaleris illum imponit, & per magis illustria, atque frequentia Ciuitatis loca sublimem traducit, illud clamando : *Sic honorabitur, quemcumque Rex honorare desiderat.* clara quidem, vti Rex præceperat, præconis instar, sed flebili, atque interrupta voce. *Stola* vestis est ad talos vsque demissa familiaris Persis, sed illa, quâ Rex vtebatur, pretiosissima erat, auro insignis, radiata gemmis, Dubium est, an Mardochæus in illo triumphali progressu diadema gestarit? Videtur non gestauisse, quia de eo nihil Rex decreuit, cum id præceptum impossit Amano : *Sumta stola & equo fac vt locutus es.* Crediderim tamen gestauisse diadema, quia Cap. 8. 15. aurea corona redimitus dicitur. Est quidem diadema fascia quædam candida, quæ Regium cingit caput, & frontem alligat. Porrò corona aurea, qualem videtur Mardochæus gestasse quibusdam quasi solaribus radiis cingebatur. Vt qui Persæ adorabant solem, Regem solem esse adorandum profiterentur. Cum autem diadema, & corona Regis esset insigne, idem est Mardochæum gestasse coronam, ac diademate fuisse redimitum. Reuersus est itaque Mardochæus postquam præcipua Ciuitatis loca lustrauerat,

Consilium iniquum in exhibentis cedit incommodum.

Temporis momento magna mundialis fœlicitatis, aduersitatisque mutatio.

ad locum, vnde Regiis insignibus ornatus exierat. Inde se in domum suam Amanus cursu festinato proripuit dolens, quod aduersarij sui honori, populo spectante, & fortasse plaudente, seruire cogeretur. Et ne aliis vultu pallenti, ac lugubri sui animi sensum ignominiosè proderet, caput operuit, & cum eo faciem, in qua dolor apparet, ac pudor. Addit Chaldæa paraphrasis, statim atque reuersus fuit Mardochæus ad locum illum, vbi saccum deposuerat, vt Regium assumeret indumentum, resumpsisse saccum, & ad illas rediisse sordes, quibus suum & Iudæorum omnium lamentabatur exitium. Quod non improbarim, quia nondum erat reuocatum edictum quod Iudæorum genus morte damnarat: nec dum à Regis gratia & illius familiaritate Amanus decesserat. Quare erat quod timeret, & quod vellet à placato Domino depelli periculum. * Hinc edocemur. Diuos quantumuis à Domino speciali fauore donentur, semper tamen de salutis negotio esse sollicitos: vnde sacci, ieiunij, orationis exercitamentis nunquam non studium impendunt. Quis enim scit si reuocatum sit edictum, quod eum ob præterita crimina morte damnauerat?] Expectabat Zares vxor, & amici, qui Amano fuerant à consilio, facultatem impetrandam fore à Rege, vt in crucem iam antè paratam Mardochæus ageretur: atque ideò magna ad spectaculum illud procul dubio multitudo conuenerat. Quibus cum rem totam retulisset Amanus, omnes ex illo inauspicato principio, inauspicata fore reliqua coniectarunt. Si de Semine (inquiunt Zares & amici) Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed in conspectu eius omninò corrues. * Et quandonam in Principibus secundis à Rege non est præsagium extremæ ruinæ incepisse nutare?] Demum cum suam illi coniecturam Amano retulissent, aduentarunt Eunuchi à Rege immissi, qui illum statim ad Reginæ conuiuium accerserent. Quod etiam Amano importunum fuit. Nec enim Regij dulces cibi malè affecto pectori poterant esse salutares. * Vnde ad Eucharisticum epulum documentum assume. Cibus ille, qui *præbet delicias Regibus* pectori odium fouenti in proximum procul dubio exitialis exister.]

Etiam post pœnitentiam, sollicitus fis de peccatis præteritis. Nemo enim scit, vtrum sit exitiale reuocatum edictum.

Præsagium est extremæ ruinæ in Principe secundo à Rege, incepisse nutare.

Exitialis existit Eucharistiæ dulcissimus cibus ei, qui contra proximum odia fouet.

CAPVT VII.

Esther pro sua, ac populi Iudaici vita Regem in conuiuio exhilaratum interpellat. Amanum accusat, quem Rex publicè suspendi iubet è cruce, quam ipse Mardochæo parauerat.

1. INTRAVIT itaque rex & Aman, vt biberent cum regina 2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther vt detur tibi? & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 3. Ad quem illa respondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. 4. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in seruos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem. 5. Respondensque rex Assuetus ait: Quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? 6. Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illicò obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. 7. Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij: intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit vt rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim à rege sibi pararum malum. 8. Qui cùm reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem eius. 9. Dixitque Harbona, vnus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. 10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

COMMEN

COMMENTARII.

I. Esther Regem pro sua populiq; vita interpellat.

VERS. 1.2.3.4.5.6. *Intrauit, &c.*] Illa igitur eadem die, qua Mardochæi triumphus illuxerat, post meridiem paulò, Rex & Amanus Reginæ aulam ingrediuntur vt epulo apparato fruerentur. *Vt biberent* (ait textus) *cum Regina.* Vocant enim Græci συμπόσιον, siue *sympoſia*, quæ Latini *conuiuia.* Hebræi etiam à bibendo משתה *Mithe* conuiuium appellarunt. Quia scilicet in hisce profanis conuiuiis immoderata adhiberi assoleat potio, cuius immoderatus vsus plus quàm cibi immoderatio exponitur, siquidem nimium conuiuæ exhilarantur. * Pudeat Christianorum conuiuia à bibendo similiter annominari.] Cùm iam itaque esset epulum absolutum, & Rex multo maduisset vino, promisit Reginæ iam tertio, quidquid à sua liberalitate concedi vellet. Neque latura (ait) eris repulsam, etiam si dimidiam Regni partem lubeat efflagitare. Ad hæc Regina præfata veniam, & quæ honestè à potentiori benevolentiam captant. Non aliud (inquit) ô Rex postulo quàm vitam, quam in extremam lineam adductam esse queror, non meam solùm, sed meæ gentis, ac populi, qui iam ad ferrum, ac mortem est destinatus. Quod si tantum esset subeunda seruitus quantumcumque ærumnosa & sordida esset calamitas: tacita mecum conditionem seruilem, ac miseram deplorarem. Sed non est res in eo statu, vt silere liceat, aut dissimulare facinus, cum eo pernitioso, ac infideli silentio, Regia etiam salus interea laboret: *Nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in Regem.* Quidnam rogas damni ad Regem ex Amani delicto redundaret? An quia ad Assueri siue salutem siue dignitatem pertinebat, ipsius vxorem, cui ipse Reginæ gloriosum indulserat titulum, esse omnis iniuriæ, aut calamitatis exortem? Ita planè. * Et non pertinebit ad dignitatem cœlestis Numinis Mariam, quam Reginam omnium creaturarum constituit, fuisse à communis labis exortem iniuria?] An quia Amanus priuare conabatur consequenter Regem optatissimo Estheris dilectissimæ osculo & amplexu? Non dubito. * Auderetne Maria communi sententiæ addicta ob furtum Euæ labia mali vetiti succo infecta labiis purissimis sponsi admouere, dum clamat, *Osculetur me osculo oris sui*: aut brachio extensa ad rapinam dulcissimum protenderet ad amplexum?] An quia gens illa vnius hominis voluntati tradita, & deuota ferro, non erat indecora Regno, aut fisco Regio prorsus inutilis: vndè illa sublata non leue res Persica detrimentum caperet? * Magna Regni calamitas est gente priuari.] An quia apud omnes illa non esset leuis infamia, cum nossent, populum pacificum, innoxium, & qui Regi, ac Regno operam nauarant, non inutilem, vno decreto, vno die indicta, imò ignorata causa fuisse deletum? Certè hæc in Regis iniuriâ, & Regni detrimenta redundant. * Admodum indecorum est Regi innoxium subditum condemnare?] * Et ob vnius familiari iniustum desiderium multos morti addicere.] * Et accusatum ignorata, & non probata causa, supplicio afficere.] * At ciuium tributariorum imminutio etiam Regi erat incommoda, quia capitum exiguus numerus facit in reliquis vim Vectigalium increscere, dum à paucis exigitur, quod vel à multis graue erat exolui.] Vera hæc, sed ego existimarim, illis verbis voluisse significare Reginam, Amanum quondam cum duobus Eunuchis in Regis cædem conspirasse. Video id non obscurè sacro in textu significari. Nam cap. 12. 6. grauiter tulisse dicitur Amanus duorum Eunuchorum capitale supplicium, & ideò voluisse nocere Mardochæo. Et cap. 16. 12. Assuerus ipse sic de Amano: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt Regno nos priuare niteretur, & spiritu.* Extincto ergo Mardochæo & Iudæis, quos ipse ad Regis defensionem oblata occasione adduceret, posset Amanus liberiùs infatuatum olim votum explere. *Respondensque Rex Assuerus, ait:* Quisnam ille, qui tantum sibi assumpsit iuris, vt hæc audeat? Non ignorabat Rex, proximis diebus à se fuisse expetitum in aliquot hominum genus edictum: ignorabat tamen Reginam esse Iudæam, & ad Iudæos cruentum illud edictum pertinere; & ideò quasi omnia penitus ignoraret, de illius plagæ imminentis auctore rogitat. * O quoties Rex potest absolutè affirmare, se ignorare quod à Ministris geritur: quia tam perfunctoriè ei negotia narrantur, vt magis experti videatur ab eo cœca confirmatio decreti, quàm decreti expeditio.] Dixitque Esther: Hostis, & pessimus Iudæorum inimicus est Amanus hic, qui tam infandum facinus pectore fouens, tuis assidere oculis non veretur. Hæc audiens Amanus, obstupuit, cum Regis furorem non dubiis agnouisset inditiis: & quid Reginæ, quam esse Iudæam ignorabat, promissum à Rege esset, præsens audisset.

Conuiuia Christianorũ haud à bibẽdo debent nominari.

Ad dignitatem cœlestis Regis pertinet, Mariam sponsam sibi à communis labis exortem iniuria.

Maria sine communi labe, vt sponsus cœlestis dulcissimo eius osculo, ac amplexu frueretur.

Magna Regni calamitas est, gente priuari.

Admodum indecorum est Regi, innoxiũ subditum cõdemnari.

Verſ. 7. 8. 9. 10. *Rex autem, &c.*] Tam subitus casus, tam audax præceptsque consilium, quod iniisset primùm Amanus, & ipse rerum ignarus probauisset, grauiter Regis animum percussit. * Et meritò Regius animus fauciatur, cum comperit, se à Ministro familiari fuisse seductum, dum credulus nimium animus intenti facinoris reus esse exponitur.] Quare vt secum quid facto opus esset, deliberaret, corripuit se de conuiuij loco, & in hortum, qui prope aderat, secessit; quia *iratus* adhuc erat, haud poterat vtilia decernere. * Quod Rex affectus iracundia gerit, est planè obnoxium pœnitudini.] Interim verò Amanus, cùm paratum sibi malum à Rege non dubiis coniecturis intelligeret abiecit se supplex ad Reginam, vt id saltem impetraret à Rege, viuere vt liceret. Quod vnum obstare sublatis aliis, aut vitæ subsidiis, aut dignitatis ornamentis, miserorum est, animi procul dubio abiecti. * Constantis enim animi viro satiùs est vita, quàm honore priuari.] Vsitatum fuit olim apud Græcos & Latinos, & fortasse apud Persas, ad genua alicuius prouolui, eaque osculari, cum eius auxilium implorare curarent, ad aliquam ærumnam imminentem sibi propellendam. Quod expressit in Archemenide Virgil. l. 3. Æneid.

Et ob vnius familiaris desiderium multos perire.

Et accusatum, non probata causa, supplicio affici.

Imminutio ciuium facit alijs exactionem tributorum duriorem.

Multa Rex ignorat, quæ ex nomine à ministris gerũntur.

2. Iubetur Amanus coràm, quod Mardochæo parauerat, ligno suspendi.

Pudeat Regem, nimium ac facilè fuisse credulum.

Quod Princeps actus iracundia gerit, obnoxium erit pœnitudini.

Constantis animi viro satiùs est, vita, quàm honore priuari.

Dixerat, & genua amplexus, genibusq; volutans,
Hærebat,

Videtur ergò Amanus ad triclinarem Reginæ lectum supplicandi gratia prouolutus, amplexus

xus esse genua Estheris, à quo loco, habituque corporis non videbatur abesse flagitium. Cùm autem Rex ex horto se ad conuiuij locum referret sedato aliquantulum furore, rursus multò magis inflammatur animus, cum existimaret priori sceleri additum ab Amano minus tolerabile flagitium. Cùm coniectaret ex loco, in quo se ad Reginæ genua abiecisset, aliquid illum turpius moliri: ideò inclamauit: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea.* Vix verbum hoc de Regis ore exierat, cum Regis ministri Amani faciem obuelarunt: *Statim operuerunt faciem eius.* Cur operta Amani facies? Quia aut hic erat mos apud Persas, vt si quando Rex alicui succenseret, illi facies obuelaretur, ne vultus apertus Regis furorem magis acueret. Aut quia hæc erat Persarum consuetudo, vt illorum, qui mortis declararentur rei, facies obuelaretur. Probat id illa Romanis familiaris forma: *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici suspendito.* Cur autem ministri Regij ante prolatam Regis sententiam Amanum quasi suffigendum cruci operuerunt? Quia illud ipsum flagitium exitio erat agnatum. * Cum delictam admittis, existima iam instare supplicium.] Quia vel suspicio delicti in Reginam perpetrati debet inconcianter diuerberari. * Quisquis in Reginam Dei parentem Dei sponsam affectatè, vel specie tenus deliquisti, puta te iam obnoxium esse flagello.] Miser Amanus ad Reginam impudico non accessit affectu, sed lacrymabili, & tamen vel ille externus seu materialis ad genua mulieris accessus morte multatur. * Mirum fuisset, si vel indifferens. Si vel necessarius fœminæ contactus non esset viro mortis occasio.] Adeerat inibi *Harbona* vnus illorum, per quos eo die accersitus fuerat Amanus ad Reginæ conuiuium, & viderat in Amani domo erectum sublime patibulum, didicerátque illud ad Mardochæi suspendium esse paratum (Sic LXX.) Quare statim Regi commodè subiecit, quod ipse paulo antè in Amani domo vidisset, & quæ esset de Mardochæi morte hominum expectatio. Rex autem in illud ipsum lignum, quod Mardochæi suspendio fuerat destinatum, Amanum agi imperat, non tamen in illius domo; sed in loco magis frequenti ac publico, vbi spectatorum essent maximi conuentus. Iubet igitur Rex ex Amani domo transferri illud lignum habens quinquaginta cubitos altitudinis, & in Susorum porta publicè defigi. Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod Mardochæo parauerat, & furoris æstus, qui Mardochæi causa in Regio pectore commouerat, Amano sublato deferbuit. * Hunc finem habet humana, quæ non tàm est vera, quàm somniata fælicitas. Quid sperari possit ab humana dextera, quæ eodem eiicit impetu è sublimi loco, quo eundem hominem in eumdem paulo antè sustulerat?] * Sed multò minus aliis Amani ruina miserabilis, cum eodem in ligno periret homo nocentissimus, in quod innocentem hominem agere studebat. Sed lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam, quam fecit.] Exemplum reliquit Amanus omnibus sæculis insigne, ne aulici sperent in Principibus, *in quibus non est salus.* Solum debent in illo sperare Principe, cuius vel nomen salutare, *Iesus* enim dicitur à salute, quam in se sperantibus impertit.] Demùm sibi peccatores persuadeant, peccatum vel in hoc sæculo haud futurum immune à supplicio.]

Cum peccatum admittis, existimà iam instare supplicium.

Quisquis in Mariam vel specie tenus deliquerit affectatè, se obnoxium putet esse flagello.

Mirum erit, si vel indifferens fœminæ

attactus tibi non sit occasio mortis.

Finem tragicũ habet vel somniata fœlicitas.

CAPVT VIII.

Mardochæus in locum Amanis sufficitur. Impetrat ab Assuero Esther, vt impiæ Amanis literæ de trucidandis vbique Iudæis obliterentur, & nouæ in ipsos Iudæorum hostes inscribantur. Vnde maximum vbique gaudium exurgit.

1. DIE illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman aduersarij Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quòd esset patruus suus. 2 Tulítque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. 3. Nec his contenta, procedit ad pedes regis, fleuítque, & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri. 4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur illáque consurgens stetit ante eum, 5. & ait: placet regi, & si inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria: obsecro, vt nouis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouinciis perire præceperat, corrigantur. 6. Quomodò enim poterò sustinere necem & interfectionem populi mei? 7. Respondítque rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci, quia ausus est manum

mittere

mittere in Iudæos. 8. Scribite ergo Iudæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, vt epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. 9. Accitíque scribis & librariis regis (erat autem tempus tertij mensis, qui appellabatur Siban) vigesima & tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque & iudices, qui centum viginti septem prouinciis ab India vsque ad Æthiopiam præsidebant; prouinciæ, atque prouinciæ, populo & populo, iuxta linguas & literas suas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire. 10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios: qui per omnes prouincias discurrentes, veteres literas nouis nunciis præuenirent. 11. Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos, cum coniugibus ac liberis & vniuersis domibus, interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent. 12. Et constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar. 13. Summáque epistolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis. 14. Egressíque sunt veredarij celeres nuncia perferentes, & edictum regis pependit in Susan. 15. Mardochæus autem, de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Omníque ciuitas exultauit, atque lætata est. 16. Iudæis autem nouo lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. 17. Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia, & festus dies: in tantum vt plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni & ceremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.

COMMENTARII.

1. Mardochæus in locum Amani sufficitur.

VERS. 1. 2. *Die illo, &c.*] Eodem die, quo periit Amanus Maiestatis læsæ reus, eius proscripta fuére bona, & Regio fisco addicta. Rex autem Assuerus bona sibi ex lege ac consuetudine debita, & ab Amani familia iam erepta Reginæ dedit; domum scilicet opulentam, & egregiè instructam, possessiones, agros, & immensas opes, quales se habere gloriabatur, & superbè iactauerat cap. 5. 11. & quales assolent primarij aulici ex munere Regio sibi adcíscere. Mardochæa, cui ante hoc tempus licebat (vt puto) in aula Regia commorari, vel quia nobilis erat, & eo nomine Assuerus voluit illum habere ministrum, sicut Salmanasar Tobiam: vel quia aliquo dono eum prosecutus est, postquam duorum Eunuchorum prodidit insidias, sed quia exiguum erat pro tanto merito illud relatum munus, aut quia in aula expectare iusserat magnum aliquod præmium, cuius tamen iam memoriam abiecerat. Quo modocumque autem fuerit, sic Mardochæus in Regis aula morabatur tanquàm si alienus foret, & nullo modo ad Regis familiam pertineret. Nunc autem ad faciem suam & intimam admittit necessitudinem, quod admodùm paucis erat concessum. Porrò ad eiusmodi dignitatem aditum aperuit Reginæ cognatio: nam licet ad id illud tempus Iudæum esse sciret, & se ab homine Iudæo seruatum esse non ignorauerit (quia id ab Esthere, me auctore, cognouerat) tamen cognatum esse Reginæ, & illum ab ea pro patre coli nesciebat, vsque dum ipsa professa est ingenuè, quod patruus suus existeret. * Vir fidelis etga Regem, licet fuisset vili ex genere ortus, poteſt Regio stirpi augustum exhibere principium.] Illud amplius expende: *Mardochæus stũ dare principium. ingressus est ante faciem Regis*, id est, ad intimam Regis consuetudinem. Hoc enim est videre fácie m Regis. Et eadem metaphora dicuntur Angeli *semper* videre *faciem Patris* cœlestis. Matt. 18. vti expositi Madonatus. * Hinc iusto- *Perfectorum vita vel in* rum eximiæ perfectionis vel hîc beatitudinem *hoc sæcula* contemplari licet. Nam si beatus est qui Deum *beata quo-* videt, & qui cum Deo intimam ineunt consue- *dammodò* tudinem, Deum quodammodò videre dicuntur; *est.* perfectorum vitam haud dubites vel hîc vocitare beatum.] Amano Assuerus dederat annulum sua è manu detractum, quo obsignaret literas, in quibus Iudæorum interitus decernebatur: hunc procul dubio Regi statim atque consignatæ sunt literæ Amanus reddidit. Fuit item alius annulus, quo Regis nomine signabantur literæ, qui à Regia fide & auctoritate procul abeſrat, & ideò grauioribus causis non adhibebatur. Hoc donabantur viri Principes, quorum fidei Rex sua impertiebatur consilia, quo quasi Regibus affines & auctoritate proximi censebantur. Hunc habuit à Rege familiarem, ac proprium Amanus. Cùm autem exauctorandus fuit, sublatus est ab illo annulus, ac traditus Mardochæo, qui Amani loco suffectus fuit. Esther autem constituit Mardochæum *super domum suam*, seu tradidit ei Amani domum, quam à Regia liberalitate acceperat, vt illa vteretur pro sua, quod tradit Iosephus lib. *Vera Esther* 11. Antig. c. 6. & est Estheris ingenio consen- *Maria dona à* taneum, præcipuè ex quo capite Deiparæ gessit *Deo accepta* simulacrum. Munificentissima namque Deipara; *largiter im-* quod vberrimè cœlesti accipit ab Assuero, lar- *pertit homi-* giter adeò impertit hominibus, vt, ni semper *nibus.*

esset

esset gratia plena, ex hac posset pia prodigalitate depauperari.] Attamen ferarij mei venia, existimo id hoc loco Estherem voluisse, vt res omnes, atque familias Mardochæus suo componeret arbitratu: quin etiam suiipsius, sicut antea, potestatem tradidit: neque quidquam ab eius dispositione exemptum esse voluit.

2. Petit Esther, vt ferale in Iudæos decretum contrario præscripto abrogaretur.

Vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Nec his, &c.*] Adhuc cogitabat Esther populo suo consuli oportere, qui Regio decreto Amani preces supplicio erat capitali deuotus. Atque ideò non vocata supplex sese ad Regios pedes aduoluit: quàm Rex extensa virga, sicut antè fecerat, ab omni excussit metu, eique loquendi fecit libertatem. Quæ cum fletu ad impetrandum efficacissimo profatur: Nouo ô Rex, decreto impetratas de Iudæorum cæde ab Amano abroga literas, quæ iàm dispersæ omnes Imperij Persici Prouincias impleuerunt. Necrepellendæ preces, quæ piè pro populi incolumitate laborant. Quis enim non ægrè ferat gentem suam funditùs interire? aut quis communem illum interitum quanta poterit contentione non depellat? Preme particulam, *Veteres Aman literæ.* Non dixit Regis literæ, sed Amani, quia inuidiosum fuisset, *Regis literas* vocitare: nam illæ erant more Persico irreuocabiles. Quare Esther prudentissima ferales illas, quas abolitas volebat, non Regis, sed Amani literas vocat; vt cum illas reuocaret Rex, non suum, sed Amani decretum reuocasse videretur. Et quidem verè potuit asserere Regina edictum illud non Regis, sed Amani fuisse. Quia hæ, quas Ministri Regij literas, aut decreta proferunt quasi furtim, non plenè certiore facto Rege de illius conuenientia: non quidem Regis, sed Ministrorum vocitandæ præscriptiones.] Et illud expende: *Fleuit, & locutus ad eum orauit.* Quomodo non assequeretur Regina, quod prorsus lacrymis postulauit? * Preces quidem ex lacrymis ineffabilem trahunt efficaciam. Vndè Rex illicò sceptrum protendit in benignitatis signum.] *At ille sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur.* * Cum videris Deum ad te sceptrum, seu Crucem extendere, siue cruciatibus te esse donatum, existima tibi diuinæ benignitatis documentum exhiberi.] * Addit textus: *Illaque consurgens, stetit ante eum, & ait:* Cum te videris Cruce dominica donatum, seu afflictionum cruciatu affectum, confidens exsurge, ota Dominum confidenter.] Neque illa orationis conditio sine pondere prætereat: *Si placet Regi, & si inuenit gratiam in oculis eius, & si deprecatio mea non ei videtur esse contraria.* Duplex ad impetrandum signatur orationis conditio. * Prima, vt orans diuinis placeat oculis, siuè Numini grarioſus existat. Quomodò enim ab inimico poterit impetrare?] * Secunda, vt petitio placeat, seu contraria non sit diuinæ dispositioni, quæ nostram melius exigentiam & quid oporteat magis, agnoscit.] Porrò illa sceptri Regalis extensio innuit, Estherem non vocatam cum vitæ periculo adisse Regem, vt à populo arceret imminentem plagam, quod putarim fecisse Mardochæi consilio. * Omnia enim pericula facilè superat, qui communitatis commodis studet.] Vt Euangelici ministri ediscant spiritualis necis pericula facilè superari ab eo, qui proximorum saluti operam impendit.] Respondit igitur Rex Assuerus Reginæ, ac Mardochæo qui simul aderat: Quàm libenter, quàm facilè postulatis annuam, nempè vt Iudæi viuant, & nihil illis accidat aduersi, quandò ideò iussi Amanum in crucem agi, & bona illius vniuersa proscribi; quia in illos edictum, & populorum odia ac manus armauerat. Quare iubeo, vt alias literas quomodò vobis, & Iudæorum genti magis videantur ex vsu futuræ, Regio scribatis ex nomine, meoque annulo consignetis. Quibus ea ratione communitis nemo audebat obsistere, aut contra salua vita, aut honore mutire.

Non timeat spiritualiter interire, qui proximorum saluti operam impendit.

Decreta, quæ Ministri nomine Regis proferunt, non plenè certiore facto Rege de Regis, sed Ministrorum decreta sunt.

Preces & lacrymis ineffabilem trahũt efficaciam.

Laboribus angi peccatorum, signum est Dei profusa benignitatis ad veniam.

Labores orationi dant cõfidentiam.

Oraturus efficaciter, in gratia existat.

Debemus petere id, quod diuina placuerit voluntati.

Pericula superat, qui cõmunitatis cõmodis studet.

Vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *Accitisque, &c.*] Tertius agebatur Mensis, qui à Chaldæis appellatur *Siban* & nostro partim Majo, partim Iunio respondet: & illius dies decimus tertius, tertio quidem mense, postquam aliæ literæ scriptæ fuerant ab Amano, scriptæ fuere aliæ à Mardochæo, annuente Rege, quæ magno Iudæos, qui tribus mensibus in metu vixerant, angore liberarunt. Tunc ergo Mardochæus Scribas Regis & Librarios asciuit, scribique iussit epistolas multas, & varias pro vario Prouinciarum idiomate ad Prouinciarum, populorumque procuratores, Præfectos, Satrapas & Iudices ab India vsque ad Æthyopiam, ad quos terminos Imperij Persici amplitudo diffunditur: qui vt variis vtebantur linguis, sic vario literæ ad eos notabantur idiomate. Pro duplici illo vocabulo Accitis Scribis, & Librariis, Hebraicè vnicum apponitur סֹפְרִי *Sophere.* At quia vox Hebræa latiùs patet quàm Latina *Scriba*, aut *Library.* Ideò noster Interpres cum vim totam nominis vna tantum voce assequi non posset, duabus expressit. Scio, Lyranum discrimen inuenisse inter Scribam & Librarium, quod Scriba præit, & dictat scribenda; Librarius excipit dictata. Ille autem dicendi modus, *Prouinciæ, & Prouinciæ: populo, & populo,* vniuersale aliquid significat, & idem valet, quod *singulis Prouinciis ac populis.* Illæ itaquè epistolæ tot notatæ linguis, imò & literarum formis, quot erant in illo Imperio, & Regio signaculo munitæ, per omnes Prouincias dimissæ sunt: vt arma inhiberent, quæ essent in Iudæorum caput comparata. Quare per veredarios, qui mutatis ad designata interualla iumentis, breuissimo tempore immensa decurrebant spatia. Porrò in his epistolis Regio nomine continebatur primùm, vt (quod antè non licebat) in vnum locum; in quacumque Ciuitate degerent, conuenire possent Iudæi, & facto cuneo, omnem vim & impetum hostilem depellere, ac deniquè pro suis animabus ac commodis pugnare. Ac deniquè omnes inimicos, quorum videbant ferrum in sua viscera distringi, sic accipere, quomodò ab illis essent accepti, nisi Deus statum rerum admirabili conuersione mutasset, occisis eorum coniugibus ac liberis, direptis bonis, & domibus ab imo fundamine subuersis. * Quia non minori Deus supplicio vindicat iniquam cogitationem, quàm opus iniquum.] Exierat fortitò dies decima tertia mensis Adar, siue Februarij, in qua ferro agendum esset de vniuerso Iudæorum genere, quod anidissimè expectabat Amanus, & qui ipsius obsequebantur studio. Idem ergo ille dies illorum

3. Assueridecretum Iudæos protegens, ac vindicans.

Deus cogitationem iniquam, nõ minùs punit, quàm iniquum opus.

cædi

cædi destinatus est, qui ad Iudæorum cædem anhelabant. Vt sicut illud lignum, quod Amanus Mardochæo parauerat auctori suo lethale fuit, sic etiam dies Iudæorum cædi designatus fatalis illis foret, qui suum furorem, ac ferrum ad illum diem in Iudæorum acuerant interitum. * Frequenter enim Deus supplicium ad peccati componit similitudinem, à nostra quasi edoctus iniquitate.] At epistolæ Regis (quæ cap. 16. latè proponitur) hæc erat summa: paratos esse Iudæos, permittente Rege, vt in omnibus Prouinciis, ac populis, qui Persico subessent Imperio, vt non solùm suam tuerentur vitam, sed etiam suas vlciscerentur iniurias. Quas literas pertulerunt præpropero cursu veredarij Regij: & edictum illud Susis loco maximè frequenti fuit propositum. Quemadmodùm edictum contra Iudæos Susis fuerat publicè expressum in loco. Cæterùm Mardochæus qui paulo antè sacco horrebat, & cineri & vestimenta concissa in suo angore portabat: iam sacco deposito, torus splender, & alius, se repentè Regio fulget amictu. E palatio egrediens, vestimenta ostentabat iacinthini, ac *aerij*, seu candidi coloris. Regiam gestabat coronam, non quidem radiis solaribus instructam, qualis erat Regia; aurea enim materia in varias potuit informari species, quæ varios hominum ordines ostenderent. * Princeps Regium habitum imitetur, sed non ipse Rex esse videatur. *Coronam auream gestet in capite*, seu maiestatem ostentet, quæ deceat Ministrum, non quæ subditis Regem eum exponat.] Pallium sericum Mardochæi pendebat ex humeris. De *serico* certant auctores. Quidam lanuginem esse putant, quam ex arboribus depectunt, & colligunt feres, à quibus accepit nomen. Alij nasci existimant apud feras vermiculum, cuius opus est sericum, quod idem cum bombycine esse dicunt. Certè Mardochæi illud pallium siue depecteretur ab arbore, siue à bombyce elaboraretur (quod verius putarim) res erat pretiosa; neque enim mediocre aliquid cum amictu Regio & aurea corona conueniret. Certè non solùm Iudæi, ad quos honor ille pertinebat præcipuè, sed alieni etiam à religione & genere de illa rerum mutatione gaudebant sibi & Iudæis gratulabantur: *Omnis ciuitas exultauit, atque lætata est.* * Non existimes te verè esse fælicem, cum ad publicam dignitatem assumeris, si tota communitas non collætetur. Vnus enim auersus assolet totius fælicitatis gloriam obnubilare, vt accidit Amano in fælici quidem ex Mardochæi pia circa iniquam adorationem pertinacia.] * Perfectissimum se Præsulem ostendit, qui subditis omnibus gratus exponitur, quod vix accidet vnquam.] Existimo verò illam communem ortam fuisse lætitiam, aut quia male erant ciues in Amanum affecti, aut quia non malè in Iudæos animati.

Componit Deus supplicium ad peccati similitudinem à nostra velut edoctus iniquitate.

Princeps familiaris Regis Regiam maiestatem imitetur, sed non Rex ipse esse videatur.

Princeps non existimet se esse verè felicem, nisi omnibus cõmunitatis gratus existat.

Perfectissimus Præsul, qui se cunctis subditis exhibet gratum.

* Agnata est populi lætitia, cum Princeps secundus à Rege nouus exsurgit. Putant enim subditi prioris reparandos esse defectus, & non semel noua ex gubernatione vetus apparet melior fuisse fortuna.] * Nec dubito, ciues male fuisse in Amanum affectos. Quia tot congestæ diuitiæ, de quibus ille gloriabatur, raro sine subditorum iniuria coalescunt.] Attamen crediderim præcipuum Vrbis gaudium indè ortum habuisse, quod cognouerint, Reginam Esthere tam amabilem Regi, tam piam, tam pulchram, tam gratam subditis, esse Iudæam; vndè omnium Iudæorum fælicitas gratior cunctis apparuit. * Vt è Gentilibus ediscamus, omnia, quæ ad Deiparam in Esthere figuratam, pertinere videantur, nobis debere esse gratissima.] Grati sint illius elogiorum præcones, grata sint Mariana sodalitia, grati sint qui publicè illa exponunt encomia; *Maria sine labe concepta.* grati sint qui Volumina de illius preconiis euulgant.] Profectò non solùm Susiani, apud quos tunc Regina ac Mardochæus degebant, de Iudæorum meliori lætabantur statu; sed etiam ciuitates aliæ quantumcumque dissitæ, ad quas Regiæ perferebantur literæ. Vndè festiuis ludis atque tripudiis diem illum fortunatum exhilarabant, similesque alios sibi, ac posteris more penè legitimo precantur. Imò ex aliena religione non pauci ad Iudæorum religionem & sacra, quod antè facere non audebant, transfugerint. Quia, vbi Regio decreto exaltatus fuit Mardochæus, & in meliorem statum adducta Iudæorum fortuna, quod non videbatur, ab humano fieri posse potentia: tunc venerari cœperunt, quos priùs contempsissent: & eorum seriò ac verè religionem amplecti. Scio, Iosephum putauisse Gentiles illos ad Iudæorum sacra sese recepisse illorum metu; quia cum non ignorarent, quid illis fuisset ab Assuero concessum Iudaicæ professione religionis eorum gratiam voluerunt promereri. Quæ Iosephi cogitatio illis verbis nititur: *Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* Tamen, me interprete, *terror, timor & horror* admirationem, venerationem, & obseruantiam sæpè in Scriptura significat, nec aliud hîc *terrorem* sibi velle putarim. * At licet Iosepho credam, non putò fictè illos Iudaicam iniisse religionem, sed verè. Sæpè enim terror, aut timor nos agit ad virtutem, quam fortasse, eiusmodi terrore non aduentante, non sectaremur: & tamen eam seriò sectamur. Dei beneficium magnum existimo esse, nos alicuius futuri incommodi aut supplicij terrore affici, vt ad meliora agamur.]

Agnata est populi lætitia, cum Princeps secundus à Rege nouus exsurgit.

Ministrorum diuitiæ raro sine subditorum iniuria coalescunt.

Omnia, quæ ad Deiparam pertinere videntur, nobis debent esse gratissima.

Magnum est Dei beneficium, nos alicuius incõmodi, aut futuri supplicij terrore agi, vt auertamur à crimine.

CAPVT IX.

Eodem, quo Iudæorum hostes eos cædere præstituerant, die, passim ab eis comminuuntur. Decem Amani filij è patibulis suspenduntur. Et dies sortium decima quarta, & decima quinta mensis Adar seu Februarij perpetuò solemnes esse iubentur.

1. IGITVR duodecimi mensis, quem Adar vocari antè iam diximus, tertia decima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersariis vindicare. 2. Congregatíque sunt per singulas ciuitates, oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos & persecutores suos. Nullúsque ausus est resistere, eò quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 3. Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omníque dignitas quæ singulis locis, ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi: 4. quem principem esse palatij, & plurimum posse cognouerant: fama quoque nominis eius crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. 5. Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi parauerant facere: 6. In tantum vt etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina: 7. Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha, 8. & Phoratha, & Adalia, & Aridatha, 9. & Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Iezatha. 10. Quos cùm occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. 11. Statímque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est. 12. Qui dixit reginæ: In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in vniuersis prouinciis? Quid vltrà postulas, & quid vis vt fieri iubeam? 13. Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis suspendantur. 14. Præcepítque rex vt ita fieret. Statímque in Susan pependit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt. 15. Congregatis Iudæis quarta decima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est. 16. Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus, ac persecutoribus suis: in tantum vt septuaginta quinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantia eorum quidquam contingeret. 17. Dies autem tertius decimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit: & quarta decima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio, atque conuiuiis. 18. At hi qui in vrbe Susan eædem exercuerant, tertio decimo, & quarto decimo die eiusdem mensis in cæde versati sunt: quinto decimo autem die, percurere desierunt. Et idcircò eundem diem constituerunt solemnem epularum, atque lætitiæ. 19. Hi verò Iudæi, qui in oppidis non muratis, ac villis morabantur, quartum decimum diem mensis Adar conuiuiorum, & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant sibi mutuò partes epularum & ciborum. 20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul: 21. vt quartam decimam, & quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & reuertente semper anno solemni celebrarent honore: 22. quia in ipsis diebus se vlti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus, atque tristitia in hilaritatem, gaudiúmque conuersa sunt: essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur. 23. Susceperúntque Iudæi in solemnem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandauerat.

dauerat. 24. Aman enim, filius Amadathi ſtirpis Agag, hoſtis & aduerſarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret illos, atque deleret: & miſit phur, quod noſtrâ lingua vertitur in ſortem. 25. Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad regem, obſecrans vt conatus eius, literis regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipſum & filios eius affixerunt cruci: 26. atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt phurim, id eſt ſortium: eo quòd phur, id eſt ſors, in vrnam miſſa fuerit. Et cuncta quæ geſta ſunt, epiſtolæ, id eſt libri huius, volumine continentur: 27. quæque ſuſtinuerunt, & quæ deinceps immutata ſunt, ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum, & ſuper cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere: quos Scriptura teſtatur, & certa expetunt tempora, annis ſibi iugiter ſuccedentibus. 28. Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per ſingulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas, in qua dies phurim, id eſt ſortium, non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremoniis obligata eſt. 29. Scripſerúntque Eſther regina filia Abihail, & Mardochæis Iudæus, etiam ſecundam epiſtolam, vt omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum: 30. & miſerunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti ſeptem prouinciis regis Aſſueri verſabantur, vt haberent pacem, & ſuſciperent veritatem, 31. obſeruantes dies ſortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent: ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther: & illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe & à ſemine ſuo, ieiunia & clamores, & ſortium dies, 32. & omnia, quæ libri huius, qui vocatur Eſther, hiſtoriâ continentur.

COMMENTARII.

1. Iudæi hoſtes ſuos trucidant, & decem filios Amani patibulo ſuſpendunt.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Igitur, &c.*] Conſtituerat igitur Amanus, vt Iudæi die decima tertia menſis Adar ſiue Februarij perirent. At Deus, qui iuſta trutina cuncta diſpenſat, conſtituit, vt illa ipſa dies fatalis eſſet Amani domui, & illis, qui cum Amano in Iudæorum cædem conſpiraſſent. Poſtquàm dies illa decima tertia illuxit tàm candida Iudæis, quàm eius hoſtibus nubila, in omnibus Ciuitatibus, vbi ſe prius Iudæi in tenebras abdiderant, quia timebant omnia; iam audent è tenebris prodire, & dare ſe in omnium conſpectum; illiſque eſſe terribiles, à quibus ipſis nuper terror proponebatur. Profectò nullus contra Regis edictum, aut Iudæorum alacres, minaceſque voces hiſcere eſt auſus, quia inſitus metus debilitarat animum, vocem incluſerat. Cùm itaque Principes, Iudices, Primores, Duces Perſarum mandarum ſeuerum (cap. 16. latè) à Rege accepiſſent, & accederet inſuper Mardochæi timor, & obſeruantia, cuius apud Regem videbant auctoritatem eſſe maximam, & cuius vbique gentium nomen magis ac magis in dies ſingulos, fiebat illuſtre: adiuuabant Iudæos, & eorum conatus vel inuiti egregiè promouere curabant. * Preme clauſulam, *Nam & Prouinciarum Iudices, & Procuratores, omniſque dignitas extollebant Iudæos timore Mardochæi.* Anne magis Mardochæi timore quam Regis agebantur vt Iudæis illi fauerent? Ita planè. Nam Principis familiaris vel ſecundi à Rege vultus placidus aut ſeuerus magis afficit ſubditos, cum Regia voluntas ad eius placitum componatur.] *Quem* (ait textus) *Principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerunt.* Dicitur Mardochæus palatij Princeps, quia omnium erat primus, & Regi auctoritate proximus, cuius arbitratu adminiſtrabantur, quæ ad palatij curam pertinebant. Paraphraſis Chaldaica illum dicit fuiſſe *quaſi palatij Patrem*, quem omnes obſeruarent, & colerent. * Pulchrè vt ſubmiſſionem ſubditorum omnium præſtitam Mardochæo Chaldæus exprimeret, eum Patrem appellat palatij, quia agnata debet eſſe filiis erga patrem ſubmiſſio, promptumque circa eius præſcripta obſequium.] * Et pulchrius qui palatio, ac Reipublicæ præeſt, Pater eſt appellatus; quia non aptè ſe Principem auguſtum oſtendit, qui non exerit circa ſubditos patris officium.] Cùm ergo Iudæis conſtaret, profeſtare Prouinciatum, ac Ciuitatum, Principes auſi ſunt in vnum congregati ſuos inimicos ferro petere, & cogere, vt poculum vel inuiti biberent, quod Amano priùs aſſentati aliis propinare ſtuduerant. Sic autem illi auidè ac ſtrenuè graſſati ſunt, vt in Suſis Ciuitate Regia quingenti viri ferro Iudæorum vno die ceciderint præter decem Amani filios, quorum hæc ſunt nomina: Pharſandatha, Delphon, Eſphatha, Phoratha, Adalia, Aridatha, Phermeſta, Ariſai, Aridai, & Iezatha. Porrò quo tempore Regium decretũ hoc editũ fuit, id eſt, Menſe Sebat, qui partim Majo, partim Iunio noſtro reſpondet, iam Amanii filij eodem, cui pater, affixi erant patibulo, ſic apertè in Regio edicto Cap. 16. 18. *Pro quo ſcelere ante portas huius Vrbis, id eſt, Suſan., & ipſe, qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulo.* Quomodò ergo ad tempus huius cædis promiſcuæ adſeruatos dicimus decem filios Amani? An quia parente Principe è ligno pendente quaſi omnis generatio, omnes pendebant filij, vxor, ac reliqui propinqui? * Certè in patre omnes quodammodo filij, in rectore familiæ omnis familia continetur. Vndè cum è cruce vtiliter parens pendebat, filij eâdem infamiâ afficiebantur.] Pendet Amanus è patibulo? Actum iam eſſe de vxore ac de filij exiſtima. * Vt hinc Deiparæ Martyrium

Subditi aſſoleſcit magis afficiri timore Principis familiaris Regis, quàm Regis ipſius.

Submiſſionis nihil eſt, quæ filius debet eſſe patri.

Præſul ille egregius, qui ſubditis ſe patrem oſtendit.

Dum infamatur pater in eo omnes filij afficiuntur infamia. Quia filij in parente.

Deipara ex

eadem Cruce cum filio, ac sponso pendet.

rimari liceat. Pendet filius, pendet sponsus, haud dubito, quin Dei parens eidem ligno fuerit illigata.] An quia ibi per *cognitionem*. Amani non filij, sed cognati, & alij similes propinqui intelliguntur? Sic Tyrinus. Sed aptiùs respondeo, Amanum plurimos habuisse filios, quia diues cum esset, tot poterat habere vxores & concubinas, quot alendis facultas sufficeret. Ex horum ergo plurium filiorum numero Assuerus reliquos cum Amano egit in crucem præter decem, superstites quidem, vel quia quid Rex agere meditaretur, odorati sunt, & maturè se illius furori subduxerant: vel quia ab Vrbe aberant, nec illos esse in rerum natura Rex arbitraretur. Atque ideò dixit in suo edicto, vniuersam Amani cognationem fuisse suspensam. Post octo verò menses, cum hi quoque Amano parente prognati esse cognoscerentur, ferro Iudæorum fuére trucidati, ne ex scelerata stirpe soboles superesset. Probat expositionem id, quod v. 12. additur; *Et alios decem filios Aman.* Quasi dicat, illos quoque filios Amani decem, qui è numerosa filiorum Sobole supererant. Verùm Iudæi neque in Susan, neque vllo alio loco, licet edicto Regio eis potestas facta esset, spolia hostium diripiendi, prædas ex substantiis eorum *tangere noluerunt.* Nempe palam facere curarunt, se non opes, sed solum vitam, & incolumitatem optare. Et ne dici posset, propter fortunas suas aliquem innocentem fuisse iugulatum, prudenter ab omnium fortunis sibi temperarunt Ah, quàm sæpè Christianos milites, adeóque & ipsos duces præda nimium excœcat. Vile quidem est, pro præda, & non pro Dei gloria, Regis honore, aut defensione patriæ pugnare.] Illud preme, *Prædas tangere noluerunt.* Non solùm non arripuere prædas, sed nec attingere voluere. Diuitiæ enim talis sunt adhærentiæ, vt si ad illas manus admoueas, difficillimè eas valeas excutere. Liceat vulgariter explicare, *Son muy pegajosas las riquezas.*]

Vile est, pugnare pro præda, & non pro Dei gloria, aut patriæ defensione. Diuitiæ sunt adhærentiæ tantæ, vt si tangas, vix possis è manu excutere.

2. Vindictæ Iudæorum perfectio.

Verſ. 11.12.13.14.15.16.17.18.19. *Statimque, &c.*] Cum verò Assuerus didicisset, quot in Vrbe Regia fuissent interfecti, in quibus fuerant decem Amani filij, qui reliqui fuerant è numerosa filiorum turba, & inde non temerè coniectaret, in toto Imperio plurimos cecidisse: rogat Reginam (cum offensione vt apparet, quasi districtum Iudæorum ferrum cohiberet:) Quid ampliùs vis? Annon tuo, tuorúmque furori satisfactum putas? Annon saris ab odiosa turba sumptum est supplicij? * Hoc ex capite Esther typum meæ Dominæ non gessit. Deipara enim non rogat odiosos interfici peccatores; sed veniâ donari.] *Quid vltra postulas* (Rex addit), *quid vis, vt fieri iubeam?* Cui illa respondit: Oro si placeat tibi ô Rex, vt liceat, etiam sequenti die, id est, decima quarta, eodem modo in Susis tantùm in Iudaici nominis vlteriùs hostes bacchari, & coniuratæ in nos turbæ reliquias extinguere. Prudēs virago agnoscebat, haud perfectam esse victoriam, dum reliquiæ hostium remanebant immunes.

Maria non rogat, peccatores interfici, sed veniâ donari.

Dum vitij remanet incolumis vel leuis affectus, imperfecta est victoria.

* Id quod ad spiritum facilè aptabis. Dum vitij manet incolumis vel leuis affectus, existima, te de imperfecta victoria gloriari.] Deindè, quia non satis Amani scelerata soboles pœnarum dedit, nisi ad mortis acerbitatem accedat infamia, cupio, vt decem filiorum cadauera, quæ hesterna die lacerata fuere, in patibulo suspendantur, vt subeant, quam pater duobus antè mensibus pertulit ignominiam. * Quis dubitet, ignominiam nece esse diriorem?] Annuit Rex Estheris precibus, & Regium edictum in loco Ciuitatis maximè frequenti propositum est, & Amani filij in ligno suspensi. Iudæi verò in Vrbe Regia hostiliter grassati trecentos alios viros neci dedére, neque de illorum bonis quidquam sibi adaptarunt. Quidnam de corporibus Amani ac filiorum ligno addictis actum? Crediderim, diu in ligno prostitutum fuisse Amani cadauer, donec à coruo aut vulture carperetur, aut totus à temporis iniuria tabesceret, ac flueret: & eadem passos illius filios postquam in lignum paterno simile fuere sublati. Atque ideò ad portam dicuntur esse suspensi, extra Vrbem, opinor, cum intra Vrbem horribile esset, & molestum putridum illud & tetri odoris diuturnum spectaculum. Quod verò Iudæi gessére Susis die decima tertia ac decima quarta, idem reliquis in Prouinciis atque Vrbibus fecerunt alij ea confidentia atque animi ardore, vt hominum septuaginta quinque millia confecerint. Neque tamen, sicut Susis alios fecisse diximus, ad illorum prædam vllus è tanto numero manus admouit. * Nam cum Vrbs Regia sit reliquarum Ciuitatum exemplar, si Regia in Vrbe geritur deprædatio, in reliquis assident prædatores. At si in Regia Vrbe manus ciuium non exeruntur ad rapinam, id reliquarum Vrbium ciues æmulantur.] Vbi autem dies decimus quartus illuxit grassanti cædi modum imposuit: qui Iudæis solemnis fuit, & sacer: quem quotannis læti obeunt, ac celebrant cum gaudio publico, ac geniali mensa. Potrò cum adhuc viuit hostis, & adhuc homo accinctus est gladio, neque omnino pacifica victoria: non est locus quieti, & multò minus triumphali tripudio. Quare neque dies decima tertia Ciuitatibus aliis præter Susa idonea erat geniali mensæ, & de parta victoria gratulationi communi; quia dies erat pugnæ atque timoris: neque iis, qui morabantur Susis, decima quarta; quia illa die non segniùs quàm præcedenti, neque cum minori periculo pugnatum fuit. Quare Susis decima quinta dies solemnis fuit, aliis verò Prouinciis, imò Susianæ Prouinciæ Ciuitatibus aliis, ac Villis non muratis decima quarta; quia illa die cessatum est ab armis, & res Iudaica meliori ratione constituta. * Subtraxentur hinc regna, quorum in Vrbibus tripudij cythara resonat, dum ardent Prouinciæ, perpetuo bellorum æstu inuoluuntur, agri passim vastantur, diripiuntur oppida, incenduntur, euertuntur, capiuntur homines, ac cæduntur.] Quæsieris, quonammodò sine scelere potuerint Iudæi iniurias suas propria manu atque opera vlcisci, cum Deus sibi illarum, & similium vltionem vindicauerit. *Mea est vltio, ait, & ego retribuam in tempore.* Deut. 32.33. Respondeo, publicam interfuisse auctoritatem, quæ gladium illis porrigere potuit, quo in sceleratorum capita fæuirent. Quare si Assuerus dignos morte putauit eos, qui contra Iudæos violentas manus armauerant, gladium sibi à Regio nomine concessum porrigere Iudæis potuit. Principes enim gladium in sua auguratione portant, Paulo testante Rom. 13. *Si malum feceris, time* (maiorem

Ignominia est nece dirior.

Si ciues Vrbis Regiæ non furantur, reliquarum Vrbium ciues abstinent à rapina.

Subtraxantur Regna, in quorum Vrbibus tripudij resonat cythara, dum horribili simul bello premimur.

potesta

poteſtatem;) *non enim ſine cauſa gladium portat.* Sic Moyſes Exo. 32.27. armauit Leuitarum manus contra vituli cultores. Fateor, ais, Regem potuiſſe Iudæis gladium porrigere, eoſque voluiſſe legitimè in hoſtes irruere. At quæ lex videri ſancta potuit, quæ etiam innocentes ſupplicio capitali addiceret? Quis enim addubitare poteſt, in tanto occiſorum numero multos fuiſſe innocentes. Certè hæc erat Perſarum conſuetudo, vt propter vnius peccatum omnes illius propinqui plecterentur, vti Ammian. Marcellin. l. 23. aſſerit. At Mardochæus ſanctiſſimus haud huius legis prætextui hæſit, ſed cum octo menſes interceſſiſſent inter conſcriptionem & executionem edicti, ſatis explorare potuit Mardochæus Suſis, & alij eius imperio in ſuis Ciuitatibus, quinam ex Amani ſtudioſis admiſiſſent pœna capitali dignum. Neque ampliùs erat à Regis decreto permiſſum. Sic enim cap. 16.20. *Vt eos, qui ſe ad necem comparauerant, poſſint interficere.* Porrò & infantes horum potuerunt occidi, vt nonnulli filij Amani; quia illi paternæ iniuriæ memores, aliquid poſſent contra Iudæos aut Regem hoſtiliter moliri. * Filij enim parentum mores hauriunt.]

Filij parentum mores hauriunt.

3. *Verſ.* 20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30. 31.32. *Scripſit itaque, &c.*] Hæc, quæ toto libro ſcripta ſunt, mittenda curauit Mardochæus ad Iudæos omnes, vbicumque terrarum eſſent; erant autem omnes in Prouinciis Imperio Perſico ſubiectis. Vt in ſua quique Prouincia illos quotannis agerent geniales ac feſtos dies: alij decima quarta die, illi ſcilicet, qui extra Suſa degerent: alij verò, qui Suſis agerent, die decima quinta; quia hi decima quinta, illi decima quarta die cædere deſierunt. * Dies autem, quâ cædes, quâ bellum terminatur debet eſſe perpetuo ſacra; cum ſopiri bella maximum ſit Regnis beneficium.] Anniuerſariæ verò ſolemnitatis illa videbatur grauis ac iuſta cauſa; quia domitis, ac cæſis hoſtibus, quorum vbique terrarum timebantur arma, luctus & angor in hilaritatem & plauſum conuerſi ſunt. Neque id in hac ſolemnitate abeſſe Mardochæus voluit, quod in præcipuis illis ſolemne fuit, ſcilicet, vt conuiuia inſtruerent ſplendida, & ſibi viciſſim ex menſa munera miſſitarent, neque pauperes illius lætitiæ ac menſæ paterentur expertes. Nec enim fidelibus illa debet eſſe ſplendida menſa, illud lætum conuiuium, à quo exulat pauperum manus receptura ſubſidium. Vnde piè Mardochæus admonet: *Et pauperibus munuſcula largirentur.*] Accepere autem Iudæi Mardochæi præceptum libenter, quia illi debere ſe ſciebant, quod ſpiritum ducerent pacatum & liberum. * Haud enim grauatè accipiuntur illius præſcripta Præſulis, à quo ſubditi ſe beneficia accepiſſe recordantur.] Atque ideò illum diem anniuerſario cultu, ac ſolemni ritu celebrandum, in ſuam poſterorúmque fidem recepére. Beneficij autem accepti, cuius memoria perpetuò erat gerenda, ſumma erat, quia Amanus filius Amadathi ſtirpis Agag hoſtis iuratus Iudæorum, molitus eſt eos omnino extinguere, ad cuius executionem, vt diem occiſionis ſtatueret, miſit *phur*, id eſt ſortem. Vt autem tanto incommodo mederetur, ingreſſa fuit, Mardochæi monito Eſther ad Regem obſecrans, vt Amani conatus Regiis literis irriti fierent: & incommodum exitiale, quod ille Iudæis parauerat, ſuum in caput recideret. Cuius precibus annuit Aſſuerus, & Amanus ac filij eius ligno fuerunt addicti. Ex illo itaque tempore dies illi, ſeu feſtum hoc *Phurim* appellatur, id eſt *ſortium*, non à libertate, quam eo die conſecuti ſunt Iudæi, hoſtibus interfectis: ſed à ſortibus, quos conſuluit Aman, & quæ in eumdum diem decimum tertium menſis Adar Iudæorum cædem deſtinauerat, vt dum dies illi anniuerſario reditu reburrit, periculi illius renouatur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum conſternationem, & angorem, cum de ſortibus, ac die nuncium accepére. * Non tibi ſufficiat ſemel Deo pro aliquo egregio beneficio accepto gratiarum gerere actionem: ſæpè gerendi gratias ſtudium reſume, & ſaltem annua obſeruatione celebrare procura.] Porrò cuncta, quæ geſta ſunt *epiſtolæ, id eſt, Libri huius Volumine continentur*, quia hæc epiſtola ſumma complexio erat, omnium quæ ad hanc attinebant hiſtoriam toto hoc Volumine contentam. Vndè vero ſimile reor tunc à Mardochæo ſcriptum eſſe Librum, cum ſcripſit epiſtolam, in qua ſummariè expreſſit, quæ vberiùs ſcripſerat in Volumine. Igitur Liber diffuſius, & epiſtola preſſius continebat; quæ ſuſtinuere Iudæi, *quæque deinceps inmutata ſunt*, id eſt, duo tempora notabantur, alterum ærumnoſum, in quo crudelis vbique luctus & pauor: aliud lætum, in quo qui in tenebris iacere videbantur, iam glorioſi reſurgunt. * Hiſtorici non debent ſolummodò fortunata notare, annotent triſtia & infælicia, vt vberior fides adhibeatur hiſtoriæ, quæ vel Herois auguſti obtegere non curauit erratа.] Vtrumque ergo contibebant Mardochæi Liber & epiſtola, & vtrumque celebraturos ſe dicunt Iudæi anniuerſario feſto, idque religioſè promittunt, tàm ſuo, quàm poſterorum nomine, & illorum, qui ſe ad Iudæorum religionem adiunxerant, qui Proſeliti vocantur: ne vllus ab ea obligatione ſit exemptus: ſed omnes quotquot Iudæorum nomine & religione gaudent, violati voti rei cenſeantur. Duo illi ſunt decimus quartus & decimus quintus Februarij, hi pro iis, qui ſunt Suſis, ille, pro aliis omnibus. Quare in Hebræorum Calendario Menſe Adar duo annotantur feſta, alterum die decima quarta, & dicitur *Feſtum ſortium minus*: alterum die decima quinta, & *Feſtum ſortium maius* appellatur. Cur hoc cenſeatur maius? Quia tunc omninò abiecti ſunt, & ſublati Iudaici nominis inimici; & Amani ſoboles non ſolùm extincta, ſed etiam ad æternum dedecus in crucem ſublata. *Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit oblivio*, quia per multa ſæcula ſeruati ſunt, & hoc tam inſigne beneficium anniuerſaria memoria renouatum. An hodiè in ſuis Synagogis obſeruent Iudæi? Mihi non conſtat, ſeruaſſe tamen ad ætatem vſque Theodoſij & Honorij, ſiue annum Chriſti quadringenteſimum octauum conſtat ex ea lege, quam tulere contra Iudæos C. *de Iudæis, & cœlicolis, l. Iudæos.* Vbi ſeuerè prohibent ne in feſtis Eſther, vbi ad ignominiam Amani erectam crucem comburebant, quidquam eiuſmodi facerent; quia ſimulatè ac rectè Chriſti ſeruatoris cruci audaciùs inſultabant. * Sem-

Dies, quâ terminatur bellum, debet eſſe perpetuò ſacra.

Nullum tibi ſit lætum cõuiuium, à quo exulet pauper.

Libenter accipiuntur præſcripta Præſulis à quo ſubditi acceperiſſe beneficia recordantur.

Magna beneficia à Deo accepta ſæpè memorãda ad gratiarum actionem.

Hiſtorici non ſolum Herois fauſta, ſed & infauſta debent memorare.

Iudæi ſemper

per enim Iudæi inimici sunt Crucis.] Profectò Mardochæus & Esther secundam ad Iudæos scripsere epistolam tanquam à superiori potestate, quæ non tàm hortatur amicè, quàm præcipit, vt studiosè admodum festum illud colerent in posterum : & vt pacificè viuant tum inter se, ne aliis sint scandalo, tum cum aliis externis, ne inflati noua rerum mutatione illos superbè accipiant. * Vtrumque curare debent, quibus est publica administratio permissa. Pax enim est omnium commodorum colligatio.] Deindè iubent, *vt suscipiant veritatem*, suscipere veritatem hoc loco, nihil aliud est, quam amare & quærere, quæ vera sunt bona, solida nimirum, non fugacia, qualia sunt opes, potentia, Principum gratia, quæ leui fortunæ, aut ætatis inclinatione marcescunt. Hæc enim in Scriptura mendacium appellantur. Psal. 4. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*] Vbi Vulgatus *Veritatem* scripsit Hebraicè אמת emeth est, in est, *firmitatem*. Veritas firmat omnia. Haud excidere potest, qui veritatis cultor existit. Solent timere aulici Regibus veritatem aperire, quam dicunt ab aula exulare : & ideò plerumque ipsi demum ab aula exules immittuntur quia comperti sunt, Principem seduxisse operculis suffundentes veritatis fulgorem.]

Pax omnium bonorum colligatio est.

Opes, gratia Principũ, &c. mendacium.

Veritas & firmamentum est idem.

Aulici veritatis obstructores maxime in aula firmantur.

Deniquè plura promisere Iudæi, quàm illis à Regina & Mardochæo fuerat indictum. Hi enim tantum præcipiunt, vt dies *Phurim* id est, *sortium* religiosè colant : illi præterea sponte promittunt celebrare *ieiunia, clamores*, & omnia, qui in Mardochæi ac Estheris volumine continentur. Quod non minùs præstitere fideliter, quàm prolixè promiserunt. Nam vt in Hebræorum Calendario leginus die decima tertia Adar Estheris recoluere ieiunia. In quibus etiam intelligo *clamores* Iudæorum, quos sortes in illam diem decimam tertiam morte damnauerant. Cur clamores funesti illi innouantur, cum festum lætissimum geritur. * Quia tunc vberiùs lætamur, cum prælapsi mœroris memoria subit.] * Vndè incommoda, quæ in præsenti patimur, æternam dabunt in cœlo lætitiæ ineffabilis segetem.] Preme adhuc patticulam, *& illi obseruanda susceperunt ieiunia, & clamores*. Vt celebrarent liberationis festum, *ieiunia* & clamores innouabant Iudæi. Quasi liberati non essent, adhuc ieiunant, adhuc inclamant. Nunquam à peccatorum impugnatione re omninò liberatum esse existimes : vndè instare debes ieiuniis & fletibus.]

Vberiùs lætamur, cum prælapsi laboris memoria subit.

In cœlis incommoda, quæ passi hic sumus materiã vberioris gaudij ministrabunt.

Nunquam te omninò liberum à peccatis, puta, semper ieiunijs, ac clamoribus insta.

CAPVT X.

Mardochæi dignitas, maiestas ac gloria exponitur : & somnium eiusdem de rebus in Persida obuenturis Iudææ genti tum aduersis, tum prosperis explicatur.

1. REx verò Assuerus, omnem terram & cunctas maris Insulas fecit tributarias : 2. cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque sublimitas, quâ exaltauit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum : 3. & quomodo Mardochæus Iudaici generis secundus à rege Assuero fuerit : & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habemur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur : & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur : quod iuxta consuetudinem nostram obelo, id est veru prænotauimus.

4. Dixítque Mardochæus : A Deo facta sunt ista. 5. Recordatus sum somnij, quod videram, hæc eadem significantis : nec eorũ quidquam irritum fuit. 6. Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, solémque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit : Esther est, quam rex accepit vxorem, & voluit esse reginam. 7. Duo autem dracones : ego sum, & Aman. 8. Gentes, quæ conuenerant : hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum. 9. Gens autem mea : Israël est, quæ clamauit ad Dominum, & saluum fecit Dominus populum suum : liberauítque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes : 10. & duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium. 11. Venítque vtraque sors in statutum ex illo iam tempore diem coram Deo vniuersis gentibus : 12. & recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ. 13. Et obseruabantur dies isti in mense Adar, quarta decima & quinta decima die eiusdem mensis, cum omni studio & gaudio in vnum cœtum populi congregari, in cunctas deinceps generationes populi Israël.

COMMEN

COMMENTARII.

1. Mardochæi exaltatio.

VERS. 1.2.3.4. *Rex verò, &c.*] Rex Assuerus subiectos sibi populos ab exoluendis tributis relaxauerat, quando Estherem vxorem duxit, Reginamque constituit, & splendidum nuptiale conuiuium adornauit, sante textu cap. 2. 18. *Et iussit, conuiuium præparari: & dedit requiem vniuersis prouinciis*, id est tributa remisit. Tributorum autem hæc requies durauit à mense Thebeth, qui decimus est, & nostro Decembri respondet, vsque ad mensem Adar sequentis anni, quatuordecim videlicet menses, quo mense exaltatus est Mardochæus anno Assueri septimo. Itaquè sub hoc tempus, quæ remissa fuerant populo tributa, rursus Assuerus imposuit omni terræ, & cunctis Insulis suo Imperio subiectis. Huius Regis fortitudo, seu potentia Imperij, & quanta dignitas fuerit Mardochæi, ad quam Rex magnus eum Artoxerxes extulit, & quomodò secundum à Rege locum obtineret, & quàm suo generi acceptus fuerit, & gratus, & quàm fuerit suorum amans, eorumque saluti & dignitati inuigilauerit, pacemque inter omnes conseruare studuerit; non solùm sacris Hebræorum, sed etiam profanis Medorum, atquè Persarum Annalibus prodita fuére. Preme illa: *Omnem terram, & cunctas maris Insulas.* Assuerus *fecit tributarias.* Cur absolutè factas esse tributarias dicitur, si priùs iam tributariæ fuerant? Respondent aliqui. Quia nouis tributis grauauit. * Certè vel vnum tributum leue licet addere terræ iam grauatæ tributis, est quasi de nouo eam facere tributariam.] * Requieuerant Prouinciæ aliquibus mensibus à tributo soluendo, & post requiem faciliùs potuere rursum oneri humeros submittere. Sine requie autem, vel annua saltem, sine intermissione, importabile tributorum est pondus.] Nec illa clausula sine pondere excidat: Mardochæus *acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, &c.* * Ille acceptabilis Præsul, qui subditorum studet vtilitati.] * *Quærens* (ait textus) *bona populo suo.* Vel perfectis quisque addictis Præsulatui agnatum esse video bona quærere genti suæ, speciosiora munia eis addicere, qui eadem stirpe, & satu, seu sub eodem cœli fornice fuerunt exorti.] * Quod quidem in Mardochæo non fuit taxabile, quia Iudæi fideles cuncta munere rectiùs Gentilibus obirent. Nec erit Christianis Præsulibus eadem cura reprehensibilis, si patrienses viri digniores existant. Aſt vereor, ne amor patriæ eos efficiat esse digniores.] Porrò hîc explicant quæ scripta sunt Hebraicè de Estheris, ac Mardochæi historia. Quæ deindè sequuntur Laciniæ quædam sunt, quæ Hieronymus aliundè, quàm ex Hebraico textu collegit, & quasi appendices addidit, quæ quidem Canonicæ fidei pondus habent. Primum fragmentum est, *Dixitque Mardochæus: A Domino facta sunt ista.* Hoc inuenit Hieronymus ad finem Libri, ideóque ad finem Capitis decimi attexuit, in quo expositio somnij, quod Mardochæus vidit, continetur. Igitur Mardochæus, cum apud se expenderet tragediæ Amanis catastrophen, dixit: Deus huiusce ineffabilis consilij auctor est. * Proprium etenim Dei, superbos deprimere, humiles eleuare.] * Iusti Deo omnia augusta attribuunt auctori, quia cuncta perfecta munera à cœlesti largitore descendunt.

Terræ tributis acta nouis vel leue tributum imponere, est illam de nouo facere tributariam.

Importabile est onus tributorum, cum saltem vno anno non intermittitur.

Ille acceptabilis Præsul, qui subditorum studet vtilitati.

Agnatum est Præsulibus, eos viros cœlestibus muniis addicere, qui ex eadem patria orti sunt.

Cum vir eiusdem patriæ dignior est religioso, iuste aliis præponitur.

Proprium Dei, superbos deprimere, humiles eleuare. Deo cuncta bona tribuenda.

Vers. 5.6.7.8.9.10.11.12.13. *Recordatus, &c.*] Oblatum est hoc somnium Mardochæo quiescenti eo tempore, quo in eius domo Esther nutriebatur, quod existimo, eum adoptiuæ filiæ retulisse. Non tamen Mardochæus cognouit somni solutionem ante illum articulum, in quo abiectum vidit Amanum, & eius familiam, ac cognationem extinctam: & se, gentemque suam exaltatam, ac ornatam vehementer. Quare non dicit, se vidisse nunc, sed rerum insperato euentu eius solutionem cognouisse. Cum igitur perpendi, quæ à Deo gesta fuére circa Estheris, populique Iudaici exaltationem, Amanique, eiusque asseclarum depressionem, *recordatus sum somnij*, quod videram hæc eadem exprimentis; nec enim quicquam eorum, quæ innuebantur in Somnio, irritum adinueni. Vidi fontem desinere in fluuium, in lucem, ac solem conuerti, in aquas plurimas exundare. Duo dracones horribiles in conspectu innumerabilium gentium illi sese exposuerunt spectro. At iam experimento edoctus, paruum illum fontem Esther esse, cuius aquis ingens ab Amano excitatum incendium. Fuit, inquam, fons paruus (sed magni fluminis origo) vel quandò aderat in Mardochæi domo, vel quandò in Assueri familiam aduocata nondum tamen Regina; quatuor enim annos fuit in domo Regia, neque tamen Reginæ nomen obtinuerat, quæ anno tertio Assueri in Regiam familiam introducta, anno septimo ad Regium fuit exaltata solium. Quare quadriennio illo toto fons fuit exiguus: tunc autem fluuius censeri potuit, quando assumpta est in Regnum. Cum fons esset chrystallinus pulchra, grata Regi Esther, suis fauere non poterat, quia exiguus, neque irrigare campum, qui esurientes aleret, & deficientes reficeret. Neque quidquam aduersariis afferre dispendij: cum vim ad nocendum haberet nullam. At ad Regis thalamum adscita liberare potuit, & ornare suos irrigatione sedata: & concitato impetu aduersariorum disturbare vires omnes, & commoda subuertere. * Hoc ex capite ineffabiliter augustiot Maria fons quidem paruus ob humilitatem, sed verè magnus: Angelus enim eam *plenam gratia* vocauit, non iam fluuium, sed mare placidum iter præstans; suis hostibus horribile patans exitium: cum tamen Regis nondum cœlestis fuerat ad thalamum elevata, ex Verbi Incarnatione.] Verùm fons ille qui ascendit ad fluuium, eodem sensu ascendit ad solem, cuius ardor varie temperatus & nocere solet, & fauere vehementer: modò morbos adimit, modò auget; vrit plantas calore nimio, & steriles reddit: & temperato facit, vt producant flores, & fructus opportuno tempore maturent. Erat priùs Esther exigua quædam facula, quæ intra parietes inclusa domesticos pertenuem habebat splendorem. Sed postquam in solem conuersa est ad Regale solium euecta, vim habet contra hostes validè noxiam, quæ illos sic tetigit, vt straueriit.* Melior autem Esther Maria, quæ puteus aquarum viuentium, & flumen lætificans Dei Ciuitatem

2. Somnij Mardochæi explicatio.

Maria tanquam fons paruus, semper fuit magnus fluuius, imò gratiarum pelagus.

Mariæ Sol terribilis hostibus.

Sol

Sol est electa terribilis hostibus vti *castrorum acies.*] *Duo* (addit ille) *dracones ego sum & Aman.* Audita fuere (vti fusiùs narratur Cap. 11.) tonitrua, voces, & tumultus, terra tremuit, conturbata sunt omnia. Quæ omnia graue videbantur bellum indicere. His autem fragoribus magna solet signari tempestas. Post hosce igitur fragores & quasi bellorum incitamenta, duo exiére dracones vasta magnitudine, parati ad pugnam, ad quorum clamorem multæ vndecunque copiæ congregatæ sunt, & contra gentem innocentem, ac iustam coniuratæ. Gens iusta terrore acta clamauit ad Deum, qui fecit, vt paruus ille fons in fluuium cresceret, mutaretur in solem, & impetu aquarum præcipiti & æstu nimio superbos opprimeret, & calore temperato, ac molliori fluxu iustos recrearet. Ego igitur & Amanus vno & altero fuimus dracone expressi. Illum Ducem secutæ fuere gentes, quæ conatæ sunt Iudæorum abolere nomen. Me autem Imperatorem Israël sequebatur, quæ clamauit ad Dominum, qui suum populum, portentis editis, liberauit. *Fecit signa magna & portenta inter gentes.* Quænam signa, quænam portenta? Admirabilem catastrophem euersioni Amani, & exaltationis Mardochæi signa ac portenta meritò appellauit. * Extra cursum enim naturæ est, pauperem ac despectum è puluere erigi.] Deus itaque mirabiliter *duas*, seu duplicis generis *sortes* constituì voluit, vnam populi Dei, id est, Iudæorum: & alteram cunctarum Gentium inimicarum Iudæis. Et *venit vtraque sors*, id est, vtriusque partis sors incidit *in* vnum eundémque *diem, ex illo iam tempore*, imò ab æterno *statutum coram Deo*, seu à diuina prouidentia, nempè in decimam tertiam diem mensis duodecimi Adar. Porrò venit hic dies infestus, & exitialis vniuersis Gentibus, lætus verò & festus populo Dei, quia *recordatus est* illius *Dominus, ac misertus est hæreditati suæ.* Et statutum est, vt illud Dei singulare beneficium renouetur quotannis die decima quarta, & decima quinta: decima quinta, scilicet Susis, alibi terrarum decima quarta. Vti superiùs expositum.

Miraculum est, pauperem & despectum è puluere eleuari.

CAPVT XI.

Mardochæi somnium vberiùs describitur.

1. ANno quarto, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt, Dositheus, qui se Sacerdotem, & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius, hanc epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum, Ptolemæi filium in Ierusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Beniamin, 3. homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ. 4. Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia rege Iuda: 5. & hoc eius somnium fuit: Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræ motus, & conturbatio super terram: 6. & ecce duo dracones magni, paratíque contra se in prælium. 7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum. 8. Fuítque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram. 9. Conturbatáque est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem. 10. Clamauerúntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. 11. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos. 12. Quod cùm vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

COMMENTARII.

1. De inuentione Epistolæ *Phurim.*

VERS. 1. Hoc versu 1. D. Hieronymus adduxit è vulgata editione epistolæ *Phurim*, seu *sortium* inuentionem. De qua ipse: *Hoc quoquè principium erat in editione vulgata, quod neque in Hebræo, neque apud vllum fertur Interpretem.* Certè quæ Capite vndecimo hoc, & duodecimo aliquomodò pertinent ad *Phurim*, id est, ad *sortes*. Vndè ideò hæc præfaciuncula epistolæ Phurim videtur Capiti vndecimo & duodecimo fuisse præposita. Profectò verba huius præfaciunculæ nihil continent, quod ad historiam pertineat, sed tantùm aperiunt, quonam tempore epistola Phurim, quæ ad illud vsque tem-

pus

pus inuentâ non fuerat (sed tantum illius brevis quædam summa, quam historiæ à se scriptæ Mardochæus inclusit) Ierosolymam perlatâ fuerit ab iis, quorum hîc nomina legimus. Igitur anno quarto, dum regarent Ptolomæus & Cleopatra: Dositheus, & filius eius Ptolomæus, (qui licet Iudæi sint, quia Leuitici ordinis esse dicuntur, imò Dositheus Ptolomæi pater erat Sacerdos, nomen tamen assumpserunt Ægyptium:) attulére in Ierusalem hanc epistolam Phurim, quam asseruere interpretatum esse Lysimachum filium Ptolomæi, non quidem Regis, sed Sacerdotis: ex Hebræo enim vel Chaldæo in Græcum vertit idioma. Quonam autem hæc anno accidit epistolæ adinuentio? *Anno quarto regnantibus Ptolomæo, & Cleopatra?* Certè non potest ex his nominibus certum aliquid colligi; quia Reges omnes Ægyti à primo Ptolomæo Sagi filio, communi nomine vocabantur Ptolomæi, & Reginæ Cleopatræ. Solùm licet colligere, post tempora Alexandri magni hanc epistolam in Ægyptum Ierosolymis fuisse delatam. Crediderim tamen, id accidisse tempore Ptolemæi Philometoris Sexti à morte Alexandri magni Regis Ægypti. Nam is extremè fauebat, & addictus erat Iudæis, imò, si credendum Iosepho lib. 2. cont. Apio. omne Regnum suum commisit Iudæis administrandum: totius quoquè militiæ suæ Duces fecit Oniam, & Dositheum Iudæos. Sed num hic Dositheus idem sit cum illo Sacerdote, qui hîc dicitur hanc epistolam attulisse, non ausim asserere. Probabile tamen esse crediderim; nam etiam Sacerdotes rem bellicam administrasse certissimum est tum ex Banaia 1. Paral. 27. 5. tum ex Mathathia, eiusque filiis Iuda, Ionatha, Simone, & aliis Machabæis 1. Machab. 2. Nec indecens erat Sacerdotes administrare illa bella quæ erant in fidei defensionem. Ast dedecet omninò, si quandò bello politico Sacerdos, aut constitutus in sacris præficiatur. Dixi, Dositheum, & Ptolomæum eius filium è genere fuisse Sacerdotali, non tamen Ægyptium assumpsisse. Quare precor? Respondet doctissimus Gaspar Sanci. Quia in Ægypto morati sunt, & eò artificio ab Ægyptiis gratiam inire voluerunt. * Et quidem Sacerdoti inter Ægyptios, inter Sæculares commoranti non solùm sæculare nomen, sed & sæculares mores hærescunt.] * Multi sunt Sacerdotes, qui, vt aucupent Sæcularium gratiam, sæcularem exprimunt nomen, & habitum; qui planè seducuntur. Nam Sæcularibus plùs placet Sacerdos, ac Religiosus, qui se se status sui legibus accommodat obseruandis.] Industria itaque Dositheï & Ptolomæi Sacerdotum inuenta est epistola, quæ vocabatur *Phurim*, quam Ierosolymæ olim Lysimachus Ptolomæi filius interpretatus dicebatur.

Dederat Sacerdotes administrare politica bella.

Sacerdoti haresciunt sæculares mores, cum inter sæculares commoratur.

Plus sæculavium gratiam init Sacerdos, aut Religiosus, qui instituti obseruantior ostenditur.

2. Mardochæi somnium.

Vers. 2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. *Anno secundo, &c.*] En somnij Mardochæi descriptio: Anno secundo Regni Artexerxis Longimani, siue Assueri Regis Persarum, die prima mensis Nisan, qui Martio respondet, Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis de Tribu Beniamin. Multi prætermissi sunt ex Mardochæi maioribus; qui videntur in Cis patri Saulis Regis terminati. Erat autem Mardochæus vir Iudæus Regia è stirpe, qui habitabat in vrbe Susis Persarum tunc Metropoli, seu Ciuitate Regia, magnus vtique & inter primos aulæ. Id per anticipationem (vt sæpè alibi) dicitur; non enim talis erat tempore somnij, sed longè post. * Nisi dixeris, & tunc verè dici potuisse virum magnum, & cunctis aulicis præstantiorem, cum plus inter vulgares numerari studebat, * & studio sius fugiebat ab aula.] Erat autem de eo numero captiuorum, quos Nabuchodonosor, Babylonis Rex cum Iechonia Rege Iuda è Ierosolyma, in Babylonem transtulit. Aut quia translatus in proauo, aut quia virili senecta donatus à Deo centesimum supra septuagesimum tunc annum robustus & aptus publico muneri obeundo agebat. Hoc igitur eius somnium fuit: Terra vocibus, tumultibus, tonitruis, ac motibus insolitis quatiebatur. Et en duo dracones magni ad certamina mutua gerenda hinc illinc exponuntur. Ad quorum clamorem dictione humana expressum concitatæ sunt Nationes innumeræ, vt contra iustorum agmen dimicarent. Tenebrosa illa dies terram discriminis, tribulationis, angustiæ, formidinisque caligine terram oppleuit. Gensque iusti agminis conturbata, actaque formidine iam suum lacrymabilis spectabat exitium. Cordis angor accurrit ad linguam, eisque ad Dominum conclamantibus Numen cœleste opportunus succurrit. Quia fonticulus paruus vberrimum excreuit in fluuium, qui in aquas plurimas exundauit. Lux & Sol in tenebris habitanti populo illuxit, & Deo duce, ac protectore, dejecti exurgunt validi inclytosque *deuorauerunt*, seu comminuerunt. Obscurum tunc somnium historia subsecuta fuit interpretata. Amanus enim, & Mardochæus (vt quæ dixi cap. 10. perstringam) dracones, ambo potentes, ambo vigiles, alter ad perdendam Hebræorum gentem, alter ad seruandam. Ambo tremendos sibilos per nuncios toto Artaxerxis Imperio immissos ediderunt. Fons autem rectè repræsentabat Estherem, quæ non solùm à paruis initiis magna facta est, sed magnum etiam restrinxit incendium, & instar solis cæcas tenebras ablegauit. * Rursum hæc ad Deiparam accommodo, quæ animi demissione parvula, vsque adeò creuit, vt diceret; *Fecit mihi magna, qui potens est*: & rursus, *Beatam me dicent omnes generationes*: & ad hanc diem magna dona gratiarum perenni fluxu in totam Dei deriuat Ecclesiam. Inde Sol iustitiæ Christus exoritur, qui se lucem mundi profitetur.] Quod cum vidisset Mardochæus, & de strato surrexisset, cogitabat, quid Deus facere decreuisset: & fixum habebat in animo, rescisere cupiens somnij illius solutionem. Sciebat à Deo sibi immissum quidni ad seriam eius intelligentiam attenderet? Profectò Mardochæus, etsi solicitus fuerit de somnij sui significatione, non videtur tamen prius quid sibi vellet, rescisse, quam ipso rerum euentu, & experientia id didicerit. * Mysteria enim cœlestia non sunt curiosè vestiganda, sed animo fideli amplectenda.] Semper tamen memoriam illud tenebat, nec facilè aliis (nisi Esthéri vtiliter) enuigabat. * Edocens, cœlestes reuelationes, aut illustrationes animo retinendas, profundoque silentio obseruandas.] * Subtexantur hinc mulieres, quæ facilè illustrationes reuelantes, aperta indicant somnia vacua extitisse.]

Tunc quis magnus, & inter primos maior ostenditur, cum studet minor ostentari.

Deipara humilitas exaltatur.

Mysteria cœlestia nō sunt curiosè vestiganda. Reuelationes silentio obtegenda sunt.

Somnia sunt illustrationes reuelantes, indicant vacua fuisse somnia.

CAPVT XII.

Fusius exponitur, quod suprà dictum est de insidijs structis per Eunuchos Regi, & à Mardochæo detectis.

1. MORABATVR autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui ianitores erant palatij. 2. Cúmque intellexissent cogitationes eorum, & curas diligentiùs peruidissent, didicit quòd conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit super eo regi. 3. Qui de vtroque habita quæstione, confessos iussit duci ad mortem. 4. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentarijs: sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit. 5. Præcepítque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus. 6. Aman verò filius Amadathi Bugeus erat glorioſissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo, & populo eius, pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

Hucusque proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, vbi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

COMMENTARII.

1. Detegit Mardochæus insidias Eunuchorum.

VERS. 1.2.3.4. *Morabatur, &c.*] E laciniis etiam Caput, hoc Hieronymus attexuit, referens quidem fusius quod cap. 2. 21. descriptum fuerat. Eo itaquè tempore, quo reprobata Vasthi Regina, Esther fuerat electa, patruus, ac nutritius eius Mardochæus in aula inferiori Regia morabatur, Tagatha seu Bagathan, & Thara, siue Thares palatij ianitoribus. Cumque Eunuchorum conatus, coniurationem scilicet in Regem dignouisset: Assuero aperuit, non per se immediatè, sed per Estherem suam iam Reginam. * Nam viri veraces qui non student adulationi, curant getere obsequium, sed manum contrahunt, ne officij, auctor agnoscatur. Secus adulatores, qui nihil aliud intendunt, nisi auctoris relationem etiamsi fictum sit beneficium.] Rex verò Assuerus post quæstionem factam, & delictum ex eorum confessione manifestum: iussit, eos infami addici patibulo. Ne autem temporum iniuria Mardochæi fidelitas subiret obliuionem, Rex curauit, historiam illam dierum commentarijs exarari: Mardochæus item rei memoriam studuit literis traditam asseruari. * Præclara enim facinora virorum illustrium tam agnata solent esse obliuioni, vt necessum sit, multiplicari scripta, & relationes exuberare, ne omninò è memoria prolabantur. Porrò si gestum extitisset infame etiamsi scriptis non traderetur, nunquam deleretur obliuione, omnium linguis diffamaretur.]

Vir verax curat gerere beneficia, & auctorem non agnoſci. Secus adulator.

Præclara facinora assolet esse agnata obliuioni: necessum est, à multis scribi.

Verſ. 5. 6. Rex verò gratitudinis ergo iussit Mardochæo, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro insidiarum delatione aliis muneribus. Quænam illa munera fuerint, textus retinet.

2. Regis gratitudo, Amani in Mardochæum odium.

* Vereor præmia ei fuisse promissa, non autem tunc temporis data. Principes enim vbertim promittunt, ferò & strictim assolent implere. Vndè dixerim, eorum munera solam esse munerum promissionem.] * Nisi dixeris, iussisse Regem, muneribus Mardochæum cumulari, & Amani malitiâ ei exhibita non fuisse. Quod euenit frequenter in aula. Satiùs tibi recepturo præmium, id à Ministro Regali decerni, quam à Rege imperari.] Vero similius est, ea verba, *Datis ei muneribus* tempus futurum connotare. Datis nempè ei muneribus postquam Esther ad Regnum euecta est, & ipse secundus à Rege, Amano cruci addicto, constituitur. * Præsens enim tempus circa munerum collationem in curijs Regum solet hæresscere cum futuro: vt datur, idem sit quod dabitur, & vix vnquam futurum illud præsens efficitur.] * Illud verbum pondera, *Præcepit ei Rex, vt in aula palatij moraretur.* Alij rogant, aliis permittitur: cordatis quisque præcipitur apud aulam, difficilè quidem habitaculum, commoratio.] Porrò Amanus filius Amadathi *Bugeus* siue Vgeus, vel Agageus, id est de stirpe Agag, erat *glorioſissimus* coram Rege, seu à Rege secundus, & curauit Mardochæum, ac Iudaicum populum omninò delere, eo quod duorum Eunuchorum ipse Regi præparatas reserarit insidias. Erant enim illi intimi Amani, qui rebus illius per omnia studerent, forsan & qui, occiso Assuero, sceptrum ad Amanum transferri cogitarent. Vndè supplicium de illis sumptum præcipua causa fuit tantarum irarum Amani in Mardochæum, qui illos prodidisset, * Aulici namque primarij inferiores non fouent dilectionis affectu, sed quatenus eis ad propria commoda ministris vtuntur.] Cæterùm duæ adduntur à Hieronymo laciniæ, scilicet. *Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.* Et, *Epistola autem hoc exemplar fuit.* Monet Hieronymus post ea verba, *Et bona eorum diriperent,*

Munera Principum solent esse mera eorum promissio.

Satiùs recepturo præmia, id à Ministro, quàm à Rege decerni.

Præsens tempus circa munerum collationem in Curijs Regum, solet hæresscere cum futuro.

Prudens vir imperatus cõmoratur in aula.

Aulici primarij inferiores non fouent dilectionis affectu, sed vt eis ad propria commoda vtantur.

quæ

quæ sunt in cap. 3. 13. collocatam fuisse in vulgata Græcorum, seu LXX. Interpretum editione epistolam Regis, qua Iudæi vna omnes die iugulari iubebantur: quæ epistola hîc cap. sequenti recitatur. Lacinia ergo hæc, *Et diripuerunt bona, vel substantias eorum*, apponitur, vt fiat gradus ad epistolam, quæ illi clausulæ in capite illo tertio subtexitur. Ideò additur, *Epistolæ autem hoc exemplar fuit.*

CAPVT XIII.

Exemplar epistolæ, quam Amanus ad Principes & Præsides Prouinciarum omnium super cæde ac excidio Iudæorum, immisit: Oratioque Mardochæi pro Iudæorum liberatione.

1. REx maximus Artaxerxes ab India vsque Æthiopiam, centum viginti septem prouinciarum principibus & ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem. 2. Cùm plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquàm abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos: vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3. Quærente autem me à consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, vnus qui sapientia & fide cæteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine, 4. indicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium Gentium consuetudinem faciens, Regum iussa contemneret, & vniuersarum concordiam nationum sua dissensione violaret. 5. Quod cùm didicissemus, videntes vnam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis vti legibus, nostrísque iussionibus contraire, & turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem, atque concordiam: 6. iussimus, vt quoscumque Aman, qui omnibus prouinciis præpositus est, & secundus à rege, & quem patris loco colimus, monstrauerit, cùm coniugibus, ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullúsque eorum misereatur, quarta decima die duodecimi mensis Adar anni præsentis: 7. vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperio vbi legitur.

Pergénsque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandauerat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitùs feruntur interpretum.

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius: 9. & dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. 10. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. 11. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. 12. Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, vt non adoratem Aman superbissimum: 13. (libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem:) 14. sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15. Et nunc Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere. 16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. 17. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo: & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium. 18. Omnis quoque Israël pari mente & obsecratione clamauit ad Dominum, eò quòd eis certa mors impenderet.

COMMENTARII.

1. Exemplar Epistolæ.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Rex, &c.*] In decernendo vsitata est Principibus forma, suam ostentare potentiam, & Prouincias enumerare, quas sibi subiugarunt, aut extremos fines, quibus Imperium circumscribitur. Ideò Assuerus siue eius ex nomine Amanus: Rex maximus Artaxerxes, siue Assuerus centum viginti septem Prouinciarum dominus omnium earum Principibus ac Ducibus salutem imprecatur. Cum me plurimarum Gentium Imperatorem video, & vniuersum orbem (Iactanter, & mendaciter de superborum ingenio dictum.) meæ ditioni subiugasse comperiens: nolui potentiæ meæ abuti magnitudine, vt subditos opprimerem: sed clementia & lenitate studeo eos regere, vt absque vllo terrore hostium vitam *silentio* transigant procul ab omni bellorum strepitu; & optata cunctis mortalibus pace potiantur. * Nihil enim magis Principis clementiam ac lenitatem manifestat, quàm studium, vt pax minimè disturbetur.] * Se quidem Assuerus perfectissimum Regem ostendit, dum sua potentia nolit abuti ad gloriam, & priuata commoda: sed eò conferre, vt omnia ad publicos vsus fortunata contingant, & sine vlla perturbatione ac metu pro subditorum votis omnia administrentur.] Quærente autem me à Consiliariis septem meis, quorum apud me, & omnes graue iudicium, quonamodò possem hoc pietatis erga commoda subditorum meum votum implere: vnus egregius vir, qui sapientia ac fide cæteros præcellebat, à Rege secundus, Amanus nomine, *indicauit mihi, &c.* Hoc planè mendacium est, ab Amano confictum, quem huius epistolæ auctorem asserui. Dicit enim, Regem consilium aduocasse, vt ea, quæ ad publicam pacem, & commune bonum pertinerent, deliberarent: Cum tamen Consiliarij non fuissent aduocati, neque quidquam à Rege de communi vtilitate propositum. At hoc Amano intererat plurimum, vt populus intelligeret, non vnius Amani, sed publici consilij fuisse iudicium illud, ac decretum. * Nam vel cum erratur, patienter sustinent subditi, scientes errorem illum non ex Principis temeritate, sed ex maturo Consiliarium iudicio ortum.] * Quod autem sine consilio geritur, etiam cum res prosperè geritur, cum murmure à subditis acceptatur.] Certè Amanum fuisse huiusce epistolæ auctorem ex illis verbis manifestatur: *Vnus qui sapientia & fide cæteros præcellebat, Aman nomine.* Quis nisi superbissimus Amanus talia conscriberet? Non certè Rex, qui imprudenter admodum tot sapientibus Consiliariis vnum præponeret. * Decet enim Regem sic honorare familiarem Ministrum, vt reliquorum contineat inuidiam.] * Nisi dixeris, ex vi consequentiæ appositam esse particulam, *Vnus, qui sapientia & fide cæteros præcellebat*, quia scilicet additur, *Et erat post Regem secundus.* Cum enim quis à Rege secundus est, quasi est per senotum, omnes præcedere prudentia, sapientia, ac fide. Saltem id ab omnibus deprædicatur.] Vir inquam ille, qui cæteros Consiliarios prudentia ac sapientia præcellebat, ne moritur, populum per totum orbem esse dispersum, qui quidem nouis vtitur legibus, & omnium Regum decreta, contra aliarum gentium consuetudinem violare non veretur. Vnde sequuntur in populis ob morum vtique ac legum diuersitatem dissidia grauissima. Hoc argumento intendit Amanus ostendere, genrem illam debere funditùs exscindi, ne id contingat Persarum Imperio, quod magno suo malo experiuntur externi. * Et quidem, si verum id fuisset, haud dubium, quin ex morum differentia, ex legum contempu Regnorum instare ruinam.] Quod cum didicissemus, videntes vnam gentem rebellem peruersis vti legibus omni hominum generi noxiis, nostrisque præscriptis pertinaciter repugnare, subiectarumque nobis Prouinciarum disturbare concordiam: imperauimus, vt quoscunque Amanus, qui omnibus Prouinciis est Præpositus à Rege secundus, quem patris loco colimus, dignos esse capitali supplicio monstrauerit: simul cum coniugibus ac liberis penitus ab inimicis suis meis fidelibus subditis deleantur sine miseratione, quarta decima die duodecimi mensis Adar siue Februatij anni præsentis. Vt de medio sublatis vna die nefariis hominibus, reddatur Imperio nostro pax, quam illi disturbauerant. Adnotarim in primis, Cap. 3. 13. præscribi huic Iudæorum cædi decimam tertiam diem illius mensis: quomodò ergo hîc præscripta decima quarta dicitur? Respondeo. Iubebatur inchoari cædes die decima tertia, sed die decima quarta consummari. Patet ex cæde Persarum, quam edidere Iudæi eadem illa die, vel illis diebus, quas Amanus ante pro Iudæorum cæde designauerat. Nam vt dicitur Cap. 9. 17. *dies decimus tertius primus apud omnes interfectionis fuit: & quarta decima die cædere desierunt*, nempè qui plures, quos occisos vellent, non habebant: nam qui in Susam Vrbe Regia degebant, etiam *decimo quarto die in cæde versati sunt, & trecentos* hostium *occiderunt.* * Necenim cum inchoatur actio, sed cum perficitur acta fuisse dicitatur.] Deindè annotarim, vocem illam, *Quem patris loco colimus*, sine dubio ab Amano adiectam satis ostendere fatuam impudentis hominis arrogantiam, qui se patrem vocat Assueri. Certè Pater iuxta Hebræum idioma non solum ille dicitur, à quo aliquis gignitur; sed & qui in aliquo genere Princeps est, & Magister. Deberet ille secundus à Rege Regis esse Magister et veritatis dogmata suggerendo, quod non gessit Amanus.] Denique moneo, cum scriptum fuit edictum, nec hoc loco auditum esse Iudæorum nomen: sed tantum generatim dici, populum illum esse rebellem, ac Reipublicæ perniciosum. Neque hîc cum supplicium pronunciatur, nominatur populus, sed dicitur, vt illi cum vxoribus ac liberis intereant, quos Aman designaret. Quare non ineptè colligo, Assuerum ignorasse, in quod hominum genus decretum illud esse conscriptum. Quid præterea probo, quia quando Esther Cap. 7. 4. dixit, populum suum ab Amano morti fuisse deuotum, miratus est Rex, quasi nouum aliquod exaudiret. Hoc quidem nimiæ confidentiæ Regem accusat. Nec enim debet Rex chirographo aut manu sua aliquod munire decretum, cuius tenorem non priùs ipse

Studium pacis conseruandæ manifestat Regis in subditos clementiam.

Perfectissimus Rex, qui non abutitur potestate ad propria commoda, sed ad subditorum vtilitatem.

Quod scit populus è consilio actum, etiam cum erratur, patienter ac libenter accipitur.

Quod sine consilio geritur, etiamsi prosperè eueniat, cum murmure à populo acceptatur.

Decet Regem, sic familiarem Ministrum honorare, vt cæterorum contineat inuidiam.

Quasi per se notum est, Ministrum à Regibus secundum ab omnibus habendum reliquis sapientiorem.

Ex morum differentia, ac legum contemptu Regnorum ruina.

Non cum inchoatur actio, sed cum perficitur, acta esse dicenda.

Minister secundus à Rege Regis vocatur pater, seu Magister.

Rex nullum manu sua decretum muniat, quod nõ priùs relegerit.

ipſe accuratè relegerit.] *Inferi* hoc loco, vt in Scriptura millies, pro ſepultura valet.

2. Mardochæi oratio. *Verſ.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Mardochæus, &c.*] Esther dixerat Mardochæo cap. 4. 16. vt tribus diebus, ac totidem noctibus continenter ieiuniis ſe dederent, vt placato Domino, ingreſſus quem ipſa cum vitæ periculo ad Regem moliebatur, haberet exitum anguſto rerum articulo opportunum. Quod fecit Mardochæus triduo ieiunus & indutus ſacco, ea nempe ſpecie, quæ ad extorquendam ex offenſo pectore miſericordiam magis idonea videbatur. Nunc qualis illa Mardochæi oratio fuerit, quam ad obtinendam Dei miſericordiam accommodata, huius lacinia capitis expreſſit Hiſtoricus. Igitur Mardochæus mente voluens Dei opera mirabilia iam mente, iam ore profatur: *Domine Domine* (replicat deuotionis affectu) Rex omnipotens, cuius omnia poteſtati ſubſunt, neque vlla eſt potentia, quæ tuæ voluntati poſſit vtiliter aut impunè repugnare, ſi decreueris Iſraëliticum tuum populum ab imminenti periculo liberare. * Ergo ſi non liberas, ſi non ſaluas, noſtræ eſt nequitiæ tribuendum. Plerumquè ſanè noſtræ iniquitatis Dei manus potentiſſimas detinent, ne ad nos liberandum à periculis exerantur.] Licet mihi ô domine, ne mihi hoc ſpeciatim poſſit attribui, à me illam ſaltem culpam remouere, ob quam tàm ego, quàm populus mea cauſa edicto Regio morti fuimus addicti. Te, qui cuncta ſcis, teſtor, ab illa mea detractione adorationis exhibendæ Amano abfuiſſe ſuperbiam, neque me vnquam intendiſſe ei illudere, aut aliquid in eius ignominiam moliri: ſed noluiſſe honorem, qui ſoli tibi Deo immortali deberur, in vnius mortalis hominis veneratione impendere. Profectò ad reliqua Amani obſequia, quæ diuinum redolerent nihil, animum habui præparatum ac promptum, quantumcumque vile foret, & ſordidum obſequium. Quale eſſet, veſtigia pedum illius oſculari. Certè oſculari terram ab alio calcatam, eius eſt, qui extremam experitur fortunam, & qui cum honore & dignitatem libertatem amiſit. Iſa. cap. 49. *Et puluerem pedum tuorum lingent.* Pſal. 71. *Et inimici eius terram lingent.* Thren. 3. *Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* Hoc Mardochæus dicit, non recuſaturum fuiſſe, niſi Amani adorationi aliquid ineſſet, quod genus idololatriæ redoleret. Id quidem vir iuſtus haud poſſe ſine piorum ſcandalo geri videbat: ideóque ab illa adorationis obſtinuit ſpecie. * Debent fideles à cuiuſuis actionis expreſſione abſtinere, quæ vel externam ſolummodò peccati ſpeciem exprimere videatur.] Denique Mardochæus argumentum ſumit ab vili, quaſi Deus ſuam rem agat, dum populum afflictum ab hoſtium immanitate tuetur. Hic populus (inquit) ô Domine, tua poſſeſſio eſt, quam tibi ex omnibus Gentibus elegiſti. Tuus, inquam, eſt populus, tua hæreditas, tua pars, funiculus, ſors. Annon ea ab hoſte diſſipata (humano liceat more loqui,) & perdita, magnum aliquid de diuina poſſeſſione ac hæreditate decedit? Annon gloriolum tibi miniſtros habere, qui diuinis laudibus intigilent, quos ſi vis auferat hoſtilis, non erunt, qui diuino nomini illam operam impendant? Ideò obſecro hunc populum tuum à te liberari, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ora te canentium, ne claudantur. * Pondera Mardochæi in Deum dilectionem, qui non tàm ſibi optat libertatem, & vitam, quàm diuinam laudem, cuius tunc videtur futurum eſſe ſilentium, quando populus fuerit de medio. * Eſt quidem illa honeſta poſtulatio, quæque vim habet ad perſuadendum potentiſſimam, cum id, quod peritur largitoris honori, aut commodo deſeruit: quod in Sanctorum precationibus frequenter occurrit.] Similis erat eo tempore totius populi deprecatio, quam impendentis mali pauor, ac ſolicitudo acuebat. * Imminentis enim periculi vis orationis acuit affectum. Ideò *omnis quoquè Iſraël clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.*]

Plerumquè noſtræ malitiæ tribuendum, à potentiſſimo Deo nõ liberari, dum laboribus agimur.

Fideles ab actionibus debent abſtinere, quæ peccati ſpeciem exponere videantur.

Deus quodãmodo ſua rem agit, dum nobis miſeretur.

Teſtus ſemper Dei gloriam, non commoda debet propria procurare.

Illa efficax oratio, cuius intentum Dei honori ſeruit.

Imminens periculi acuit orationis affectum.

CAPVT XIV.

Eſtheris planctus, & ipſius ad Deum oratio deſcribitur.

1. ESTHER quoque regina confugit ad Dominum pauens periculum, quod imminebat. 2. Cúmque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis omniáque loca, in quibus anteà lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit. 3. Et deprecabatur Dominum Deum Iſraël, dicens: Domine mi, qui rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuiús præter te nullus eſt auxiliator alius. 4. Periculum meum in manibus meis eſt. 5. Audiui à patre meo, quòd tu Domine tuliſſes Iſraël de cunctis Gentibus, & patres noſtros ex omnibus retrò maioribus ſuis, vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtique eis ſicut locutus es. 6. Peccauimus in conſpectu tuo, & idcircò tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum: 7. coluimus enim deos eorum Iuſtus es Domine: 8. & nunc non eis ſufficit, quòd duriſſima nos opprimunt ſeruitute; ſed robur manuum ſuarum, idolorum potentiæ deputantes, 9. volunt tua mutare promiſſa, & delere

hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi, & altaris tui: 10. vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum. 11. Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed conuerte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sæuire, disperde. 12. Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis: 13. tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, vt & ipse pereat, & cæteri qui ei consentiunt. 14. Nos autem libera manu tua, & adiuua me: nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam: 15. & nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumciforum, & omnis alienigenæ. 16. Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ: & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei: 17. & quòd non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum: 18. & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem nisi in te Domine Deus Abraham. 19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

COMMENTARII.

1. Orans Esther, vt imperret, memorat diuini nominis authoritatem id decere.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Esther quoque, &c.] Non sufficit Estheri, præcepisse Mardochęo, vt rem difficilem triduano ieiunio, ac oratione commendaret: ipsa se idem facturam dixerat cum suis puellis. Præstitit quod promisit: vt autem vires ex habitu adderet precibus, alium assumpsit habitum cum Deo pro cõmuni pugnatura salute. Nam vt à Deo misericordiã exoraret, non solum non adsciuit ad fingendam formam aliena pigmenta, sed etiam quàm maximè potuit naturalem decorem deformauit sublatis, ac deturpatis illis, quæ ad elegantiam benigniori natura præstitit. Sumpsit enim ornamenta lugentibus accommodata, & caput in quo spectari maximè solet splendor, nitor, atque mundicies, cinere aspersit, & grauiolentia dedecorauit stercoris: & quos natura dedit crines infensis manibus euellit, & loca prius muliebribus destinata deliciis, quæ floribus strauerat, propriorum crinium laceratione compleuit. * Hic efficacium habitus precum. O quàm frigida ad impetrandum oratio illius, quæ caput irroratum vnguentis, & artificio affectato intortis capillis adornatum precaturæ submittunt?] Ieiunia preces comitabantur. * Vt corporis marcescentibus viribus, ac excidentibus, animus robustior pugnaturus exsurgeret.] Ieiunia enim, quæ corpus reddunt infirmum, animum fortiorem exponunt.] His armis instructa Regina Dominum Deum Israël precabatur. Paraphrasis Chaldaica dicit conuerso ad Ierosolymam vultu exorasse, vt qua ratione poterat, se coram Deo præsentem sisteret. Quod aut à Mardochæo, aut à Daniele didicerat. * Et quidem sacri loci religio animum ad attentationem apprimè disponit.] Domine mi (ait) qui Rex noster es *solus*, cui soli Iudæi præstamus obsequium, adiuua me & populum, quorum aspectas solitudinem, cum respicere possimus in terra neminem, à quo sperare possimus, aut implorare auxilium, cum acerrimos habeamus aduersarios, queis impunè, aut vtiliter nemo se opponet, Amanum, & Regem, à quo editum & confirmatum putatur edictum. * Est quidem graue ad persuadendum, atque ad clementiam permouendum cœleste Numen, si quis dicat, omnem ad salutem intercluſum aditum, & omninò esse pereundum, nisi manum Deus vindicem porrexerit. Hac ratione vsus est Dauid Psal. 24. *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper, sum ego.*] *Periculum meum in manibus meis est* Quasi dicat, vita mea periculo est exposita. Nam quod manibus gestatur, facilè excidit, aut facilè à manibus eripitur. Quare cum Ionathas 1. Reg. 19. dixit, animam suam in manibus suis posuisse Dauidem, significare voluit manifestum vitæ adiisse periculum. * Seu dixeris humilem Estheris animum propriis piaculis tribuisse discrimen. Vitæ periculum adest in manibus, versatur in operibus. Vndè *si est iniquitas in manibus meis, decidam meritò ab inimicis meis inanis.*] Vti Dauid pœnitens inclamabat.] *Audiui à patre* meo Mardochæo, à quo fui educata solicitè, & quem loco patris semper colui à te populum electum fuisse è cunctis gentibus eductum. Abrahamum primò & cum eo sobolem innumerabilem de Vr Chaldæorum in terram Chanaan. Deindè cum apud Ægyptios miseram subiret seruitutem, iterum populum eduxisti in locum stabilem, ac suum. Et tandem nunc vsus Persarum potestate ex Chaldæorum peregrino solo in patriam reuocasti. Didici simul à Mardochæo eos, qui à te in promissa terra fuere collocati, & ibi suscepti benignè, & educati molliter, tot beneficiorum immemores à te recessisse, & ad Gentilium Deos declinasse: atque ideo à te iustissimè fuisse abiectos, & inimicorum potestati subditos à quibus multis annis duriùs accepti fuerunt, & nunc ab illorum infensa manu exitialia metuunt in fortunia. *Peccauimus*, inquit. In peccatorum numero se ipsa constituit, licet neque idolis gentium diuinum cultum nunquam impenderit, neque aliquid admiserit, quod tàm diro debeat supplicio vindicari. * Hoc faciunt viri

Deum ad clementiam allicies, si orans ostenderis, te solitarium esse, & si Deus non faciat, periturum.

Pericula à manibus, seu ex operibus prauis procedunt.

Habitus efficaciter precantis fœmina describitur.

Animus fortior exsurgit, infirmato ieiunij corpore.

Locus sacer conducit ad orationis attentionem.

Humilis con-

fessio, siue te peccatorē esse profitetur, accessum expeditum parat ad diuinam clementiam.

viri sancti non semel, qui cum innocentem egerint, & inculpatam vitam, paternorum tamen sceleratum videri noluerunt expertes. Ita Tobias c. 3. 4. Esdras l. 1. c. 9. 6. Azarias Dan. 3. & Daniel cap. 9. 5. Hæc enim humilis confessio ad diuinam clementiam accessum præparat expeditum.] *Iustus es Domine*, qui nec peccatores dignos graui supplicio vis tyrannicè afflictari grauiori. Nosti Persarum arrogantiam, tyrannicamque potentiam, qui non solùm subiectis miserorum Iudæorum ceruicibus iugum imposuere importabile, aggrauantque quotidie: Sed etiam vero Deo audacter, & impudenter insultant: dum deorum suorum benignitati, ac potentiæ tribuunt, quod valeant robore, quod nobis dominentur, eoque habeant loco, vt de nostro capite libere pro sua libidine decernant. *Quare volunt tua mutare promissa*, id est, curant ostendere, & re ipsa demonstrare proposito illustri aliquo documento, te aut non posse, aut nolle, quæ promisisti olim patribus nostris, fideli executione præstare: ac tandem ne tibi à tuis honor impendatur à Lege constitutus; quod tunc videbuntur consequuti, cum populum tuum, quod cupiunt maximè, penitus extinxerint. Promiserat Deus Deut. 30. collecturum se, & ad suas sedes reducturum Hebræos vndecumque terrarum, si tamen illos verè, ac seriò peccati pœniteret. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, indè retrahet te Dominus Deus, si conuersus fueris ad eum in toto corde tuo.* Tunc autem conuersus populus videbatur, cum longo se macerabat ieiunio, & assiduis vigiliis precibusque vacabat. Vndè Esther sperabat colligendum à Deo, etiamsi penitus esset neci ab Amano deuotus. * Dispersè, aut acte ab hostibus, laboribusque Christicola, à Domino ad pacificum colligeris statum, si de patratis sceleribus toto ex corde pœniteas.] Porrò ô Domine, (addit Esther) qui piorum ora claudunt, ne tuis laudibus legitimis incumbant: iidem aliorum expediunt linguas, vt ore pleno idolorum fortitudinem commendent; quasi ab illis acceperint, quod Dei veri populum suæ subiecerint potestati, quod seruitio duro premant, quod nunc denique prorsus vno decreto conficiant: & hinc sumant idoneam materiam, vt carnalem Regem, atque mortalem, immortalem faciant ingentis prædicatione roboris, & alicuius Numinis opinione. *Ne ergo tradas Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt.* Videberis enim sceptrum tuum hominum opinione tradere his, quibus grandia, ac inusitata pattare permiseris. * Hinc enim suspicantur homines aliquid esse in Regibus humano maius, & diuinum aliquid, aut diuino proximum, quia quidquid expetunt, executioni tradunt, plerumque, si possibile communiter videatur.] Ergo propter gloriam nominis tui inimicorum consilia in illorum caput repercussa conuerte: & in eandem coniiciantur foueam, quam nobis effoderunt. * Profectò hinc etiam Gentiles Deum esse cognouerunt, dum in sceleratorum caput sua ipsorum callida machinamenta conuertit. Scitè Seneca. Tragicus.

Si populus toto ex corde de sceleribus pœniteat, à laboribus bellorum liberabitur.

Homines suspicantur aliquid esse Regibus humano maius, quia quidquid expetunt, exequuntur.

Manifestatur Deus ex eo, quod impios punint attemperato culpæ supplicio.

Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

Quomodò enim hæc humana Rectore careant, si scelera iusto punit, attemperatoq; supplicio?]

Vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Memento, &c.*] Scio ô Domine, quantum adeò vitæ periculum, si ad Regem accessero non vocata; ideò timeo, ne aut subitè non audeam Regios oculos, aut in eius conspectu consternata deficiam, aut certè abnunciare non possim, quod mihi fuit à Mardochæo mandatum. Ideò memor miserationis tuæ, mihi animum impauidum inspira, quo audeam: & linguam eruditam, ac solutam, qua possim meam mentem, ac votum aperire *in conspectu leonis*: & in hostes nostri Amani odium cor illius mirabiliter transfer. Leonem vocauit Esther Assuerum, & quia eius agnoscebat ingenium, aut quia legem meditabatur Persicam, quæ capitali damnabat supplicio eum, qui non vocatus in Regis conspectum esset ingressus. * Et quidem ira Regis iræ leoni non semel in sacris comparatur. Prou. 19. 12. *sicut fremitus leonis, ita & Regis iræ.* Paulus 2. Tim. 4. Neronem leonem appellat, *Liberatus sum*, ait, *de ore leonis.* Prou. 20. 2. *sicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* Dira aulæ habitatio, vbi tot leonis rugitus necessum exaudiri.] Tuum populum tua potentia libera ab imminente exitio, & me tibi vnico auxiliatori hærentem aditua, sciens, me Reginam potentissimam, quæ quod in terris amiri, aut sperari poterat, te largitore obtinui: in iis me adeò non placuisse, vt potiùs oderim gloriam quam captant plerumquè, & obtinent iniqui. Et Regium cubile, ac cum Principe tanto familiare commercium detestor, tum quia incircumcisus, & alienigena: tum quia fucata illa maiestate elatus, ipsi etiam vxori, ac Reginæ seuerum se præbeat & horribilem. * Et certè odium ingerit sponsæ præcordiis asperum coniugis ingenium. Quomodò amaret Esther eum, cuius aspectum non minus formidabat, quàm si nunquam cum illo fuisset coniugale fœdus, aut tori consuetudo?] Vides, Estherem suam Deo in oratione exponere innocentiam, vt Dei animum ad misericordiam *inflectat. Quod fecit* Dauid Psal. 131. *Memento Domine Dauid*, & omnis mansuetudinis eius. Ezechias Isa. 38. 3. Memento quæso, quomodò ambulauerim coram te in veritate. Sic Esther, *Memento Domine: tu nosti, quid oderim gloriam, &c.* * Confert ad impetrandum, in oratione innocentiam proponere; vnde necessarium est virtutum exercitamentis studere, vt habeas quid in prece proponas.] Tu scis (addit appositè) *necessitatem meam*, cui subueniri eo titulo postulo, quia abominor *signum superbiæ*. Non enim libenter, aut sponte in capite gesto Regium insigne, sed iniura, & ipsa necessitate coacta: non aliter, ac si graue capiti imposuissem onus, aut ignominiæ signum. Illo autem solummodò vtor in diebus ostensionis meæ, quando cum Rege, aut ad Regis imperium in hominum prodeo conspectum: alio tempore depono graue pondus, ac rem odiosam, quæ doloris plus affert, & fastidij, quàm voluptatis & gloriæ. Quid enim potest voluptatis afferre diadema, aut fascia illa, quam *detestor vt pannum menstruatæ.* Quod stomachum excitabat ad nauseam, aut erat visui & odoratu fœdum prouerbialiter cum panno menstruatæ comparabatur. In scriptura enim sacra abominabilis & polluta censebatur fœmina, dum in menstruis diuersatur. Scis item, me ex Regia mensa

Ira Regis leonis ira agnata, vnde aulæ habitatio horribilis.

Ingenium asperum in marito vxorem excitat ad odium.

Confert ad impetrandæ, innocentiam in oratione proponere.

2. Vrget Esther vberiori affectu, vt Deus postulatis annuat.

quam

quam Amanus cupiens à me gratiam inire, splendidò admodum adornabat apparatu, non plus cibi cepisse, quàm sobrietas postulabat, nec è cibo plus voluptatis, quàm è rustico ac insulso alimento, quod nihil à natura, nihil ab arte suauitatis haberet. Nec hauserim *vinum libaminum*. Quodnam libaminum vinum? Dixi Iudith 10. 5. poculenta, atque esculenta, quæ ad Gentilium mensas adducebantur, libata esse diis, & aliis superstitionibus omninò impiis illorum mensas censeri sacras. Ab his religiosa fœmina sapienter abstinuit. Et nunquam lætata est ancilla tua ex quo translata fui ad Regium thronum, nisi in te, Deus Abrahami. Mutata conditio in religiosa fœmina modestos mores non mutauit. * Mirum, Regiam maiestatem, molliores delicias, aulicorum consuetudinem, à qua non aberat luxus, Regis animum non peruertere. Vndè Ludouicus Rex Franciæ inter tot delicias sobrius adeò ac modestus mihi positus in miraculum.] Ideò ô Domine verè possum dicere, in vno Deo, quem coluit Abraham, meas statuisse delicias; ab hoc castas, & assiduas voluptates hausisse: ab aliis nihil nisi dolorem, nauseam, & omnibus modis intolerabile fastidium. * Et quid nisi dolorem, nauseam, ac fastidium possunt creaturæ animo fidelis ingerere?] *Deus* itaquè *fortis super omne*, qui liberare potes imbecille, atque inerme hominum genus, eius exaudi vocem, quæ cum ab humano speret nihil, à diuino auxilio sperat omnia salutis, vitæque subsidia. Multa ô Domine ab intestinis hostibus timeo, sed à me ipsa multò magis, ne à mea infirmitate victa, aut adire Regem non audeam, aut certè ante illius conspectum territa deficiam, & timore constricta lingua suum nequeat officium præstare, & quid sentiat pectus, aperire. *Erue* ergo *me à timore meo.*

Mirum ista Regium animum non peruerti delicijs Regijs.

Ideò D. Ludouicus Rex Franciæ mihi positus in miraculum.

A creaturis quid nisi dolor nausea, & fastidium?

CAPVT XV.

Mardochæi iussu Esther cum vitæ suæ periculo loquuturæ ad Regem Assuerum non vocata, sed Iudæorum aduocata ingreditur.

1. ET mandauit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo, & pro patria sua. 2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita fis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem: 3. & tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Nec non & ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circundata est gloria sua. 5. Cúmque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem & saluatorem Deum, assumpsit duas famulas, 6. & super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens, 7. altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans, 8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, & nimio timore contractum. 9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, steterit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus, erátque terribilis aspectu. 10. Cúmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. 11. Conuertítque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: 12. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. 13. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. 14. Accede igitur, & tange sceptrum. 15. Cúmque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris? 16. Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. 17. Valdè enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum. 18. Cúmque loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est. 19. Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eam.

COMMENTARII.

1. Esther ad Assueri duabus stipata puellis ingreditur.

VERS. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Et mandauit, &c.*] Quæ sequuntur, ait Hieronymus, se in editione olim vulgata reperisse, quæ quidem à te erunt in caput 4. transferenda. Mardochæus igitur pro suo iure Reginæ hoc iubet perferri mandatum. Reginæ inquam, quam orbatam parentibus adduxit domum, habuitque loco filiæ, & religiosis imbuit disciplinis eâ vigilantiâ, vt paternum illa animum, ac prouidentiam non requireret. Pro *mandauit*, aliquis *Iussit* exposuit. An Reginæ liceat Mardochæum subditum iubere? Licet quidem & quia eam enutriuit vt pater: & quia eam disciplinis probis imbuerat vt Magister. * Nam vel ad supremum gradum euectus, semper debes submisse reuereri eum, eique obedire, à quo enutritus es ac edoctus. Ideò ait textus, *Et mandauit ei (haud dubium, quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad Regem.* Quia solus nutritius, & Magister poterat licet subditus esset, Reginæ iussa tradere.] Vt autem Esther ad Regem ingredi, & pro populo rogare, eius monito non cunctaretur, sic eam per internuncium, aut scriptum alloquitur: Esto quæsierim, memor ô filia, nutritionis, & amoris mei; & cogita etiam atque etiam quid tot officiis ac meritis debeas. Ac tandem vide, quo in statu sit res Iudaica, quam ad extremam lineam Amani crudelis adegit ambitio, & inflammatum odium. Vt autem dirum eiusmodi auertas incommodum, Regem adi, postquàm Deum ad felicem rerum exitum ferueni oratione solicitaueris. Quod quidem illa gessit, & vt populus, qui aderat Susis, id etiam præstaret, orauit. De quo pluribus caput quartum. Hæc autem Hieronimus in editione Vulgata illa se inuenisse affirmat. *Die* itaquè *tertio* Regina *deposuit vestimenta ornatus sui*, id est, saccum, cinerem, & stercus: *& circumdata est gloria sua*, hoc est, induit pretiosa ornamenta, quibus aliquis aliorum oculis placere, & gloriosus videri studet. Saccus, cinis, stercus, & euulsis criminibus laceratum caput vocatur à Regina *ornatus suus*, quia non minus in eo sibi ipsi placebat, quàm in Regio diademate & veste pretiosis lapidibus stellata. * Animi enim ornatus, qui eum cœlestis sponsi oculis pulcherrimum obiicit, est asperitas, sacci, cilitij, ieiunij, quo corporis pulchritudo marcescit.] * Et reuera neglectus ornatus, & impexus crinis, & contemptæ fœminarum deliciæ maiorem apud prudentes benevolentiam excitant, & naturalem augent pulchritudinem.] Potrò gloriam pro ornamentis sumi in sacris indubitatum est. Iob è Regio solio, & maiestate ad extremam egestatem, & vsque ad sterquilinij sordes deiectus, dixit Cap. 19. 9. *Spoliauit me gloriâ meâ, & abstulit coronam de capite meo.* Igitur gloria sumitur pro ornamentis, quæ alicuius gloriam, & decorem ostentant. Et Iob quam prius *gloriam*, mox *coronam* vocauit. * Fallax quidem est gloria, quæ assumi potest, & deponi, solummodò illam vocitarim veracem gloriam,

Vel ad supremum gradum euectus, semper debes nutritii & Magistrum tuum reuereri, eique obedire.

Animi ornatus, corpori addicta asperitas.

Neglectus ornatus naturalem apud eordatos auget pulchritudinem.

Fallax est gloria, quæ assumi potest, & deponi.

quæ à fortuna haud potest auferri. Induit itaque Esther Regium amictum (deposito sacco, ac cinere) qualis tanti Principis coniugem decebat. Adhibuit duas famulas, quarum altera longum syma, id est, defluentes à tergo vestes sustinebat. Alterius verò humeris innitebatur Regina simulans infirmitatem, quasi præ deliciis, ac nimia teneritudine corpus suum sustinere non posset. * Certè in hac infirmitate (vulgariter, *Dameria*) qua sunt insanæ fœminæ, non minimam pulchritudinis partem esse putant: & cum sint interdum robusto corpore & firmis viribus, infirmas se esse simulant, & graciles, quæ alienis viribus indigeant. Quid fœmina insanius, quæ ingenuè profitetur, suam præcipuam pulchritudinem infirmitate niti?] Cúmque Esther mœstum haberet, atque pauentem animum, vultu tamen roseo, & oculis placidis tristitiam simulabat, & diræ communis illius solicitudinis occultabat aculeos. Sedebat Rex eo habitu vt suam maiestatem diuinæ similem aliis ostentaret, auro decorus, & Regiæ vesti pretiosis lapidibus intextis, aspectu tamen terribilis, & ipsis etiam viris formidandus. Cúmque scintillantes oculos interni furoris indices in Estherem intendisset, toruos videlicet atque minaces, quod ausa fuisset ingredi non vocata; illa statim corruit exanguis, & præ timore pallida nutabundum caput in ceruice languida super puellæ humeros reclinauit,

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassáve papauera collo
Demisere caput.

Vti de moriente Curialo Maro *Æneid. 9.* cecinit. * Si dilectæ tantus horror sponsæ ex irati Regis aspectu, quanto inimicus afficietur horrore, cum irati cœlestis Iudicis tribunal adibunt?]

Quid fœmina insanius, quæ profitetur, suam præcipuam pulchritudinem infirmitate niti.

Quàm horribilis Christus Iudex inimicis.

2. Assuerus Estherem vltrò excipit, & blanditur.

Vers. 11. 12. 13. 14. 15. *Conuertitque, &c.*] Concedit Reginæ Deus, quod antè petierat Commutauit enim Regis animum, ex leoneque truci agnum reddidit mansuetum, qui neque nouit fremere, nec instrumenta ad inferendum vulnus gerit idonea. Quare Regiæ maiestatis immemor exiliit è solio, & vlnis suis illam amplexatus atque sustentans vt recedentem animam reuocaret, his illi verbis amatorio more blandiebatur. Ecquis est langor iste ô Regina? quod animi deliquium? Quem times? frater tuus sum, & sponsus; reuoca fugientem & recrea deficientem animam: nisi vis me quoque tecum deficere deficiente, atque moriente commori. Non est, cur legem timeas, nam illius te Reginæ nomen, & coniugale fœdus facit exortem. *Non propter te* Reginam, quæ communibus legibus subiecta non est, *sed propter omnes* alios illa lex constituitur. Alios damnat capite Persici decreti indicta seueritas: ratio ipsa & tori societas reddunt immunem. * En Estheris melioris, Mariæ scilicet perspicuum immunitatis à communi piaculo exemplum. Omnes Adami filios illa lex comprehendit, quia *omnes in Adam peccauerunt, omnes mortui sunt.* Ergo peccauit Maria Adæ filia ac mortua est. Minimè quidem, quia hæc lex non propter illam, *sed propter omnes* reliquos hæc lex fuit constituta, quia Regina soror sponsa, quæ vulgaribus legibus non subiicitur.] * Venit

Communis illa peccati originalis lex nō propter Deiparam, sed propter omnes alios est constituta.

Non deliquit eo ex capite quod non vocata venerit, quia nunquàm à Rege Maria recesserat.

nit (ais) non vocata. Profectò, licet Maria illi legi deberet submitti, non incurreret pœnam, duplici ex capite. Primò quia vocari non poterat, quæ absens nunquam à Domino erat. Vndè cum Maria Dei sponsa inclamaret, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubas in meridie: ne vagari incipiam.* ipse respondit: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum abi, & egredere.* Cant. 1. Ac si diceret, si ignoras, vbinam sis, abi & egredere. Inepta videbitur responsio, quia Maria non ait ignorare vbi ipsa sit, sed vbi commoretur sponsus. Profectò dum Maria ignorat vbi sit sponsus, indicat apertè se ignorare vbi ipsa commoretur, quia nunquam Maria à Domino separatur. Quomodo igitur posset vocari, quæ minimè poterat absens existere?] * Deinde legem communem non violauit, quia vocata venit aspectum Regis inire. Annon vocatur ex ore Dauidico? *Audi filia & vide, inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex speciem tuam.* Psalm. 44. Imò semel ac iterum ab ipso vocatur sponso. *Veni de Libano, sponsa, veni de Libano, veni, & coronaberis.* Cant. 7. Ergo licet communi legi subiecta fuisset, pœnæ non subiaceret, quia iterum atque iterum vocata Regis sponsi subiuit aspectum.] Hoc nomen, *Ego sum frater tuus* reuocare potuit fugientem animam, & languenti pectori virile inserere robur. Attamen addidit Assuerus, *Accede igitur, & tange sceptrum.* Hoc signum erat placati animi, & nihil cogitantis hostile. * Christi sceptrum Crux est, quia *Dominus regnauit à ligno.* Si exitio times æterno absorberi, *accede, & tange sceptrum,* Cruci hæresce Dominicæ, & ab omni formidine liberaberis.] Ostensa virga, potuit Regina recreari, sed, vt apparet, tangere ex Persico more debuit virgam, quod Assuerus admonuit, *Tange sceptrum.* * Sunt qui sibi persuadeant sufficere, si sceptrum adorent, si Crucem à longe venerentur. Sed necessum est, sceptrum tangere, manus Cruci adhibere, asperitatis studere actionibus, opera exprimere cruciformia.] Cum igitur Regina non surgeret ex Regis monito, vt sceptrum attingeret, quia nondum seipsam à metu, perturbationéque receperat, extendit Rex virgam super collum, quod maius erat benevolentiæ signum, & libauit oscula, quod magis internos animi sensus testabatur, & quàm illam ardenter amaret, & eius dolorem ferret familiariter. Cumque illi deesset in illo angore atque æstu loquendi facultas, rogat Rex non minus anxius quam Regina: Quænam precor silentis causa? Cur te, cùm maximè opus est affatu, linguem ostendis? Illud sine pondere non prætereat. *Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam.* Monuerat Rex *Tange sceptrum*; ast cum illa non tangeret, Assuerus tulit virgam & super collum apposuit. * Si à morte eripiendus non pergis ad virgam, si ad Crucem vltroneus non accurris. Crux ad te percussura aduentauit. Laborum enim cruciatus prædestinatos decet.] * *Osculatus est* (inquit textus) *eam*, dum virgam admouit. Quid osculo cum crucis vulnere? Certè tunc Deus homini libat oscula, cum flagellat.]

Vel legem communem Maria non violauit, quia sæpè vocata venit.

Cruci hæresce Dominicæ, qui curas ab æterno exitio liberari.

Non sufficit tibi Crucem à longè venerari, eam tangere oportet, & opera cruciformia exterere.

Si ad Crucem non accedis, ipsa ad te percussura aduentabit.

Deus homini tunc libat oscula, cum flagellat.

3. *Vers.* 16. 17. 18. 19. *Quæ respondit, &c.*] Redit ad se Regina ex ea perturbatione, & profatur: Vidi te Domine, *quasi Angelum Dei*, & præ maiestatis tuæ timore, cor meum perturbatione fuit affectum. Non dicit, minaces oculos, aut Persarum durissimam legem perturbationis sibi fuisse causam; sed maiestatem & splendorem, & quia aliquid in eo diuino simile spectare videbatur. Certè Angeli nomine aliquid eximium in quocumque genere Hebræi significant. Sic Ezechiel *cap.* 28. 14. Regem Tyri, quem ab specie & splendore laudat, Angelum appellat: *Tu Cherub extentus, & protegens.* Sic Achis ad Dauid 1. Reg. 29. 9. *Bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Et Thecuitis ad Dauidem 2. Reg. 14. 20. *Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus.* Sic ergo dum Esther maiestatem Regis cum Angelica comparat, eximiam esse prædicat. * Vt custodem tuum Angelum submissius reuereare, cuius vel nomen vides omnium eximiarum dotum prudentiæ, sapientiæ, pulchritudinis, sanctitatis esse Synonomum.] Vide itaquè Domine Angelica maiestate, splendore, terrore fulgentem, & præ reuerentia gloriæ, seu maiestatis splendore, terrore fulgentem, & præ reuerentia gloriæ, seu maiestatis tuæ conturbatum est cor meum. Valdè enim te mirabilem video, faciémque tuam *gratiarum*, seu dotium præcellarum plenam esse contemplor. Recreata nonnihil erat Esther, cum mutatum Regis animum ex sermonis suauitate cognouit: non tamen omninò se potuit recipere ab illa perturbatione, in quam à Regio conspectu, & legis seueritate iniecta fuerat: ideóque rursum elanguit, iterum in aliorum vlnas exanimata corruit. At Rex iterum turbatur, & æstuat, iterum adhibet documenta amoris, & doloris ac perturbationis lenimenta. Quod idem fecerunt Regij ministri, cui non minus Regis quàm Reginæ dolor dolori fuisse videbatur, qui Reginam consolabantur, & sperare iubebant à Regis liberalitate benevola quæcumque vellet. Nonnulla annotarim. * In primis aureæ virgæ extensionem: *Tulit auream virgam, & posuit super collum eius.* Deiparæ hîc redemptionem licet contemplari. Rex dixerat, *Accede, & tange sceptrum*, Esther autem non accessit, nec tetigit; sed Assuerus extendit, & super collum Reginæ posuit. *Christus pro omnibus mortuus est, & omnes* præter virginem *mortui sunt*: ideò omnes accedunt Christi sceptrum, id est, Crucem vt contingant resurrecturi: Maria verò non accedit vt tangat, quia cum illis minimè commortua fuit. At ne moreretur, ipse Dominus sceptrum, seu Crucem tulit, & Deiparæ collum tetigit, siue ei copiosam suam redemptionem applicauit.] * Deindè illam premo particulam, *Rursus corruit, & penè exanimata est, Rex autem turbatur valdè.* Cœlestis sponsi & sponsæ Mariæ vna videtur esse conditio: cum perturbatur hæc, ille quodammodò perturbatur; quia dedecus Mariæ, Christi dedecus esse videtur. Quis videns Mariam communi maculæ subiacere, non videat Christi filij famam alicui naturæ subiacere? Illa igitur vel externa casus species in Maria, Christum quodammodò perturbauit, quasi

Esther resumens animũ Assuero respondet.

Vel Angeli nomen Synonomũ est omnium eximiarũ dotum. Vnde Custodem Angelũ amplius reuerere.

Specialissima Deiparæ Redemptio expenditur.

Propter benevẽ Christi oportet nos Deipara immunitatem à cõmuni casu profiteri.

quasi communis esset in hominum cordatorum opinione Matris ac Filij excidendi condition. Ergo propter honorem Filij Matrem verè non cecidisse, nec exanimatam fuisse firmiter fateamur.] * Denique illa pondero verba: *Et omnes Ministri eius consolabantur eam.* An consolantur Mariam Reginam Regis illi Ministri qui eam verè cecidisse, verè mortuam fuisse proclamant? Absit. Illi Virginem verè consolantur qui gratulabundi eius victoriam festivis acclamationibus profitentur. Pudeat aliquos cœlestis Regis Ministros, qui licitè possunt Virginem consolari, obticere, dum *omnes Assueri Ministri* Estherem Mariæ typum consolabantur.]

Omnes Regis cœlestis Ministri vno ore deberent Mariæ proclamare à communi reatu victoriam.

CAPVT XVI.

Assueri epistolæ, quâ reuocat dirum Amanis rescriptum, iubetque vice versâ à Iudæis quoscumque hostes eorum occidi, & diem istum toto Imperio suo festum haberi, exemplar exponitur.

1. REx magnus Artaxerxes ab India vsque Æthiopiam, centum viginti septem prouinciarum ducibus, ac principibus, qui nostræ iussioni obediunt, salutem dicit. 2. Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: 3. & non solùm subiectos regibus nituntur opprimere, sed latam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. 4. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. 5. Et in tantum vesaniæ proruperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere: 6. dum aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. 7. Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur. 8. Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum. 9. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate; sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam. 10. Et vt manifestius, quod dicimus, intelligatis; Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienúsque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est: 11. & tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus: 12. qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur & spiritu. 13. Nam Mardochæum, cuius fide & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, nouis quibusdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem: 14. hoc cogitans, vt illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas. 15. Nos autem, à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario iustis vtentes legibus, 16. & filios altissimi & maximi, sempérque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & vsque hodie custoditur. 17. Vnde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. 18. Pro quo scelere ante portas huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. 19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus suis. 20. Quibus debetis esse adminiculo, vt eos, qui se ad necem eorum parauerant, possint interficere tertia decima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar. 21. hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium. 22. Vnde & vos, inter cæteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt in posterum cognoscatur,

scatur, 23. omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. 24. Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit solemnitatis huius esse particeps, gladio & igne pereat: & sic deleatur, vt non solùm hominibus, sed etiam bestiis inuia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

COMMENTARII.

I. Assuerus culpam mutãdi decretũ circa Iudæorũ exitiũ, à seipso reiicit in Amanũ eius auctorem.

VERS. 1.2.3.4.5.6.7.8. *Rex magnus, &c.*] Hoc Caput in Hebraico textu non habetur, atque ideò illud à Hieronymo seperatim apponitur. Continet Assueri seu Artaxerxis Longimani epistolam, in qua id maximè intendit Rex, vt suam apud omnes constantiam & auctoritatem tueatur, qui nouerant à lege, seu consuetudine non esse permissum Regibus, vt sua decreta mutent. Quare cum hîc mutare videant, in suo Principe constantiam requirerent, & violatæ legis accusationem intenderent. Quamobrem totam culpam in illas reiicit, qui decreti illius suasores, siue auctores extitére. * Non decet Reges sua facilè abolere decreta, sed cum constat non aptè lata fuisse, non solùm decenter possunt, sed & debent illicò mutare.] * Mutatur autem hoc Assueri decretum, Ministrorum vituperio. Rarò videris inepta Regis præscripta ferri, quorum imprudentiæ culpa non immediatè recidat in Ministros.] Artaxerxes Rex magnus (commonis hæc inferendis, aut abrogandis decretis est clausula) ab India vsque ad Æthyopiam Ducibus ac Principibus centum viginti septem Prouinciarum, quæ nostræ ditioni subsunt. Salutem precor. Est intolerabile, odiosum, ac barbarum hominum genus, qui cum à Principum liberalitate multis sunt obærati beneficiis, & amplissimis honoribus cumulati, abusi potentia & opibus non suis, sed acceptis, & non semel ablatis: sic insolescunt, & efferuntur, vt non solum his, qui legibus, & Regum præceptis astricti sunt: sed etiam his, à quibus ornati sunt, & excitati à puluere, insidias moliantur. * Si ingratus animus acri reprehensione dignus, qui ingratitudini addit insidiarum iniuriam, quantæ erit subtaxationi agnatus?] Nec contenti sunt illis, à quibus ornati fuére, non habere gratias, & violare iura, quæ mortali generi natura præscripsit; sed eo etiam progressi sunt audaciæ, eo impudentiæ, vt nec diuina cutent, neque à Deo putent, repetendas esse pœnas eorum, quæ improbè gesserunt. * Ingrati enim animi ea est stoliditas, vt vix credat Deum esse, à quo acceperit beneficia, & cui erit rationem acceptorum redditurus.] *Nec contenti sunt* (ait) *gratias non agere beneficijs, & humanitatis in se iura violare; sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.* * Postquam ingratitudinem, beneficijs acceptis, expressit, illico diuini iudicij tribunalis recordatur. Quia post beneficia accepta ingratis iudicium imminere, quis dubitet:] Et in tam intolerabilem prorumpere vesaniam, vt suas vires & potentiam acceptam, ad sceleratos infectandum ciues, eo contulere, vt eos, qui à legum fideli custodia neque lato recesserunt vngue, & vitam egerunt verè laudabilem, confictis callidè mendaciis oppugnent & euertant. Eo impudentiores, quod Principes, qui sincero sunt animo, & à suis moribus, & sensu aliorum ingenium ac mores metiuntur, subdolis monitis, quibus curant eorum aures demulcere, iniquè decipiunt. Facilè quidem Principes decipiuntur, quia illorum, quos in consilium adhibent, quosque in aula semper familiares habent, fraudulentum esse neminem, ac infidelem arbitrantur. * Expende illa verba admodum pulchra: *Dum aures Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.* Sinceritas agnata Principibus, facilè possunt decipi, quia nihil improbum de aliis suspicantur.] * Certè alios æstimare, inferiores magni facere Principes, ac nobiles habent insitum à natura.] * Cum autem Princeps videat ex agnata sinceritate seductioni subiacere, ediscat, non esse facilè credendum suasoribus, aut delatoribus, si suam velint auctoritatem retinere, & aliis leues ac faciles non videri. Nam vti monuit Sapiens Cap. 19. 3. *Qui citò credit, leuis est corde, & minorabitur.*] Antiqua scrutemini monumenta, ex quibus fiet vobis perspicuum, quàm plurimos Principes suo communibúsque votis statuisse contraria, dum aures faciles criminatoribus exhibuére: & eosdem deinceps ab errore liberatos sua damnasse ac mutasse decreta. Vndè si hominum veteratorum fraudulenta consilia communem turbauére pacem, & exemplo malo æquitatem violauére, prouidendum est, vt publicis occurramus incommodis. Nec existimare debetis etiamsi decretum promulgetur superiori contrarium, ab animi leuitate proueniisse; sed cum alius rerum status aliam administrationis formam requirat: necesse est, mutari illa, & abrogari prorsus, quæ priùs dum alia mens erat, expedire Reipublicæ commodis videbantur. * Varius quidem rerum status debet Regum immutare, aut abrogare præscriptiones.] Quæsieris, cur Rex sciens vnicè Amanum decreti prioris auctorem extitisse, plurali loquatur in numero: *Multi bonitate Principum abusi sunt in superbiam: Nec contenti sunt: Moliuntur insidias: Et in tantum vesanis prorumpunt: Callida fraude decipiunt.* * An Regem pudebat tanta vnum Ministrum donasse auctoritate, vt auderet tàm immane facinus moliri? Indecorum est Regi animam vni impendere auctoritatem.] Attamen aliter quæstioni iam respondeo.

Debet Rex inepta decreta illicò abolere.

Inepterũ Regis decretorũ culpa plerũque recidit in Ministros.

Pro gratiis beneficio debitis iniuria gerere, iniquissimũ est.

Ingratus animus vix credat esse Deũ.

Post beneficia accepta, mox ingratis Dei iudicium imminet.

Sinceritas est agnata Principibus, vndè facilè decipi possunt.

Agnatũ nobilibus inferiores æstimare Nõ sit Rex facilis ad credendum suasoribus, aut delatoribus, ne leuis videatur.

Varius rerum status debet Regum mutare, aut abrogare præscriptiones.

Iudæorũ est Regi animam vni Ministro auctoritatem exhibere.

Vers. 10.11.12.13.14.15.16. *Et vt manifestius, &c.*] Generatim locutus fuerat Assuerus de Ministris ingratis, qui Reges seduxerant, & abusi

2. Aperte describit Assuerus Amani

Contra Mardochæum ac Iudæos iustos nequitiam.

abusi fuerant data sibi à Principibus auctoritate. Iam apertè de Amano loquitur, & quod antiquis dixerat confirmari exemplis, nouo confirmat. Vt igitur, quod diximus, manifestiùs intelligatis, Amanus filius Amadathi, *& gente Macedo*, & animo, siquidem à Persicis commodis eum habebat alienum: ad eum tamen locum mea munificentia sublatus est, vt secundus à Rege numeraretur, & meus appellaretur pater: quia illius (me pudet) in rebus quibusque dubiis sequebar arbitrium: & quod nemini ex meo Imperio concessum est, ab omnibus quasi Regij nominis, aut etiam numinis particeps esset, eadem qua ego veneratione voluit adorari. Quem tamen sic honos ille tantus inflauit, vt quo sibi assumeret, aut ad Macedones traduceret Imperium: de me occidendo consilium execrandum inierit. *

Quodcumque flagitium agnatum est homini ingrato.

Certè an Amanus contra Regem cum duobus Eunuchis coniurauerit, dixi ad Caput 2. Incertum planè, sed à Rege asseritur quasi non dubitatum, cum illis coniurasse. Quodcumque enim immane flagitium homini est agnatum ingrato.] Adde, è vili conditione sublatum ad

Quid nō audeat vilis homūncio ad meliorem fortunā sublatus.

Principatum fuisse. Quid non audeat vilis homuncio ad meliorem fortunam sublatus?] Demùm vilis alienigena erat. Et quando viles alienigenæ propria non curant commoda, vel Regis iniuria, quod nobiles alienigenæ non præstant?] Nitebatur inquam Amanus me Imperio ac vita priuare. Nam Mardochæum, cuius fide, ac beneficio viuo, siquidem Eunuchorum perfidiam detexit, &

Alienigena vilis solet propria commoda procurare vel Regis iniuria: nō sic alienigena nobilis.

consortem mei Regni Esthereм dilectissimam cum omni gente sua Iudæorum innocentium populo, nouis quæsitis & inauditis machinationibus expetiit in mortem: hoc quidem arbitrio, vt nostræ insidiaretur solitudini, & Persicum Regnum in Macedonas transferret. Porrò Assuerus quod regnet, & viuat Mardochæi fideli refert admonitioni. Vndè cum Amanus crucem Mardochæo parasset, & priùs decretum illud ab ignorante Rege de Iudæorum nece priùs impetrasset: sic Rex Amani interpretabatur animum, vt voluerit occidere Reginam, à Iudæorum semine prognatam, & seipsum cum de medio sublatum esse vellet Mardochæum, qui priùs Regium caput defendisset, & quo viuente quidquam se posse in Regis vitam moliri desperabat. Hoc est quod dicitur, *Vt illis interfectis nostræ insidiaretur solitudini.* Quia se Rex nudum à fideli custodia arbitrabatur, si defuissent illi duo Mardochæus scilicet, & Regina. * Solitarium se se Rex pulchrè faretur.

Fidelis amicus ac fidelis coniux vnicè pro toto comitatu debet esse Regi, debet esse marito, sine hu solitarius existit. Vnicus fidelis subditus Regis est vita, Imperij stabilimentum.

fideli Mardochæo coniugéque fideli ornatum, dum interim innumeris Ministris Principibus, famulis, subditis stiparetur; quia fidelis amicus, & coniux fidelis pro toto vnicè comitatu debet esse Regi, debet esse marito.] * Illud expende. *In tantum arrogantiæ tumorem sublatus est* Amanus, *vt Regno priuare nos niteretur, & Spiritu. Nam Mardocheum: expegimit in mortem.* Probat Rex, Amanum intendisse, eum & Regno & vita priuare, quia Amanum fidelissimum interimire nitebatur. Quia vnicus fidelissimus subditus & Regis est vita, & Imperij stabilimentum: quo corruente, quasi Regis vita & Imperium peruolat ad occasum.] Multa de Iudæorum aut perditis moribus, aut pernitiosis legibus ad me Amanus *pessimus mortalium* ille detulerat, propter quæ nimium facilis (ingenuè profiteor) omnes in eius tradidi potestatem, vt de eorum capite pro suo arbitratu decerneret. Post verò cum in illorum leges & mores accuratiùs inquirerem, innocentes reperi, & prorsus indignos, in quos tàm immane decretum ederetur. Subditorum causa maturius est discutienda; multæ enim delationes præ se ferunt delictum puniendum, quæ accuratiùs spectatæ virtutem munerandam exponunt.] Non solum non reperi Iudæos aliquo crimine fœdatos, iustisque vtentes legibus; sed & verè filios Altissimi, & maximi, semperque viuentis Dei esse comperi: cuius beneficio *& patribus nostris, & nobis Regnum est traditum, & vsque hodie custoditur.* Traditum sibi à Deo, quem custodit Israël, Imperium à Chaldæis ad Persarum potestatem translatum professus est Cyrus lib. 1. Esd. c. 5. & 2. Paral. c. vlt. in fine, quod ex cap. 45. Isaiæ ex Iudæorum relatione didicerat.

Delationes dānātes subditum maturius sunt à Præsule discutiendæ.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Vndè eas, &c.*] Propter hæc imperio, vt superiores meo ex nomine indictæ literæ Iudæis exitiales eo deinceps habeatis loco, quasi nullum à Regio nomine ac signo pondus habuissent. Siquidem subreptitiæ fuere Amani scelere, pro quo ante Susan portas ipse, qui machinatus est, & omnis cognatio eius addicti patibulo periere; non nobis punientibus, sed *Deo ei reddente, quod meruit.* * Peccatoribus sanè inflicta supplicia non existimes à terrenis Iudicibus prodiisse, sed à cœlestis calamo scripta exponi.] Hoc autem edictum de more in publicis locis proponi iubeo, vt norint Iudæi, licere sibi per me suis vti legibus: neque quisquam audeat illis, quominùs id suo more faciant, esse impedimento. Sed quia non solum permitto, vt patrio ritu suis vtantur legibus, sed etiam iubet mihi, vt illos, qui arma ad eorum cædem comparauerant, occidant, quod non poterunt impunè gerere, quia Regnum fortasse Amani assecla exundat: iubeo, vt Duces ac Principes, ad quos præsertim dantur hæ literæ, vt adiumento sint Iudæis, vti liberè eos, qui vim illis ostentarant armatam, & se Amani furoris præstare voluerant administros, ad vnum extinguant die mensis Adar decima tertia, quam illi Iudæorum cædibus incestare decreuerant. Diuino enim consilio actum, vt diem, quam statuissent Hebraico sanguine cruentare, suo ipsi sanguine cruentent: & dies luctui Iudæorum destinata, eis hilaris illucescat. Dies autem hæc anniuersaria celebratione omnibus, qui Imperio Persico subsunt, sit solemnis, vt illorum supplicium, qui Regis saluti insidiati sunt, & eorum gloria, qui fidele Regi præstitére obsequium oculis exponatur. Vndè ad Regiam salutem tuendam, & à Maiestatis læsæ scelere excitarentur, & terrerentur animi. * Præmium enim addictum virtuti, animum excitat ad similia opera præstanda: & supplicium criminis animum ad similе piaculum exerendum exterritat.] Omnis autem Prouincia, quæ præscripto meo de huiusmodi solemnitate celebranda non obedierit,

3. Copia Iudæis datur, se vlciscendi die & dies vltionis festinus indicitur.

Peccatorum supplicia non à terreno Iudice, sed à cœlesti indicuntur.

Præmium virtuti alicui expositum excitat ad similem actionem: & supplicij ab huiusmodi vitio deterret.

rit, gladio, ac igne depereat: & sic penitus aboleatur, vt non solùm hominibus non det habitaculum, verùm & bestiis inuia exponatur æternùm in horribile contemptus ac inobedientiæ documentum. Certè hoc supplicium apud Chaldæos, & Persas fuit vsitatum, quia in minis adhibetur frequenter, vt illius domus, qui contra fecerit, destruatur, & in publicos vsus, eosque indecoros ac sordidos conuertatur. Quòd in suum populum Deus vsus fuit aliquando, dum loca quædam, quæ vsus habuere, aut habitatura videbantur eximios, perdidit, vastauitque adeò, vt nullus deinceps fructus indè in humana commoda redundaret. Deut. 29. 23. Illa demùm particula: *Vndè & vos inter cæteros festos dies hanc habetote diem*, manifestè innuit apud Persas aliquos festos solitos celebrari. Herodotus asserit l. 3. à Dario imperatum, vt dies cædis Magorum, quorum in locum ipse successerat, festum æternum esse. Familiare enim erat Gentilibus, certa tempora Numini dicare, quibus illud ob præstita beneficia publicè collaudarent, & gratias exhiberent, auctore Plutarcho in Nicia. * Quid mirum christicolas, quibus exundant quotidiè cœlestis Numinis beneficia, nunquam exhausta scaturigine, tot annuas colere gratitudinis ergò solemnitates?] His sit finis Voluminis tertio Commentariorum in septem hosce Historicos Libros ad Deiparæ, Iosephi, Ignatij, ac Antonij gloriam. Absolui Vallisoletana domo D. Ignatij Societatis Iesu die Iunij 11. anno 1652.

Laudantur Christicolæ à multitudine dierum festorum.



AD

AD DOMINAM MEAM

EPILOGVS.

LAVDES tuas, ô Domina, septem sacrorum Voluminum hisce Historiis hallari aspicio. Nam si primum ac secundum Librum Paralipomenon lego, toties inuenio Dei parentis Regnum connotari, quoties probi alicuius Regis memoria geritur. Vnicâ tamen in Reginâ Saba celeberrimæ tuam imaginem lubet contemplari. Quæ *ingressa est in Ierusalem* comitatu multo, & diuitiis. 2. *Paral.* 9. Ad quæ Richardus Laurent. lib. 6. *Regina Saba Maria, Saba enim interpretatur conuersio, vel incensio. Hæc est Maria, quæ peccatores conuertit, & eorum affectus per charitatem incendit. Diuitiæ Virginis sunt illæ, de quibus* Prou. 3. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Istæ diuitiæ sunt Virginalis fœcunditas, & fœcunda virginitas: humilis Charitas, & charitatiua humilitas: benigna misericordia, & misericors benignitas: pia mansuetudo, & mansuetissima pietas, &c.* Verùm dùm Librum primum Esdræ euoluo, & Templi instaurationi operam dari video: te augustissimum Dei Templum sacratius vtiquè recognosco. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Maria est Dei Templum in qua verus Deus versatur non in figura & ænigmate, sed in veritate, & vbi Deus homo pro salute omnium immolatur.* Dum verò secundum annoto, te Murum melioris Ierosolymæ, non innouatum, sed ex instanti primo à Deo exædificatum in fortitudine à communi abstractâ infirmitate aspecto. Quàm pulchrè Richardus lib. 11. *Maria est murus inexpugnabilis. Ego*, inquit, *murus.* Cant. 8. *Murus dicitur passiuè, quia fundatus est à Deo suprà firmam petram.* (En robur Conceptionis) *& munitur multipliciter contra machinas hostium. Et actiuè, quia munit, & tuetur interiora Ciuitatis Dei, id est Ecclesiæ, ne bona interiora eius, id est, bona opera, & gratiæ virtutes diripiantur à Dæmonijs, & vitijs.* Et quomodò consisteret murus hic, Ecclesiámque roboraret, si non in petra, sed in communi fragilitate fundaretur? Iam vero Librum Tobiæ recognoscens cœcum hominum genus inuenio per te verò lumini restiturum. *Incarnatio Christi* (ait Richardus lib. 1.) *Collyrium est Raphaëlis, qui dicitur Medicina Dei. Hoc collyrio Maria, id est, Illuminans eos, cæcos illuminat Christianos, quia documentis suis docuit tuos Christianè viuere.* Quid si Librum Iudith euoluam? Sanctissima obiicitur mihi Maria, cuius efficacissimæ preces ad populi victoriam.

Maria figurata in Regina Saba. 2. Par. 9. Richard.

Maria spirituales diuitiæ. Prou. 31.

Dei Templum Maria. 1. Esd. 1. Ildephon.

Maria Ciuitatis Dei murus. 2. Esd. 2. Richard. cant. 8.

Murus hic fundatus in petra, non in communi fragilitate.

Maria cæci generis humani illuminatrix. Richard.

Instar Iudithæ, quidquid petit, à Deo impetrat. riam. Adhuc Richardus lib. 1. *Maria facilè impetrat, quidquid petit à Filio. Ideò in figura eius dictum est Iudith 8. Ora pro nobis, quia mulier sancta es tu.* Denique Estheris historiam recolens, non possum non tuæ miserationis potentiam memorare. Assuerus Estheri: *Quid vis Esther, & quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* cap. 7. Ad quæ bellè Laurentinus lib. 6. *Regnum Dei constitit in duobus, scilicet in misericordia, & iustitia. Et Filius Dei quasi sibi retinuit iustitiam velut dimidiam partem Regni, Matri concessit misericordiam quasi dimidiam aliam partem. Vndè dicitur Regina misericordiæ, & Filius Sol iustitiæ: & hæc quasi participatio figurata est in Esther.* Imò tuæ ditionis ô Domina quasi exiliens terminos alteram Regni partem ambis, vt totam Dei iustitiam in miserationem allicias.

Iudith 8. Richard.

Maria Esther Regni Dei partem possidens dimidiam.

Esth. 7. Richard.

Laus Deo, Deiparæ, Iosepho, Antonio, Ignatio.



INDEX

INDEX VNICVS.
MORALES CONCEPTVS
ad Concionatores.

Prior numerus paginam : Posterior columnam designat.

A

Aberratio.

DEVS non patitur suos diu aberrare consilio, si eo curant ei placere. pag. 56. columna 2

Abrogatio.

Non benè audit apud subditos quidquid sibi singulariter abrogatur. 89.2

Absentia.

Multa spiritualia incommoda ex præsulis obueniunt absentia. 261.1
Absentia dilectionis est interemptrix. 228.2

Abstinentia.

Abstine à peccato, ne fortè illud sit vltimum, quo perpetrato instet supplicium. 326.1
Fideles ab actionibus debent abstinere, quæ peccati speciem exponere videantur. 381.2
Qui orationi exercitamentis student, sic à veniali culpa abstinere student, ac alij à lethali. 327.2
Si populus electus abstineret à crimine bonis omnibus exundaret. 308.1
Communicaturus vel à licita abstine voluptate. 31.2
Qui à licitis voluptatibus abstinet potest cum perfectissimis comparari. 279.2

Abstractio.

Quos eligit Deus, curat ex delinquendi occasione abstrahere. 248.2

Abundantia.

Omnes Præfecti militares abundant thesauris ex militum miserorum penu. 328.1
Sine abundantia cibi gaudium à communitate exulat de præsule subditis obmurmurantibus. 42.2

Abusus.

Difficilè abusus aboletur, ex prætextu pietatis intrusus. 184.1

Acceptus.

Acceptabilis, qui acceptus est Deo. 296.2

Actio.

Necessarium est aliquando abcessu contemplationis ad visibiles actiones descendere. 304.2
Mentis est excors, qui coram cadauere Principis ab iniquis actionibus non retrahitur. 332.1
Serui referentes dominorum actiones, quas iniustas putant, semper mentiuntur exaggerando. 271.2
Actio socij est tibi quasi consilium idem operandi. 207.2
Vna virtutis actio ad aliam similem actionem inducit. 267.1
Actio impia pia actione est inauranda. 69.2
Ex actione vna crudeli homo crudeliorem fertur in aliam. 63.2
Omnis actio vel vilis, è qua Deo gloria resultat, augusta est. 44.1
Mirum, filium tenellum patris non imitari actiones. 186.1
Non cùm inchoatur actio, sed cùm perficitur, acta est dicenda. 380.2
Parentum, ac filiorum actiones similes esse deputantur. 193.1
Actiones filiorum ac nepotum parenti, aut auo quodammodò tribuuntur. 80.2
Lentè agit inuitus, præproperè operatur vltroneus. 84.1

Adolescentia.

Inuisa admodum Deo adolescentia prona delictis. 193.1

Aduersitas.

Nulla fideli populo nocet aduersitas, cum nulla ei dominatur iniquitas. 170.1

Adulatio : Adulator.

Capitali supplicio addicendi Consiliarij qui adulationis nube Regi veritatis fulgorem effundunt. 350.1
Aulicorum adulatio non sistit, nisi suos Reges vsque ad verticem Deitatis attollat. 308.2
Aulici adulatores nihil regibus indicant, nisi quod eis placiturum esse videtur, haud sic fideles ministri. 187.2
Linguæ adulatorum Regum præcordia euertunt. 156.1
Regum filij nunquam non Sapientes, ac decori, aulicorum adulatione. 25.1
Subditorum adulatio solet Sapientiam Regis nimium commendare, immerito quidem. 115.1
Velut Deus ab adulatoribus adoratur. 299.2

Adulter.

Timeat adulter, ne in vxores suas id probri accipiat, quod coniugi infert alienæ. 9.1

Ægritudo.

Facilius ab ægritudine fortassis liber esses, si quod impendis medicis, pauperi largireris. 133.2
Vbi iusti est ægritudo, ibi in promptu Dei medicina adest. 291.1
Corporis ægritudo animo affert sanitatem. 288.2
Fœda corporis ægritudo morte est dirior. 162.2
Tot ægritudinibus affecti, oportet Raphaëlem, Dei medicinam aduocemus. 272.2
Ægritudo corporis, quà animus à culpa protegitur, Dei beneficium. 181.1

Vt ab ſpirituali liberemur ægritudine, non omnia cœlesti medico relinquamus, ſed ipſi ſimul operemur. 288.2

Æquitas.

Regum æquitas ſtabilit imperia quæ ob regum iniquitatem aſſolent corruere. 115.2

Ærumnæ.

Dum ærumnis agimur, Deo litamus: proſperitatis tempore delinquimus. 122.2
Deploranda ærumna, Chriſticolas cum Chriſticolis ob cauſas politicas dimicare. 166.2
Qui actus à Deo ærumnis non corrigitur; non obſcurum exhibet damnationis indicium. 123.2
Clamor orationis omniũ ærumnarũ remediũ. 249.1
Deus nos agit ærumnis, vt cogat feruentius exorare. 209.1
Ærumnæ quibus peccator allicitur ad pœnitentiam non videntur à Deo irato, ſed benigno procedere. 181.1
Communes Dei populi ærumnæ plerumque obueniunt in delictorum pœnam. 358.1
In communi ærumna communis ſiat oratio. 304.2
Actus ærumnis, pro te ora, non precibus vnicè nitaris alienis. 108.1

Ætas.

Ætati puerili multum parcendum. 266.2
Ætati maiori reuerendum. 191.2

Æſtimatio.

Gratiſſima Deo oblatio eſt Regia de ſubditis æſtimatio. 37.1

Æternitas: Æternari.

Haud fidẽdum vlli nominis æternãdi rationi. 298.1
Dedecet Sacerdotale ingenium temporariæ domus æternitatem procurare. 233.1
Si expetis domum tuam æternari, ſimul Deo domum ædifica, aut ædificatam refici cura. 48.1

Affectus: Affectio.

Segnis eſt affectus in conſocetum. 138.1
Tenetior matris, quã patris in filios affectus. 284.2
Regiæ vrbes ex accuratiori circa Dei cultum affectu præcipuè exornantur. 43.1
Vel iniuſta poſtulata aſſolet amantis affectus inaurare. 228.1
Affectus imminuit iniungendi à domino ſupplicij rigorem. 66.2
Cũ ardeſcit affectus, nulli diligentiæ parcitur. 196.1
Quicumque affectus animæ ſcilicet idolum ipſius animæ diſſipatio eſt. 46.2
Cùm Deus iuſtum ſpeciali proſequitur affectu; opus ſolet perficere. 58.2
Qualis referentium affectus, talis reorũ, cauſa. 144.1
Deus magni æſtimat præcelſos humani affectus auſus. 56.2
Iniuſtè maledictione parentis affectus, accipit pro patientia exhibita, benedictionem. 261.1
Affectus difficiles animi, vel templi vmbraculo ſunt concedendi. 99.1
Præpropera ad nuptias affectio primam ætatem imbellem efformat. 154.2
Dedecet Principes, indulgentiam, aut rigorem ex iniquo exponere affectu. 325.1
Deo nihil dare poſſumus niſi affectum, quo hilariter ei reddimus, quæ ab ipſo accepimus. 91.1
Ex affinitatis obligatione iam iurgia, ac diuiſiones procedunt. 241.2
Affinium vnica debet eſſe cauſa. 133.1

Afflictio, Affligi.

Miſerrimum eſt in peccatis affligi, quia inutilis ad meritum tribulatio. 219.1
Afflictionum ſudores ſolent à medullis iniquitatis humorem extrahere. 250.1
Humilitas peccatoris afflicti eſt liberationis documentum. 316.2
Afflictio laborum reuocat ab iniuſtitia peccatores. 108.1
Corporis afflictio confert ad beneficia poſtulata aſſequenda. 216.2

Agricola.

Annus belli eſt agricolis quaſi plaga locuſtæ. 301.1
Fruges agricolarum multiplicantur Regi, ſeu potiùs exactori, non ipſis agricolis ob tributa pendenda. 25..1
Ob tributa coguntur agricolæ deſicere oppidorum deſolatione. 237.1
Oportet Regem aliquando ad videndum miſeros proficiſci agricolas. 300.2

Alienigena.

Alienigena vilis ſolet propria commoda procurare, vel Regis iniuria: non ſic alienigena nobilis. 389.1
Dei acri ſupplicio Regnum alienigenæ Principis imperio ſubeſt. 219.1

Altare.

Altare vbi conditur, Euchariſtia minimè permittatur ſine lampade exponi, 87.2
Qualem Sacerdos ſe altari Euchariſtico offert, talem ſibi altare Euchariſticum expetitur. 305.1
Altare locus eſt elevatiſſimus, ad quem magna animi neceſſaria eſt aſcenſio. 94.2

Alumnus.

Regularis ordinis nunquam ab onere æquali viribus eximuntur alumni. 71.2
Vide *Angelus.*

Amans.

Dum amatus in corpore patitur, amans ſauciatur in mente. 282.2

Amaritudo.

Memoria amaritudinis voluptatum animi cœcitati medetur. 294.1

Ambitio.

Ambitio crudelitatis mater. 150.2
Putat ambitioſus ſuum eſſe ſingulare meritũ. 363.1

Amicitia: Amicus.

Amicitia Principum vicinorum regna ſtabilit. 45.2
Optima illa amicitia quæ ob virtutum ſimilitudinem contrahitur. 33.2
Fidelis amicus, ac fidelis coniux vnicè pro tota comitatu debet eſſe Regi, debet eſſe marito, ſine his ſolitarius exiſtit. 389.1
Rarus eſt Regis amicus, ſiue *valido*, qui decumbat in aula. 228.2
Amicus Regis (*el valido*) ſocius illius ſit ad quos computandum. 84.2
Regis amicus ſocium agat, non Regem, ſibi abrogans regimen. ibid.
Bonus Regis amicus & emendabilis, cum quo ille negotia ad pietatem attinentia confert. 56.1

Amor.

Parentum amor lineeos habet oculos. 288.1
Amor eſt ſollicito res plena timore. 286.2

Angelus.

Angeli boni homines non decipiunt, ſed eos ad veritatis ſemitas dirigere expetunt. 139.1
Vel Angeli nomen ſynonomum eſt omnium eximiarum dotum, vndè Cuſtodem Angelum amplius reuerere. 386.2

Vt iuuenes castitatem tueantur, indigent speciali Angeli custodis tutela. 333.1
Angelus custos quasi eandem essentiam alumni sui induit. 280.1
Angelus custos satis fidelis alumno est. 286.1
Angelus custos hominem in omnibus viis comitatur, ac protegit. 333.1
Angeli custodis officium est, diabolum religare ne noceat. 282.1
Angelus custos eum præcipuè alumnum protegit, quē parenti, aut præsuli viderit obedientē. 277.2
Angeli non dedignātur nostros agere nūcios. 272.2
Angeli & homines iusti fratres sunt Deo parente. 284.1
Cuncta Angelo custodi facilia in alumni beneficium. 284.2
Angelus custos quomodò eum defendet à quo videt Deum separari. 276.2
Vt debitum diuturnum recipiatur, Angelica exactio requiritur. 290.1
Non omne salutis nostræ negotium custodi Angelo committendum, aliquid debemus simul operari. 282.1
Tanta Angelorum cœlestium erga homines pietas, vt ad eos percutiendum immittantur. 67.1
Ab Angelo cœlesti excitaris, cùm de extruendo, aut ornando altari cogitas. ibid.
Angelus custos quasi idem est cum eo, quem custodit. 276.1
Angelus custos solicitè alumni sui causas gerit. 276.1.
Vbi adest hominum ægritudo laborum, ibi per custodem Angelum præsens est medicina Dei. ibid.
Angelus custos suo alumno, non solùm spiritualia; sed temporaria etiam subsidia curat prouideri. ibid.

Angustia.

Impium est, tempore angustiæ delinquere. 167.2
Angustiæ peccatores ad meliorem mentem adducere solent. ibid.

Annus.

Quàm molesti, quàm multi subditis crudelis principis anni sunt. 148.2
Deus annumerat annos, imò instantiam quibus iusti patiuntur. 294.2

Antiquitas.

Ineptè Religiosus ex sola antiquitate curat, sibi munera præclara iniungi. 209.2

Magnus Antonius.

Magnus Antonius discipulos edocebat spiritualia arma ante certamen præparare. 40.1

Arbitrium.

Rerum arbitrium non est ad vnum aulicum deferendum, sed ad multos. 113.1
Nunquam defuit arbitrium amanti vt difficilia quæque in Dei obsequium facile præstaret. 352.1

Arca.

Vel in hoc sæculo prosperatur qui Arcæ Marianæ honorandæ studium impendit. 79.1
Deipara est Arca fortitudinis Dei. 108.2

Arcanum.

Militare arcanum firmiter Dux custodiet. 317.2

Arma.

Regi eximio arma, quibus subditos defendit, munus est pretiosum ac voluptuosum. 186.2
Non sunt accommodanda militibus arma postquam bellum ingruit, sed maturè præparanda. 162.2

Arrogans.

Arrogans ad loquendum, semper se ad operandum, ostendit ignauum. 119.2

Ars: Artifex.

Nulla ars potest sine prudentiæ dictamine exerceri. 70.1
Subtaxantur multi artifices, qui filios, quos egregios artifices facere poterant, vulgares efficiunt scholasticos. 98.1
Eximij artifices à Principibus honorandi. 98.1
Egregij artifices, qui à patre artifice quasi hæreditariam artem accipiunt. ibid.
Eximij artifices admodum à Principibus honorandi. 102.2
Rerum sacrarum artifices periti, tibi sint, sicuti parentes colendi. 102.2

Arx.

Arx cordis præsidio roboretur ante hostium impetum. 135.1

Aspectus.

Fugiant viri ac fœminæ mutuos aspectus. 100.2

Asperitas.

Animi ornatus, corpori addicta asperitas. 385.1
Opera asperitatis non sunt intermittenda, nam postmodum difficilius geruntur. 328.2

Attentio.

Concioni attentio præstanda est. 245.1

Auaritia.

Ministrorum auaritia insatiabilis taxatur. 238.2
Vel inanimata quæque nostræ auaritiæ fatigantur instantia. 263.1

Auctor.

Multi aliorum transcribunt Libros, & se Auctores affectare contendunt. 194.2
Librorum piorum actores semper legentes edocent. 110.1
Auctores librorū edocentur post cōpositum, opus illud postmodū recognoscere, ac collimare. 52.1

Auditor.

Plerumque ob concionatorum desidiam auditores non conuertentur. 238.1
Debent auditores, mente dicere sibi, quod concionator labiis exponit. 245.1
Magno Dei suplicio, nunc auditores non intelligunt quæ concionatores (heu) cultè loquuntur. 245.1
Vide *Concionator.*

Aula: Aulicus.

Aula ingerit obliuionem circa præmia elargienda. 362.1
Aulici primarij inferiores non fouent dilectionis affectu, sed vt eis ad propria commoda vtantur. 378.2
Agnatum aulicis procurate, ne veritatis vox ad Regis aures perueniat. 139.1
Nonnulli aulici potentiores cupiunt Regem esse surdum & cœcum ne eorum defectus videat vel audiat. 358.2
Aulici in deliciis nutriti haud possunt de populari ærumna iustum ferre Iudicium. 118.2
Aulici permittunt Regem deperire, haud audentes dormientem vitiis excitare. 335.1
An Deus ab aula exulat. 187.1
Multi aulici, aut ministri primarij Reges maiores ipso Monarcha esse ostentantur. 300.2
Aulicus primus, seu *el valido*, vti Rex habetur. 300.1
Primarius aulicus, *seu el valido* cuncta gerit in Regno. 349.1

Cum Aulicum vides licèat præuenire plerumque comperies non virtutem in eo pervigilem, sed antelucanam iniquitatem. 363.1
Piacula Principum magna ex parte sunt aulicis latronibus tribuenda. 324.1
Ira Regis, leonis iræ agnata, vndè aulæ habitatio horribilis. 383.2
Aulici primarij, qui primi sunt in honoribus, deberent primi ad bella prosilire. 300.2
Aulici ad nutum Regis austeri, aut propitij affectus accomodant. 217.2
Aula iniquitatis fons. 44.2

Auxilium.

Parum humana diligentia prodest, si diuinum non adest auxilium. 304.2
Ei qui auxilium exhibet ad flagitium tota tribuitur iniquitas. 319.1
Tardiùs ex propinquis quàm ex alienis tibi egenti veniet auxilium. 40.2
Dum iniustè impugnant, qui auxilium præstant, potiùs se inuicem interficiunt. 145.2
Dum extra Deum auxilio indui speras, cœlesti auxilio nudatus obiiceris, nec foueris humano. 167.1
Deus non vult solus pro hominibus pugnare, sed eis pugnantibus præstat auxilium. 312.2

B

Baptismus.

Non differendus diù filiorum Baptismus. 72.2

Bellum.

Dirius bellum, quod occultè per insidias geritur. 235.1
Ad belli ducatum requiritur in Imperatore prudentia, & impauiditas. 125.1
Non omnes ad bellum electi Duces aut milites fortes sunt. 125.1
In bello victoriæ nervus est plerumque hostis fama, quæ metum incutit aduersario. 46.2
Bella apud impugnata Regna miseriarum characterem imprimunt indelebilem. 310.2
Regis Catholici pietas publicas orationes postulantis cum bellicas præparat expeditiones. 315.1
Ars belli, hostem in propriis percutere, vt delinquat aliena. 133.1
Nostræ in Deum confidentiæ remissio bellorum influit diuturnitatem. 153.1
Bella quibus opprimitur gladius est Dei Iudicis nostra ferientis crimina. 144.1
Rarò triumphat, qui non lacessitus, bellum committit. 190.2
Sacerdotale munus est, Reges, ac Principes excitare ad confidentiam in Dei misericordiam belli tempore. 317.2
Sacerdos qui orat dum milites ad certamina progrediuntur, commilitonem se esse credat. 317.2
Cum pacis res agitur, tunc debent fortiores belli apparatus exponi. 141.1
Ante belli instantiam Vrbes muniendæ. 135.1
Extremam arguit calamitatem, vti Principe Catholicum infidelium præsidio ad bellicam expeditionem. 304.1
Ad res belli dirigendas aduocentur fortes milites Consiliarij, non solùm sapientes. 179.1
E domo Regia non è tugurijs inopum debent pecuniæ ad bellum assumi. 301.1
Luxuriei habitus in bello taxatur. 59.2
Bellum inter Christicolas infaustum vtrinque. 138.2
Nullius vtilitatis est Regi quod à templo tollit ad belli subsidium. 167.2
Titulus est magnus, ad veniam consequendam, milites Dei bellum gerere contra infideles. 108.2
Aptè administratur bellum cùm milites nihil sine Dueum consilio gerunt. 41.2
Taxantur illi qui solum ex pugnaci ingenio non ex iustitia bella excitant. 59.2
Non indiget belli apparatu ille, à quo Deus dimicat. 59.1
Tota belli felicitas in eo sita est, quod opportunè acies dirigantur. 62.2
Qui ad bellum administrandum eliguntur, possint Regis assumi in consiliarios: tanta prudentia fulgeant. 71.1
Repentina præparatio ad materiale, aut spirituale bellum periculosa. 17.2
In bello & materiali & spirituali diuisio militum dat hosti victoriam. 46.2
Vir aptior ad bellum, quam iuuenis. 158.1
Si omnes bello apti censerentur, non lacesceret pugna ex militum raritate. 158.1
Intestina bella assolent è coniugiis initis excitari genero in socerum, nepte in socrum rebellantibus. 219.2
Non decet Sacerdotes præfici bellorum administrationi. 310.2

Benedictio.

Iusti parentis respectu filius cœlesti donatur benedictione. 285.2
In quolibet sacro ministerio Deus tam actione, quàm voce benedicitur. 72.2
Cunctis Sacerdotum operibus agnata debet esse benedictio. 231.1
Siue in perperis, siue in aduersis cor pium Deum benedicit. 295.2
Priusquam comedas, Deo lita cibos, benedictione præmissâ. 323.1

Beneficium.

Qui gratum se Deo ostendit pro beneficio, ad recipienda augustiora præparatur. 4.1
Qui liberatur à Deo, ne delinquat, supremo afficitur beneficio. 13.1
Donare à Deo beneficiis, quasi præceptum est nobis datum de gratiis reddendis. 197.1
Singula à Deo accepta beneficia speciali benedictione ac laude sunt recolenda. 248.2
Sæpè memoriam age de quolibet beneficio accepto à domino. 246.2
Eximium à Deo beneficium est, multas sine offendiculo peragrasse terras. 53.1
Vnum beneficium à Deo acceptum velut ius nobis tribuit ad alia petenda, & consequenda. 58.2
Beneficia accepta tribulationis tempore altiùs in animo retinentur. 61.1
Labores à Deo nobis inflicti beneficium est quod decet hominum gratitudo. 292.2
Scribe beneficia, quæ à Deo accepisti, vt altiùs memoria retineas. 291.2
Patrum beneficia à Deo accepta filiorum beneficia sunt. 52.2
Magna beneficia à Deo accepta sæpè memoranda ad gratiarum actionem. 373.2
Post beneficium à Deo acceptum illicò accurre in delubrum gratias acturus. 145.2
Magnum est Dei beneficium nos alicuius incommodi aut futuri supplicij terrore agi, vt auertamus

tamur à crimine. 369.2
Magno Dei beneficio peccaturus aliàs moritur. 95.2
Mox post beneficium à Deo acceptum, ei gratiæ litandæ. 145.2
Magnum Dei beneficium infidelem, vel captiuum apud Deicolas commorari, quia potest rectam inire viam. 311.1
Fecisse beneficia Deum quodammodo dum ad noua gerenda debitorem constituit. 108.2
Magnum Dei beneficium est Magistratum ex propria gente, ac natione habere. 219.1
Qui plura beneficia accepit, plus debet obedientiæ præstare. 347.2
Vide *Gratitudo.*

Bonum.

Quærere Deum idem est, ac innumeris bonis opleri. 52.2
Temporalia cuncta sunt spiritualibus posthabenda. 274.2
Nihili temporaria facit qui sperat æterna. 274.2
Dum Iustus immemor temporalium bonorum, spiritualibus intendit, Deus, & temporaria ei adiici curat. 274.2

D. F. à Borgia.

Mira diui Francisci à Borgia humilitas. 255.2
Meus Borgia se exponi Ducem passus est, vt ei venia faciendi sacrum daretur. 226.2

C

Cæcitas.

Multis vxoribus haud maritorum est ingrata cæcitas. 288.2
Rarò quis repente à cæcitate mentis liberatur. 288.2
Vt à cæcitate mentis libereris adhibe menti voluptates felleas tibi extitisse. 288.2

Calamitas.

Tota Regni calamitas, cum Theologi, aut politici consiliarij falsa Regi loquuntur. 139.2
Omnes peccatoris calamitates à criminibus oriuntur. 271.1
Magna Regni calamitas est gente priuari. 361.5
Maior populo calamitas ex ministrorum auaritia, quàm ex Principum sumptibus apparatur, 238.2
Cum orare homines prohibentur, extrema adest calamitas. 168.1

Caligo.

In laborum caligine sancti hîc Dei gloria potiuntur. 104.2

Calumnia.

Calumnia, quâ iusto imputatur peccatum est morte dirior. 272.1

Cantare: Cantus.

Qui canendi diuinas laudes muneri incumbunt deberent esse Doctores. 77.2
Cantores omninò idiotæ non deberent sacrum ad chorum admitti: minus quidem sacros ad ordines. 77.2
Taxatur non pius mulierculorum apud delubra cantus. 200.2

Capacitas.

Templorum nostrorum augustissima Capacitas Christum Deum & hominem continentium. 97.1

Captiuitas.

Imperare vera est captiuitas. 192.1

Castitas.

Castitas vel in fœminis virilem suscitat fortitudinem. 337.2
Orationis exercitium, fauet castitatis tuitioni, 326.1
Oculi laquei sunt, & insidiatores castitatis. 320.1
Castitas non nascitur sed pœnitudinis, seu asperitatis arte aquiritur. 346.2
Castitas Charitatis protectione tegenda. 116.2
Assolet facilè vinci castitas auaræ fœminæ pecuniâ. 328
Humili animo Dei protectioni hærenti facilis est castitatis integritas. 272.1

Ceremonia.

Operis ceremoniæ sunt tibi, sicuti ipsa statura, nec audeas violare. 288.2

Certamen.

Non copiis fidas, si aduerso Numine ad certamina tendas. 126.1
Noctu ac interdiù spirituali certamini debemus præparari. 236.1
Non est assumendum certamen cum hoste, propria in Regione morante. 337.1

Charitas.

Charitas læditur, dum de proximi commodis non lætamur. 288.2

Christicola: Christianus.

Laudantur Christicolæ à multitudine dierum festorum. 390.2
Christiani veteres aliquando à nobis in rebus pietatis superantur. 216.1
Christiani edocentur vitare cum hæreticis commercium in omni re quæ ad Dei cultum pertinet. 204.1
Cum aliquid à te petitur quod non possis sine peccato gerere: Responde te esse Christianum. 355.2
Conuiuia Christianorum haud à bibendo debent nominari. 365.1
Quasi gentilis est Christicola, qui sine respectu ad Deum, se coniugij dat voluptati. 282.2

Christus.

Cum Christus sit tuus conuiua in Eucharistia, nihil tibi petenti denegabit. 360.2
Christus vnigenitus patris & matris nascitur in multis fratribus primogenitus. 10.1

Chorea.

Ex Choreis assolet excitari lasciuia. 272.1

Cibus.

Curent fœminæ proprio labore comparare cibos, ne ex inedia violari non timeant puritatem. 328.1

Ciuis: Ciuitas.

Dum in vrbibus ciues litant Veneri & Baccho deficit in loco certaminis exercitus. 125.2
Dum conueniunt ciues inferiores, superioribus submittantur. 245.1
Proborum ciuium est, id accuratius gerere quod ad vrbis suæ peculiare cõmodum dirigatur. 231.2
Æternus debet esse ciuium luctus, dum probus Princeps desideratur. 191.2
Iusti ciues regni sunt stabilimentum. 121.2
Iustitiæ ciuium pedissequa est regnorum duratio. 121.2
Ex quo Christus dignatus est tuo in pectore habitare sub Eucharistiæ velamine, Christi ciuitas diceris. 36.12
Tota constat ciuitas, dum morum custodia reparatur. 233.2

Morales conceptus

Clades.

In communi clade etiam ſtatus Eccleſiaſticus debet eſſe ſolicitus. 304.2

Claſſis.

Debent conſtitui à regibus multæ militum claſſes, vt alij aliis ſuccedant in militaribus expeditionibus. 82.2

Clauſtrum.

Moniales futuræ puellæ ineant Clauſtra. 177.2

Clericus.

Clericalis ordo inſtar fermenti, fideli populo adhæreſcit. 256.2

Proprium eſt Clericorum ad propoſitum obſeruandi Dei legem excitare. 252.2

Collegium.

Vel in religioſo Collegio difficilè diuerſarum nationum viri in pace continentur. 158.1

Coma.

Comæ nutriendæ ſtudium pluribus extitit exitij ſpiritualis occaſio. 352.1

Commoratio.

Periculoſa apud iniquos commoratio, dum non ſtudes eorum ſaluti. 295.2

Commercium.

Ad regnorum opulentiam & gloriam neceſſarium prouinciarum commercium. 95.2

Omne commercium ex literis cum ſuſpectis in fide vitandum. 212.2

Commercium cum peccatoribus criminum eſt ſeaturigo. 248.11

Commiſſionarij.

Commiſſionarij ſolent agricolas expillare, authoritatis regalis prætextu. 261.1

Commodum.

Commendabilis qui poteſt licitè gerere aliquid ad commodum attinens & non gerit. 321.1

Theſauri regij præpoſiti cunctis æſtimantur ob propria commoda. 75.2

Communis negotij prætextu non ſunt vel principum commoda procuranda. 232.2

Quod vno communionis die non audes petere à Domino, altero audebis. 361.1

Communitas.

Vno ſocio vulnerato tota debet ſancta communitas vulnerari. 48.2

Quælibet communitas præcipuè religioſa non ſolùm habeat præſulem, ſed & præſulis vicarium. 83.1

Vel vno delinquente tota communitas, vt peccatrix oſtenditur. 226.1

Eſſentiale communitati ſubditorum eſt, ſemper ſub præceptis adeſſe. 94.1

Compenſatio.

Deus tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. 279.2

Conceptus.

Non ſunt arguti conceptus coram rudibus proferendi. 135.2

Conceptio.

Vt vltronei Deiparæ conceptionis puritatem profitemur, Deus hanc veritatem lege non ſcripſit. 171.1

Concionator : Concio.

Ad cor auditorum non ad aures Concionator loquatur. 179.2

Audientibus ſacras conciones præmium à Deo promittitur. 142.2

Aures audiendis concionibus aptandæ. 245.1

Concionator non riſum auditorum excitet ſed lacrymas eliciat. 110.2

Commendabiles illi Concionatores, qui ſermoni præmittunt : *Laudetur auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramẽtum, & immaculata conceptio Deiparæ.* 245.1

Non eſt ſemper è Dei ſpiritu Concionatores longum proferre ſermonem, ſed verbo vnico peccatoribus intonare. 56.1

Nunquam ſine fructu reuertitur Concionator qui in oppidis contumeliis afficitur. 174.1

Concionatores priùs priuatim moneant publicè delinquentes, ſed ſi non reſipiſcunt, publicè arguantur. 237.2

Concio reuerenter audienda. 245.1

Præcipuis feſtis conciones gerantur legis obſeruationem commendaturæ. 244.2

Concionibus regularium grauiores interſint patres collegij, actionem illam illuſtraturi. 245.1

Taxantur Concionatores ſubobſcuro vtentes idiomate quod à vulgo percipi non valeat. 244.2

Taxabiles qui dum concio fit, inutili confabulatione vacant. 245.1

Concionator ille laudabilis, qui auditores non ad riſum, ſed ad lacrymas incitat. 245.2

Concupiſcentia.

Fœdam vermium in corde pœnam promerita eſt fœda concupiſcentia carnis. 341.2

Confeſſio : Confeſſarius.

Humilis confeſſio, ſiue te peccatorem eſſe profiteri acceſſum expeditum parat ad diuinam clementiam. 383.2

Peccatoris confeſſio eſt Dei laus. 222.2

Confeſſionis manifeſtatione crimina operiuntur non exulgantur. 234.2

Confeſſio peccati Deum trahit ad miſerendum. 226.1

Solemnitas illa Deo gratiſſima, cum fideles peccata confitentur, & ſynaxim recipiunt. 210.2

Cum frequens ad ſacramenta populi concurſus, curet Confeſſarius ſic ſingulorum conſcientias diſcutere, ac ſi vnus ſolùm pœnitens adeſſet. 14.1

Deum ad miſericordiam allicit nuda delictorum ſine excuſatione confeſſio. 220.2

Auguſtiſſima Deo laus eſt peccatorum confeſſio. 76.1

Imminuat confeſſarius ſatisfactionis inaugendæ rigorem, cum viderit pœnitentem externa doloris documenta exprimere. 66.2

Coniugium : Coniux.

Ineatur Coniugium ea in ætate, quæ norit ſtatus difficilis penſare onera. 267.1

Ex intacta vxore verè dives eſt maritus, ex tacta minimè. 4.1

Felicis coniugij fundamenta ſunt, animi & corporis ſanitas vſque ad vtriuſque coniugis ſenectutem. 281.2

Coniugij vnitas morum ingenerat vnitatem. 147.2

Coniunctione virorum, & fœminarum quaſi atteritur templum, eorumque ſeparatione innouatur. 144.1

Coniuges vel adulterij nomen ſcire non deberent. 273.2

Pij coniuges qui ſe inuicem viuentes amarunt, vel in morte ſeparari renuunt. 273.1

Ad coniugem requirendam non penſetur ſola pulchritudo, ſed prudentia ſed, reliquæ virtutes. 350.2

Iniustè vult conitrx coniugi communicari incommoda non felicia. 259.1
Coniux viro ebrio nõ obediens non detrectat eius imperium, quia vir tunc non est, sed loquens sine rationis dictamine psittacus. 348.1
Coniugum iurgia quiescunt, si coniugi irato coniux patiens non respondeat. 271.1
Coniuges Deiparæ præstantes obsequium, prole donantur in compensationem. 79.1
Coniux nullo solatio sine participe Coniuge debet potiri. 288.1
Coniugis mali assiduum consortium potens est ad bonum Coniugem peruertendum. 221.2

Conscientia.

Necessaria est puritas conscientiæ ei, qui orationis exercitamento vacat. 328.2
Prauam conscientiam metus sequitur, bonam fiducia. 61.2
Vermis conscientiæ etiam carnem discruciat. 341.2
Ex criminum conscientia viri fortes redduntur imbelles. 148.1
Quàm horribilis conscientiæ vermis damnatis. 341.2
Bonæ conscientiæ exultatio facit nos obliuiscì incommoda queis angebamur, dum seruiimus iniquitati. 341.1
Difficilia quæque irreprehensibilis conscientia præsulis audet. 135.1

Consiliarij : Consilium.

Regij consiliarij etiam non interrogati debent regi aperire veritatem. 159.1
Consiliario bono, aut malo totum vitium aut vitium attribuitur. 207.1
Consiliarius sic consilium præstet, ac si particeps commodi, aut incommodi sit futurus. 207.2
Præferendi a regibus prudentiores ad Consiliariorum manus. 85.2
Requirendum consilium à Consiliariis sobrietate affectis. 348.1
Consilium iniquum in exhibentis cedit incommodum. 363.2
Consilium est actionis fundamentum. 99.2
Vel errata ex consilio in bonum vertendum, & probè gesta sine consilio, gerenti vertuntur in malum. 274.2
A sapiente perquirendum consilium, non ab insipiente. 274.2
Quod alij tuo consilio, aut sumptu gerunt existima propria manu fecisse. 238.2
Quod fit populus è consilio actum, etiam cum erratur, patienter, ac libenter accipitur. 380.1
Quod sine consilio geritur, etiamsi prosperè eueniat, cum murmure à populo acceptatur. 380.1
Iuuenum consilium imprudens. 118.2

Consocer.

Consocer reuerendus. 138.1
Agnatæ inter consoceros simultates. ibid.

Consortium.

Fugiat religiosus sæcularium consortium, cum eorum institutioni non vacat. 295.2

Conspectus.

Ieiunans, aut orans fuge hominum conspectum. 305.2

Constantia.

A Martyris germine Regis constantia paritur 169.1

Consuetudo.

Quàm difficilè noxia consuetudo abraditur. 199.1
Immunda consuetudo omninò resecanda nec puluiculus è luxuria asseruandus est. 131.1

Contemnere.

Qui contemnit Deum ex concionatorum ore clamantem audire, permittitur captiuitati spirituali addici. 183.2

Contritio.

Putat quis alium conterere & suammet præparat contritionem. 356.1

Conuersio.

Repentina ad Deum conuersio mirabilis est. 171.2

Conuiuium.

Taxantur sine Dei timore conuiuia. 285.2
Nullum tibi sit latum conuiuium à quo exulet pauper. 373.1
Fiat pauper tui particeps conuiuij, vt cibus tibi salutem pariat. 245.2
Conuiuij iustorum conditio, casta hilaritas, modesta lætitia. 281.1
Bonum conuiuium, vbi pauper inuitatur. 269.1
Gratum Deo conuiuium, vbi non solùm amici, sed & pauperes epulantur. 283.2

Cooperatio.

Deus pro suis pugnat, sed requirit eorum cooperationem. 128.2

Correctio.

Labores nos ad vitæ correctionem alliciunt. 292.2

Corruere.

Tunc corruit Imperium, cum ætas senilis despicitur, & cum Sacerdotalis dignitas violatur. 41.1

Creaturæ.

A creaturis quid nisi dolor nausea, & fastidium. 384.2
Creaturæ irrationales Deum laudant, dum nobis exhibent laudandi materiam. 282.2

Crimen.

Crimina Deum prouocant, vt promissa reformet. 57.2
Dirius supplicium quàm nex est, permitti peccatorem alio crimine defœdari. 279.1
Taxantur qui filium ex crimine natum domi retinent ob periculum repetendi matrem. 221.2
Hostes regnis potentissimis insultant ob Christianorum crimina. 308.1
Grauissimum peccatoris crimen concionatorum monita despicere. 193.1
Nullum ex crimine commodum. 267.1

Crudelis : Crudelitas.

Crudelis in pauperes bonis temporariis expillatur. 238.1
Genus crudelitatis est, à bono Domino dimitti mancipium. 342.2
Taxatur fœneratorum, ac diuitum crudelitas erga pauperes. 237.1

Crux.

Cruci hæresce re Dominicæ, qui curat ab æterno exitio liberari. 386.1
Quid celebrationi festi crucis aut passionis dominicæ cum taurorum agitatione, quæ ingerit crucis obliuionem. 342.1
Si ad crucem non accedis, ipsa ad te percussura aduentabit. 386.1
Non potest liberari à cruce qui verè voluerit liberari. 371.2
Non sufficiat tibi crucem à longè vulnerari, eam tangere oportet & opera cruciformia exercere. 386.1

Morales conceptus

Culpa.

Culpæ quæ in præsenti seuerè castigantur, assolent æternùm non puniri. 44.1

Cultus: Colere.

Quidquid ad Dei cultum pertinet, sanctè tractandum est. 263.2

Quæ alius Idola coluit, v. gr. Imaginem puellæ lino expressam, aut charta haud tuæ ditioni addicas, ne ei etiam idololatra lites. 159.1

Grauissimum negotium est, quod ad sacrum pertinet cultum, principibus committendum. 216.1

Quidquid ad Dei cultum post obitum tuis ex facultatibus, tuáque ex mente geritur, tuum opus est. 56.2

Cupiditas.

Non sunt coram subditis Regum cupiditates exponendæ. 37.1

Potentissima est nouo Principi placandi cupiditas. 42.1

Cura.

Vt vitium agnatum virium pellatur ex animo, vix sufficit vnius anni specialis cura. 352.2

Quod regium est, seu pretiosum, speciali cura custodiendum. 30.2

Curia.

Laudandus qui sedem in Curia eligere renuit. 255.1

Sorte infelici quis Curiæ addicitur habitator. 255.1

Curiæ habitatio sanis mente validè incommoda obiicitur. 255.1

Custodia accuratissima necessaria est, ad sortes è Dei domo proiiciendas. 80.1

Sine custodia ciuitas non extat. 258.2

Nihil amarius quàm puellam pulchram custodire. 451.2

Sacerdos cui Ecclesiæ custodia committitur, eius iura tutatur. 30.2

Custodia.

Ad honorem datur custodia fœminis, ac Religiosis iunioribus, non ob criminis suspicionem. 30.2

D

Dæmon.

Non sufficit semel dæmonem effugare, redit enim importunus. 282.1

Damnatio: Damnatus.

Indicium damnationis hominem agitari laboribus, nec tamen conuerti. 219.1

Multi qui signa contritionis morituri exhibent, damnantur, quia ex seruili id timore exerunt. 124.2

Damnationis est signum de sancta communitate male loqui. 293.3

Dare: Datio.

Vix sponte datur, quod Regibus exhibetur. 67.2

Dat qui opportuno tempore commodat. 267.2

Nihil possumus dare Deo, à quo cuncta accepimus. 91.2

Nunquam dant homines, nisi vt amplius recipiant. 116.1

Quod datur pauperi, seu quod Deo impertitur, multiplicatum recipitur. 116.1

Quod datur egenis retinetur. ibid.

Quod studiosè, seu affectuosè das, largè & abundanter præstas. 210.1

Debitum.

Qui statim debita non soluit, plerumque assolet omnino retinere. 274.1

Vt debita soluant aliqui, vix Angelica sufficeret exactio. 285.1

Ratus est hæres, qui parentis mortui debita soluat. 286.1

Decima.

Sacrilega rapina decimas retines, quasi ipsa Deo natura litauit. 259.2

Pauci fideliter decimas Deo soluunt. 267.1

Impium est, sæcularem sacerdotibus non dare decimas. 176.2

Iniquum est Sacerdotem decimas accipientem non incumbere ministerio. ibid.

Aut deceat Sacerdotes decimas soluere. 177.1

Difficilis primitiarum ac decimarum solutio. ibid.

Decretum.

Pia Regum decreta scriptis asseruantur in subditorum vtilitatem. 209.2

Dedecet Reges, facilè sua decreta resignare. 348.2

Fideli subdito Regis decretum brachium, & robur est, quo ad quæque difficilia ducitur. 205.2

Decreta politica facilè immutantur. ibid.

Decreta quæ ministri nomine Regis proferunt non plene certiore facto Rege, non Regis, sed ministrorum decreta sunt. 368.1

Sæpè eiusmodi varietas non arguit inconstantiam Principis reuocantis decreta, sed rerum gentium varietatem. 349.1

Defectus.

Ditè Deus vindicat in amico elaptionis defectus. 181.1

Ineptè quis humanæ fragilitatis defectus exaggerat. 155.2

Differre.

Sæpè Deus differt post accepta hominis obsequia gratitudinis documenta, vt fidem nostram acuat. 111.1

Defendere.

Decus sunt & splendor Deiparæ, qui defendunt eam communem ignominiam non incurrisse. 337.2

Sensus externos communire stude, vt animæ potentias inuisibili ab hoste defendas. 304.1

Deiurator.

Deiuratores corripiuntur. 43.2

Delectatio.

Delectatio temporalis vanitas, & mendacium. 226.1

Delictum: Delinquere.

Delinquentes æquales subraxa. 138.2

Ecclesiasticorum delicta occultè sunt corripienda, ne scandalo sæculares pungantur. 262.2

Qui in vno delinquit, quasi omnium reus videtur exponi. 146.1

Ei, qui donatus venia rursum delinquit, deterius plerumque quid contingere assolet. 295.1

Delinquere idem est, ac dirè interimi. 162.2

Demissio.

Non est vanitas, sed officij tuitio, aliquando non permittere demissionem. 240.2

Deprædatio.

Deprædatio iniusta, aut bona furto acquisita non ditant, sed depauperant homines. 337.2

Deserere: Desertum.

Deserere proprium Principem, vt ad alienum te recipias, idem est, quod cadere. 41.1

Desertum hominis tutissima arx. 40.1

Desidia: Deses.

Desidia aut vitium Sacerdotum principi Ecclesiastico tribuitur. 155.1
Sic nitere diuinis, vt non sit deses circa humana remedia. 304.2
Desidia agnata Regibus vicorum, ac villarum protectionem contemnere. 304.1

Desolatio.

Ex replicatis criminibus desolatio. 295.2

Despectus: Despicere.

Deus protegit, & despicitur: diabolus percutit, & adoratur. 159.1
Homo quos magis nosci, amplius despicit. Deus non ita. 57.2
Qui vt Regi placeant, Deum despiciunt, despiciuntur à Rege: secùs qui vt placeant Deo, despiciunt Regem. 267.1
Nobilis fœminæ exitialis est morbus à viro despici. 350.1
Nullus in communitate ob officium abiectum necessarium vtique despiciendus est. 29.2

Deturpator.

Iuuenes Templi deturpatores grauissimè puniendi. 193.2

Deuotio.

Deuotio in Mariam efficit, vt ad perfectiora opera audenda accendamur. 56.1
Qui à Deo accepit in Deiparam deuoto donari affectu, se interminabilibus laudibus profusis gratum ostendat. 53.2

Deus.

Licet Dei sint omnia, quæ ei reddimus, quasi data proprio ex penu dignatur accipere, non quasi reddita. 91.1
Haud Deus indigeat hominum manu, vt Maria non excideret, ipse eam firmauit. 44.2
Quidnam potest ad Deum pertinere, quod magnum non existat? 18.1
Deus qui omne bonum est, non est pro minimis mundi bonis commutandus. 286.1
Dei officium protegere, pascere, pacificare, munerare, ac corripere subditos. 58.1
Deus firmat & roborat quidquid ad eius gloriam à fidelibus apparatur. 100.2
Proprium Dei superbos deprimere humiles eleuare. 375.2
Deo cuncta bona tribuenda. ibid.
Tam immemor Deus puniendi, vt quodammodò necessum sit, id eius ad memoriam adducere. 164.2
Deus quodammodò suam rem agit, dum nobis miseretur. 381.2

Diabolus.

Occultæ diaboli insidiæ iusto sint formidabiles. 235.1
Diabolus cutat, homines sine voluptate maculari libidine. 271.2
Diabolus securus insequitur eum, qui Religionis institutum quod inierat, deserit. 335.1

Dictamen.

Prædicatorum, aut Præsulum dictamina libenter admittuntur, quæ cum operibus colligantur. 206.2

Dies.

Quàm horribilis iudicij dies, Rege Angelorum gladium ore ostentante. 68.2
Dies qua terminatur bellum, debet esse perpetuò sacra. 373.1
Subtraxatur Christianorum imperfecta dierum festorum custodia. 315.2
Dies festi toti sunt Dei, nec alieno Domino vlla eorum litanda particula. 249.2

Deipara.

Vulnus Deiparæ cùm vidit filium vulneratum. 282.2
Deiparæ virginitas quasi Deifica. 310.2
Propter honorem Christi oportet nos Deiparæ immunitatem à communi casu profiteri. 386.2

Dignitas.

Regia dignitate potiri, ac lucernam ducentem subditos esse, idem prorsus. 147.2

Dilectio.

Paterni & amintini dilectio. 193.1
Quod ad id, quod diligitur, pertinet, magni à diligente æstimetur, licèt non sit dignum æstimatione. 121.2
Qui diligit, nullam dilecti contemnit actionem; inaurat errata. 49.2
Quot à Deo beneficia accepisti, tot diuinæ dilectionis in te fulgurant documenta. 57.1

Dispositio.

Venialia replicare peccata instans est ad læthalia dispositio. 323.2

Distractio.

Qui voluntariè dum orat distrahitur, haud in faciem Dei orat. 225.2

Diues: Diuitiæ.

Diuitiæ armorum præsidium. Eis arma conseruantur. Omne sunt principatus robur. 147.1
Diuitiæ sunt adhærentiæ tantæ, vt si tangas vix possis è manu excutere. 372.1
Taxantur diuites, qui manum non plenam Domino extendunt. 90.1
Dum fidelium accrescunt diuitiæ, debent sacri cultus supellectilia multiplicari. 87.2
A Ciuibus ad munia publica à quibus diuitiæ colliguntur cum simul ab ærario Regio substantia profertur. 196.2
Ministrorum diuitiæ rarò sine subditorum iniuria coalescunt. 369.2
Facile ditescunt qui gregibus nutriendis addicuntur. 181.1
Diues erit Rex qui promouendæ rei rusticæ studuerit. 84.2
Diues solummodo habitat, vbi suæ clauduntur diuitiæ. 233.2
Apud homines virum reddunt præclarum non pietas & gesta, sed diuitiæ. 138.1
Ad augendas diuitias Regis, non tam confert arbitriorum vis, quam ipsius Sapientia. 117.1
Custodit diuitias Regis, qui defendit agricolas, & pastores. 84.1
Diuitiæ Regum pensandæ ex argento, quod præbet ciuibus, non quod custodit. 117.2
Quomodò Rex habebit diuitias ad pugnatorum præmium si eas in rebus inutilibus insumit. 346.1
Diuitiæ magis sunt possidenti oneris, quam leuamins. 337.1
Principi amatius est, diuitiis priuari, quàm vitâ. 213.1
Vilissimum tempus, quàm ex diuitiis nobilitas pensatur. 337.1

Morales conceptus

Quod ad augmentum diuitiarum læso Numine geritur, destruitur. 146.2
Duces militum inopia diteſcunt. 338.1
Imprudenter à Principe diuitiæ in ſpectaculis inutilibus inſumuntur. 346.1
A diuitibus oporteret ſuperfluas diuitias ad pauperes transferri, vel Regum edicto. 196.2
Diuites omnia poſſunt. 18.2
Taxantur qui in futurum Deo promittunt ſacrare diuitias, & nunquam dant. 67.2
Diuitiæ conculcandæ. 346.2

Dominari.

Dominari idem eſt, ac ſubditos erudire: qui non docet ſubditos, haud verè dicitur dominari. 113.1

Domus.

Domus inſtituendæ à Regibus vbi iuuenes ad bellum exerceantur, non ad ludos. 23.2
Inuiſa tibi ſit impudicorum domus. 281.2

Donum.

Incredibile quodammodò eſt, ſubditos à Rege dona accepiſſe. 190.1
Sæpiùs videris Reges à ſubditis donari. 190.1
Multa donacia poſſent aptè vocitari rapinæ. 67.2
Quaſi in Sacerdotem conſecratur, qui donaria templo extruendo, aut ornando offert. 90.1

Ducatus.

Potiùs ignauus prudens eligendus ad Ducatum quàm fortis imprudens. 41.2

Durare.

Quaſi non eſt, quod æternùm non eſt duraturum. 105.2

E

Ebrietas.

Nihil tam fœdum, quod ebrietas non admittat. 4.1

Eccleſia: Eccleſiaſticus.

Ex prouentibus Eccleſiæ id cape, quod ad victum, ac veſtitum ſufficiat, reliquum pauperibus impertire. 233.2
Cymbala inſonantia dum ſæuit tempeſtas quaſi clamantis Eccleſiæ vices agunt. 126.1
Prouidendum Eccleſiaſticis de temporariis, vt ipſi ſtudeant ſpiritualibus muniis. 177.2
Eccleſiaſticis viris agnatum, Dei opera promouere. 202.2

Eleemoſyna.

Eleemoſyna optima eſt ad orationem præparatio. 116.1
Vel inops noſcit eleemoſynam erogare. 266.1
Mira Eleemoſynæ incrementa. 266.2
Nullus à præſtanda eleemoſyna verè excuſatur, vel pauper poteſt inuenire, quòd præſtet. 266.2
Eleemoſynæ ſine perſonarum acceptione diſtribuendæ. 277.2
Commendabilis admodùm eleemoſyna, quæ propinquis impertitur egentibus. 267.2
Friuola diuiti verborum eleemoſyna, ſi opere non ſimul indigenti ſubueniat. 267.2
Affluens ſit eleemoſyna, ad affluentiam diuini muneris conſequendam. 95.1
Non eſt danda eleemoſyna ad peccandi ſubſidia. 74.1
Vt Chriſtus oſtendat Diuos cunctis virtutibus floruiſſe iudicat fuiſſe eleemoſynarios. 285.2
Gloria deperdita ab eleemoſyna inuenitur. 290.2
Arcanus eleemoſynæ redditus. ibid.
Orationi eleemoſyna indit alas. 253.1
Sine eleemoſyna non poteſt vita æterna reperiri, cum eleemoſyna inuenitur. 290.2
Eleemoſyna ſecretò gerenda. 243.2
Exigua eleemoſyna data libenter pro magna à Deo reputatur. 273.2
Quonammodò eleemoſyna liberat à peccatis. ibid.
Gerens eleemoſynam plerumque omnimoda ſanctitate poller. 285.2

Emere.

Agrum non emi à miniſtro, laudabile, emere opſida illuſtria, quàm damnabile erit. 238.2

Epiſcopus.

Epiſcopi dignitate donantur non ſibi, non propinquis promouendis, ſed ad Dei gloriam procurandam. 92.1
Ad eligendum Epiſcopum ſapientem, non eſt aptus princeps ſæcularis inſipiens, ideò dirigi debet à ſapientibus. 216.1
Epiſcopi caueant adminiſtrationem reddituum ſuorum fratri, aut propinquo ſæculari exhibere. 262.1

Epiſtola.

Epiſtola ſcribentis ſapientiam, ac prudentiam facilè oſtentat. 97.2

Equites Salmantini.

Salmantini Equites dant ſubſidium paupertibus, vt alliciant ad ſacerrimum Euchariſtiæ epulum. 175.2

Eſſentia.

Parentes & filij quaſi eadem eſſentia decorantur. 351.1
Prælati ac ſubditi velut vnica eſſentia. 219.1
Domini ac ſubditi velut vna eſſentia decorantur. 213.1

Euchariſtia: Euchariſticus.

Feſtiuitates ſolemniores appoſitæ Euchariſtiæ receptione celebrantur. 51.2
In epulo Euchariſtico interitus præparatur indigno. 361.1
Euchariſtici phaſe ineffabilis puritas, nunquam enim permittitur ab immundis aſſumi. 174.2
Nec ad typicum Agnum ſumendum immundi accedebant impunè, vt ad Euchariſtiam ſumendam puritas innuatur. 174.2
Dei omnipotentia, dum ſe cohibet, ne indignè ad Euchariſtiæ typum accedentes puniat, manifeſtatur. 174.2
Non accedendum ad Euchariſtiæ epulum repentè, ſed ſaltem poſt vnius diei præparationem. 91.2
Euchariſtia vnicum eſt conuiuium, licet multiplici exponatur in loco. 126.1
Dies feſti Chriſticolarum celebrandi Euchariſtiæ epulo. 245.2
Calix Euchariſticus ebrietatis & luxuriæ maculas abſtergit. 197.2
Ingens à Deo beneficium datum eſſe hominibus Euchariſtiam, ac Deiparæ protectionem. 52.1
In conuiuio Euchariſtico vino Regio omnes potantur. 347.1
Feſto aſſumptionis Deiparæ eius addicti obſequio Euchariſtiam recipiant. 51.2
Vnicus cibus Euchariſticus & flos, & vinum eſt varios pariens effectus. ibid.

Eucharistia data hominibus ingratis in anathema obliuionis. 342.1
Subtraxantur, qui ad Eucharistiæ sacrificium accedentes, non se curant purificare à venialibus 341.2
Ad Eucharistiæ Arcæ ingressum, deberemus in sanctitatem conuerti. 113.1
Exitialis existit Eucharisticus dulcissimus cibus ei qui contra proximum odia fouet. 364.2
Si fœda ægritudine cruciaris, aut infamia afficaris, postquam indignè Eucharistiam susceperis: crede plagam ex Altari exortam. 163.1
Christus in Eucharistia nubecula obducitur, vt nimiæ familiaritatis auertat despectionem. 106.1

Examen.

Non facilis præparatio conscientiæ, seu examen viris perfectis. 170.2
O quàm difficilis peccatoribus qui semel in anno confitetur conscientiæ discussio. 170.2

Excitator.

Excitatores quæstionum in communitate cunctos socios sibi hostes reddunt. 59.2

Excusare.

quæcunque à sacerdotibus geruntur licet non aprè, excusare debemus. 43.2

Exemplum.

Ob prauum Principum exemplum vulgus peruertitur. 218.1
Parentis exemplum pium, aut impium posteri æmulantur. 335.1
Exemplum pietatis, aut impietatis parentum quasi filios ad pietatem, aut impietatem sectandam impellit. 149.2
Subditi facilè exempla præsulum imitantur. 237.2
Rectorum exempla subditos potenter arripiunt. 171.2
Exemplorum enarratione societas innumeros ad Deum peccatores adduxit. 264.1
Exemplum eorum, qui negligenter præsunt Reipublicæ. 335.1
Exemplum Principis subditum agit vel ad desperationis præcipitium. 33.2
Exempla præclara prælapsorum Regum Regij sunt thesauri. 209.2
Principis exemplum facilem subditis purificationis reddit actionem. 48.1
Regis exemplo cuncta vel difficilia redduntur facilia admodum. 44.1
Magnæ vtilitatis, est maioris pietatis exempla relinquere, quæ posteri imitentur. 258.2
Principis exemplum subditos ad simile opus excitat. 243.2
Quàm vtiliter templa Regum sumptibus ædificantur. 209.1
Exempla Regum subditi æmulantur. 348.2
Ad Regis exemplum totum regnum componitur. 18.2
Orationis eiaculatoriæ exemplum. 228.1

Exercitus.

Magnus exercitus magnis opibus colligatur. 115.1
Regum opes sunt magnus exercitus. ibid.
Dei auxilium non exercitus hostes superat. 133.1
Malo suo exercitus fidelis ab infideli postulat auxilium. 167.2
Non maior vincit exercitus, sed feruentior superat fides pugnantium. 133.1
Dum exercitus pugnat, curet Rex Sacerdotes sacro muneri impigrè incumbere. 125.2
Exercitus præparandi ad certamina pacis aduertat tempore 128.1
Vel cùm ad auxiliandum venit diuersæ Religionis exercitus in Christicolarum aduertat exitium. 167.2
Vis orationis hostium visibilium debellat exercitus. 145.2
Ob peccata populi fidelis exercitus ab hostibus superatur. 107.2
Totum ferè exercitus robur est militum factetas. 304.1
Exercitus legis obseruator cauet triumphos. 41.2

Exilium.

Mitti hominem in exilium, simile quid interfectioni est. 166.1

Exitium.

Sacrorum despectus Regnis ingerit exitium. 43.1

Exitus.

A natalitio homini inducitur exitus vt creaturis vtatur quasi ab eis diuidendus. 3.2

Expeditio.

Qui expeditionem parat, se confessione, aut contritionis actu muniat. 276.2

Experiri.

Qualem te exhibes Deo, talem tibi Deum experiris. 123.1

Exteri.

Exteri non sunt à Reipublicæ honoribus excludendi. 98.2

Extorsio.

A subditis extorquetur quidquid annonæ præsulibus apparatur. 238.2

F

Facies.

Facies rutilans statuæ est, non fœminæ pulchræ. 322.2

Facinus.

Non puto religiosi esse facinus illustre illud, quod extra communitatis gerit consuetudinem. 152.1
Immane facinus Regem vel rogante ipso vulnerare. 33.1
Facinora illustriora sunt illa quæ ex communi gerendi more præstantur. 152.1
Turpia aliorum sine teste creduntur facinora. 115.2
Deo conatus ad facinus quoduis egregium pro facto est. 4.1
Præclara facinora assolent esse agnata obliuioni; necessum est, à multis scribi. 378.1

Fama.

Fama mentiri assolet. 115.1
Ad nominis celebritatem, seu acquirendam famam necessarium est Dei speciale auxilium. 162.2
Iniquis cuiusuis operibus eius fama deturpatur. 197.1
Filius à quo familia incrementum non accipit, haud dignus in filiorum Catalogo recenseri. 24.2

Fœlix familia, in qua fortis filius potest cum forti parente munerum facere. 24.1
Illum caput illustris familiæ reputa, à cuius fortitudine ipsa condecoratur. ibid.
In nobilium familia ille solus est dignus nominari, qui sanguinis naturæ respondet. ibid.

Famulus.

Taxabiles famuli, qui excusantur à communi labobore, ex prætextu Domini. 238.2
Agnatum subditis, dominorum publicare defectus. 324.1
Senes famuli honorandi etiam cum non seruiunt. 104.1
Famulis agnatum subauscultare dominorum actiones, vt de illis rumores vtro citróque deferant. 331.2
Non dedecet fidelem tuum famulum generum efficere. 7.2
Agnatum famulis dominorum arcana reticere non posse. 354.2

Felicitas.

Si Deus cum Rege sit, omnimoda subditi felicitate potientur. 130.2
Temporis momento magna mundialis felicitatis aduersitarísque mutatio. 363.2
Nulla Regibus abstractis à Deo felicitas. 94.1
Tota regni felicitas profluit à Regis pietate. 97.2
Vix potest quis felix consistere si eius felicitas inuidiam excitauit. 352.1
Finem tragicum habet, vel somniata felicitas. 366.2
Felicitas assolet esse ad vitia incitamentum. 250.1
Afflictis iustis repentè assolet felicitas fulgurare. 352.1

Festum.

Illud festum solummodò dixerim celebre, cuius lætitiæ tam diuites, quàm pauperes efficiuntur. 175.2
Commendabiliter, & vtiliter festa Regis sumptibus celebrantur. 176.2
Festi dies ad opera misericordiæ gerenda instituuntur. 269.1
Diebus solemnibus diuites vbertim pauperi succurrant. 51.2
Vide *Dies.*

Fidelis: Fidelitas.

Promptiores se fideles ostendunt, ad legis custodiam cum vnionis vinculo colligantur. 244.1
Vir fidelis erga Regem potest vel Regis animi augustum dare principium. 367.2
Fideles alliciuntur ad augendos Sacerdotum temporarios prouentus, cum eos vident promptiores ad sacra ministeria obeunda. 259.2
Quocumque perrexerit fidelis, debet ignorantes ad Dei cognitionem instruere. 292.2
Fidelium est de Dei operibus exaltare. 53.2
Præsumere debemus omnes fideles in gratia decedere. 274.2
In Rege requiritur erga subditos fidelitas. 16.1
Subditorum fidelitas erga Principem eius beneficiis obfirmatur. 152.2

Fidere: Fides.

Suspecta (heu) non semel fides thalami erga filios. 107.1
Circa causam fidei, ac leges nulli statui, nulli sexui delinquenti parcendum. 131.1
Non fidendum iis quos erga alium infidos experti sumus. 40.1
Fides tutatur homines, ne à Deo comminuantur. 316.2
Haud fidendum extetis alienæ Religionis militibus. 167.2

Filia: Filius.

Filiarum nomina haud debent à ciuibus agnosci. 46.1
Laudabilis filius, qui probo parenti assimilatur. 37.2
Filij debent esse senum parentum baculus fulciens, non virga percutiens. 277.1
Probus filius, vel inopis diuitiæ parentis. ibid.
Filij probi rectas parentum actiones æmulantur, non iniquas. 164.1
Assolent filij bonos, aut prauos parentum mores imitari. 296.2
Filij, qui ex benedictione non nascuntur, sed ex fornicationis maledictione, assolent postea multis incommodis extruciari. 279.2
Filij matrum frequentiùs mores quàm patrum imitantur. 263.2
Quàm rarus filius, qui vltimam obeuntis parentis voluntatem exequatur. 313.1
Nihil gerat filius, e quo parentum senectus incommodum vllum patiatur. 279.1
Filiorum bona aut mala opera plerumque parentum mores sapiunt. 160.1
Probus filius implens quod pius parens Deo promisit. 104.1
Submissius nihil est quàm filius debet esse patri 371.2
Quis filius non indiget instrumento, vt patris testamentum mandet executioni. 273.1
Filij parentum mores referunt. 150.2
Rarò filius hæres verè de patris obitu sauciatur. 61.1
Filij parentum mores hauriunt. 373.1
Vel vnus filius egregius pro multis æstimandus. 24.1
Solùm ob merita filius à patre reliquis fratribus est præferendus. 79.2
Taxantur qui nimium anguntur liberorum desiderio. 3.2
Filius, ne errori subiaceat, omnia de parentis consilio gerat. 276.1
Probus filius inter nuptiarum gaudia de parentum cruciatu memor est. 286.2
Ex pio parente sæpè filius impius. 181.2
Filius pœnitens pij parentis vestigia sectatur. 183.2
Laudabilis filius, qui post parentum obitum, eorum satisfaciat votis, ac legatis. 131.2
Commendatur filius simul cum patre in bello occumbens. 10.2
Quilibet familiæ filius agit personam familiæ Principis. 31.1
Vnus filius bonus, aut malus pro multis. 7.1

Flagellare: Flagellum.

Deus homini tunc libat oscula, cum flagellat. 386.1
A Deo ipso æruminatum flagellum in peccatores contorquetur. 21.1

Flagellum.

Secretum crimen Deus occulto supplicio flagellat. 44.1

Flagitium.

Quodcumque flagitium agnatum est homini ingrato. 389.1

Fœmina.

Mirum erit si vel indifferens fœminæ attactus tibi non sit occasio mortis. 366.1
Si apud mulierculæ domum victus fuisti, extra illam cum hoste concerta, ne rursum corruas, eodem pugnans in campo. 46.2
Agnatum fœminis petere. 116.1
Fœminæ ad retielationum negotium doctos confessarios adeant. 200.2
Quid fœmina insanius, quæ profitetur, suam præcipuam pulchritudinem infirmitate niti. 385.2
Taxantur fœminæ pudicæ, quæ vt se à sollicitatore excutiant, eique promittunt, (fictè equidem) subiacere voluntati. 329.1
Fœmina, quæ non est perfricatæ frontis, verbis impudicis retrahitur, non allicitur. 319.1
Irata fœmina crudelis. 361.2
Deus non fauet fœminæ sese ornanti, vt placeat aspectantibus. 322.2
Non dedecet primo principes fœminas, Voluto fuso, fila ducere. 14.1
Fœminæ gratissima currus vectatio. 324.1
Fœminæ modestæ rarus est vir, vel impudicè alloqui. 378.2
Non decet fœminam publicè loqui nec decet proceres publicè reprehendi. 316.1
Mirum quod fœmina non petat & quod ornamenta auara non ambiat. 353.1
Raro fœmina nimio ornatui studens omnino casta. 353.1
Dedecet admodùm piam fœminam mentiri. 323.2
Libenter audiunt fœminæ, licet prouectæ ætatis sint, se puellas vocitari. 330.2
Impudicæ fœminæ verba fictum amoris indicamentum, libidinis lenocinium. 320.1
Fœminarum ingenium petere. 352.2
Fœmina nobilis non ex diuitiis, sed ex virtute collaudatur à ciuibus. 316.1
Delectantur vel honestæ fœminæ, se appellari pulchras. 330.2
Indecens honestæ fœminæ cantus, aut chorea quæ modestiæ seueritatem soluit. 338.2
Fœminæ pulchræ à mundialibus, imo omnibus ferè hominibus sapientes iudicantur. 326.2
Omnes fœminæ virtutes debent hallare caltitatem. 342.1
Fœminæ ducentes è colo fila dignæ, quæ memorentur in sacris. 5.2
Fœminæ certiùs struunt, quam ædificant Vrbes. 25.2
Magnus fœminarum ad nuptialem statum affectus. 122.2
Fœminæ suas illustrationes reuelantes, indicant vacua fuisse somnia. 377.2
Vel fragilis fœmina obiecta vitæ puritate effrænatos peccatorum fortissimorum impetus poterit comprimere. 116.2
Mirum est fœminam querulam de marito, tacere. 277.2
Nihil dirius fœminæ reclusione. 122.2
Dirior acie gladij fœmineus aspectus. 340.2

Fœneratio.

Iniquissimum est Sacerdotem fœnerari. 238.1
Præsumendum non est, Sacerdotem deliquisse præcipuè circa fœnerationis vitium. 238.1

Fornicatio.

Suis attendit vel temporatiis commodis, qui à fornicatione fugit. 273.2
Oculi fornicantes quinam. 320.1

Fortis, Fortitudo.

Vir fortis pro multis reputandus. 37.1
Non se fortem ostendit, qui nunquam dimicauit. 17.2
Magna est necessaria fortitudo, ad colligendum regios redditus. 81.2
Nullus de fortitudinis præstantia glorietur aderit enim alter à quo superari valeat. 37.2

Frater.

In conspectu præclarissimi fratris, qui præsules non sunt, facilius despectantur. 24.1

Fundator.

Regulares fundatores prius dent operam templo extruendo, quam proprio habitaculo. 96.2
Religionis fundatores tanquam præsentes veneremur. 75.1

Fucus.

Fucorum vis fœminam repente reddit alteram sed mox ad primam fœditatem turpius redituram. 352.2

Fugere: Fuga.

Luxuriei aciem fuge cum ea confligere non audeas. 62.2
Indecora est fuga Principi. 240.2

Furtum.

Qui debitum retinet, cùm soluere possit, quasi acquisitum habet ex furto. 276.1
Si ciues vrbis Regiæ non furantur, reliquarum vrbium ciues abstinent à rapina. 372.2
Vel modico tempore retinere operarij mercedem quasi furtum est. 274.1
Omni rei furto acquisitæ agnata est infirmitas, & consequenter desolatio. 219.2
Bona furto acquisita surripienti non proficiunt, & bona iustè acquisita perdunt. 262.1

G

Gaudium.

Supremum homini gaudium debet esse confessionis dies, quo dæmon ab animo deturbatur. 283.2
Sit commune caiusuis domus gaudium nempe viri, & vxoris. 259.1
Fictum est gaudium, quod à Deo non procedit. 259.1
Vberior Deus ad gaudia immittenda, quàm ad infligendam afflictionem. 294.2
In cœlis, incommoda quæ passi hîc sumus materiam vberioris gaudij ministrabunt. 374.2

Gazophylatium.

Ne audeas è gazophylatio, seu cippo sacro vel obolum auferre. 155.2

Gener: Generatio.

Probus genet gratis debet soceris inseruire. 295.2
Rarus est gener, qui soceris egentibus abundè succurrat. 83.2
Agricolarum filij sapientissimi. Nec enim augustus sanguis influit Sapientiam sed studium. 41.2

Gerere.

Quod tibi ab alio geri non vis, ei minimè geras. 274.1

Gloria.

Fallax est gloria, assumi potest & deponi. 385.1
Quàm facile immundi gloria obscuratur. 361.2

Morales conceptus

Glos.

Glos debet si camare leuiros, ac si mater esset illorum. 14.1

Gradus.

Vel ad supremum gradum euectus, semper debes nutritium & Magistrum tuum reuereri, eique obedire. 385.1

Gratia.

Vt varij Communitatis sensus coalescant in vnum, specialis Dei gratia est necessaria. 174.1
Ad perfistendum in gratia, prauo habitu ablato Eucharistiæ vsus confert. 115.1
Decentissimus cantus aut chorea, quæ in gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis exponitur. 338.2
Singula Dei beneficia debemus singulari gratiarum actione celebrare. 339.1
Oraturus efficaciter in gratia existat. 268.1
Canticum gratiarum actionis dicitur nouum, quia raro præcinitur, adeò sunt homines ingrati. 339.1
Qui verè est proximus, de beneficiis tibi collatis gratias Deo agit. 288.2
Post beneficium à Deo acceptum instat actionis gratiarum sacrificium. 341.2
Noua à Deo beneficia accepta noua decet gratiarum actio. 339.1
Decus, & decor homini, ob actionem gratiarum ob beneficia redditam, addicitur. 259.2
Deo agens gratias pro beneficiis, præcipua recole sigillatim. 290.1
Præcipuè debes Deo gratias afferre cum decernis peccata dimittere, ac debita restituere. 238.1
Agere pro vno beneficio gratias, pignus est alterius recipiendi. 333.2
Æterne debet insonare hymnus, ad gratiarum actionem, ob continua Dei beneficia. 333.1
Gratiarum actionis hymnus semper est nouus, nunquam Deo parit fastidium. 339.1
Optima est gratiarum actio, publicare Dei beneficia, vt alij ad Deum laudandum excitentur. 291.2
Gratiarum actio omne opus sequatur. 234.2

Gratus: Gratitudo.

Pars gratitudinis est omnia enarrare beneficia, nullum prætereundo. 288.2
Deifica Virtus est gratitudo. 56.1
Genus illustre gratitudinis est, nunquam non prædicare, ac profiteri beneficium. 52.1
Animus verè gratus post retributionem multam, adhuc sese existimat debitorem. 290.2
Iesum à Deo acceptum munus aptè actioni gratiarum subseruit. 130.2
Vt tot beneficiis gratus ostendaris, obligatoriis operibus vltronea adiicias. 202.1
Gratitudo illa apprimè est commendabilis quæ morem beneficij gerit. 34.2
Pars est gratitudinis beneficia sæpè sigillatim recensere. 290.1
Ad felicem rerum euentum, satius tibi aliquando, gratum esse Consiliariis quàm Regi. 214.2

H

Habitator.

Si ciuitatum habitatores doctrinâ indigent, quid vicorum incolæ. 135.2

Habitus.

Vel externus habitus gerendæ orationis à periculis liberat. 342.1
Habitus efficaciter præcantis fœminæ describitur. 382.1
Orationem decet humilitatis habitus. 225.2

Hereditas: Hæres.

Filiis hæreditas firma transmittitur ob parentum iustitiam. 86.2
Hæres filius mortuo parente eius exempla pia oblitioni tradit. 104.2
Rarus hæres Vota parentis mortui implet. 131.2

Heros.

Historici non solum herois fausta sed & infausta debent memorare. 373.2

Herus.

Indignum hero famulos eius prauos mores agnoscere. 323.2

Historia.

Lectio historiæ iucundissima viro cordato est oblectatio. 361.2
Historiæ suppeditant prudentiam ad res gerendas. 362.2
Qui texit historiam, nullum euentum debet omittere, vnde violari veritas videatur. 307.2

Holocaustum.

In holocaustum Domino offerendus prius dilue te. 102.1

Holophernes.

Ebrius Holophernes stupidi peccatoris imago. 330.1

Homo.

Agnatum hominibus, rectè gesta aliorum non credere sine oculorum experimento. 115.2
Homines corde duplici vtentes taxantur. 42.1
Difficillimè homines sua promissa implent. 249.1
Spiritus renouatione homo Dei templum velut emortuum ante suscitatur.
Nihil homini gloriosius, quàm inter Dei seruos annumerari. 57.2
Quid non audeat vilis homuncio ad meliorem fortunam sublatus. 379.1

Honestum: Honor.

Diripere, iam à multis iam putatur honestum. 337.1
Magnus honor regnorum Templis magnificis protegi. 99.1
Omnis honor debitus pietatis promotoribus. 156.1
Qui post mortem expetit honorari viuens beneficiis coëmat posterorum gratitudinem. 34.2

Hostis.

Cum spirituali hoste noli diutius texere disputationem. 240.1
Quàm horribiles hostis hominis manus. 66.2
Omnes hostes quasi vnicus in conspectu viri iusti facillimè vincendus. 217.2
Hostibus nunquam fidendum. 204.1
Hostis vel à longè minax timendus. 302.1
Ex hostium apparatu propriam munire ditionem, prudens industria belli. 133.1

Humilitas: humiliatio.

Humilitas vel regna stabilit. 45.2
Humilitas apud Deum potentissima. 13.1
Tunc quis magnus, & inter primos maior ostenditur, cum studet minor ostentari. 377.2
Præpopera humiliatio est agnata superbiæ. 302.2

ad Concionatores.

I

Iactura.

Iactura honoris dira est ad conficiendum nobilem hominem ægritudo. 191.2
Temporaria iactura non te à Dei voluntate perficienda auertat : plura Deus tibi largietur. 159.1

Identitas.

Patris ac filij quasi vna identitas. 250.1

Idololatra.

Opera idololatrarum in lucis, opera Christianorum in luce geruntur. 302.2
Voluptatum idola colere, idem est, ac doloribus affici. 156.1

Ieiunium.

Ieiunium hostes comminuit. 332.1
Animus fortior exsurgit infirmato ieiuniis corpore. 362.1
Nunquam te omninò liberum à peccatis putas, semper ieiuniis, ac clamoribus insta. 374.2
Orationi ieiunium indit alas. 290.2

Ierosolyma.

Monialium Ierosolyma desolata est, dum infirmata est muri externi custodia. 233.2

Iesuitæ.

Iesuitarum instituti est diuersa loca peragrare. 102.1.
Gonzaga & Stanislaus Iesuitæ, cum essent pueri, nihil puerile gesserunt. 266.2
Societas Iesu habet portam, qua emittuntur sordes, ne sacra ciuitas inficiatur. 232.1
Iesuitæ in morem Leuitarum cum sæcularibus commorantur, vt eis salutares existant. 256.2
Examinis particularis quo Societas Iesu vtitur ad speciale aliquod vitium abolendum, commendatio. 252.2
Laudabilis mos Societatis Iesu legendi volumen regularum singulis mensibus. 261.1
Iesuitæ sine temporariæ mercedis spe sua ministeria gerunt. 136.2
Iesuitæ prompti sunt ad manum Pontificis, seu superiorum immittendi ad quamuis mundi plagam 136.2
Iesuitæ speciali iure obsequio debent mancipari. 5.1
Societatis Iesu obediens subditus cadaueri comparatur. 219.2
Regis Catholici studium immittendi Iesuitas ad Indos commendatur. 135.2
Commendabiles Iesuitæ ex missionibus ad vicanos & rusticos. 135.2
Renouatio spiritus Iesuitarum ex more commendatur. 231.1
Iesuitarum frequens renouatio, spiritus commendabilis. 155.2
Commendabilis Societatis Iesu institutio portam habentis proiectionis, qua ij qui fordescunt è domo pellantur. 80.1
Iesuitarum spiritus renouatio, noua est spiritus dedicatio Numini. 130.2
Non mirum apud Religiosam Communitatem reliquias idolorum, seu praua gesta quandoque proferri. 130.2

Iesus.

Ad Iesum natum Regum vti ad Dauidem Angelorum accurrit exercitus contra inuidiam hostium. 42.2
In nomine Iesu viuimus, & sumus. 339.2
Nomen Iesu omnium benedictionum epilogatio. 51.1
Infantem Iesus tibi se tradit, vt habeas quomodò Dei frangas iram. 305.1
Nomini Iesu debemus, toties venia donari. 314.2

Ignatius.

D. Ignatius proximorum saluti propriam quodammodo posteriorem esse ducebat. 359.2

Ignominia.

Ignominia est nece dirior. 372.2
Peculiari ignominia punitur qui euitandæ ignominiæ causa peccauit. 34.1

Ignorare.

Quod perfectè non scitur quodammodo penitus ignoratur. 263.2

Illusio.

Parenti Christo illusiones morte horribiliores extitere. 33.2

Imago.

Monasterij monialium in Assueri Gynæceo imago. 352.2
Christi suffixi imago addit animos Christianis. 334.1
Venerabiles tibi debent esse virorum illustrium imagines. 276.2

Imminutio.

Magna fructuum imminutione decimas Ecclesiæ debitas non persoluis. 253.2
Imminutio Ciuium facit aliis exactionem tributorum duriorem. 365.2
Idem quodammodò impatienter tolerare, ac velle de Deo vlcisci. 317.1

Imperium.

Illud puta tibi à Deo imperari, ad quod gerendum inspirante, afficeris. 196.2

Impietas : Impius.

Ex impio sacro ebibes impietatem. 141.1
Per gradus assolet increscere impietas. 183.1
Ex infideli, ac praua socio facilè impietatem edoceris. 263.1
Impietas pietatis prætextu ostium sibi præparat. 204.1
Cum impiis agendum non est, nisi necessitas, aut publica cogat vtilitas. 141.1
Impius, & immundus regimini ineptus. 131.2
Impiorum societas est iustis vexatio. 225.2
Cum impiis obseruari, & non pollui ferè impossibile est. 266.2

Improbitas.

Ob Regis improbitatem, permittit Deus, Concionatores in istriones conuerti. 163.2
Idem est improbè aliquem viuere, ac sine laude mori. 148.2

Improperium.

Falsa improperia audire morte est ditius. 271.2
Ex improperiis patienter toleratis ipsorum profluit medicina. 271.2

Impudentia.

Tanta est aliquorum impudentia, vel eos pudeat, non patrasse elicta. 329.1

Impudicitia.

Vitium impudicitiæ homines commutat in bestias. 279.1

Impugnatio.

Non minùs dira impugnatio ſociorum, quam hoſtium. 135.1

Incommodum.

Sine ſenſu eſt, qui videns vicinorum incommoda, non timet ſibi ſimilia præparati. 301.2

Peccatorum incommoda è crimine trahunt originem. 29.1

Incolumitas.

A portarum cuſtodia monaſterij incolumitas oritur, ruina ab incuria circa portas deriuatur. 228.1

Non omnibus datum, mediis in periculis incolumis eſſe. 249.1

Inconſtantia.

Luxurioſo animo agnata eſt inconſtantia. 353.2

Indecentia.

Magna clericis præcipuè indecentia filios ex crimine domi habere. 221.1

Indecorum.

Indecorum eſt ſenem nuptias ambire. 351.2

Indignatio.

Peccator facit Deo adhæreſcere indignationem, ita vt difficilè abſcindatur à miſericordia. 314.1

Infelicitas.

Infelicitas eſt felicitas illa, quæ incipit, & non progreditur. 90.2

Infidelitas : Infidelis.

Nihil proſpere aſſurgit, quod Infidelium manu præſtatur. 229.2

Indecenter ſacris miniſteriis infideles addicuntur. 98.2

Haud nimium mancipio infideli fidendum. 98.2

Ingenium.

Mendax mancipiorum, ac vilium homuncionum ingenium. 266.1

Ingratitudo : Ingratus.

Intolerabilior ingratitudo illorum, qui pluribus beneficiis fuere donati. 250.2

Seruile vitium, & ſeruis agnata in Dominos ingratitudo. 125.1

Nihil æque Deo diſplicet, atque poſt beneficia animi ingratitudo. 126.2

Ex canis fidelitate hominum ſubtaxatur ingratitudo. 288.1

Inuiſum Deo admodum vitium ingratitudinis. 144.2

Poſt beneficia accepta, mox ingratis Dei iudicium imminet. 388.1

Tanta hominis ingratitudo, vt vel vno hymno ſit neceſſarium, eum ſæpè ad gratiarum actionem excitare. 340.2

Ingratus qui non afficitur ſemper erga dominum, à quo ſalarium accepit. 205.1

Ingratus Deo fidelis externus corporis habitus cum internus non reſpondet affectus. 158.1

Genus eſt ingratitudinis poſt acceptum beneficium eſſe adoratorem. 288.1

Pro gratiis beneficio debitis iniuriam gerere iniquiſſimum eſt. 388.1

Ingratitudo poſt beneficia accepta vim precum heberat. 219.2

Ingratus animus vix credit eſſe Deum. 388.1

Curat ſilentio obuelare beneficia accepta, qui ſe vult ingratum exhibere. 291.2

Ingratus eſt, qui liber à periculis itineris, Deo gratias non exhibet. 288.1

Ingratus eſt, qui accepta ſingula beneficia non exprimit. 290.1

Inimicus.

Tyrannis Regis ſubditos efficit inimicos. 151.2

Caſtellæ inimicus quomodò eius diuitias fideliter adminiſtrabit. 262.1

Patris tui inimicum ſemper habe ſuſpectum. 135.1

Diligendo inimicum, dum facis amicum; quod tibi cedit incommodum. 95.1

Iniquitas.

Facilè vel emortua reſurgit iniquitas. 184.2

Quaſi deſperata correctio eius, quæ diù ſeruit iniquitati. 193.2

Quis non credat impietatis nota inuri Sacerdotes, qui, videntes Deum contemni, fidei & religionis cauſam non defendunt. 269.1

Inique ſacris miniſtris neceſſaria abnegatur annona. 262.2

Regis iniquitas ſolummodo flagellanda à Deo. 184.2

Qui diu ſeruierunt iniquitati ſibi perſuadeant, iam Dei iuſtare vindictam. 193.2

Effrænata Principis iniquitas ſubditorum infidiis agnata. 184.2

Iniquum eſt, corruentibus Vrbibus, hortorum Regis increſcere amœnitates. 228.2

Peruerſis aliquibus peccatoribus iucunda ſunt ſtatus iniqui incommoda. 214.2

Vt omnino ablegetur à fidelibus iniquitas, priùs eſt pietas repurganda. 186.1

Nihil iniquius, quam inuentor eſſe iniquitatis. 166.1

Fœcundiſſima eſt iniquitas, multos ſimiles filios parit. 183.1

Illam iniquitatem abſtuliſti, quam ad pietatem reformaſti. 118.1

Sacerdotum aut religioſorum iniquitas, cogit ſæculares virtutem exprobrare. 237.2

Iniuria.

Superbus vel deſiderium ei obſiſtendi indicat eſſe iniuriam. 306.1

Rationem ſubuertit irrogata innocenti iniuria. 133.2

Iniuria irrogata innocenti totius regni calamitate punitur. ibid.

Iniuſtitia : Iniuſtus.

Quàm agnata ſit mundialibus principibus plerúmque tyrannis iniuſtitia. 363.2

Indicium eſt iniuſtitiæ, non implere promiſſiones. 249.1

Iniuſtus vel propriorum bonorum ſit cum peccat, malæ fidei poſſeſſor. 86.2

Innocentia.

Innocentia Dei oculis obiecta, eius frangit iracundiam. 305.1

Innocentia dat vocem, crimen adimit. 222.1

Cum innocentia accuſatur, tunc excuſatur. 207.1

Confert ad impetrandum, innocentiam in oratione proponere. 383.2

Deum placat iratum vel mutat eius expoſita oculis innocentia. 145.1

Inobedientia.

Religioſus inuoluntariè obediens, vitam agit morte diriorem. 302.2

Ex inobedientia vxoris corruit tota œconomia diſciplinæ. 348.2

Inopia : Inops.

Ex ſuperfluis ſumptibus prædiuitis ad extremam adducuntur inopiam. 347.1

Hinc

Hinc Regum inopia oritur. 138.1
Prius abiectiores inopes succurrendi. 177.2
Nullus adeò inops, qui non possit inopi frustulum panis offerre. 253.1

Inscriptio.

Non curandum de nominis inscriptione in libro temporis, sed de inscriptione operum in libro æternitatis. 257.1

Insidiæ.

Qui criminis alicuius conscius est vel amicorum insidias æquo animo toleret. 40.2

Instrumentum.

Deus per infirma instrumenta maxima facinora exponit. 340.2

Intentio.

Ex vanitate, aut aliundè siniſtra intentione assolent opera alias egregia conspurcari. 106.1
Intentio ex scelere excitata non proficit. 147.2

Interitus.

Non timeat spiritualiter interire, qui proximorum saluti operam impendit. 368.2

Inuentor.

Crudelis supplicij inuentores taxantur. 63.1
Inuentor rei alicuius simul eius inuenit incommoda. 3.1

Inuidia.

Acrior est propinquorum inuidia circa propinqui felicitatem. 289.1

Inurbanitas.

Inurbanus est qui æquali vrbanitate Subditum à Rege secundum ac Regem prosequitur. 355.2

D. Ioseph.

D. Iosepho portæ orientalis id est, Deiparæ custodia sorte diuina commissa fuit. 79.2
D. Iosephi ex custodia virginis. 30.2

Ira.

Iracundia coram cadauere sedatur in hostem. 332.1
Cum crimen nouum veteri adiicitur, assolet Deus illicò in iras erumpere. 166.2
Hìc iræ diuina stillatione leuiter perfundimur post mortem furit iracundiæ tempestas. 123.1

Irregularitas.

Non approbo irregularem aliquorum diebus solemnibus abstinentiam. 315.2

Irrisio.

Irridere eos, qui ædificare curant proximos, peccatum est graui multæ agnatum. 235.1

Iter.

Quàm obnoxius periculis agit itet, qui Deum comitem non adiicit. 276.2

Iudæi.

Quia Iudæi Sabbata non coluerunt, terra eorum sabbatizauit, quia simile delicto supplicium. 194.1
Iudæi semper inimici sunt Crucis. 373.2

Iudex: Iudicium.

Iudices terræ Dei Iudicis tribunalis recordentur, ne vti Dij sine respectu ad Deum iudicent. 141.1
Timendus Iudex sine timore Dei. 141.2
Taxantur Iudices, qui ad indulgendum suo furori accepta à Deo potestate abutuntur. 319.1
Ne Iudices differant de fides litium sententiæ resolutionem, necessum est, ad eorum memoriam Dei timorem reuocare. 141.2
Iudices custodiendi, vt rectam proferant sententiam iudicis Dei imitatores. ibid.
Iudicium rectum gerere res sacra, ac pretiosa est ad dicenda custodiæ. 141.2
Quàm horribilis Christus iudex inimicis. 385.2
Vulgatia Iudicia instar araneæ è floribus venena exhauriunt. 333.1
Iudicare temere aliquem idem est, ac eum diris dilaniare vulneribus. 156.2

Iugum.

Quam leue Dei iugum si eum mundiali compararetur. 123.1

Iustitia: Iustus.

Iustitia ferrea est virga quæ adulationis aura non flectitur. 361.1
Ob præsulum iustitiam, aut iniustitiam subditi aut munerantur aut flagellantur à Deo. 91.2
Regum iustitia obfirmat imperia, quæ ex eorum nequitia corruunt. 107.1
Iustitia toto affectu sectanda. 86.2
Iustus oculis obdormit apertis, vt nocturnos superet hostes. 269.1
Iusti, laborum igne repurgantur vt rutilent. 225.2
Iustis, est velut inferni flamma videre, Deum despici à peccatoribus. 249.1
Iustus semper Dei gloriam, non commoda debet propria procurare. 381.2
Rarus homo iustus habitans inter iniustos. 295.1
Dum iustus cum peccatoribus habitat, eorum flagellatur incommodis. 295.2
Iustus sibi persuadet, labores sibi in peccatorum obuenire pœnam. 288.2
Iustus nunquam sibi persuadet, se à domino præscripta complere. 269.1
Opprimi iustum ab improbis, prosperitari est. 210.2
Agnatum iusto, egregia opera aperire ne ab hominibus videantur. 269.1
Ab occultis hostibus iustus timeat. 269.2
Iusti labores non flagella, sed munera. 269.2
Nunquam iustus securus de iustitia, aut gratia debet esse. 130.1
Iusti vel impiis amabiles. 268.2
Vir iustus de nullius iustitia dubitat. 286.1
Viri iusti procul dubio est statum soluere debitum. 275.2
Dedecet iustum, petere laboribus non affligi: nec enim vult vincere, qui à certamine fugitat. 13.1
Iusti semper iudicant, eorum culpa populum flagellari. 276.1
Iusti à Deo accuratissimè asseruantur. 108.2
Opprobriis anguntur iusti. 225.2
Cum orat pro peccatore iustus, ipse simul exoret. 226.2

L

Labor.

Laboribus angi peccatorem signum est Dei profusæ benignitatis ad veniam. 368.1
Labores orationi dant confidentiam. 368.1
Si ministerium laboriosum amas, labori parces. 162.1
Dum homo actus laboribus Deum laudat, Deus laboribus terminandis studet. 293.1
Labores, & ærumnæ steriles non sunt. 13.1
Labores in præmium virtutum obueniunt iustis. 291.1
Læto animo sustinere labores, hominem nobilitat. 197.2

Morales conceptus

Deus iusto non concedit,à laboribus liberari, qui ad salutem conducunt. 13.1

Lacryma.

Lacrymæ non dedecent virum principem si de iniuria conqueritur. 357.2
Lachymæ à ieiunio efficaciores ad veniam impetrandam. 222.1
Lacrymæ suas voces habent. 187 2
In gaudio lacrymis sæpè gaudium inuenitur. 203.2

Læsor.

Læsor numinis vndenam vires ad certandum expectat? 156.2

Lætitia.

Breuis peccatoris lætitia. 357.1
Qui verè diligit de commodis amati necessariò lætatur. 293.2
Nullus est,qui non lætetur, dum verba laudatoria audit. 175.1
Vberius lætamur, cum prælapsi laboris memoria subit. 374.2
Non est à Deo lætitia viri,dum iuste vxor tristatur. 259.1

Laudare : Laus.

Hymnorum ac precum compositores vel mortui, semper Deum laudant in ore eorum, qui eis vtuntur. 110.1
Vbique debent diuinæ resonare laudes,vbique enim diuina in nos beneficia exundant. 54.2
Memores beneficiorum Dei,ad eius laudem excitamur. 51.2
Laus perfecta est, cum vocibus opera copulantur. 259.1
Sanctimonialium ex recluſione laus. 122.2
Deum lauda vocibus, sed simul operibus. 21.1
Dei beneficia æterna laus decet. 248.2

Lectio.

Libri sacri lectio confert ad eliciendum pœnitentiæ affectus. 248.1
Sacræ lectio animum excitat ad accuratiorem legis obseruationem. 246.2
Sacræ lectionis magna ad compunctionem vtilitas 248.1
Librorum spiritualium lectio vtilissima. 187.1
Efficax est voluminis legum sacra lectio. 261.1

Lepra.

Vel post mortem exitialis est sociis peccati lepra. 163.2

Lex.

Legum strictio dirigitur ad pauperes, dum diuites lege viuunt. 233.2
In iis quæ ad societatem cum impiis pertinent debet lex strictiùs interpretari. 261.2
Qui ex lex est, Deiparæ libet obsequium, & mox legis obseruationem inibit. 202.1
Obseruatio legis ciuilis vere ciuem constituit. 233.2
Arctiores sunt Sacerdotum sæcularium leges. 43.2
Communis illa peccati originalis lex non propter Deiparam,sed propter omnes alios est constituta. 385.2
Qui Dei legē non obseruat,nihil prosperè agit. 70.1
Non expectandum à Deo, vt nos omnino à legis pondere liberet,sed vt adiuuet ad tollendum. 49.2
Ad legis obseruationem requiritur eius intelligentia, & cognitio. 86.2
Legis obseruatori nullum periculum imminet. 70.1
Plerumque exleges ingenij stoliditatem exponunt, nam legibus Dei assolet conformari proprium ob commodum. 69.2
Vel impiis sæcularibus placet, Religiosum ostendi apud ipsos suarum legum obseruatorem. 328.1
Ex legis obseruatione lætitia verax. 211.2
Qui visitat subditos, num legem obseruent, se ostendat legis obseruatorem. 213.2
Custodire legem, nos fortiores reddit, ad eiusdem faciliorem obseruationem. 245.2
Dirè puniuntur Iudices, ac Præsules, quorum desidia subditi legem Dei violant. 141.1
Quidquid recedit ab obseruatione legis,non est via, sed præcipitium. 07.1
In communitate, vbi dissidia sunt, non erit obseruatio legum. 244.2

Liber.

Liber tuus est, cuius sententias ab aliis authoribus collegisti. 171.1

Liberatio.

Insta liberationi à periculo, tempus diuinæ prouidentiæ relinque. 326.2

Libertas.

Seruire sanctæ Dominæ est libertate donari. 342.2

Libido.

Te ad interitū adducit,qui ad libidinē excitat. 271.2
Intemperanti assidere mensæ, apta est ad libidinem dispositio. 329.1
Ad libidinem fortis stimulus, impudentium societas. 271.1

Lingua.

Semper vulgaris lingua vitia exaggerat, virtutes imminuit. 115.2
Lingua verus cordis assolet esse testis. 286.1
Lingua speciatim fœminæ assolet esse animi indicatio. 317.2
Regum vita, ac mors spiritualis in Consiliorum Regalium lingua progignitur. 150.1

Locus.

Pretiosissimus est locus, vbi virtus obedientiæ exeritur. 67.2
Horribilis sit homini locus,qui fuerit humano sanguine cruentatus. 281.2
Locum fugæ in quo alius expertus est periculū. ib.

Luctus.

Non decet luctus tempore, lauta instrui conuiuia. 311. 2
Æternus luctus perbreuis iusti luctus gaudium interminabile. 357.2

Luxuria.

Luxuria idem est quod terror. 131.2
Luxuria parens est crudelitatis. 63.2
Ex luxuria à fide naufragium. 327.1
Luxuriei illectamenta cordatis terrorem incutiunt, non alliciunt ad amorem. 131.1
Quid non mortalia pectora luxuries cogat. 326.2
Recede à luxurie,si eam experis superare, nam cum hoc hoste à longè dimicandum. 46.2
Luxuriæ piaculū alia comitari absolent flagitia. 9.1

M

Macula.

Religiosis cum sæcularibus agentibus aliquæ leues maculæ inhærere solent. 328.2

Maledictio.

Maledictionis diuinæ loco aliquandò quis multos accipit liberos. 3.2
Deum maledicit qui conuiuium gerit immodestâ lætitia. ibid.

Malitia.

Plerumque nostræ malitiæ tribuendum,à potentissimo Deo non liberari,dū laboribus agimur. 381.1

Malum.

Cuncta mala quæ damnationem ſapiunt à peccato oriuntur. 34.2

Tot ſunt imminentia mala, & velut miraculum ſit, ab eis omnino eripi. 13.1

Mala plus apprehenſione quàm experientiâ ſauciant. 33.2

Quod malum permittit geri magiſtratus, hoc ipſum geſſiſſe reputandus eſt. 263.1

Mala quæ non videntur, corda non ſauciant. 229.1

Mala quæ æternum non cruciant, haud intolerabilia omninò. 153.2

Ei malum facis, quem indignum illuſtri officio donas. 262.1

Mancipium.

Quot mancipia habes, tot hoſtes te nutrire puta 271.2

Agnatum mancipio, aut vili ſeruulo ſe domino infidelem oſtendere. 317.2

Manifeſtatio.

Agnata peccato manifeſtatio. 354.2

Manſuetudo.

Manſuetudo domini efficit famulos ad ſeruiendum promptiores. 302.2

Manus.

Dei manus hîc mitiſſimæ, æternum horribiles. 66.2

Maria.

Maria plus omnibus accepit à Deo, vnde plus omnibus debet amari. 353.1

Maria ſemper Regina, concubina nunquam cæleſtis aſſueri. 353.2

Sola Maria ornata oritur gratiæ ſtola ab originis labe aſſeruata. 353.2

Deus Mariæ dedit dimidium Regni, hoc eſt miſericordiæ ditionem, ſibi aſſeruata ditione iuſtitiæ. 360.2

Imo & partem alteram nempe iuſtitiæ, Maria quodammodo poſſidet. ibid.

Maria non rogat, peccatores interfici ſed venia donari. 272.1.

Maria Ciuitatis Dei murus. ibid.

Vera Eſther Maria Deum placans. 344.1

Deipara ex eadem cruce cum filio ac ſponſo pendet. 371.2

Maria Deipara eſt atrium templi omnibus patens portis plenum. 72.1

Nulla in Deiparæ verbis reprehenſio. 317.1

Non intelligitur Maria ſub peccati Originalis communibus legibus contineri, niſi ſpecialis de ipſa nominatim ſcilicet mentio fiat. 155.1

Deiparæ humilitas exaltatur. 377.2

Maria nunquam fons paruus, ſemper fuit magnus fluuius, imò gratiarum pelagus. 375.2

Maria Sol terribilis hoſtibus. 375.2

Ad dignitatem cœleſtis Regis pertinet, Mariam ſponſam fuiſſe à communis labis exortem iniuria. 365.1

Maria ad Regnum venit vt pro peccatoribus cœleſtem iudicem precaretur. 359.1

Melior Eſther mulier intrepida intrat ad Deum pro afflictis precatura. 358.2

Omnia quæ ad Deiparam pertinere videntur, nobis debent eſſe gratiſſima. 369.2

Non deliquit eo ex capite quod non vocata venerit, quia nunquam à Rege Maria receſſerat. 386.1

Quiſquis in Mariam vel ſpecie tenus deliquerit affectate, ſe obnoxium putet eſſe flagello. 366.1

Vera Eſther Maria dona à Deo accepta largiter impertit hominibus. 367.2

Vel legem communem Maria non violauit, quia ſæpè vocata venit. ibid.

Maria figurata in regina Saba *in epilogo ad finem.*

Mariæ ſpirituales diuitiæ. ibid.

Dei Templum Maria. ibid.

Murus hîc fundatus in petra, non in communi fragilitate. ibid.

Maria deipara ex cunctis ætatibus electa vt vnica ſit melioris aſſueri ſponſa. 352.1

Deus iratus, viſa Maria, in infantem conuertitur, qui neſcit iraſci. 344.1

Maria prophetiſſa inter Leuitas recenſetur, ob nominis Deiparæ reuerentiam. 20.1

Nullum ſubit periculum qui Mariam Arcam fœderis domo excipit, irreuerenti enim parcit. 44.2

Tot ſunt Mariæ Deiparæ dotes vt vix poſſint innumeris exponi nominibus. 351.2

Deiparæ ineffabilis pulchritudo Deum iratum placat. 322.2

Maria cœci generis humani illuminatrix. ibid.

Inſtar Iudithæ, quidquid petit à Deo impetrat Maria Eſther Regni Dei partem poſſidens dimidiam. ibid.

Vide *Deipara.*

Maritus.

Non eſt ſanæ mentis maritus qui coniugem venuſtam permittit adeſſe vbi viri hilares vino morantur. 347.2

Taxatur maritus qui ad vitos inuitentes non vocatam facit prodire vxorem. 347.2

Ingenium aſperum in marito vxorem excitat ad odium. 383.2

Mariti eſt præcipere, vxoris obedire. 281.2

Diuino edicto de ſubiectione maritis præſtanda, vxores non parent, gentilibus fœminis hoc ex capite deteriores. 348.2

Martyrium.

Denudari, ac fugæ tradi propter Deum illuſtre eſt Martyrij genus. 268.1

Mater.

Matris nouem menſium ſuſtinentia, filium reddit, ad præſtandum ei obſequium omnibus diebus vitæ eius debitorem. 273.1

Miſerrimum eſt, matrem diuendere filiam, vt comedat, & viuat infelix. 237.1

In filij receſſu mater non labiis, ſed oculis loquitur. 286.2

Materies.

Omnis ad templa conſtruenda materies deberet eſſe auguſta. 97.2

Matrimonium.

Continuum orationis excitamentum requirit matrimonij ſtatus ad multiplicia onera comportanda. 279.2

Matrimonium ſanctè initum aſſolet mox eſſe fœcundum. 267.1

Iuſtorum matrimonia ſemper ſunt nuptiæ, quia poſt annos multos ita ſe diligunt, ac ſi nunquam non nuptiæ celebrarentur. 289.2

Medicamen.

Statim patienti medicamen exhibe, cũ potes. 188.1

Medicina.

Promptiſſima eſt oranti iuſto afflictionis medicina. 291.1

Memorari.

Primores memorantur, inferiores silentio obuoluuntur. 75.2

Mendacium: Mendax.

Qui mentitur facilè seductionis exhibet documenta. 311.2

Vix vllus historiam refert, qui aliquod mendaciunculum ornatûs gratiâ non proferat. 307.1

Innumeri apud Regiam orbem mendaces euentuum assertores, vnicus pene veritatis, inuenitur assertor. 138.2

Mercator.

Pronitas mercatorum ad vitianda pondera ac mensuras. 73.2

Mercenarius.

Debita mercenatio modiciſſima portio, & non reddita, faciet tuam comminui substantiam. 274.1

Mercenariis rusticis agnata auaritia in conductionibus. 276.1

Meretrix.

Non defenditur ex Regia dignitate in fœmina, quidquid subolet meretricium. 347.2

Qui domus meretriciæ vicinitati hæresci quasi talis domus incola reputatur. 168.2

Meritum.

In conspectu Ecclesiastici cuiusuis officij & nobilium & ignobilium merita æqualiter vident exigua, aut nulla. 79.2

Ob merita populi Deus Regibus fauet, ob demerita punit. 45.2

Metropolis.

Ciuitas Metropolis cum debeat esse Villarum, mater, nouerca ostenditur. 25.2

Miles: Militia.

Miles loquax, nihil operatur: vnde eius assistentia magis est impugnatio, quàm auxilium. 18.1

Spiritualis miles accommodet se peccatoris loquelæ aliquandò vt eum ad spiritualia traducat. 240.1

Multi milites nomen dant, non opus militiæ. 33.1

Ineruditi milites non feruntur ad victoriam, sed trahuntur ad victimas. 17.2

Commendabiles spirituales milites qui vtraque manu pugnant. 39.2

Miles nulla Ducis vi potest à diripiendo retrahi auaritia, cũ adest colligendi spolia occasio. 326.1

Prospera militum expeditio quos Dux iustus præcedit, & è contra infaustus processus eorum, quibus ducatum præstat iniquus. 213.1

Vel vnus miles electus quodammodo sufficit, ad ingentes hostium copias superandas. 61.2

In strenuo milite fuga idem debet esse ac dira hostis percussio. 66.2

Pallium fortissimi militis attritum non potest vulnera abscondere, & potest facinora obuelare, eo quod sit attritum. 18.2

Soli electi milites numerandi in exercitu. 61.2

Milites gaudeant immunitate, nec cogantur vilioribus seruire ministeriis. 112.2

Non fidas militi, qui aliquando aduersum te ab hoste pugnauit. 59.2

Miles alacer vitam pro principe exponet, à quo se videt æstimari. 300.1

Nullus iam regi ignotior, quam miles. 83.1

Haud iuuenes eligendi in milites sed viri experti. 120.2

Milites digni regia amicitia, per quos regnum defenditur. 83.1

Roborantur milites, dum Regis ipsius vocem amicam audiunt. 180.1

Honor militiæ addictus tutatur imperia. 300.1

Principatus militiæ non sanguinis; sed fortitudinis acquirendus. 36.1

Minister: Ministerium.

Taxantur ministri, qui altaria incompta esse permittunt, communi despectabili mensa similia. 94.2

Quàm infideles regum ministri, vt eos à somno profundissimo excitent. 335.2

Ministro Euangelico sufficiat pro laboris munere, si Dei præscripta probe gessit. 291.2

Plus quodammodo minister familiaris Regis potest quàm Rex. 363.1

Quasi per se notum est, ministrum à Rege secundum ab omnibus habendum reliquis sapientiorem. 380.1

Dum in thoro sacri ministri concinunt, opportunum tempus fidelibus obiicitur ad Deum adorandum. 145.1

Euangelicos ministros oportet varia loca percurrere. 102.1

Nullum ministerium rectè geritur sine rectore. 30.2

Eiusdem officij ministri debent sibi inuicem esse fratrem. 22.1

Non aptè sacri ministri ad sæcularia tribunalia eliguntur. 81.1

Ministrorum Regis ad placitum Regis imperia disturbantur. 204.1

Parùm proficit ad regem recursus vbi ministri, inique affecti exponuntur. 204.2

Ille probus minister, cuius absentiam non solùm Rex, sed & Regina vitare conatur. 228.1

Minister secundus à Rege Regis vocatur pater, seu magister. 386.2

Taxantur ministri qui ex prouinciis nimium auri pondus Regi deferunt. 116.1

Ministri aulici sæpè de præda ciuium Regi donaria exponunt. 356.2

Nullum ministerium in communitate religiosorum despicabile. 263.2

Eligendus ad sacra ministeria ille, qui comprobatus iam sit esse fidelis. 262.2

Tunc rectè geruntur ministeria, nec vllus aliorum sese ingerit muneri. 257.2

Honestissimum est optimatibus manus cuilibet sacro ministerio adhibere. 231.2

Nullum ministerium est vile si ad sacra pertineat. 231.2

Miraculum.

Miraculum est pauperem, & despectum è puluere eleuari. 356.2

Miseratio.

Diuinam prouocat iracundiam, de eius miseratione dubitare. 316.2

Deus miseratione punit, homo vulnerat immisericors. 313.2

Ex his quæ patimur, discimus misereri afflictis. 25.2

Misericordia: Misericors.

Assolet Deus quò magis ad iram à peccatore prouocatur, plus aliquando affici misericordia. 326.2

Ineffabilis misericordiæ Dei est documentum, peccatorem continere, ne prauum impleat propositum. 249.2

Deus

Deus adeò misericors, vt motiuum ei sit ad nobis parcendum iterum, imò sæpè peperciſſe. 226.2
Sæpè Deus vult gratis homini graviter nunc delinquenti misereri ob antiqua recta opera. 14.1
Ex miseriarum aspectu misericordia commouetur. 300.2
Magna est Dei misericordia, hic corripere peccatores. 292.2
Misericordia erga pauperes est totius sanctitatis epilogus, siue *tanto monita*. 181.2
Misericordiæ virtus magna, cum ab ea qui sunt boni, & sancti nominantur. 108.2
Tum Misericors Deus ostenditur, vt videatur eius diuinitas ex sola misericordia coalescere. 250.2

Missio.

In Missionibus contradictio fructus præcocis est maturitas. 174.1

Mitra.

Mitra idem ac tremor est. Qui mitram accepit, existimet se accepisse officium tremoris. 322.1

Molestum.

Molestum est in communitate, maiores eximi ab oneribus, dum minores sub pondere gemunt. 75.2
Molestissimum homini est, alieno beneficio victitare. 147.1

Mollities.

Mollitiei crimen solo à Deo repentina morte vindicari. Quàm graue mollitiei piaculum quod Idololatriæ vocabulo exprimitur. 6.2

Monere.

Sæpè fideles monendi sunt: ea quæ lege tenentur obseruare, quia inertiam ablegat admonitio. 173.2

Monasterium.

Nihil magis contrarium sacræ domus custodiæ, quàm inter tenebras portarum apertio. 242.2
Rector portæ monasterij curam committere ei, qui videtur Deum timere, non qui verè timet, tenetur. 242.2
Monasterij portæ committendæ custodi Deum timenti. 242.1
Nec taxandus est, si aliquando huiusmodi ostiarius monasterij lædit immunitatem. 242.2

Morbus.

Animi morbis non solùm necessaria, sed superfluens præparanda est medicina. 287.2

Mors.

Plerumque subita morte extinguitur qui aliis delinquendi, apponit scandalum. 126.2
Morte instante haud subest ægroto imparato, quonammodò valeat è periculo exitij æterni liberari. 335.2
Fœlix mors præfecti, orta ex recta muneris administratione. 315.1
Dies mortis iucundus, quia è lacrymarum valle receditur. 296.1
Qui dum viuit ob Dei timorem scrupulis pungit, à Deo pacifica morte donari. 294.2
Citò mori in pace, virtutum est præmium. 187.2
Cruciatus sunt morte ditiores. 180.1
Mors est parenti, videre filij interitum. 33.1
Mors experenda, quia ad sepulchrum ducit, domum scilicet periculis, ac curis liberam. 163.1
Antè mortem ad domum æternam debes omnes expensas præparare. 69.1
Mors assolet vitæ respondere. 33.2
Repentina mors cuiusuis nos ad fugam salutarem impellit. 336.2
Sola mors fidelem animum ab incepto pio opere debet abstrahere. 235.1

Mortificatio.

Quasi occidis illum, cui mortificationis occasio exisiit. 292.1

Mos.

Cantores eis vtantur moribus, quæ deceant prophetas. 77.1
Famulæ plerumque Domini mos imitantur. 359.2
Popularis mos, iniustè magistratum accusare. 313.1

Mulier.

Dat mulier, vt recipiat; genus enim auarum. 118.1
Benè olent mulieres quæ nihil olent. 353.1
Mirum in mulieris sermone nec mendacium, nec reprehensionem, aut obnoxium reprehensioni aliquod inueniri. 317.1
Muliebria ornamenta venena sunt adolescentibus. 322.1
Leues mulierculæ ob vilia bellaria, ac cupedias suam vendidere pudicitiam. Vide *fœmina*. 328.1

Multitudo.

Non confert ad bellum rectè gerendum militum multitudo, sed delectus. 41.2

Multiplicatio.

Multiplicatio peccatorum parit immunitionem. 250.2
Multiplicatio criminum instatio supplicij. 184.2
Si crimina multiplicata sint, crescant pœnitudinis affectus lacrymæ eleemosynæ &c. 170.2

Munificentia.

Tanta Dei munificentia, vt vnum collatum beneficium est, velut alterius recipiendi securitas. 333.1
Ineffabilis Dei munificentia, ad rependenda quælibet hominum obsequia. 411.2
Illa admodum commendabilis Principum, seu diuitum munificentia, quæ pauperes allicit ad operà pietatis. 175.1

Munia.

Expertis Reipublicæ munia committenda sunt. 84.2
Augustiora munia augustioribus committenda ministris. 31.2

Munire: Munitio.

Rebellionis tempore vrbes accuratius muniendæ. 121.1
Munitissimæ vrbes, & arces adhuc sunt quotidiè muniendæ, ac reficiendæ. ibid.
Spirituales viri assiduâ indigent munitione. ibid.
Donati Regularium haud sunt euehendi ad superiora munia. 29.2

Munus: Munerare.

Munera Principum solent esse mera eorum promissio. 378.2
Tam largus Deus, in munerando parentum iustitiam in filiis, vt vel affectuosa desideria superet. 285.2
Munerum exhibitio cuncta reddit facilia. 133.1
Ex Dei præscripto nullum est vile munus. 291.2
Præsens tempus circa munerum collationem in curiis Regum, solet hæresscere cum futuro. 378.2

Munus templo oblatum pretium est, quo à Deo ineffabilia munera comparas. 155.1
Documentum amoris munerum elargitio. 135.1
Vnusquisque proprio muneri, ad quod electus est, muneri hæreat. 218.1
Nullus titulus efficacior ad impetrandum à Deo munus obiicitur, quàm propter præcepti eius obseruationem in periculum, aut laborem incidisse. 144.2
Munus iudicandi tam agnatum est perditioni, vt specialissima indigeat custodia. 141.2
Qui iucumbit docendi, aut iudicandi muneri aut debet aliis distrahi ministeriis. 81.1
Magno à Deo munere donaris, cuius filius ad Religionem assumitur. 77.1
Ex speciali Dei munere obuenit hominem esse munificum, & liberalem. 91.1
Munus quod cultui Templi offertur sanctum esse indicat largitorem. 87.2
In domo Dei nullum munus abiectum. Ad ministeria quæque sunt Religiosi præparati, aut sublimia aut abiecta. 186.2
Vide *Beneficium.*

Murus.

Vel muri fortissimi militibus ad defensionem indigent. 162.1
Votorum murus indiget virtutibus, quæ eum defendat. 162.1

Mysterium.

Mysteria cœlestia nõ sunt curiosè vestiganda. 377.2

N

Natura.

Natura humana semper deficiens assidua spirituali indiget refectione. 155.2

Negotium.

Optimè expediuntur publica negotia cum rationi status, zelus religionis in iudicibus adiungitur. 222.2

Nobilis.

Nobiles non dedignantur, humilia in domo Dei exercere munia. 216.2
Plerumque è nobili stirpe genitus opera proba gerit, & è contra ignobilis genere est ignobilis actionibus. 123.2
Vel ad humillima templi ministeria nobiliores sunt eligendi. 216.2
Nobilium est famulos vti filios habere. 276.2
Nobilibus est agnata sponsionum fidelitas. 276.2
Agnatum nobilibus inferiores æstimare non sit Rex facilis ad credendum suasoribus, aut delatoribus ne leuis videatur. 388.2
Nobilis herus famulos honorat. 278.1
Nobilis tunc credit, recuperare debita cum noua addidit beneficia. 284.1
Nobili viro durius morte si aliquid indecorum in vulnere misceatur. 33.1
Munus nobilium, sacros hymnos in choro concinere. 22.1
Nobiles non permittunt circa rem munificentiæ ab alio superari. 112.1
Accipiens nobilis, dare tenetur. ibid.

Nomen.

Omnibus nominibus commendabilis Dux ille, qui viget sapientia, & fortitudine. 162.1

Norma.

Principum iustitia aut iniustitia norma est subditorum. 122.2

Nuncium.

Mirum est ab ancillis bonum nuncium dominis afferri. 283.1
Infelix nuncium citò euulgatur, tardè fœlix. 288.1

Nurus.

Socerum domus, vbi nurus pacifica, ac modesta adest, cunctis bonis abundat. 290.1

O

Obedientia.

Virtus obedientiæ Dei filium enititur obedientem. 4.1
Vt subditi ex corde præsuli obediant, oportet eis placeat electio. 92.1
Inuisa adeò Domino inobedientia, vt vel in sanctis eam ditè vindicet. 191.1
Rectori obedire, idem est ac Deum glorificare. 173.2
Nullum ex obedientia vile ministerium Religiosis. 293.2
Dignè vit quisque vili ministerio ex obedientia addicitur. 263.2
Idem est, nos diuinæ voluntatis præscriptis hærescere, ac cuncta nostra properari. 274.2
Prudenter à prælatis aliqua sub præcepto obedientiæ præcipiuntur. 253.2
Cùm ex obedientia opus incipitur, Deus iuuat ad progressum. 207.1
Omnia prosperè eueniunt Religioso, qui ex obedientia, non ex voluntate propria ab vno in alium locum pergit. 277.2

Obitus.

Lætandum nobis in dilecti sancti obitu, ne videamur de eius dolere commodis. 295.2
Appropriante obitu debent fideles feruentiùs operari, hoc senes edisscant. 188.2

Oblatio: Offerre.

Ad cœlestia impetranda munera efficax abundantis sacrificij oblatio. 95.1
Quidquid Deo offerre paras, prius diluatur. 102.2
Grata Deo spontanea oblatio, post beneficium acceptum. 200.2
Quasi Deo de nouo dicatur quod eius obsequio accuratius exponitur. 130.2
Clerici qui mortuorum excipiunt oblata, pro illis exorent. 274.1
Sine speciali Dei præparatione non poteris deuotè Deo sacrificium offerre, aut litare preces. 171.2

Obliuisci: Obliuio.

Post acceptum beneficium, agnatum est homini, id obliuisci. 283.2
Quàm in oblitione degit hîc pauper! quàm in omnium memoria diues! 5.2
Cùm in peccato existis, noli bonorum, quæ gerebat, operum obliuisci. 310.2

Obsequium.

Pererogatorium obsequium gratius Deo. 237.2
Nullus non proprio consulit commodo, cum alij vltroneum præstat obsequium. 45.1
Aliqua sunt tam egregia obsequia Regi exhibita vt non valeant vllo munere compensari. 362.1
Obsequij Mariæ facilia onera. 49.2
Sæpè diuino obsequio alacrius offeruntur, qui minori adstringuntur obligatione. 233.2
Piè quæ vanitati seruierant, & nequitiæ, Dei litantur obsequio. 59.2

Qui à graui periculo famæ, aut vitæ liberatur, debet sese totum soli diuino obsequio litare. 304.2

Obseruator : Obseruatio.

Vel profani Principes æstimant vitum suæ legis obseruatorem. 267.1
Deus diligit hylarem suæ legis obseruationem. 245.2
Quæ oportet firmiùs obseruari, speciali proposito præmuniri conuenit. 252.2

Occasio.

Attactus tibi non sit occasio mortis. 366.2
Vitiorum patriam fuge, seu occasiones delinquendi vitare cura. 337.1
Cum à viro in fœminam, à fœmina in virum mandata perferuntur, datur occasio iudicandi aliquid inter illos haud liciti esse commercij. 358.1

Odium.

Faciliùs inter propinquos odium excitatur. 347.2
Fratres in fratres, si odium accenditur, dirius quàm hostes extranei insurgunt. 166.2

Odor.

Genera odorum eodem vocabulo ac meretrix affigantur. 134.2

Officium.

Officia militaria non committenda nobiliori, sed fortiori. 40.1
Difficile, ac periculosum Præsulatus, aut magistratus officium. 72.2
Accommodanda à Rectore officia subditorum genio. 84.1
Officia à subditis accepta dum pueri erant, assolent Reges obliuisci. 154.1
Nemo perfectè gerit officium, ad quod agnatus non est. 216.1

Onus.

Sacrum onus alleuat apportantes. 49.2

Opera : Operarius.

Dare operam Regem imperij dilatationi idem est, quod fugere, & se imbecillem ostendere. 59.1
Operarij Euangelici alacriùs laborent, cum vident prælapsæ operationis fructus. 235.1
Militibus, aut operariis ex Regnis exteris adductis cibaria & mercedes vbertim prouidendæ. 97.2
Deus non imponit hominibus suprà vires onera. 73.1
Operari iustè debemus non ob tempotaria commoda, sed ob æterna. 269.2
Ille egregius operator qui totum sese iniuncto muneri addicit, nihil sui exponit otiosum. 39.2

Opes.

Opes, gratia Principum & mendacium. 374.1
Vide verbo *Diuitiæ.*

Opinio.

Opinio vulgaris semper à veritatis scopo aberrat. 279.1
Semper opinio vulgi in proximorum iniuriam solet iudicare. ibid.
Opinio quam exteri Reges de nationis alicuius fortitudine concipiunt, eos continet, ne pacem interrumpant. 135.2

Oppidum.

Intolerabili principum incuria oppida ad fines Regni sita sine munimine relinquuntur. 212.2

Oppositio.

Propinquorum agnata oppositio. 27.2

Opprobrium.

Quæcumque rebus sacris inferuntur opprobria fidelibus illata esse, certum est. 305.2

Opus.

Opera pererogatoria Domino placent. 171.1
Ad pietatis opera aliquid proprio è penu adde, nec alieno solùm nitere labore. 70.1
Recta iusti opera ab orationis exercitamento ortum habent. 290.2
Dei opus diligenter perficiendum. 155.1
Quodcumque opus ad Dei obsequium attinens effectu facillimum, nam qui inspirat, ad perficiendum adiuuat. 87.2
Qui viriliter incipit gerere opus, quasi totum factum habet. 63.1
Omne opus egregium ex oratione prosperitatem haurit. 202.2
Quasi dat operi sacro materiam, qui ab alio datam aptè instituto ministerio accommodat. 253.1
Agnatus obliuioni est ille, quem opera egregia ad famam non efficiunt æternum. 21.1
Alacritas, seu deuotio operantis ei facilè reddit molestiam operis. 49.2
Voluntas affectuosa gerendi opus, illud quodammodò ante inchoationem perfectum exponit. 70.2
Gratissimum Deo opus, templorum, aut altaris extructio. 110.2
In operibus iustis non solùm substantia, sed modus attendendus. 202.1
Quodammodò author illius pij operis eris quod studueris geri iuxta defuncti voluntatem. 253.1
Qui operi fortitudinis, aut virtutis semel terga vertit, vsque ad terminum præcipitij non sistit. 335.1
Nullum egregium est opus, quod Dei nominis non redunder in laudem. 333.2
Omnia Iusti opera vocalia sunt. 290.2
Qui augustiora opera gerunt, apertiùs agnoscunt à solo Deo esse patrata. 332.2
Ad pia opera priùs excitamur ex hominum placito, quàm ex Dei præscripto. 170.1
Non studet quis laudabiliter proprij operis commendationi. 252.1
Cuncta opera virtualiter residen in pecunia. 113.2
Egregia opera tua stude silentio obuoluere, curans Deo soli placere. 251.2
Virtutis opera quasi furtim gerenda, vt à solo Deo videantur. 269.1
Piis operibus quæ moriturus relinquis, non assignes patronum vnicum. 262.2
Opera ad Dei obsequium pertinentia requirunt animum ab omnibus aliis curis alienum. 69.2
Ad opera egregia perficienda, secretum est omninò necessarium. 229.1
Magni momenti est, pia te exercere opera, quæ posteri imitentur. 176.2
Ex vno opere egregio ad aliud præcelsius gerendum homo assolet excitari. 56.1
Proprium est sanctorum, suspicari sua opera Numini non placere. 262.2

Oratio : Orare.

Oratio recta opera Deo gratiora efficit. 262.2

Oratio constans vim Deo infert & ei iuuat importunè rogari. 311.2
Oratio profusa in delubro efficacior. 144.1
Ad orationis exercitamentum requiritur abscissio à tumultu. 326.1
Vis orationis ad frænandum luxuriei affectum. 225.1
Locus sacer conducit ad orationis attentionem. 382.1
Quàm citò oratio à Deo auxilium impetrat. 144.1
Efficax, & ardens est vocalis oratio, quæ à meditatione ortum habet. 292.1
Vel oratio aspicientis à longè templum efficax prædicatur. 108.2
Oratio ex ieiunio fortior ad Deum alliciendum. 272.1
Vt orans audiatis à Deo, cura te iustum Deo exponere. 111.1
Orationis exercitium magister est sapientiæ. 316.1
Illa oratio perfecta quæ ex voce auditur à Deo, ac simul ex actibus virtutum aspicitur. 107.2
Manus orantis plenæ instar palmæ ramorum eleuantur ad victoriam. 253.1
Orationis exercitium facit illicò animum humiliari. 304.2
Nihil sine præmissâ oratione geratur. 228.1
Efficax illa oratio, cuius verbâ opera comitantur. 110.1
Intenta sit oratio pœnitentis post magna flagitia. 183.2
Orationis vocem cordis comitentur affectus. 107.2
Oratio apud templum profusa efficacissima est. 108.1
Feruentior oratio illius, qui agitur tribulatione. 144.1
Commendabilior oratio, quæ humilitatis habitu perficitur. 110.1
Oratio communis velocius ascendit, efficacius impetrat. 281.2
Deum ad clementiam allicies, si orans ostenderis te solitarium esse, & si Deus non foueat periturum. 382.2
Præproperus orationis duorum effectus. 180.2
Oratio omnis incommodi expultrix. 168.1
Aulæ inquietudo inepta est quieti orationis. 187.1
Orationis fumus effugat diabolum. 278.2
Orationis vis. 128.2
Oraturus vtere veste quæ præ se ferat deformitatem, vt afflictionem animi repræsentet. 319.1
Cum ad orationem pergis, omnino in domo existens à domo recede, curas domesticas dimitte. 322.1
Oratio assidua parens spiritus prophetici. 331.2
Oratio libidinis flammas extinguit. 279.2
Ante orationem libri spiritualis lectioni vacemus. 51.2
Oratio in communitate profusa fortior est. 144.1
Oratio suauissimum Deo holocaustum. 53.2
Ieiunij pennis velocior ad superos oratio auolat. 304.2
Oratio ex corporis afflictione efficacissima. 225.2
Non aptus ad orationem habitus in lectulo iacere, cum non grauaris ægritudine. 282.1
Opus egregium ex oratione incatur, & terminetur. 326.1
Potentior multorum oratio, ad debellandum Dei pectus. 318.2
Efficax communitatis oratio. 364.2
Vel fœmineas vires validas reddit ad difficilia præstanda vis orationis. 331.2
Illa efficax oratio, cuius intentum Dei honori seruit. 381.2
Oratio Deum magnificat. 53.2
Efficacior oratio ex corporis cruciatu. 318.2
Oratio promissa à Deo confirmat. 58.1
Ingenua oratio eius, qui præcipuè de largitoris gloria laborat, valdè gloriosum Deo, fragili instrumento illustria facinora exequi. 320.1
Orationis instantia, ac pœnitudinis operum persistentia Deus placabilis redditur. 305.2
Orationis ac ieiunij vis. 359.2
Oratio Deo thymiama suauissimum. 103.2
Oratio non solùm debet audiri à Deo; sed & videri dum operatrix est. 226.1
Orationis vis ad Deum debellandum. 318.1
Oratio vires colligit ex ieiunio. 143.2
Efficax oratio, quæ comitate oblatione procedit. 210.1

Ordo.

Sacerdotalis ordo non cogendus à Rectore sed ab Ecclesiastico Præsule. 155.1
Ad minores ordines non admittendi, qui omninò sint expertes prudentiæ, & scientiæ. 80.1
Vide *Clericus.*

Orphanus.

Qui parentem norat, Orphanorum eius filiorum parentem agat, vt misellis compenset iniuriam. 16.1
Vnicum seu Orphanum esse efficax est titulus, vt Deus misereatur. 283.1

Otium.

Otium est omnium iniquitatum origo. 125.1
Præ aliquorum festorum dierum otium tollitur in pauperum artificium leuamen. 343.1
Otiosi cogendi sunt ad publica ministeria. 112.2

P

Parcere.

Deus parcendo gloriosior. 313.1
Vnius vel alterius iusti meritis, Deus innumeris peccatoribus parcit. 311.2

Parens.

Oportet parentes egregia relinquere, quæ filij possint imitari. 183.2
Parentes qui filios paruulos ab igne libidinis non auocant, eos gehennæ abdicunt. 185.1
Parentis virtutis præmium est, filios habere sacro ministerio addictos. 77.1
Parentes nunquam superuiuunt in filiis. 17.2
Nihil parenti debet esse iucundius, quàm videre filios in Deum affici pietate. 293.2

Parentela.

Parentela veluti parens à propinquis cunctis honoranda. 197.1

Passio.

Passio Christi tristes exhilarat, quia peccata obruit. 218.2
Vide *Christus.*

Pastor.

Verus pastor mœrore afficitur ex ouium erratis. 218.1

Pater.

Pater veræ dat filio hæreditatem, quæ maioratus

ei iure aliàs debetur, quam conseruauit integram. 147.1
Non debet pater filij desiderio teneri, vbi filia virilis adest. 232.1
Dum infamatur pater, in eo omnes filij afficiuntur infamia quia filij in parente continentur. 371.2
Quæ pater filiis obiturus indicit, firmius eorum menti infiguntur. 295.1
Patris probi documenta seruare, est magni profectus fundamentum. 273.1

Patiens.

Quàm longum sit patienti tempus, quo afficitur dolore. 148.2

Patria.

Quidquid ad communem patriam spectat, animos solet allicere. 307.1
Nobilis patriæ nomen cuique nobilissimum cognomen est. 199.2
Pij animi est proprium, de patriæ incrementis exultare, de ruina dolere. 293.2

Pauper.

Pauperes vicini sunt nostri, ideò in conuiuio primum locum gerere debent. 283.2
Vide *Conuiuium.*
Pauper non nominatur. 18.2
Pauperes apud Deum pluris, quàm diuites æstimantur. 79.2
Pauperi agnatum debet esse Deum amplius timere, vnde paupertas debet inter Dei beneficia computari. 268.2
Quæ pauperi non damus, velut possessores malæ fidei retinemus. 91.1
Pauper solummodò de soluendis tributis iam curam agit. 237.1
Pauperes prole abundare assolent. 236.1

Pax.

Regum pacem habere per circuitum rebellibus superatis, est proprium Dei donum, rectis operibus impetrandum, & precibus. 146.1
Pax omnium bonorum colligatio est. 374.1
Dum spirituali pace frueris, præcordia ad tentamina munire cura. 128.1
Tribulationes iustorum vera pax. 188.1
Pax fidelium est cum bello tribulationum coniuncta. 57.1
Vel pacis tempore de gladiis, ac scutis curandum. 17.2
Vbi non est pax, necessariò debet adesse timor. 291.1
Pacis tempore belli apparatus sunt comparandi. 128.1
Pax proprium est Dei munus. ibid.
Studium pacis conseruandæ manifestat Regis in subditos Clementiam. 380.1
Pacis tempore milites futuri erudiantur ad pugnam. 17.2
Vide *Miles.*

Peccator: Peccatum.

Prius peccator sese à delinquendi occasione expediat, quàm det operam Eucharistico sacrificio. 222.2
Peccatum Præsulis non vulgariter malum, sed valdè malum ostentatur. 262.1
Peccatores Dei abuntur patientiâ in exitium. 193.2
Peccatorem tribulatione affici, præsidium est ad iram diuinam vitandam. 272.1
Peccatum sese illicò manifestat. 33.2
In mediis diuitiis peccator velut vacuus ostenditur. 86.1
Vult & non vult peccator. 139.1
Cum peccator æruinnis agitur, prius à Deo postulet veniam, mox securiùs petet auxilium. 144.1
Peccata, quæ gerimus ad nostra commoda nostram mergunt in pœnam. 293.1
Cuncta mala iniquo ex peccato ducunt originem. 219.1
Peccata intellectum obtenebrant. *ibid.*
Cùm peccatum admittis, existima iam instare supplicium. 366.1
Quodammodo Deum docent peccatores quonammodo in eos vindex verbera infligat. 348.1
Quo peccator intendit offendere, eodem solet tenore puniri. 310.1
Quoties peccator ex corde Deum orat à Deo exauditur. 250.1
Peccato vel cogitationis agnatum est, operiri non posse. 228.1
Ob peccata subditorum Deus permittit, prauum Rectorem communitati addici. 251.2
Num militum peccata facilius à Deo dimittenda. 108.2
Peccator impœnitens repentè assolet flagellari. 295.2
Assolet Deus in filiis, ac nepotibus maiorum peccata vindicare. 271.1
Etiam post pœnitentiam sollicitus sis de peccatis præteritis, nemo enim scit vtrum sit exitiale reuocatum edictum. 364.1
Vulnus inflictum ad puniendum peccatores, est aliis medicamen ad Deum agnoscendum. 192.2
Quælibet peccati nebula augustæ famæ gloriam obscurat. 333.1
Peccatoris culpa inique aspicientis pulchritudo creaturarum illi noxia obiiciuntur. 320.1
Quonammodò non imputatur delictum ei, qui ob egestatem peccat. 270.2
Peccator suo scelere opprimitur. 13.1
Peccata subditi tribuuntur Præsuli. 226.1
Nihil molestius, ac ponderosius pecunia. 155.1
Pecunia tributi festinatè exquirenda. 154.2
E pecunia vectigalium non impletur Arca Regia, cum ministrorum manu colliguntur. 155.2
Potentissima est apud profanos Iudices pecunia. 207.1

Pedagogus.

Pedagogus tuus licet vilis, tibi sit Dominus. 278.1
Pedagogus nunquam non suo hæresçat alumno. 84.2
Pedagogi filiorum Regis sint prudentia, ac sapientia præditi. 84.2

Peregrinus.

Peregrini cum gaudio suscipiendi ex solo communis Religionis titulo. 280.1

Perfectus: Perfectio.

Magni momenti est, apud communitatem, vel vnum perfectum virum adesse. 262.1
Legis Euangelicæ perfectio, qua filij magnatum submittuntur Præsuli vili ex genere exorto. 255.2
Magna perfectio illius qui sine reprehensione viuit. 286.2

Perfectio.

Qui viam init perfectionis, debet viri spiritualis ac docti ducatu dirigi. 295.1
Magna perfectio est, vel incommodis sequi communitatem. 315.2
Tueri pietatem apud impios, magnæ perfectionis est documentum. 316.1

Morales conceptus

Periculum.

Facilis ab omnibus periculis euasi o pœnitere. 308.1
Pericula è manibus, seu ex operibus prauis procedunt. 382.2
Imminens periculũ acuit orationis affectum. 381.2
Pericula superat, qui communitatis commodis studet. 368.1
Alieno periculo sis sapiens, proprio autem sapientior. 62.2
In instante periculo mox adeo auxilium postulandum. 126.1

Permittere.

Deus permittit contra iustos prævalere impios, vt iustorum aurum persecutionis igne repurgetur. 310.1

Persecutio.

Ecclesiæ filij hostium persecutionibus multiplicantur. 307.2
Horribilis supremè persecutio, quæ à falsis fratribus apparatur. 240.2
Persecutiones sunt pij operis extruendi mercenarij. 229.1

Percussio.

Eadem Deus acie percutit peccatorem, quâ ille in Deum insolescere curat. 340.1

Petere.

Debemus petere id quod diuinæ placuerit voluntati. 368.1

Protectio.

Sine Deiparæ protectione fidelium ciuitas misere peribit. 225.2
Vide *Deipara.*

Piaculum.

Ex venialibus piaculis negligens homo in læthalia delabitur. 170.1
Deus curat piacula Sacerdotum dissimulari. 44.1
Non mireris sanctum aliquo fœdari piaculo. 146.2
Subditorum piacula Principi tribuuntur. 307.1

Pietas: Pius.

In Rege pietas erga fidem, quasi multitudinem operit peccatorum. 131.2
Fugiat impiorum consortium, qui vult colere pietatem. 295.1
Præcipuus ad bellum apparatus, est regis pietas, qua precibus vacat. 46.1
Fœminarum pietas ad sacra vestimenta apparanda. 200.2
Pij animi est facile ad propinquorum honorem deferri. 285.1
Deus plerumque populi peccata dissimulat ob regis pietatem. 65.1
Pietas Dei vel erga impiissimos ineffabilis. 152.2
Qui Regem pietatem edocet, toti regno salutaris existit. 156.1
Ad opus difficilè pietatis nullus ducendus gressus nisi præmissa, seu comite oratione. 323.1
Quàm pium se ostendit esse, qui facile debitam soluit pecuniam. 285.1
Regis ostendit pietatem, eius circa Templi ornatum studium. 131.2
Bibere prouocatum pro aliorum salute parum pium 347.1
Qui pietatis aliquod intendit promouere opus, hostium patet incursibus. 228.2
Pius non est qui impia exaudientis verba proferentem non taxat. 138.2
Taxabile pio, cum impio inire societatem periculosam vtique. 146.2

Plaga.

Multi pecatores plagis affecti ignorant, suam esse illam plagam. 108.1

Poculum.

Reprehenditur vsus poculi indui, quod ieiunij cruciatum omnino tollit. 316.1

Pœna.

Pœna præscripta à Deo hominis pœnitudine imminuitur. 66.2
Ad pœnæ ablationem efficacissimum Eucharistiæ Sacramentum. ibid.
Pœnalia fidelium opera pœnam defunctorum maximè imminuunt. 34.2
Idem dæmon te incitans ad piacula, pœnas à te sumet. 67.1
Facilè corporis pœnas sustinet qui memor est, se ob peccatum tartaro esse obnoxium. 222.1
Post veniam recidere in peccata, pœnæ subiacet grauiori. 295.1

Pœnitentia: Pœnitens.

Primo pœnitentiæ feruore idolis nuncium cura remittere quod post illum feruorem difficilius geres. 152.1
Pœnitentiæ remedium, est vnicum peccatoris solatium. 246.1
Suspecta pœnitentia illa, quæ virtutum non erumpit in fructus. 183.2
Quo post crimen citò non pœnitent, solent ex vno in aliud scelus facilè ruere. 63.2
Pœnitentia restituit decorè è crimine lassatum. 9.1
Dum pœnitens delictum confessione manifestat, Deus operit. 222.1
Qui publico se delicto infecit, publica se curet pœnitentia expiare. 248.1
Pœnitentia Deum facile inuenit. 130.1
Feruens pœnitudo æternum humilitatis seruat affectum. 184.2
Post multa crimina magna sit pœnitentia. 183.2

Podagra.

Magna podagræ ærumna, quam Deus in supplicium grauium criminum infligit. 133.2
Non potest podagræ feritas explicari sine superlatiui exaggeratione. 233.2
Cum pes podagra cruciatur, totum corpus discerpitur, sicut cum caput dolet. 133.2

Politica.

Ratio politica vel virum pium interitus discrimini addicit. 139.2

Pompa.

Pompæ descriptio. 49.2

Pontifex.

Pontifex Iesum Christum adumbrat mundi saluatorem. 257.1
Curandum pontificibus, ne indignis pateat ad Ordines aditus. 153.1
Nihil vilius Pontificibus, quam de illis nihil illustre prædicari. 20.1

Populus.

Cum populus ærumnis agitur, putant multi, illam plagam ex aliorum piaculis, non è suis prouenire. 108.1
Querulus populus Principis amico sermone conciliandus, ac sedandus. 119.1
Quasi non factum, quod à Rege, non approbante toto populo geritur. 9.1
Quod dat populus Regi spontaneus, eidem populo infert lætitiam: mœrorem verò quod ab eo exigitur. 90.2

Cum

Cum lætus siue volens populus offert, replet gazophylatium: haud sic quando inuitus reddit. 155.2
Populus vt conseruetur debet se exercitus in morem gerere. 307.2
Populus fidelis fauciatur, cum videt Dei famulum diuexari. 133.1
Omnis populus debet esse addictus militiæ, cum occasio tulerit. 113.1
Si populus toto ex corde de sceleribus pœniteat, à laboribus bellorum liberatur. 383.1

Potentia: Potestas.

Dei potentia exeritur ad vltionem eorum, qui à regulari instituto ad sæcularem vitam remeant. 216.2
Quid non possit aurum & argentum. 132.2
Regum potestas velut Deus adoranda exponitur. 299.2
Regiæ potestatis honor augustus nulli subdito est à Rege communicandus. 155.2

Præceptum.

Deum verè non diligit qui eius præcepta non seruat. 226.1
Simplex prælati dictio debet subdito esse quasi præceptum. 263.1

Præda.

Qui prædam Deo ex vna victoria sacrat, eum ad aliam tribuendam quasi debitorem reddit. 80.2

Prædicator.

Prædicatorum gloria contumeliis affici. 174.1
Vide *Concionator.*

Prælatus.

Ob dilectionem Prælatus debet peccata subditi velut propria reputare. 219.1
Vide *Episcopus.*
Prælatus sit nubes defendens subditos, & illuminans, eo ipso quo regit. 249.1
Delinquente subdito, peccatum prælato tribuitur. 219.1

Præmium.

Præmij accipiendi obiectio nos ad laborandum reddit alacriores. 253.2
Præmium à Deo paratum hominis respondet obsequio. 57.2
Militibus strenuis haud vnquam præmium condignum exhiberi potest. 362.1
Præmia à Deo longo interuallo superant humani vim obsequij. 57.2
Multitudo filiorum bonorum datur parentibus, in præmium virtutis. 31.1
Satius recepturo præmium, id à ministro, quam à rege decerni. 378.2
Præmium virtuti alicui expositum excitat ad similem virtutis actionem: & supplicium vitij ab huiusmodi vitio deterret. 389.2
Vide *Munus.*

Præscriptio.

Repentina Principum præscriptio haud attingit scopum. 118.2
Præscripta Regum debent ex concilio ortum habere vt salutaria Reipublicæ existant. 313.1

Præsentia.

Opus negligitur à ministris, vbi Principis præsentia non colitur. 240.1

Præstantia.

Fidei præstantia in Catholico Principe confert ad modum ad Deum placandum. 141.1
Quæ ad regiæ substantiæ pertinent, præsente Rege expedienda sunt, absente enim illo, viget ministrorum auaritia. 113.2
Præsules nihil nouum præscribant graue subditis sine Seniorum consultatione. 175.1
Anima ciuium ex Præsule pendet. 216.2
Præsules Ecclesiæ non despiciant inferioris ordinis Clericos; omnes enim sunt fratres. 71.2
Præsules sint fortissimi, si quando oportuerit è templo Principes inobedientes repellere. 79.1
Aulici præsules subtaxantur. 41.2
Taxantur Præsules permittentes officium editui, seu sacrorum custodis vilibus homuncionibus committi. 31.1
Præsul subditorum æstimet vel vilia ministeria. 30.1
Præsules consulant subditos vel ad eorum voluntatis faciliorem executionem. 41.1
Præsul prudens curat seniores subditos eidem placito accommodari, ad arduа, aut facilia quæque perficienda. 70.2
Lepra criminis infectus Præsul à regimine abstineat. 163.1
Oportet sacros ministros sæpe à Præsulibus visitari, vt vrgeatur opus, siue vt diligenter ministerio sacro incumbant. 186.2
Prius Præsules debent subditorum egentium commodis, quàm propiis prouidere. 190.2
Prudentis Præsulis est, accommodare præscripta subditi commodis, vt alacrius ille obediat. 232.1
Præsul sæcularium ablaturus crimina, prius Ecclesiasticorum curet tollere excessus. 186.1
Agnatum est præsulibus eos viros celsioribus muniis addicere, qui ex eadem patria orti sunt. 375.1
Ad negotia gratia Dei cultum, aut populi salutem spectantia Præsul ipse proficiscatur. 305.2
Ad præsules attinet studere, vt leges à subditis obseruentur. 261.2
Dedecet Præsulem propria manu subditos vulnerare. 264.1
Nec zeli prætextu Præsules vulnerant propria manu subditos, scandalo enim videntes compunguntur. 264.1
Summo in Præsule Christum debemus aspicere. 75.1
Quilibet Præsul nobis sit Christus. 75.1
Officium præsulatus seruitus est: tot dominis ministras, quot imperas subditis. 75.1
Probus Præsul cum subditis lætantibus lætatur, mœret, cum mœrentibus. 90.2
Dedecet præsulem, donare aliquem officio ex eo, quòd propinquus ipsius sit. 261.2
Si subsint in propinquo merita, non debet posthaberi à Præsule eo, quod propinquus eius sit. 261.1
Cum Præsul propinquum administrationi alicuius officij vtilis præficit, subditis suspectus de auaritia redditur. 261.2
Præsules semper recurrant ad primas regulæ mensuras, quæ solent progressu temporis immutari. 99.2
Præsul ille egregius, qui subditis se patrem ostendit. 371.2
Præsules claues vrbis, aut Monasterij noctu retineant, nec alij committant. 332.2

Præsul illustris nullum non moueat lapidem, vt saluti communi prouideat. 316.1
Ille acceptabilis est Præsul, qui subditorum studet vtilitati. 375.1
Perfectissimus præsul qui se cunctis subditis exhibet gratum. 369.1

Prætextus.

Impij boni prætextu curant iustis mala inferre. 240.1

Preces.

Præmissæ preces & ieiunia fœlicis euentus præsagium. 323.1
Pauperes stipe donati, pro largitore preces fundant. 274.1
Nocturnæ preces, quas matutinum vocant, commendabilis admodum. 107.2
Cuncta à Deo preces extorquent. 67.1
Vt sint fructuosæ peccatoris preces, gerat propositum corrigendæ vitæ. 226.2
Preces appositè inchoantur actibus fidei. 107.1
Id è quo tua pendet salus, non sufficiat semel postulasse, iusta precibus. 304.2
Non sufficiat tibi, pro te sanctum quemque exorare, simul tuas procura comites auolare preces. 144.2
Preces è lacrymis ineffabilem trahunt efficaciam. 368.1

Præsbiter.

Cum committendæ sunt Monasterij noctu claues, dentur Præsbyteris, non laicis. 332.2
Vide *Sacerdos.*

Pretiosus.

Rarius quod pretiosius. 197.2

Princeps.

Princeps familiaris Regis Regiam maiestatem imitetur, sed non Rex ipse esse videatur. 369.1
Princeps non existimet se esse vere fœlicem nisi omnibus communitatis gratus existat. 369.1
Rarò Principes ad ea, quæ cultum Dei spectant, maiori vtuntur mensura. 213.2
Rarò executio Principum promissioni respondet. 213.2
Principum hoc familiare malum, vt nunquam audiant, quod verum est quod liceat, sed quod deber. 348.2
Principes curent, vt nobilitati sua circa immunitatem iura seruentur. 98.2
Oportet Principes à subditorum oculis amouere quidquid suboleat libidinem. 335.2
Taxantur principes, qui vni multa incompatibilia committunt officia. 81.1
Quasi non regnat Princeps eo tempore, quo bellis premitur. 128.1
Non potest dulce existere probo Principi quod subditorum incommodo acquiritur. 37.1
Pudeat Princeps, præcelsa habitare in domo, dum abiecto Deus habitat in tugurio. 56.1
Princeps idem est, ac pater. 7.2
Principibus optima congratulatio est munerum asportatio. 59.2
Facilè Principes promittunt, difficilè dant. 90.2
Princeps ille solum præualens contra hostes ostenditur, qui externorum auxilio non indiget. 135.1
Pietatem regis æmulantur principes. 80.2
Nihil Principes inconsulto domino gerant. 138.1
Princeps in aliorum conspectu non est subtaxandus. 317.1
Principum incuria circa templorum ornatum carpitur. 200.1
Curet maximè Princeps immittere Doctores, vt populum legis præscripta doceant. 135.1
Agnata est populi lætitia cum Princeps secundus à Rege nouus exsurgit. 69.2
Post victoriam Princeps debet aliquid pretiosum templo sacrare in actionem gratiarum. 341.2
Ruinam illius Principis expecta, cuius exercitus sacra non reueretur. 320.1
Gressus cuncti Principis improbi infidiis sunt obnoxij. 160.2
Principes assolent tributo nomen munetis, seu donarij imponere. 59.1
Princeps se fidelem ostendit cùm studet accuratæ templorum custodiæ ne quidquam indecens geratur. 31.1
Taxantur principes, qui studeut profanis cantoribus requirendis. 21.2
Nomen te principis vacuum habere existima cum operibus non imples significationem. 36.2
Cuiusuis Principis officium est errantes subditos corripere. 49.1
Principes dij terræ sunt, sed subditi Deo cœli, qui ludit in orbe terrarum. 307.2
Principum humanitas subditorum æternat obsequium. 118.2
Probus Princeps non solùm se munificum primoribus subditis exhibet, sed & infimos fouere curat. 181.2
Egregius Princeps qui honorat Vrbem, vbi imperat. 5.2
Non indecens Principi, à fœmina probatæ sanctitatis consilium capere. 316.1
Nomen principis probi est, verè esse Principem. 27.2
Ex principatu agnoscendus plus, quam ex nomine. 27.2
Curent Principes, spiritualia promoueri, vt sæcularis prosperitas promoueatur. 201.2
Quod princeps actus iracundia gerit, obnoxium erit pœnitudinis. 365.2
Princeps quodammodo, Adami instar, subditorum operatur ex nomine. 63.2
In Catholico principe vel leuis circa cultum Dei desidia næuus est pulchritudinem inficiens. 128.1
Egregius Princeps tutandis Pastoribus studium impendit. 162.1
Vtinam Principes Agriculturæ essent addicti. ibid.
Stultus Princeps, qui conciliandum populum, hominem ipsi exosum immittit. 119.2
Principes plerumque veritatis ossores. 138.2
Debet Catholicus Princeps diuini cultus promotione studere, dum Deus regni eius incrementa felicitat. 126.2
Pudeat Catholicos Principes, ac præsules, apud Christicolam populum plures reperiri sacrorum dogmatum expertes. 135.2
Principes irascuntur aduersus veritatis præcones. 133.1
Quam ingrati Principes, totà Deo bonis donati. 196.1
Nec Principibus licet sese officiis Sacerdotum ingerere. 43.2
Principes acquirunt victorias Templa visitantes, & donariis ornantes, dum duces ac milites cum hoste decertant. 59.1
Princeps pater ciuitatum vocatur, sed, & ciuitates debent verè ei esse filiæ. 8.1

Principes decet Sapientia. 179.1
Principes facilè possunt subditos ad Dei obsequium perducere. 43.1
Qui primus ad quodlibet facinus gerendum accurrit, meritò obtinet principatum. 40.1
Non aptè subditos moderatur princeps, qui non egreditur. 95.1
Egrediantur Ecclesiastici præsules ad Diœcesis oppida inuisendum. ibid.

Proauus.

Lux Regis, seu viri egregij futura à prauis procedat. 28.1

Prodigus.

Ebrietas & amor homines faciunt prodigos. 360.2

Proditio.

Difficilè diu proditio celatur. 215.2
Si aduersum te proditionem paratiscias, caue, præcipuè à propinquis. 40.2

Profanitas.

Subtaxatur ædificiorum ad habitacula hominum profanitas, dum Deo non palatium iam, sed tugurium extruitur. 89.1

Progenies.

Ex vnico postero illustri tota progenies decoratur. 27.1
Tota progenies in stirpe, cuncti subditi includuntur in Principe. 307.1

Promissio.

Non omnium est, promissionem implere circa restitutionem. 238.1
Non sufficit, promissum esse nobis regnum cœleste, si indigni efficimur promissionis impletione. 52.2
Vrbanitatis promissiones (*de complimento*) non obligant. 329.1

Promotio.

Laudabilis qui potuit transgredi, & non est transgressus, sed laudabilior, qui potestatem promouendæ virtuti impendit. 267.1

Promptitudo.

Ineptè promptitudinem ad bellandum speras ab eo, quem inuitum ad arma traxisti. 136.2
Ad obediendum Rectori promptitudo. 38.1

Propinqui.

Sæpè abnegant propinqui sanguinis necessitudinem vt sua sectentur commoda. 39.2

Propositum.

Propositum pium non est differendum. 335.1

Prosapia.

Tacendum quidquid in aliorum prosapia vile, euulgandum quod illustre fuerit. 7.1

Prosperitas.

Prosperitas efficit cor eleuari. Vnde est aliquando, irati numinis documentum. 298.2
Temporaria prosperitas fugit legis diuinæ violatores. 86.2
Prosperitas belli ex eo pendet, si ex Dei beneplacito geratur. 138.2

Protectio.

Ob piorum Regum protectionem solet Deus hostibus terrorem immittere. 135.2

Prouocatio.

Prouocationes ad bibendum turpes. 347.1

Proximus.

Qui Deo proximiores sunt, cautiores ostentantur, clarius enim vident, Deum facilè posse ab eis recedere. 104.2

Pueruli.

Arcendi pueruli à Concionibus, ne molestiam Concionatori, & auditoribus inferant. 244.2

Pugna.

Ante pugnam præparandus armorum apparatus. 40.1
Vile est pugnare pro præda & non pro Dei gloria, aut paterna defensione. 372.1
Quasi consecratus Domino videtur, qui voluntariè pugnat. 136.2

Pulchritudo.

Pulchritudo corporis commendabilis ex animi pulchritudine. 316.1
Neglectus ornatus naturalem apud cordatos auget pulchritudinem. 385.1
Præcipua fœminarum pulchritudo, fucis, pigmentis, & ornatui debetur. 323.1
Pulchritudo naturalis est mulieri ornamentum. 353.1
Maior pulchritudo à ieiunio quàm à fuco. 360.1
Pulchritudo modesta solet esse modesti, fidelisque animi indicamentum. 286.1
Vilescit pulchritudo, quæ cum fortitudine, seu constantia non colligatur. 298.1
Pulchritudo iratos sedat animos. 322.2
In pulchritudinem florum, arborumque proceritate vim contemplare numinis fouentis. 166.1
Nulla præcelsa pulchritudo, quæ non egeat frequenti artis adiumento. 529.2

Punitio.

Manifestatur Deus ex eo quod impios puniat artemperato culpæ supplicio. 383.1
Priùs delinquente communitate primores à Deo assolent puniri, quia ipsi traxere inferiores ad crimina. 180.2
Ratò non punitur peierator, & non aperitur acta iniuriis innocentia. 107.2
Puniuntur qui non sincerè sed malitiosè asserunt Mariam Arcam fœderis corruisse, quantumuis natura calcitraret. 44.2
Quasi vi consequentiæ Deus tenetur ingratos punire. 144.2
Assolet Deus totam punire familiam, seu cognationem ob vnius Iudicis crimen. ibid.
Deus cogitationem iniquam non minus punit quam iniquum opus. 368.2

Puritas.

Quanta puritas necessaria, ad Eucharisticum cibum absumendum. 328.2
Accliuis sit tibi ad Eucharisticum sacrificium offerendum ascensus, vt puritati studeas. 101.1
Antiquior sanguinis puritas præponenda curæ Reipublicæ ministeria. 97.1

Q

Querela: Queri.

Querela & error idem, quia plerumque, qui queritur, errore nititur. 210.1
Non potest subditus queri de Concionatoris aut præsulis correptione, cum qui corripit, se quodammodò simul reum esse profitetur. 262.2

R

Rabies.

Diabolica rabies Dei seruos percutere, cum nequit in Deum vindicare. 267.2

Morales conceptus

Rapina.

Ex alienis bonis pauperi dare, non est eleemosyna, sed rapina. 273.2

Colligentium tributa ac donaria, rapina. 116.1

Rebellio: Rebellis.

Rebellionis subditorum assolet esse Regum impietas, aut crudelitas origo. 147.2

Rebelles omninò pereunt, quia se parum submittere nolunt. 112.1

Non tam tributa quàm flagitia Regum subditos rebellare efficiunt. 148.1

Recluſio.

Fœminam decet recluſio, vel solummodò quia pulchra est. 347.2

Rector.

Rector studeat præscripta accommodare alicui commodo subditi, vt is promptior obediat. 243.1

Non aptè Rector præcipit subditis, nisi prius Deus præcipiat. 70.1

Rectoris benignitas, & comitas, facit à subditis opus vrgeri & licentiùs suscipi laborandi molestiam. 186.2

Debent Religionum Rectores aliquando subditis exhilarandis speciale conuiuium instruere. 238.2

Prudens Rector curat subditis committere munia ad quæ ipsi non ferantur inuiti. 65.2

Rectores Religiosis senioribus mitius onus imponant. 71.2

Redditus.

Dat delinquens Deo peccata sua in censum, è quibus redditus æternus proueniat. 326.1

Redemptio.

Deiparæ redemptio expenditur. 386.2

Redundantia.

Regiæ mensæ taxabilis redundantia. 138.1

Reformatio.

Ad relaxatæ communitatis reformationem in primis noui Rectores feruentiores constituendi. 153.1

Quod reformas, quasi de nouo ædificas. 298.1

Reformare quòd deformatum erat, idem est, ac de nouo constituere. 264.2

Regnum.

Regna pereunt, quia aulici curant ne communes miseriæ Regis oculis exponantur. 358.1

Plaga Regni grauissima, cum æris valor variatur. 108.1

Periculosa ad Regnum ascensio, multis fulctis indiget. 116.2

Regna non deperirent, si adesset, qui auderet, Regi veritatis præscripta proferre. 187.1

Quælibet Regni communis ærumna, ex Regis iniquitate procedit. 166.1

Tot imperandi incommoda, vt tunc dicatur homo verè regnare, cum à Regno eripitur. 192.1

Regna recedunt sæpè ob Principum delicta. 34.2

Tota prosperitas Regni ex legis obseruatione profluit. 202.1

Ob Templorum pauperiem Regna denudantur. 213.2

Prosperitas Regni ex probis Regis moribus originem trahit. 164.2

Eodem die Regnum, & inuidia nascitur. 42.1

Vt Regnum obfirmetur, non sufficit, hæredem è sanctis Regibus prodiisse. 107.1

Subtaxantur Regna in quorum vrbibus tripudij resonat Cythara dum horribili simul bello premimur. 372.2

Tempora infelicia cùm Regnum æneum aspicimus, quod aureum & argenteum aliquando vidimus. 123.2

Ad Regni decus pertinet, ciues tributis non pergranari. 112.2

Pio Regi charius debet esse Regnum quàm vita. 213.2

Regnare idem est, ac subditos præ oculis habere. 128.1

Regum causa cum subditorum causa est coniuncta: Regnum perit, deperit Rex. 214.1

Vide *Princeps: Rex.*

Relaxare.

Non dedecet Reges propria manu culturæ hortorum studere relaxandi animi causa. 346.1

Religio: Religioſus.

Religio habeat portam, quâ sordescentes socij foras immittantur. 232.1

Quid proficit re alios antiquitatis Religionis latitudine æquare, si meritorum altitudine non exæquas. 209.2

Non omnibus datum est, sæcularia æquora sicco pede tranare; ideò securius Religionis ini desertum. 307.2

Quodammodò vir Religiosus Deo est præparandus. 353.1

Quilibet Religiosus persuadeat sibi se fundatoris imò Religionis totius agere personam. 31.1

Qui vitroneus de monasterio abscesserit, quasi à Domino recedit: ad quem cum redierit, congregetur. 293.2

Commendabiles Religiosi ex perpetua à loco patrio receſſione. 107.2

Relinquere.

Fugiens à sæculo, vt diabolum euadat, omnia mundi relinquat bona. 336.2

Renouatio.

Renouatio spiritus Iesuitarum commendabilis. 121.1

Spiritus renouatio hominem attritum, & inueteratum nouum omnino reddit. 164.1

Replicatio.

Homines quasi impeccabiles reddere debet cœlestium beneficiorum replicatio. 220.1

Reprehenſio.

Puriſſimus debet ostendi ille, qui reprehendi alios gerit officium. 103.1

Reparatio.

Ad Vrbium reparationem gerendam, prius debent templa reparari. 228.2

Reſpublica.

Ornamentum & bonum Reipublicæ, templum in ea extrui. 110.2

Nullum grauius Reipublicæ incommodum, quàm eam permittere communi flagitio aliquo maculari. 164.1

Reſtitutio: Reſtituere.

Periculosè differtur ad testamentum debiti restitutio. 286.1

Mirabile est, ea quæ à pluribus diripiuntur restitui. 338.1

Quod statim non restituitur, nunquam restitui assolet. 274.1

Præmittatur restitutio ante absolutionem pœnitentis. 238.1

Quod ex furto acquiritur difficilè restituitur. 269.2

Deus

Deus assolet bona tua auferre, vt cogat aliena restituere. 133.1

Rex.

Rex qui Regnum inchoat ab obsequio Religionis, procedet felicissimè. 194.2
Regi docto bibliotheca, est thesaurus vbi ediscit pacem abundantiæ parentem tueri. 209.2
Ex deliciis Rex detrahat, vt desolatis oppidis succurrat. 218.2
Prima Regis ascendentis ad solium sit cura, Dei promouere cultum. 170.2
Dum Rex templi fundamina apponit; aut reficit, regno adhibet firmamenta, ne corruat. 202.2
Imprudens Rex qui non honorat milites sine quibus nec regnum adipisci, nec adeptum conseruare potest. 36.2
Reges non debent ita primo hæresceré iudicio, vt non possit id ratio immutare. 205.2
Iam Reges innumeris militibus exiguo redactam numero impendunt annonam. 302.2
Tot quasi Regibus submittitur, quot diuites Respublica ostentat. 167.2
Omnia Regum consilia, seu desideria à consiliariis reputantur mysteria, & non audent contradicere. 300.1
Mirum est Regium animum non peruerti deliciis Regijs: ideò D. Ludouicus Rex Franciæ mihi positus in miraculum. 384.2
Sunt Reges, qui nec sciunt, nec putant vllum subditum esse miserum. 300.2
Rex occultari subditis studeat, quidquid eum possit ostendere esse hominem. 335.2
Regum inopia ex peccatis prouenit. 118.1
Ei Regi cuncta prosperè sæcularia obueniunt, qui Dei cultum promouere studet. 178.2
Regis prudentis est, nihil agere nisi præcedente consilio. 179.1
Cum Rex delinquit, mox cuncti subditi flagellantur. 181.1
Multa Rex ignorat quæ Regis ex nomine à ministris geruntur. 365.2
Rex impius nunquam solus perit. 148.1
Catholici Reges piè Religionem orationibus curant pugnam accendere, & prosperare. 145.1
Admodum indecorum est Regi innoxium subditum condemnari. 365.1
Et accusatum non probata causa suplicio affici. 365.2
Dum Rex diuino cultui promouendo studet, Deus eius pacando imperio dat operam. 127.1
Perfectissimus Rex, qui non abutitur potentia ad proprias commoda, sed ad subditorum vtilitatem. 380.1
Indecorum est Regi, nimiam vni ministro authoritatem exhibere. 388.2
Propitij numinis signum est, pium, & sapientem Regem populo præfici. 97.2
Ille præstantior est Rex qui solicitior est pastor. 57.1
Idem est, aliquem Regem esse, ac subditorum studere saluti. 54.2
Placitum Regis vix vnquam apparet iniustum. 300.1
Pudeat Regem nimium ac facilè fuisse credulum. 365.2
Reges succurrant sacerdotibus, vti parentes assolent filiis necessaria prouidere. 170.1
Videant Reges oppidorum ruinam vt eorum instaurationi studium impendant. 229.2
Non vtantur Reges infidelium auxilio ad bella gerenda. 229.2
Diuturna vita dotatur Rex, qui iuuentutem virtuti, aut regni commodis impendit. 161.1
Magni momenti est Regi iuueni pium & constantem addici pædagogum. ibid.
Cuncta obueniunt prosperè Regi iusto. ibid.
Egregium sè Regem gerit, qui subditos æstimat fratres. 86.1
Reges non debent alienigenis fidere regalium prouentuum administrationem. 262.1
Donaria Reges veluti tributa necessaria exigunt à subditis. 161.2
Nomen victoris Regis vbique terrarum auditur. ibid.
Rex consiliariis non aperiat suum desiderium; sed quærat, an conueniens sit, hoc, aut illud agere. 300.1
Rex Catholicus debet fidei dilatationi studere. 173.1
Hinc Philippus Rex Hispaniarum admodùm commendabilis. ibid.
Non fidant Reges auro, & argento, quod facilè fallit, sed agriculturæ, & gregum nutrimentis. 84.2
Rex, qui studiosum se Reipub. gerit, debet eam ad obseruationem adducere. 164.1
Punitur à Deo Rex, qui Concionatorum monitis non acquiescit. 159.2
Nihil prius Regi Catholico quàm rei sacræ incrementis studere. 43.1
Rex prouideat temporaria subsidia, vt eos efficacius ad spirituales profectus adducat. 36.1
Non vincit hostes Rex ille quocum Deus non est. 36.2
Commendabilis Rex, qui pontificiam dignitatem admodum reueretur. 54.2
Catholici Reges ad Regna exteranea ministros Ecclesiæ immittunt idololatriam extincturos. 186.1
Rex non debet à subditis abstrahi. 36.1
Regnante impio Rege vel pij non audent pietatis negotia promouere. 43.1
Reges filias decentissimè dant subditis primariis in coniugium. 14.1
Regi agnata debet esse fortitudo. 16.1
Regem dedecet admodum, subditorum maculare toros. ibid.
Difficilia quæque Rex exequitur, dum principibus, ac popularibus gratus existit. 88.2
Cum Rex causæ publicæ cunctas impendit diuitias proprias, cogit subditos idem agere. 90.1
Indignum imperanti, seruire libidini. 16.1
Humanum erga populum Rex se ostendit, qui reputat esse suum, non alienum. 86.1
Rex cuncta gerat ex doctorum consilio. 348.1
Non debet Rex se consiliariis ostendere ad eam rem de qua consilium requirit affectum. 348.1
Quod Reges peccant subditi assolent dependere. 65.1
Cùm Rex aut Templi, aut belli sumptibus munera largitur, mox consiliarij non iussi sed sponte munera debent offerre. 213.1
Rex cum subditis comiter & vrbaniter agat. 86.1
Nihil regio animo indignum magis quàm ad ingluiem, ac delicias affectus. 122.2
Rex nullum manu sua decretum muniat, quod non priùs perlegerit. 380.2
Rex non sibi, non amicis promouendis, sed Domino obsequendo imperium accipit. 92.1
Reges non pij quod è thesauro, ac fisco dant ex proprio

proprio penu non tribuunt, quia thesaurus ille iniustè congestus. 213.2
Ob vnius familiaris Regis desiderium multi pereunt. 365.2
Ingratus Rex, qui accepta à parte aliquo beneficia non rependit in filio. 156.2
Priùs Reges Deo templum, quàm sibi palatium duraturum ædificent. 96.2
Probus Rex subditorum bona, aut mala propria esse reputat. 188.1
Rex Catholicus curet, sacra promoueri. 189.1
Solummodò imperant Reges, cum pace fruuntur. 94.1
Inuigilet Rex, ne aliquid è sacro cultu detrahatur. 213.2
Decet Regem, sic familiarem ministrum honorare, vt cæterorum contineat inuidiam. 380.1
Homines suspicantur aliquid esse Regibus humano maius, quia quidquid expetunt exequuntur. 383.1
Quàm intempestatiuè assolent iam Reges ad certamina procedere, scilicet verè exacto. 63.1
Reuereantur Reges, & ament eos, à quibus è cunabulis edocti fuere pietatem. 154.1
Reges moneant Episcopos, vt procurent, religiosos ad oppidula immitti agricolas doctos. 214.1
Impius Rex, cum moritur, à nullo desideratur. 148.1
Puerilis animi se Rex ostendit esse, qui iuuenum monitis acquieuit. 119.1
Reges vtilius consilium ex precibus, quam ex Regis consiliariis ad quæque posterè gerenda accipiunt. 143.2
Debet Rex inepta decreta illicò abolere. 388.1
Non possunt Reges imperio frui, si Deum quærere non studeant. 128.1
Faciliùs orationi instans Rex hostes vinceret, quàm armorum strepitu. 216.2
Impij Reges subdito iniuriato addunt molestiam, iniuriatorem indemnitate donant. 139.2
Nihil Regi glorioſius, quam excellere Sapientia. 117.1
Quid Reges à Domino sperent, si dum pugnat exercitus, ipsi eius præcepta violare non timent. 135.1
Quasi Rex aut præsul non est, qui subditorum animos sibi non conciliauit. 135.1
Reges debent speciali fauore prosequi eos, qui sanctitate fulgent. 212.2
Catholici Regis pietas circa iuris Ecclesiastici immunitatem. 177.2
Non est verus Rex, qui seruorum iniurias ducit esse alienas. 61.2
Non patitur pius Rex, solos pauperes gemere. 67.1
Rex animo deficit, quia militum consilio non vtitur. 83.1
Potens Regis probus, aut prauus affectus ad pauperum commodum, aut incommodum. 267.2
Rarò Rex ad bellum procedit sine triumpho. 180.1
Indiget Rex thesauris repositis, ad magnitudinem tuendam. 136.1
Curent Reges, increscere vrbium ædificia. 136.1
Æquum est Regem specialem amicum habere (*el valido*) si is possit agere consiliarium. 84.2
Si secundus à Rege fit primus, Regis vita periclitabitur. 355.2
Deberent Reges, numero militum commeatus sine numero præparare. 300.2
Rex à subditis homo habetur ex indecora consuetudine non ex facili omnium ad eundem accessu. 358.2
Pauper erit Rex, si ex alieno victitauerit penu. 84.1
Regem præsulem esse idem est, ac subditos magnificare, roborare, confortare. 91.1
Rex sine consilio nihil gerat. 56.2
Pium Regis Catholici studium circa cantores. 21.2
Cuncti Reges deberent vocari Sedecias, siue iustitia Dei. 193.1
Vt Rex populo sit gratus, debet eum non spirituali solùm, sed & corporali benedictione afficere. 51.1
Cum Rex aperrè suis Consiliariis sua obiicit desideria, approbationem ambit, non quærit consilium. 300.1
Id Rex facit, quod per milites gerit. 64.2
Subtaxatur Rex qui à subsidiis ciuium inopum detrahit, quod fastui non necessariò addicit. 59.1
Reges iam non solent ad bella procedere, magno regnorum incommodo. 63.1
Reges non debent officia dare propinquitatis titulo, sed causâ meritorum. 84.2
Pius Rex Deum semper propitium habet. 135.1
Rex aut Dux, qui vnius victoriæ spolia Deo litat, eum reddit ad aliam ei tribuendam victoriam debitorem. 59.2
Ineptorum Regis decretorum culpa plerumquè recidit in ministros. 388.1
Reges in edendis decretis diu debent immorari. 356.2
Nihil proficit Regi quod à subditis exigit. 167.2
Subtaxantur Reges, qui pressi bello ab infidelibus auxilium postulant. 158.2
Permittit Deus, Regem consiliis salutaribus non acquiescere, aut consiliarios abertare, eo quod Rex voluptatum colit idola. 159.2

Reuelatio.

Reuelationes silentio obtegendæ sunt. 377.2

Reuerentia.

Magna erga sepulchra maiorum reuerentia præstanda. 228.1
Gratissima Deo est cura circa Templorum reuerentiam. 320.2

Rixa.

Agnatum rixis, te in alterius officium ingerere. 189.2

Ruina.

Præsaginm est extremæ ruinæ in principe secundo à Rege, incepisse nutare. 364.2
Ex morum differentia, ac legum contemptu Regnorum ruina. 380.2

Rudis.

Rudes edocendi peritorum consortio. 97.2

Rumor.

Taxantur qui vltro, citroque rumores deferunt. 356.1

S

Sacerdos.

Sacerdoti, aut Religioso viro indecorum est, profanas inuisere fœminas. 150.1
Tepidus Sacerdos, aut religiosus difficiliùs resumit feruorem, quam sæcularis compunctionem inchoat. 174.1
Dedecet Sacerdotes administrare politica bella. 377.1

Dedecet Sacerdotes administrare politica bella. 377.1
Sacerdoti hæresciunt sæculares mores, cum inter sæculares commoratur. 377.1
Plus sæcularium gratiam init Sacerdos, aut Religiosus, qui instituti obseruator ostenditur. ibid.
Taxantur Sacerdotes, qui audent indignè altare inire, & Eucharistiam absumere. 110.1
Qui Sacerdotes impissos ad docendos ignaros iuuant, & ipsi docuisse illos verè dicti tantur. 135.2
Quàm parui Sacerdotes æstimentur à principibus. 138.2
Sacerdotalis dignitas te cogit sic Dei cultum procurare, vt Sacerdotis Deus speciatim esse videatur. 154.2
Pigros se ostendunt Sacerdotes, qui indigent adhortatione, vt ministerium suum impleat. 189 1.
Plus Deus affici videtur ex iniuria illata Sacerdotibus, quàm ex propria iniuria. 163.1
Sacerdos Christi sanguinem recepturus, sit castitate præditus. 102.1
Delinquens Sacerdos priuatim corripiendus. 238.1
Actiones Sacerdotis regula sunt actionum sæcularis. 221.1
Sacerdotes pudeat, sæculares primùm assurgere ad opera pietatis. 197 1
Sacerdos vitiorum caligine offusus quomodo audet altari ministrare. 104.2
Præcedentibus Sacerdotibus, seu Præsulibus facilè sæculares virtutis viam arripiunt. 121.2
Sacerdotes sint quasi filij Principum, qui vti parentes filiis Sacerdotum commodis dent operam. 155.1
Pudeat Sacerdotes, segnes ostendi ad Dei obsequium, dum sæculares Regis ad seruitium tam diligentes ostentantur. 155.1
Ad pietatis opera Sacerdotes debent primi omnium assurgere. 231.1
Sacerdos non insumat temporariæ ædificandæ domui diuitias, sed æternæ. 223.1
In Sacerdotibus requiritur fortitudo ad Ecclesiæ tuendam immunitatem, ad flagellandum nequitiam. 30.1
Sacerdos semper est Antistes vel Regibus præferendus est. 171.2
Sacerdotes in Templo militare gerant officium. 176.2
Fortissimum se ostendit Sacerdos, seu concionator, qui iniustas regum carpit actiones. 162.2
Non dedecet Sacerdotes scopis templa repurgare. 170.1
O quot tenebris hodie Sacerdotum vitio templum offunditur. 104.2
Quam horribile facinus Sacerdotem altari sacrilegum ministrare. 163.2
Sacerdotes egregij propria corporalia commoda obliuiscuntur, vt Eucharistiam fidelibus ministrent. 190.1
Ad Dei inspirationes agnoscendas, & à suggestionibus diaboli separandas magna in Sacerdote peritia requiritur. 290.2
Necessarium adeò est Sacerdotem scire vt vocabulum quo leuitas significatur *Sciens* sit. 252.2
Taxantur Sacerdotes qui sacramentorum pondus incertis vicariis committunt. 48.2
Sacerdos sequatur oues ærumnis actas, non deserat fugitans. 21.1
Sacerdos ad quæsita non respondeat nisi maturo consilio, & præmissa oratione. 56.1
Viri Deo sacri, id est, Sacerdotes à sæcularibus abstracti à communibus cladibus eximuntur. 66.1
Sacerdos Regibus præponendus. 20.1
Non dedecet Sacerdotes ad sæcularia eligi tribunalia. 81.2
Sacerdos alios mundaturus, prius curet mundari. 158.2
Sacerdos existimet se Christum esse, cum ascendit altare, & studeat, Christi æmulari puritatem. 22.1
Futuri Sacerdotes à cunabulis templo deseruiant. 177 2
Vide *Præsul.*

Sacramentum.

Piè cures habituales peccatores à Sacramentorum vsu abstrahere, absolutionis abnegatione. 189.2

Sacrificium.

Duplex sacrificium gratiarum actionis domino ob beneficia quæque præparandum. 283.1
Haud alieno nitaris sacrificio, & tu domino munera offeras. 104.1
Cùm opus difficile è sacrificio inchoatur, mox feliciter completur. 234.1
Non placet Deo Regis de alieno sacrificium. 67.2

Sacrilegus.

Sacrilegus, Deum negligere ostentat. 162.2

Salus.

Salus nostra ex Angelorum ministerio in pennis auolat. 287 2
Quæ ad nostram salutem attinent; non aliena, sed propria manu sunt exerenda. 278.1
Pudeat nos, tam pigrè nostram operari salutem; dum Deus tam solertem se circa dandem se ostendat. 193.2
Facilis peccatori salus indicitur. 173.2
Priùs de salute animi curandum, quam de vita corporea. 210.1

Sanctitas : Sanctus.

Magna viri, aut fœminæ sanctitas vel in posteris reuerenda obiicitur. 150.2
Magnum sanctitatis est documentum hominem egestate pressum virtutem sequi. 270.1
Qui officiis despicacioribus in communitate regularium curam impendunt, frequenter sanctitate præfulgent. 263.2
Quanti æstimandum vel vnius illustris sanctitate viri nomen. 21.1
Iuxta parentum sanctitatem filij à Deo præcessionem accipiunt benedictionem. 280.1
Ad diuina promouenda, oportet aliquando, ad humana recurrere. 207.1
Sancti affectant, mentione tribulationum nobilitari. 211.2
Regum sanctitas stabilit imperia; quæ eorumdem iniustitia euertit. 86.2
Non dedecet sanctos à Deo peccatorum imprecari supplicium ad aliorum exemplum. 264.2
Præcipua hominis laus sanctitas. 290.1
Elogij præcipua materia debet esse Heroïs sanctitas. 290.1
Egregia Zachariæ, & Elizabethæ sanctitas, qui sine querela, aut reprehensione vixerunt. 286.2
Sanctitas quæ cum lacte ebibitur, firmius retinetur. 267.1

Sanguis.

Sanguis Dominicus agnatum est peccatis libidinis medicamen. 218.2

Sanguis Regius nobilitatur ex præstantia artificij. 14. 1
Nunquam non iustorum sanguis clamat, vt profusoribus impetret veniam. 139.2
Plerumque sanguis illustris cum paupertate colligatur. 276.2
Velox aduentus sanitas, dum iustus diriùs patitur. 276.1

Sapiens : Sapientia.

Sapientis est, propriam exilitatem agnoscere Deique immensitatem. 97.2
Sine Sapientiæ Ducatu nihil perfectè geritur. 216.1
Sapientia est omnis origo prosperitatis. 110.2
Sapientia & fortitudo triumphos comparant. 162.1
Commendabilior in fœminis, quàm in viris Sapientia. 115.1

Scandalum.

Deum ad misericordiam allicit, qui dum delinquit curat vitare scandalum. 44.1
Curent Principes occultari alienis suam libidinem, ne pungantur scandalo. 328.2

Scientia.

Ad aptè præcipiendum scientia necessario requiritur. 41.2

Scortum.

Quæ furtim viro colligatur, adhuc post nuptias æstimatur scortum. 4.2

Scribere.

Qui ad Superiores scribunt de subditis, sincerè sine exaggerationibus culpam annotent. 207.1

Secretum.

Difficile secretum inter tres custoditur. 332.2
Secretum vel paucis apertum paritur euulgationis periculum. 317.2
Si secretum ex corde ad os transit, vix poterit non euulgari. 354.2
Tuum secretum vel ab amici custodiendum notitia, si non vis euulgari. 229.2

Securitas.

Nunquam debemus esse de recuperata gratia securi, vnde semper pœnitentiæ affectu Deum requiramus. 52.2
Nimia securitas multos fortes milites debellauit. 291.1
Non est tutum, victos exercitui addici vt pro victore decertent. 312.1

Sedes.

Nemo potitus est diu sede à qua proximum exturbauit. 15.2

Senectus : Senex.

Bona ad moriendum senectus. 92.2
Stultum est senem affectæ ætatis ducere puellam. 351.2
Præmium est iustitiæ viri, eum Deus bona senectute donare. 295.2

Sepulchrum : Sepultura.

Honor sepulchri merita sepulti proclamat. 181.2
Diuitum sepultura fœtorem exhalat, quia illi electosynæ aromatibus condiri neglexerunt. 148.2
Sepulturæ memoria peccatorem ad meliorem mentem adducit. 248.1
Deus solet iustorum, qui se dum viuerent, despexere, honorare sepulchrum. 294.2
Vel è Gentilibus edisce, circa maiorum sepulchra tueri pietatem. 228.1

Sermo.

Irreprehensibilis sermo sanctitudinem loquentis arguit. 317.2

Seruitium.

Rarò à Principibus seruitia munerantur. 354.2

Seruitus : Seruus.

Esse Principem subditorum actorum æruumnis dira est seruitus. 17.1
Inuolantaria seruitus, mors omnino reputanda. 302.1
Quasi necessarium nobili viro accipienti à Deo beneficia, ei speciali iure seruire. 13.1
Seruitus ditior morte calamitas. 295.1
Spe falsa nititur, qui Dei seruos audet impugnare. 125.2
Dei Seruus audiens probra in Deum sanciatur. 189.1
Non ostenditur Dei fidelis famulus qui audiens blasphemias iuratorum, non afficitur dolore. 180.2
Serui fideles debent veluti amici à dominis æstimari. 322.1
Haud prudenter serui, aut mancipia præpositi familiæ Domini fiunt. 317.2
Fidelis seruus velut pater est Domini. 98.1
Sufficiat fideli seruo, fideliter seruiisse premij loco. 354.2
Iam suaue, seruire Deo, vt calcaribus præmij, ac supplicij non egeamus, ad procedendum in via virtutis. 104.2
Vide *Famulus.*

Signum.

Signum quod Deum inueneris, tibi sit, si pace à domino doneris. 131.1

Similitudo : Similis.

Amor ebrietati persimilis. 360.2
Deus & virtutem præmio donat, & vitium supplicio afficit, ad virtutis, ac vitij similitudinem. 332.1
Similis iudicaris socio cui hæresis. 44.2

Sinceritas.

Sinceritas est agnata principibus, vnde facilè decipi possunt. 388.2

Socer.

Rarus socer, qui generum roget, vt apud se remaneat, quia rarus est gener, qui & aptetur in filium. 286.2
Socer sit nurus sponsus illius commodis studendo. 138.1

Societas : Socius.

Bonæ vis societatis. 292.2
Periculosa plerumque est alienigena societas. 129.1
Iustorum societate impij proteguntur, ne omninò pereant. 123.2
Proba, aut praua societas socium quasi eiusdem generis efficit. 199.1
Socius aduersitatis sit tibi prosperitatis comes. 41.1
Socij debent Sociis salutaria monita adhibere, superior tibi sit velut æqualis. 207.2
Socius probus aut improbus tuam quodammodo faciet immutari naturam. 7.1
Cum socius punitur, compungi debemus eadem digni pœna. 48.2
Qui iusto hæret Socio iustitiam confernat. 33.2

Solatium.

Magnum fragilis hominis est solatium, Deum laborare, qui omnia potest, & vult suis opitulari. 340.1

Quàm inuigilans Deus iustorum laborantium solatio adhibendo. 278.1

Solemnia.

Vt celebrentur diuorum solemnia, piè lætitiæ documenta exponantur. 342.1

Sors.

Si pauperis ac diuitis similis est natura, sors ad soluenda tributa cur non erit æqualis. 237.1

Spectaculum.

Facilè, & mox ad prophana spectacula homines alliciuntur. 324.1

Spes.

Spes fidelium quasi possessio. 305.2

Spiritus.

Spiritus sanctus edocet autores scripta corrigere. 53.1

Spolium.

Imaginum veterum spolia in loco sacro recondenda. 104.1

Spolia victoriæ templo sacranda. 80.2

Stabile.

Nihil sub cœlo stabile. 27.2

Status.

Rarus, qui præcelso addictus statui pristinæ vilitatis memor existat. 91.2

Varius rerum status debet Regnum mutare, aut abrogare præscriptiones. 388.2

Status vilitas efficit animum vel nobilem vilescere. 266.1

Stemma.

Ad diuina promouenda oportet aliquando humanum stemma exponi. 226.2

Sterilitas: Sterilis.

Familiæ sterilitas ex iniquitate dominorum eius assolet prouenire. 14.2

Quasi sterilis tibi sit ille parens, licet multos habuerit filios, si hi filij ab eius decidunt dignitate. 11.2

Ex obsequio in Mariam sterilitas pellitur. 44.2

Terræ sterilitas è peccatis. 167.2

Stipendium.

Duces iam non solùm propria stipendia non elargiuntur, sed auferunt aliena. 238.2

Stratagema.

Hostis stratagema est, simulare se hostis conatui morem gerere. 240.1

Stultitia.

Hominum stultitia temporaria incommoda pro æternis commutare. 33.1

Suadere.

Quidquid aliis gerendum suades, id te gessisse puta. 240.2

Subditus.

Subditi ob Regis crimina specialibus Dei beneficiis priuantur. 163.2

Ad causas fidei, ad publica commoda subditi dant spontaneè. 90.2

Principi subditi debent submitti sicut membra capiti. 36.1

Illud subditus abominabile putat, quod inuitus exequitur. 66.1

Subditos habere verè subiici est. 192.1

Facilè subditi pereuntis Præsulis exemplum æmulantur. 188.1

Difficilè subditi corrigiuntur, si princeps non priùs nuncium mittit iniquitati. 199.1

Agnatum Deo Domino, subditos ab incommodis liberare. 193.2

Non datur à subdito, sed à principe auferitur, quod subditus vltroneus non exhibet. 90.2

Magna subditi commendatio, Præsulem sua pietate ad idem opus exerendum adducere. 235.2

Vnicus fidelis subditus Regis est vita imperij stabilimentum. 389.1

Subditi faciliùs suscipiunt nouum Rectoris præscriptum quod vident, eis ex consultatione seniorum indici. 175.1

De subdito orationi dedito non possunt rectores aliquid suspicari finistum. 332.2

Subditi præsuli eiusdem conditionis submittuntur. 98.2

Delationes damnantes subditum matutius sunt à Præsule discutiendæ. 389.2

Libenter accipiunt præscripta præsulis à quo subditi accepisse beneficia recordantur. 373.1

Videri subditos à Principibus, idem est, ac pasci. 19.2

Subditi assolent magis affici timore principis familiaris Regis, quàm Regis ipsius. 371.1

Submissio.

Non dedecet doctos vti discipuli doctioribus submitti. 77.2

Subsidium.

A Principibus seu diuitibus exigenda belli subsidia, non à pauperibus. 167.2

Diuinum subsidium in promptu est, cum omninò defuit humanum. 144.2

Substantia.

Substantia asseruatur, & proficit, cùm eius portio egeno impertitur. 267.1

Suggestus.

A suggestu exulet quidquid à libro legis diuinæ alienum videatur. 135.2

Sumptus.

Regis sumptus ad pia opera, populum à cuiusuis plagæ cruciatu liberant. 67.2

Superbia: Superbus.

Superbia semper animum Domina ascendit hominem redditura mancipium. 274.1

Superbiæ vitium Deo admodum inuisum. 249.1

Superbus hyperbolycè frequenter loquitur, quia de suis dotibus hyperbolicè iudicat. 340.1

Agnatum superbi supplicium rebus vilibus subiectari. 278.2

Superbiæ supplicium solet esse luxuria. 278.2

Quàm facilè deiiciuntur superbi, quia leui fundamine nituntur. 341.1

Superbus animus ex victi submissione crudeliar exsurgit. 302.2

Superbia & luxuria rarò non colligantur. 216.1

Supercilium.

Ad supprimenda principum supercilia solùm vim habet vitæ alterius obiectio, aut recordatio. 148.2

Superfluere.

De iis, quæ Deo dantur, post amplam insumptionem abundè superfluit. 212.1

Supplicium.

Supplicij minitatio vel effrænatos continet transgressores. 263.2

Supplicium ingratorum est, ad ea incommoda remeare è quibus eos Dei beneficia, quæ contemnunt, eripuerant. 249.2

Magnum peccatoribus est supplicium, eos templis priuari. 111.2

Criminum ſupplicium magnum eſt, relegari à patria. 107.2
Supplicium delicti publici non differatur & publicè oportet id infligi. 349.2
Nihil eſt hic omni parte fortunatum. 349.2
Iterùm in eandem incidere culpam, grauiori eſt obnoxium ſupplicio. 263.1
Componit Deus ſupplicium ad peccati ſimilitudinem à noſtra velut edoctus iniquitate. 369.1
Supplicia illata peccatoribus audita terrent, viſa quaſi vim inferunt ad conuerſionem. 173.2
Nullum non ſupplicium debetur ingrato. 157.2
Supplicium ſuperbi, ea diſperdi, quæ ad oſtentationem excitauerat. 298.2
Peccatorum ſupplicia non à terreno iudice, ſed à cœleſti indicuntur. 389.2
Magnum peccati vnius ſupplicium eſt, permitti hominem, in aliud excidere. 293.1
Supremum ſupplicium eſt, permitti te fœdari peccato. 222.1
Ex ſupplicio inobedientiæ diſcimus obedire. 4.1

Suſpicio.

Suſpiciones circa ſubditos iuſtè poſſunt patrifamilias ineſſe. 270.1

T

Tabernaculum.

Non poteſt tabernaculum cœleſte conſtrui, ſine laborum ſuſtinentia. 246.2
Non ſolùm in Religione Dei domo æterna tabernacula conſtruuntur, ſed & in plateis &c. ſiue in ſæcularibus occupationibus. 246.2

Tedium.

Affici tædio, ſolet eſſe præſagium. 281.2

Tellus.

Tellus nos docet, pauperibus ſubuenire. 252.2

Templum.

Templum eſt magna populi delinquentis protectio. 193.2
Templum ſacrificij eſt domus. 111.1
Semper à cunctis honoratur qui expenſis ſuis curauit templum, ſeu altare extrui. 110.2
Deſtructio templi oculis obiecta omnium calamitatum epilogatio eſt. 202.2
Templum non ineundum ſolummodò ad temporaria procuranda commoda. 240.2
Templum cuſtodire Angelicum officium eſt. 30.2
Vel pretioſi ac politi lapides impoliti ac vulgares ſunt ſi templi ſacerrimi dignitas ſpectetur. 208.2
Quanta reuerentia exigitur ab eis qui in templo commorantur. 92.1
Sacerdotali munere non fungitur, qui templi, Deique iura non tuetur. 21.1
Qui templi impedit extructionem, viuens videt propriæ direptionem domus, aut familiæ. 210.1
Qui templo aliquid donat, quaſi iure ſupponit precum retributionem. 210.1
Taxantur, qui apud templum ſe impudicè gerunt. 169.2
Vacuus tuus ad templum ingreſſus, ſi ſpiritu non das operam holocauſto. 115.1
Tot à Deo miniſtros aſſumi ad templum extruendum, aut ornandum, ſiue ad aliquod pium opus, magnum eſt beneficium. 197.1
Chriſticolarum in templis immundi à mundis non loco ſed habitu ſeparandi. 76.2
Qui templa, monaſteria, aut altaria ædificat, Dei hæres filius efficitur. 86.2
Dum templum reficitur, ciuitas innouatur; obſequium enim templo exhibitum ciuium refluit incommoda. 205.1
Templi vis ad protectionem innocentiæ impendendam. 150.2
Idem eſt in templo eſſe, ac in conſpectu Dei diuerſari, vt templi pudeat violatores. 145.1
Templum indigere reædificatione vel ornatu, fideli animo velut exactio eſt, cogens diuitias offerre. 197.2
Vel ipſum templi pauimentum decet gemmis ornari. 100.1
Quidquid ad ſacrum cultum pertinet, tibi ſit quaſi templum. 209.2
Templi Mariani præparationes à Deo fiunt, conceptionis lapis politus educitur. 69.1
Imagines in templis expoſitæ commendantur. 100.1
Porticus, ſiue atrium templi ſit tibi quaſi altare ad reuerentiam. 100.2
Fundari templum à Rege, idem eſt, ac Regem ipſum ſtabiliri. 99.2
Regum illuſtriſſima actio eſt extructio templorum. 99.1
In aureo Templo aurea ſit Sacerdotum habitatio. 100.1
E templo ablegandum quidquid ſuboleat affectum crudelitatis, aut vindictæ. 152.2
Præcipuè apud templa viris ac fœminis modeſtia indicitur. 100.2
Non audeas Templum inire indecenti animi amictu, ne Cherubini gladio percutiare. 100.2
Prima fidelium cura debet eſſe circa templorum immunitatem, è qua tota vrbium pendet protectio. 304.1
Commendantur, qui Templo aut Altari à ſe erecto annuos relinquunt redditus, vt reparetur & ornetur. 91.2
Templum euertit, qui apud id libidini dat operam. 308.2
Templi reuerentiam nec gentiles auderent violare quam Chriſticolæ violant. 240.2
Omnes diui Dei templa ex lapidibus impolitis conſtructi apparent, ſi cum templo Dei Deipara comparentur. 208.2
Deus reficit vrbes, dum Rex reficiendo templo nauat operam. 170.2
Vel parietes deſtructi templi religioſè colere debemus. 94.2

Tempus.

Vel Principum nomina facillime temporum decurſu obliterantur. 257.2
Illud ſolummodò tempus reputandum, quo laboribus agitamur. 92.2
Infelicia tempora, cum æs vile æſtimatur. 116.2

Temulentus.

Temulentus alter eſt à ſeipſo. 348.1

Tentatio.

Leuior eſt tentationis patientiæ moleſtia, quàm impatientiæ ſupplicium. 317.1
Tentationes, quæ ex qualitate non vrgent, ſolent ex aſſiduitate, ſeu importunitate animum debellare. 240.1
Ex tentaminibus animo præſidium.

Teſtamentum.

Quàm prudens quidem valet, ordinat teſtamentum. 273.1

Teſtimonium.

Qui falſum teſtimonium profert, quodammodò eſt dirioris homicidij reus. 271.1

Teſtimonium quo conſtat aliquem eſſe Regem, eſt legis obſeruatio. 152.1

D. Thereſiæ.

D. Thereſia multos ſapientes ſuperauit. 115.1
D. Thereſia Carmelitarum fundatrix vocitanda, quia reformatrix. 298.1

Theſaurus.

Theſauri regum ſubditis annonam præparare debent. 121.1
Theſaurus verus Regius ſunt horrea, è quibus poſſit egenis ſubueniri. 84.1
Non ſemper filiis tradendi ſunt theſauri collecti ad opera pia, quæ parens præſcribit poſt obitum gerenda. 87.2
Virtutum theſaurus recludatur. 103.2
Regij theſauri horrea, & bellici apparatus. 112.2
Horrea ſunt Vrbium theſauri. 133.1
Theſauri inaniter inſumuntur ob fidei remiſſionem. 133.1

Timor.

Semper time, ne à Deo ob piaculum deſeratis. 104.2
Qui in timore Dei viuit, non moritur, dum abſcedit. 295.2
Cur ergo non times diabolum aduerſatium, qui tibi non minax, ſed crudelis hæreſcit. 302.1
Non eſt infirmitatis timere, vbi ſuppetunt cauſæ timoris. 281.2
Solus ille timere debet qui facit alios territari. 3.2
Adoleſcenti timenti Deum quaſi debetur ſancta coniux. 280.2
Coniuges, quas Dei timor non vnit, & poſt vnitum coniugium diuiſi manent. 281.1

Tyrannis.

Agnatum terrenæ potentiæ in tyrannidem proſilire. 3.2

Tortura.

Horribilis tortura Ieſu denudatio. 61.1
Magna eſt tortura amantis videre torturam. 187.2
Ineffabilis tortura Deiparæ, filij dilectiſſimi videntis paſſionem. 187.2

Tribulatio.

Tribulationum igne fidelis animi aurum repurgatur. 128.2
Deum placare non poteſt, qui tribulationibus multis non agitur, & in eis fidelis inuenitur. 317.1
Eligendi ad Iudiciarium tribunal viri nobiles: nobilitas enim remotior eſt ab acceptione perſonarum, ac munerum cupiditate. 141.2
Hominem tribunali terreno hærentem dedecet, quidquid Deum cœleſti hærentem dedecere videatur. 141.2
Iudiciale tribunal vrbium cuſtodia. 258.2
Tribunal & iudicium Dei collocatur vbi iuſtum impius proſequitur, vt liberetur innocens, & reus puniatur. 52.2

Tributum.

Tributa ſenſim ſua ex natura ſine Regis affectatione, creſcunt. 118.1
Terræ tributis actæ nouum, vel leue tributum imponere, eſt illam de nouo facere tributariã. 175.1
Importabile eſt onus tributorum, cum ſaltem vno anno non intermittitur. 375.1
Quid Regibus donarij nomine datur, potius ſæpè poteſt appellari tributum. 117.1
Nimia tributorum exactio, captiuitas eſt. 205.1
Agricolæ fame conficiuntur vt tributa rependant. 250.2
Omnia bona tributis ſoluendis impenduntur. ibid.
Qui tributa adminiſtrat, neceſſariò populo ingratus exiſtit. 119.2
Qui tributa non ſoluit eo tempore, requie potitur. 353.2
Saltem ad tempus laxanda eſſent tributa. 353.2
Tam difficilis tributi ſolutio, vt indigeat Concionatorum voce, quæ reddituris perſuadeat. 155.1
Nec Eccleſiæ mancipiis tributa ſunt imponenda à Chriſtiano Rege. 214.1
Libenter pendimus tributa pietati, aut Reipublicæ, vtilitati famulatura. 118.1
Moleſtè fert populus quidquid tributi ab eo ad Regias turpes deliciàs extorquetur. 118.1
Vide *Agricola.*

Transfugus.

Transfugis non facilè credendum. 311.2

Tranquillitas.

Si placeat animi tranquillitas, & exultatio: tempeſtas, & illacrymatio non diſpliceat. 272.2

Triſtitia.

Grauium virorum eſt nunquam ſine graui cauſâ contriſtari. 228.1
Deiparentis triſtitia cum triduo illo ſe puero Ieſu vidit orbatam. 284.2

Tugurium.

Qui è tugurio in domum peramplam tranſiiſti, tugurij recordare. 333.2

V

Valetudo.

Rectori infirma vexato valetudine Deus vires addicit, dum curat muneris obligationibus ſatisfacere. 86.1

Vanitas.

Vanitas ſeu ſuperbia luxuriei parens. 213.2
Multa opera alias pia Deus ob intentionis vanitatem non admittit. 87.1

Varietas.

Quæ in hiſtoriis reperiuntur varietates, ad verum ſenſum poſſunt adduci. 243.1
Vbi eſt doctrinæ varietas nihil firmũ adſtruitur. 312

Venus.

Nimium venereus vſus cordi ignauiam ingerit. 154.2
Vel deſideria Veneris vires eneruant. 340.1

Verbum.

Verbi ſacri à conſtanti Concionatore prolati vis. 166.2
Dedecet à probis parentibus natum, immodeſta ac iniuſta verba proferre. 269.2
Dei verbum audire idem eſt ac iubilare animum. 110.2
Verborum ponderatores ſæpè excitant eum, cui dicta ſunt, vt iniurioſa eſſe putet, quæ indifferentia eſſe iudicarat. 310.1

Veritas.

In aulicorum auribus nunquam veritati pateſcit ingreſſio. 306.1
Aulici veritatis oſſores minime in aula firmantur. 374.1
Principes volunt, & non volunt veritatem audire. 306.1
Ab aula exulat veritas. 361.2
Veritas & firmamentum eſt idem. 374.1
Ratus eſt, qui nudam Principibus veritatem aperiat. 307.1
Veritas apud Principes expreſſa, ſtimulus eſt indignationis. 308.2

Propositi correctionis firmitas confessionis ac pœnitentiæ commendat veritatem, 238.1
Veritas facit obticere iniquos. 237.2

Vexatio.

Vexatio diligentiam inertem edocet. 121.1
Vexatio dat peccatoribus intellectum. 169.2

Via.

Arctam cœlestem viam iusti ineuntes patientiæ Diuorum confortantur exemplis. 269.2
Omnes viæ hominis dirigantur ad Deum, omnes quia Dei viæ ad salutem hominum diriguntur. 271.1

Victitare.

Duces & Præsules de egentis populi seu pauperum penu victitant. 238.1

Victoria.

Si Deo aut Angelo puer pugnas, proculdubio vinces. 46.2
Licet multa crimina vincas, perfectā nō potieris victoria si caput vitiorum non comminueris. 33.1
Quælibet militum victoria Duci etiam tribuenda. 64.2
Victorias comparat non militum multitudo, sed Dei protectio. 158.2
Ex prima victoria non extollaris vt te vltrò periculosis tentaminibus ingeras. 159.2
Qui ab infantia hostes vincere norit, faciliùs in senecta superatur. 269.2
Non vincit fortior exercitus, sed qui à Deo protegitur. 125.2
Victoria à legis cultoribus reportatur in bello. 125.2
Non cedit victoria maiori, aut fortiori exercitui: sed ei qui Deum propitium habet. 126.1
Haud perfecta spirituali in bello victoria, dum peccati origo non comminuitur. 126.2
Vna egregia victoria diuturnæ pacis affolet esse firmamentum. 342.2
Victoriæ exoriuntur ex oratione, & gratiarum actione. 315.1
Victoria à Deo est, non danda Dei hostibus, nisi quando Deicolæ hostes Dei efficiuntur. 308.2
Non tota victoriæ perfectio Dei absolutæ potentiæ ex miraculo committenda; sed nostra simul pugna nitamur. 128.2
Non sufficit ad victoriam, innumerabiles esse copias, nisi pace colligentur. 303.2
Plures infatuantur victoriæ, quia Reges magis in præsidio temporario, quàm in domino sperant. 135.1
Dum vitij remanet incolumis vel leuis affectus, imperfecta est victoria. 372.1
Maior est Regis victoria hostes facere amicos, quam eos exitialiter debellare. 95.1

Vidua.

Decet, viduas habitaculum amotum ab hominum consortio. 315.2
Sed non decet, diebus festis concionibus non interesse. 315.2
Viduam castam esse, idem est, ac domino confortari, vt tentamina superet. 337.2
Non decet viduā vilitationibus operam dare. 342.2
Egregia viduæ laus alij non nubere. 342.1
Moleste viduæ habitaculum poterit oratorium appellari, quia parcus inibi, & modestus sermo. 316.1
Taxantur viduæ, quæ templa non adeunt, recens mortuo coniuge. 342.2
Docens est viduarum ad templum expeditio quælibet. 342.2
Luxus vestium viduitatis reprehenditur. 321.1

Vinculum.

Duplici vinculo constringitur peccator, peccati onere & ærumnarum pondere affligitur. 183.2

Vindicta.

Dedecet iustorum spiritum dare vindictæ operam. 139.1

Vinum.

Inurbanus, qui vino indulget. 331.1
Dedecet, fœminas vino vti nisi ægritudine cogente. 330.1
Fœmina vsque ad iucunditatem bibere merum proxima ad venerem est dispositio. 329.2

Violatio: Violator.

Vel remotus conatus ad festi diei violationem est prohibendus. 263.1
Multa incommoda Regnis Catholicis à Deo infliguntur ob facilem festorum violationem. 263.1
Facilis festorum violatio apud Christicolas reprehenditur. 252.2
Violatio legum omnium miseriarum scaturigo. 245.2
Nihil Deum sic reddit auersum, quàm eius cultus violatio. 180.1
Idem est violari vxorem, ac dissecari, aut trucidari. 305.1
Demens est habendus, qui Dei violat mandata, cum tot se addicat incommodis. 91.2
Templi violatores in Templo puniuntur: peccatores pendente supplicio. 193.2

Vir.

Constantis animi viro satius est, vita, quam honore priuari. 365.2
Dedecet sactum virum, posse argui mendacij. 139.1
Cum vir eiusdem patriæ dignior est reliquis, iustè aliis præponitur. 375.1
Prudens vir imperatus commoratur in aula. 378.2
Vir verax curat gerere beneficium, & auctorem non agnosci, secus adulator. 378.1
Vir mendax cum mulierculis computandus est. 240.2
Vir parum sapiens rei venereæ immodicè est addictus. 121.2

Virginitas.

Agnata est modestia virginitati. 371.1

Virgo.

Virgo prius tradenda est sponso vxor, quàm vllum cum eo commercium habeat. 282.1
Virginem deturpari idem ac denudari est, in summam confusionem. 319.1
Virgines Dei thesauri accuratissimæ custodiendæ. 112.1

Virtus.

Virtus debet integra ex causa constare: vitium sufficit ex parte coalescere. 263.2
Perspicua illa est virtus, cui vulgus applaudit. 316.1
Virtus vel in hoste venerabilis est. 140.1
Actus virtutis intensio facit vitia penitus ablegari. 342.2
Virtus à cunabulis persistens. 102.1
Quælibet in fortunā aduersa aut prospera sola æstimanda est hominis virtus. 352.2
Sanctum non vocites eum, quem insigni virtute ornatum non videris. 231.1

Virtutum fulgorem famæ fulgor insequitur. 296.1

Vis.

Facilè humanæ vires huc illuc vanitatis aura aguntur, Dei auxilio destitutæ. 181.2

Visitator.

A principibus, aut præsulibus præpositorum præpositi, seu visitatores immittantur, vt videant, an Rectores suum impleant ministerium. 97.1

Vita.

Breuissimus humanæ vitæ terminus. 191.2
Nihil Regibus vita amabilius. 210.1
Ex vitæ breuitatis obiectu allicimur ad eleemosynam spontaneè elargiendam. 91.1
Perfectorum vita vel in hoc sæculo beatâ quodammodo est. 367.2
Vitæ diuturnitas beneficium est legis obseruatori supplicium. 95.1
Vita longæua non semper in bonis poni debet. ibid.
Vita in timore Domini transacta, & est ipsa mors, & sanctam connotat mortem. 295.2

Vitis.

Vitis luxuriei fœtor. 153.2

Vitium.

Principum vitia latere non possunt. 324.1

Vnitus : Vnitas.

Pauci vniti innumeros dissidentes superant. 337.1
Vel ad fugiendum vnitas proficit. 336.2

Voluntas.

Si Dei voluntate fit alicuius regni diuisio, frustra Principes decertabunt. 121.1
Alienæ parere voluntati cadaueris est status. 219.2
Qui expetit suam post obitum impleri voluntatem, viuens id quo perficienda sunt opera, pretium colligat. 87.2
In omnibus diuinæ voluntati conformes oportet nos fieri. 62.1
Voluisse facere, quasi feciſſe est. 56.2
Regis vel leniter insinuata voluntas consiliariorum ad se sententias trahit. 348.2
Vel sola voluntas ad iustitiam, vel iniquitatem præmio, aut supplicio obnoxia. 107.1

Voluptas.

Magnis exanthlatis laboribus acquiritur mundialis stilla voluptatis. 313.1
Quam miserum, in Religione libertatis patria hominem seruire voluptatibus. 251.1
Licitis voluptatibus nuncium remittere, admodum est laudabile. 25.2
Voluptatibus hæresce re idem est, ac cunctis bonis denudari. 167.1
Voluptatum siti æstuans viriliter age, ne te è Rege facias seruum, ob breuissimam voluptatis expletionem. 313.2
Qui indulget voluptatibus Veneris ac Bacchi, præparat suo iugulo ægritudinum gladium. 332.1
Quàm prudens, qui vota viuens persoluit, nec hæredi implenda relinquit. 231.2

Votum.

Voti emissio adiuncta precibus efficaciùs impetrat à Domino. 13.1

Vrbanitas.

Diuina lex vrbanitatis dogmata non annullat. 324.2
Commendabilis Principum erga fidelem seruum vrbanitas. 98.1

Vrbs.

Licet Regia vrbs sancta sit, non omnes ciues reddit sanctos. 255.1
A villarum agricolarúmque incolumitate tota Vrbium pendet integritas. 304.1
Iudicia Vrbes custodiunt. 233.2
Vrbs sine religione minimè gloriosa. 337.2
Pacis tempore commeatibus Vrbes reficiendæ, ne imparatæ ab hostibus inueniantur. 121.1

Vtilitas.

Spiritualis subditorum vtilitas ex principum Regni lustratione. 141.1

Vulnus.

Diabolum te vulnerantem colis: Deum tibi auxiliantem contemnis. 167.2
Qui miseratione proximum vulnerat, cum infidelibus qui Deum ignorant, computandus. 313.2

Vxor.

Vxor strictiori iure mariti debet obseruare præcepta cum strictiori lege, eum teneantur honorare. 360.1
Ex vxore mascula proles, ex concubina fructus infirmus germinari solet. 121.2
Impiam ducere vxorem, omnium malorum est Epilogatio. 264.1
Expertus tibi accipiat vxorem, nec oculorum tuorum relationi credas plerumque fallibili. 154.1
Vide *Fœmina.*

X

Xauerius.

Franciscus Xauerius spiritualis Banajas tempore ninis comminuens Leonem. 37.2
Facinus egregium D. Francisci Xauerij, ad Indos pergere, vicinæ patriæ, ac parenti vale non dicto. 107.2
D. Xauerius accubat, vti Leo apertis oculis, vt libidinem superet. 269.1

Z

Zelus.

Deum timentes circa Dei cultum zelo succenduntur. 295.1

FINIS.